



A COLLECTION OF TEXTS IN MODERN ECCLESIASTICAL LATIN. COLETÂNEA DE TEXTOS EM LATIM MODERNO ECLESIÁSTICO. 545 PAGS. PROF. DR. DARCY CARVALHO. FEA-USP. SÃO PAULO. BRAZIL. STUDIES IN MEDIEVAL AND MODERN LATIN. ANNO 2021.

A COLLECTION OF TEXTS IN MODERN ECCLESIASTICAL LATIN

This is a collection of pontifical documents in modern ecclesiastical Latin, the form of Latin in current use by the Roman Catholic Church in its official publications. A similar collection can be compiled for the Anglican Church. Ecclesiastical Latin is a living modern language. As such, it regularly adopts and develops new vocabulary, grammar rules, idioms and even, along the centuries, different orthographies, inclusive the Ramist or French orthography, in which the letter J is used where appropriate in place of the consonantal i and the letters v and u are always differentiated. Our first document exemplifies the current orthography of Church Latin.

As a full-fledged modern language Church Latin is also an orally spoken system of communication. The Church Latin pronunciation is well known, and it is also called the traditional Italian pronunciation, just one among the several possible traditional pronunciations of the Latin language. Since the Middle Ages, the Church has a long history of expressing herself on important social, political and international matters. This language enshrines also the whole body of Christian Church directives, prayers and Liturgy. it is fitting then that the Church retain and promote Latin, even in the very age it is moving toward more ample use of the vernaculars. The documents included in this collection span through several centuries.

Therefore, several orthographical conventions will be found in this book that may not agree with the current writing conventions used for strict Classical Latin. The Latin texts are reproduced with the spelling of their sources, and without bibliography, notes or comments. Modern Ecclesiastical Latin does not use diacritics, although they may be found in ancient texts. Many words may be spelled slightly differently from time to time depending on how the word is pronounced. There is not the same idea of "correct" and "incorrect" spelling that exist in Classical Latin or in modern vernaculars. Rather, there is acceptable and unacceptable spelling. In this book, we will not focus on the study of the grammatical points needed to read or write Latin which can be acquired in any short grammar of Classical Latin. T

his collection comprehends just political and social themes and some texts of the Church Doctors. It does not include Latin prayers, passages from the Bible or phrases from the Roman liturgy. The texts are presented in random chronological order. It is left to the reader the task of finding, in the Vatican site, in the Documenta Catholica Omnia or elsewhere an official vernacular translation of the transcribed texts. The modern Latin alphabet is similar to the English alphabet. The reader can start reading from anywhere.

DOCUMENTA ROMANORUM PONTIFICUM OFFICIALIA.

A Collection Of Texts In Modern Ecclesiastical Latin

01

01 AETATIS NOVAE» INSTRUCTIO PASTORALIS DE COMMUNICATIONIBUS SOCIALIBUS

Posterior: Inter Mirifica.

Introductio. Communicationum Socialium Magna Mutatio.

1. ***Aetatis Novae adventu communicationes sociales*** *ita diffusae sunt ut ad totius mundi culturas multum habeant momentum. Technologiae mutationes nonnisi aspectus sunt huius phaenomeni. Non est ubi communicationis socialis instrumenta vim non habeant ad mores religiosos et morales, ad disciplinas politicas et sociales, ad institutionem. Neminem latent, exempli gratia, communicationum socialium partes, quas geographici fines continere nequiverunt, in perturbationibus, quae annis millesimo nongentesimo undenonagesimo et millesimo nongentesimo nonagesimo factae sunt, quarumque historicum pondus Summus Pontifex in luce posuit (1). « Primus huius aetatis areopagus est scaena communicationis, quae ad redigendum in unum genus humanum idemque reddendum — uti dici solet — "vicum universum", procedit. Instrumenta communicationis socialis tantum adepta sunt, ut multis sint nuntii monitorii et institutorii praecipuum instrumentum, regulae et consilii ad suas ipsorum, familiares, sociales se gerendi rationes » (2).*

Quarta saeculi parte expleta a promulgatione decreti Concilii Vaticani II de communicationibus socialibus Inter mirifica, duobusque decenniis ab Instructione pastorali Communio et progressio, Pontificium Consilium de Communicationibus Socialibus recogitare exoptat de huius novae condicionis pastoralibus consecutionibus. Hoc quidem facit secundum spiritum conclusionis Instructionis Communio et progressio inscriptae: « Populus Dei, per tempora procedens... maxima fiducia... in posterum prospiciens ea contuetur, quae finita siderea aetas communicationis socialis... promittit » (3). Putantes principia et sententias horum documentorum, quae Concilii fuerunt quaeque Concilium sunt insecuta, diuturne esse valitura, cupimus ea in praesentes condiciones usurpare. Non appetimus ultima pronuntiare verba de tam complicata condicione, instabili et continuo mutabili, sed solum subsidium parare laboris atque adhortationis viris ac mulieribus, qui harum novarum rerum exitibus pastoralibus premuntur.

2. Annis, qui Inter mirifica ac Communio et progressio sunt secuti, ad voces assuevimus, quales sunt « societas rerum nuntiorumque cognitionis », «instrumentorum communicationis socialis cultura » et « instrumentorum communicationis socialis aetas ». Hoc dicendi genus animadvertendum est, quoniam significat quae viri et mulieres nostri temporis de vita cogitant, partim instrumentis communicationis socialis duci regique; experientia humana qua talis fatta est experientia per socialis communicationis instrumenta acquisita.

Mirae pariter novitates his decenniis acciderunt in technologiis communicationum socialium. Hoc attulit tum celerem veterum technologiarum commutationem, tum ortus novarum technologiarum in rebus communicationis socialis, in quibus sunt quae novis nominibus appellantur satellites artificiosi, teleorasis cum transmissione per restem tenacem, fibrae opticae, sonorarum visualiumque taeniarum cistellulae, astrictus sonorusque orbis (qui v.d. « compact disk »), praeter imaginum creationem per machinam computatoriam, aliasque technologias, quae « digitales » dicuntur, et informaticae disciplinae. Novorum instrumentorum

communicationis socialis usus eos peperit, qui appellari possunt « novi sermones », alias que pro Ecclesiae missione facultates, sicut et novas pastorales quaestiones.

3. Hoc in rerum contextu Pastores adhortamur atque Dei populum ut altius sensum perdiscant omnium, quae ad communicationes sociales earumque instrumenta pertinent, de eis consilia capiant et ad effectum adducant.

« Patres Conciliares, futura scrutantes et contextum agnoscere nitentes in quo Ecclesia suam erat missionem actura, videre potuerunt quantum progressio technologiarum iam inde "faciem terrae" transformaret, ve1 spatium occupando (cfr. Gaudium et spes, n. 5). Intellexerunt technologiae communicationum progressionem, praesertim, talem esse, ut seriem parere posset eventuum improvisorum » (4).

« Nedum monerent Ecclesiam debere seorsum se esse segue a rerum cursu segregare, Patres Conciliares Ecclesiam positam viderunt in ipso humani generis progressionis centro, eiusdem generis humani experientias participantem, has comprehendere conantem ac fide illustrante interpretantem. Dei populi fidelium est illis inventis uti novisque technologiis pro humani generis bono proque Dei consilio de mundo ad effectum adducendo... ut "aetatis informaticae disciplinae" facultates utilitati adhibeantur vocationis humanae et transcendentis cuiusque personae, ut Pater ita glorificetur, qui est omnium bonorum origo » (5).

Placet nobis gratum animum iis significemus omnibus, qui communicationum socialium rationem efficacem constituendam curaverunt. Quamvis difficultates obstent — quae ex exiguis opibus pendent; ex impedimentis, quae interdum Ecclesiae in suo accessu ad instrumenta communicationis socialis opponuntur; ex constanti culturae necnon valorum agendique modorum commutatione, quam ubique communicationis socialis instrumenta praesentia reddunt — multa iam peracta sunt et peragi pergunt. Episcopi, clerus, religiosi et laici, qui huic se dedunt fundamentali apostolatui, omnium gratam merentur memoriam.

Oportet pariter exprimamus gaudium tum propter efficaces nisus oecumenicae cooperationis in regione instrumentorum communicationis socialis, quibus implicati sunt catholici atque aliarum Ecclesiarum et communitatum ecclesialium fratres et sorores, tum ob cooperationem inter religiones cum asseclis ceterarum generis humani religionum. Non solum hoc optandum est, sed « necessarium christianos excitare ad se arctius iungendos in sua socialis communicationis actione et ad directius consentiendum cum ceteris religionibus generis humani respectu communis praesentiae in communicationibus socialibus » (6).

I. Communicationum Socialium Contextus.

A. Contextus culturales et socialis

4. Perturbatio, quae hodie contingit in communicationibus socialibus, potius quam ex simplici technologica mutatione, oriri dicenda est ex integra earum rerum conversione, per quas homines circumiectum mundum cognoscunt eiusque explorant et indicant perceptionem. Constanter in promptu ponere imagines et opiniones, sicut et earum celeris transmissio, etiam a continenti ad continentem, consecutiones habent simul utiles et perniciosas in processum psychologicum, moralem et socialem personarum, in structuram et ipsam vitam societatum, in culturarum permutationes, in valorum perceptionem ac traditionem, in mundi opiniones, ideologias inque religiosas persuasiones. Communicationum socialium mutatio tangit etiam notionem, quae haberi potest de Ecclesia et ad eius structuras actionemque confert formandas.

Haec omnia pastorales consecutiones habent magni momenti. Possunt namque instrumenta communicationis socialis adhiberi ad Evangelium nuntiandum, pariter ac ad illud e cordibus hominum eiciendum. Commixtio largior in dies horum instrumentorum in vita cotidiana vim habet in cognitionem quae de vitae sensu potest haberi.

Communicationis socialis instrumenta non solum valere possunt in cogitandi modum, verum etiam in cogitationis materiam. Pro multarum personarum sententiis res tales sunt, quales instrumenta communicationis socialis eas definiunt; quae haec instrumenta aperte non agnoscunt, nullius ponderis sunt. Reapse silentium imponi potest singulis personis vel coetibus, quos instrumenta communicationis socialis neglegunt; Evangelii vox potest et ipsa comprimi, quamvis non omnino suffocetur.

Multum idcirco interest christianos aptos esse ad nuntium afferendum qui « notitias creat », iis verbum praebendo, qui eo egent.

Vis, qua socialis communicationis instrumenta instructa sunt, confirmandi aut delendi antiquitus tradita capita ad quae reliqua referuntur in provincia religionis, culturae ac familiae, bene ponit in luce ad praesentia pertinere Concilii verba: « Ad recte haec instrumenta adhibenda omnino necesse est ut omnes, qui iisdem utantur, ordinis moralis normas noscant et fideliter in hac provincia ad effectum deducant » (7).

B. Contextus politicus et oeconomicus

5. Nationum oeconomicae structurae e rationibus magnopere pendent seu systematibus communicationum socialium huius aetatis. Putatur plerumque necessarium esse progressioni oeconomicae atque politicae rempublicam pecuniam collocare in efficaci communicationum socialium apparatu. Elatio pretii huius pecuniae collocationis causa ceteroqui fuit maximi momenti, quae multarum nationum rectores induxit ad disciplinam usurpandam, id spectantem, ut aemulationem augeret. Hac praesertim de causa, multis in casibus, publicae telecommunicationum et transmissionis rationes suppositae sunt, per quas eaedem rationes lege liberantur et privatae fiunt.

Sicut malus usus publici servitii adducere potest ad consciscentem machinationem ideologicam et politicam, ita libera commercificatio ac privatificatio transmissionis graves habent consecutiones. Re, saepe etiam publice, responsalitas usus undarum publica imminuitur. Inclinatur ad exitum eius studiis solummodo mercatoriis, non respectu servitii. Lucri causae ac praeconiorum commoda vulgatorum vim pravam habent in communicationis socialis materiam: favor popularis qualitati anteponitur et convenit de minimo denominatore communi. In laudativis nuntiis vulgatores suas transgrediuntur legitimas partes, id spectantes, ut veras cognoscant necessitates iisque satisfaciant, et, mercatoriis moti causis, parere nituntur consumptionis falsas necessitates atque artificiosa exemplaria.

Pressus commerciales pariter fiunt extra nationis fines, cum detrimento nonnullorum populorum eorumque culturarum. Ob aemulationis incrementum ac necessitatem novas mercandi rationes inveniendi, communicationum socialium societates plus plusque indolem induunt « multinationalem »; localis generandi impossibilitas efficit ut simul aliquae nationes magis ex exteris pendeant nationibus. Ita fit ut opera quorundam popularium instrumentorum communicationis socialis, propria alicuius culturae, in alias culturas diffundantur, saepe cum damno generum artium socialiumque communicationum, quae in iis sunt, et valorum quos continent.

Quaestionum ex hac commercificatione et privatificatione exortarum solutio tamen non ponitur in reipublicae inspectione ad instrumenta communicationis socialis attinente, sed in disciplina maioris momenti, normis publici servitii consentanea, similiter ac in maiore responsalitate publica. Quod ad hoc pertinet, notandum est, si formae iuridicae et politicae, in quibus instrumenta communicationis socialis adhibentur, in quibusdam nationibus piane progrediuntur, alia loca sunt, ubi reipublicae moderatorum interventus ratio pergit esse oppressionis atque exclusionis.

II. Instrumentorum Communicationum Socialium Munus

6. Communio et progressio consistit in descriptione communicationum socialium tamquam viae ad communionem. Textus declarat: « Plus secum infert communicatio quam cogitationum solam declarationem vel animi affectuum significationem » (8). Pro hac significatione communicatio est repercussus communionis ecclesialis, cui prodesse potest.

Communicatio veritatis vere potentiam habere potest redemptricem, quae a Christi persona manat. Is est Verbum Dei caro factum et imago Dei invisibilis. In Eo et per Eum Dei vita Spiritus actione communicatur cum humano genere. « Invisibilia ipsius a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna eius et virtus et divinitas » (9).

Potest item sequens efferri versiculus: « Et Verbum caro factum est et habitavit in nobis, et vidimus gloriam eius plenum gratiae et veritatis » (10).

In Verbo carne facto Deus se certe et definite communicat. In lesu praedicatione et actione, Verbum liberator fit et redemptor universi generis humani. Hic amoris actus, quo Deus se revelat, cum humani generis fidei responsione consociatus, altum gignit dialogum.

Hominum historia et summa inter homines necessitudinum explicantur in forma huius Dei communicantis in Christo. Historia ipsa ad hoc spectat, ut quoddam fiat Dei verbum, et hominis vocatio est ut ad hoc conferat et, modo fecundo, hanc constantem ac infinitam amoris Dei reconciliatoris communicationem vivat. Vocamur ad haec in verba, spei piena, convertenda inque amoris actus, per nostram scilicet vivendi rationem. Communicatio debet idcirco in media ecclesiali communitate collocari.

Simul autem Christus argumentum est et fons eorum, quae Ecclesia communicat, cum Evangelium nuntiat. Nihil aliud est Ecclesia, nisi Christi mysticum Corpus, plenitudo eius qui « omnia in omnibus adimpletur », « qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes caelos, ut impleret omnia » (11). Iter ergo facimus, in Ecclesia, per Verbum et sacramenta, spem versus unitatis ultimae, ubi erit « Deus omnia in omnibus » (12).

A. Instrumenta communicationis socialis usui personarum et culturarum

7. Sicut bonum faciunt et ad faciendum sunt apta, instrumenta communicationis socialis, quae « simul unitatem aedificare possunt et mutuam comprehensionem, ita et visionem possunt vitae deformatam vulgare, familiae, valorum religiosorum et ethicorum, interpretationem scilicet, quae veram personae humanae dignitatem et sortem non reveretur » (13). Iubentur instrumenta communicationis socialis observare et participare plenam personae progressionem, quae complectitur « hominis rationem culturalem, naturam transcendentem, religiosam » et societatis (14).

Quaedam problemata singulorum et societatis ex eo etiam oriuntur, quod maior in dies instrumentorum communicationis socialis usus substituitur in locum necessitudinum inter

personas atque ex non mediocri studio, quo fictae personae ad communicationes sociales attinentes afficiuntur. Instrumenta haec nequeunt vicem praestare commercii personalis proximi nec necessitudinum inter membra familiae vel inter amicos. Sed conferre possunt ad hanc solvendam difficultatem — per coetus disceptationis, per disquisitiones de cinematographicis ludibus vel radiophonicis itemque televisificis transmissionibus — potius communicationem concitando inter personas, quam vicem eius supplendo.

B. Instrumenta communicationis socialis usui dialogi cum mundo huius temporis

8. Concilium Vaticanum II in luce posuit: « Populum Dei et genus humanum, cui ille inseritur, servitium sibi mutuo praestare, ita ut Ecclesiae missio religiosam et ex hoc ipso summe humanam se exhibeat » (15). Eorum qui Dei Verbum nuntiant est considerare et intellegere niti « verba » populorum et eorum variarum culturarum, ut non solum eos cognoscant, verum adiuvent etiam ad Dei Verbum agnoscendum et accipiendum (16). Ecclesia debet igitur activam et attentam in mundo servare praesentiam, adeo ut communitatem alat eosque easque sustineat (viros scilicet ac mulieres), qui aeque solvere nituntur singulorum quaestiones atque sociales.

Insuper, si semper debet Ecclesia nuntium communicare modo ad quodlibet tempus apto atque ad nationum culturas et singularium populorum, hodie praesertim hoc facere debet in cultura et pro cultura novorum instrumentorum communicationis socialis (17).

Condicio haec est fundamentalis si uni ex maximis curis Concilii Vaticani II cupitur responsionem dare: ortus novorum socialium, technicorum culturaliumque vinculorum, quae arctius usque homines coniungunt, « Ecclesiae officio urgentiorem vim » addit, ut eos in « plenam etiam unitatem in Christo » congreget (18). Magnum momentum considerans partium, quas instrumenta communicationis socialis agere possunt in suis conatibus huic unitati favendi, Ecclesia ea putat instrumenta « provido Dei consilio excogitata » ad augendas communicationes sociales et communionem inter populos his in terris peregrinantes (19).

Ecclesia, quae cum mundo hodierno quaerit dialogum conferre, honestum et obsequens cum iis colloquium serere cupit, qui communicationis socialis instrumentorum onere tenentur et officio. Eiusmodi dialogus postulat ut Ecclesia conetur instrumenta communicationis socialis comprehendere — eorum proposita, rationes, laboris normas et modi, structurasque internas — eosque sustentet atque confirmet, qui iis operam navant. Super hoc comprehensionis et subsidii fundamento significantes statui possunt rogationes ad impedimenta amovenda, quae humanae progressioni obstant et Evangelii proclamationi.

Ad hunc dialogum serendum, necesse est enixe Ecclesia cogitet de profanis instrumentis communicationis socialis et praecipue de agendi elaboranda ratione ad ea pertinente. Christiani enim officio tenentur faciendi ut audiatur vox sua in omnibus instrumentis communicationis socialis. Eorum munus non ad solam spectat ecclesialium nuntiorum transmissionem. Dialogus hic exigit insuper ut ea sustineat instrumentorum communicationis socialis ministros, accurate anthropologiam veramque theologiam conficiat ad communicationem socialem accommodatam, quo theologia ipsa facilius diffundatur et efficacior fiat ad valores evangelicos revelandos hosque in huius aetatis humanae condicionis res applicandos. Necesse quoque est qui Ecclesiae praesunt ac pastorales ministri bona cum voluntate et prudentia communicatorum interrogationibus respondeant, quaerentes cum iis fiduciam mutuamque coniungere observantiam, communibus nisam valoribus, qui nostram non participant fidem.

C. Ipsa instrumenta communitatis humanae et progressionis socialis usui

9. Communicatio quae in Ecclesia et per Ecclesiam fit essentialiter posita est in Bono Nuntio Iesu Christi referendo. Proclamatio est Evangelii, tamquam verbi prophetici ac liberantis, ad viros mulieresque nostrae aetatis diretti; testimonium est redditum, adversus rationem penitus vivendi pro saeculi moribus, divinae veritati et transcendenti personae humanae sorti; est, adversus conflictationes ac discidia, factio iustitiae, in mutua necessitudine cum omnibus credentibus, in ministerio communionis inter populos, nationes et culturas.

Hic Ecclesiae sentiendi modus de communicatione sociali mire ipsius instrumenta illustrat et partes quas ea agere debent, secundum providum Dei consilium, in fovenda personarum ac societatum piena progressione.

D. Instrumenta communications socialis usui ecclesialis communions

10. Praeter ea quae dieta sunt, commemorare etiam oportet ius fundamentale ad dialogum et ad rerum nuntiorumque cognitionem in Ecclesia, sic ut affirmat Communio et progressio (20), necnon necessitatem vias efficaces inquirere pergendi, quibus hoc ius foveatur et protegatur, praesertim per responsalem usum instrumentorum communicationis socialis. Hic meminimus, praeter ceteras, Codicis Iuris Canonici affirmationes, pro quibus, quamvis Ecclesiae Pastoribus oboedire teneantur, « Christifidelibus integrum est, ut necessitates suas, praesertim spirituales, suaque optata (iis) patefaciant » (21), et postea: « Pro scientia, competentia et praestantia quibus pollent, ipsis ius est, immo et aliquando officium, ut sententiam suam de his quae ad bonum Ecclesiae pertinent sacris Pastoribus manifestent » (22).

Modus est hic servandi ac confirmandi Ecclesiae credibilitatem atque efficaciam, quin etiam potest haec ratio esse ad effectum adducendi indolem « communionis » Ecclesiae, quae suum habet fundamentum in intima Trinitatis communione eamque exprimit. Inter membra huius communitatis, ex quibus constat Ecclesia, nativa aequitas est dignitatis et missionis, quae ex baptismo oritur et subest hierarchicae structurae atque officiorum muniumque differentiae. Aequitas haec honesta et observanti distributione rerum nuntiorumque cognitionis ac opinionum significabitur.

In dissensione autem nosse interest « non enim... hominum opinionem sollicitando, ad quaestiones doctrinales declarandas et ad serviendum veritati conferre potest » (23). Namque « revera opiniones Christifidelium ad "sensum fidei" simpliciter redigi non possunt » (24).

Cur tantum Ecclesia de iure contendit, quod hominibus est ad rerum nuntiorumque cognitionem acquirendam? Cur in lucem profert suum ius ad veram Evangelii nuntiandam veritatem? Cur in officio perstat, quo eius Pastores astringuntur, veritatem communicandi ac fideles educandi ad idem faciendum? Quia in Ecclesia communicationis comprehensio in eo ponitur, quod Verbum Dei se ipsum communicat.

E. Instrumenta communicatioms socialis usui novae evangelizationis

11. Praeter multos translaticios modos, quales sunt testimonium vitae, catechismi institutio, consuetudines inter personas, pietas popularis, liturgia aliaque sacra similia, instrumentorum communicationis socialis usus essentialis evasit evangelizationi et catechesi. Revera, « Ecclesia coram Domino suo quasi conscia reatus adesset, nisi praevalidis hisce subsidiis uteretur, quae humana mens in dies expolit perficitque » (25). Instrumenta communicationis socialis possunt debentque instrumenta esse, quae rationi inserviant iteratae ac novae evangelizationis Ecclesiae in mundo huius temporis. Respectu novae evangelizationis diligenter attendenda est vis

auditoria ac visifica instrumentorum communications socialis, secundum dictum « videre, iudicare, agere ».

Maximi tamen momenti est, quod spectat ad Ecclesiae modum gerendi erga instrumenta communicationis socialis et culturam, quam haec ipsa conferunt ad formandam, semper meminisse « non satis (esse) ergo illis uti ad diffundendum nuntium christianum et Ecclesiae Magisterium, sed (oportere) compleatur ipse nuntius huius novae culturae communicatione huius aetatis partes... per novos sermones, novas technicas, novos habitus psychologicos » (26). Praesens evangelizatio debet vias invenire in Ecclesiae praesentia activa et aperta in communicationum socialium regione.

III. Huius Aetatis Provocationes

A. Iudicii critici necessitas

12. Si Ecclesia positivo et aperto modo se gerit erga instrumenta communicationis socialis, nitens in novam culturam ex communicationibus socialibus ortam penetrare ad evangelizandum, necesse est ipsa iudicium criticum de instrumentorum eiusdem communicationis et de eorundem vi in culturam proponat.

Sic ut pluries dictum est, communicationum socialium technologia mirum est humani ingenii indicium et eiusdem communicationis instrumenta notabiliter societati prosunt. Sed, uti pariter in lucem prolatum est, ipsae technologiae applicatio non fuit nisi dimidiatum beneficium eiusque conscio usui opus sunt sani valores atque prudentes electiones a singulis, a privatis, a reipublicae moderatoribus et ab universa societate factae. Ecclesia non exigit quidem eiusmodi consilia et electiones praecipere, sed conatur auxilium ferre verum, normas ethicas et morales indicando ad hanc provinciam aptandas, quae normae invenientur in valoribus tum humanis tum christianis.

B. Mutua hominum necessitudo et plena progressio

13. In praesentibus condicionibus accidit ut communicationis socialis instrumenta singulorum et societatis impedimenta aggravent, quae mutuam hominum necessitudinem et plenam personae humanae progressionem praecludunt. Quae impedimenta sunt praecipue saecularis ratio vivendi, incontinentia in rebus utendis, materialismus, humanitatis amissio atque condicionum pauperum et opibus destitutorum neglectio (27).

Hoc in rerum statu Ecclesia, quae videt his in instrumentis communicationis socialis viam hodie privilegiatam « ad culturam creandam et transmittendam » (28), suum esse existimat communicationum socialium ministris atque vulgo educationem proponere, quae « tam ad sensum criticum ardenti veritatis amore animarum educans, quam ad libertatem defendendam, ad dignitatem personalem observandam, ad authenticam populorum culturam elevandam urgens est, omnem monopolii et manipulationis formam firmo et forti reiicens animo » (29).

C. Rationes agendi et structurae

14. Patet, quod ad hoc pertinet, aliqua problemata proficisci e rationibus agendi ac structuris instrumentorum communicationis socialis propriis; memoramus, exemplorum gratia, locos in quibus prohibentur quidam coetus vel ordines quominus socialis communicationis instrumentis utantur, constantem aliquibus in locis imminutionem fundamentalis iuris ad rerum et nuntiorum cognitionem acquirendam, ponderis incrementum quo quidam pauci praevalentesque coetus oeconomici, sociales et politici instrumenta communicationis socialis dominantur.

Haec omnia contraria sunt propositis praecipuis ipsique instrumentorum communicationis socialis naturae, quorum peculiares in societate partes et necessariae positae sunt in opera navanda tuendo hominis iuri ad rerum nuntiorumque cognitionem acquirendam, ad iustitiam provehendam in bono communi quaerendo, ad personas, coetus ac populos adiuvandos in conquisitione veritatis. Instrumenta communicationis socialis his funguntur muneribus praecipuis, cum opinionum mutationi et nuntiorum fovent inter omnes ordines ac societatis partes, et omnibus opinionibus responsalibus opportunitatem praebent ut se audiant.

D. Defensio iuris ad rerum nuntiorumque cognitionem acquirendam et ad communicationem socialem

15. Probari nequit libertatis communicationis exercitium e fortunis pendere, ex educatione aut ex auctoritatis publicae functione. Ius ad communicandum, ius est omnium.

Hoc peculiares postulat nationales et internationales nisus, non solum ut pauperibus ac tenuioribus accessus detur ad rerum nuntiorumque cognitionem acquirendam, cuius indigent pro suo personali et sociali profectu, verum etiam ut certas consciasque partes habeant in decernendo de instrumentorum communicationis socialis materia inque constituendis structuris et rationibus agendi in institutis communicationis socialis suarum nationum.

Ubi structurae iuridicae et publicae favent dominatui instrumentorum communicationis socialis per paucos praepollentesque coetus, Ecclesia contendere debet de observantia iuris ad communicandum, et praecipue de sui iure ad utendum instrumentis communicationis socialis, quaerens eodem tempore alfa communicationis exemplaria pro suis membris et cuncto populo. Ius ad communicationem ceteroqui ius contingit ad libertatem religiosam, quod non est cultus libertate circumscribendum.

IV. PRINCIPATUS PASTORALES ET VIAE QUIBUS SIT IISDEM RESPONDENDUM

A. Defensio culturarum humanarum

16. Ob condiciones multis in locis exsistentes, studium iurium et bonorum personarum potest saepe Ecclesiam incitare ad alia fovenda communicationis socialis instrumenta. In evangelizationis et catechesis provincia, Ecclesiae erit curas adhibere ad servanda ac fovenda « instrumenta popularia » aliaque translaticia significationis genera, consciae in aliquibus societatibus ea efficaciora esse posse ad Evangelium disseminandum, quam recentiora communicationis socialis instrumenta, quandoquidem illa maiorem personalem participationem reddunt possibilem et altiores gradus sensus humani et causae adtingere possunt.

Instrumentorum socialis communicationis praesentia in universo mundo huius aetatis nullatenus aliorum instrumentorum momentum minuit, quae efficiunt ut personae onera sumant et naviter agant in efficiendis velque concipiendis communicationibus. Instrumenta communicationis popularia et translaticia non solum quasi compitum sunt magni ponderis, ubi cultura localis exprimitur, sed facultatem dant ad augendam peritiam enixe creandi et adhibendi communicationis socialis instrumenta.

Probamus etiam multorum populorum et humanorum coetuum appetitionem habendi communicationis iustiores et aequiores rationes, ut dominium caveant atque machinationem, quae ex exteris terris veniant aut ex earundem nationum civibus. Nationes maiorem progressionem appetentes hoc timent quoad nationes opulentiores; quarundam nationum cives stirpis numero inferioris, quae vel paulatim tantum progredientes sunt vel opulentiores, eodem afficiuntur timore. Quaecumque est condicio, oporteret cives possent active, libere et

responsaliter in processibus communicationis partem habere, cum hi processus multimodis in eorum vitae condiciones vim habeant.

B. Ecclesiae communicationis socialis instrumentorum progressio et provectio

17. Dum diversimode pergit curam ponere in communicationis socialis regione eiusque instrumentorum, etsi in multas incurrit difficultates, Ecclesia augere debet, servare et fovere propria instrumenta et programmata catholica communicationis socialis. Haec complectuntur prelum catholicum aliaque scripta typis edita, catholica radiophonica ac televisifica inventa, officia ad rerum nuntiorumque cognitionem acquirendam atque publicarum necessitudinum, instituta et programmata educationis ad usum adque quaestiones cognoscendas instrumenta communicationis socialis contingentes, investigationem de iisdem instrumentis, corpora peritorum communicationis socialis cum Ecclesia coniuncta — praesertim cum consociationibus catholicis ex omnibus gentibus communicationibus socialibus deditis — quorum membra laboris sunt experti et periti participes Conferentiarum Episcopalium et etiam Episcoporum singulorum.

Instrumentorum socialis communicationis catholicorum labor non solummodo est navitas additicia, quae ad ceteras omnes Ecclesiae se adiungat: communicationes sociales namque suas habent partes agendas in omnibus aspectibus missionis Ecclesiae. Hinc non satis est communicationum socialium rationem pastoralem habere, sed oportet communicationes sociales pars sint necessaria omnium rationum pastoralium, quoniam reapse cuilibet alii apostolatui, ministerio vel programmati prosunt.

C. Christianorum communicatorum educatio

18. Institutio et educatio ad communicationes sociales debent inhaerere in educatione administrorum pastoralium ac presbyterorum (30). Huic institutioni huicque educationi multa elementa et aspectus distincti opus sunt.

In mundo huius temporis, ad quem instrumenta communicationis socialis fortiter valent, necesse est, exempli gratia, Ecclesiae personae bonam saltem et generalem visionem habeant effectus, quem novae technologiae rerum nuntiorumque cognitionis acquirendae atque instrumentorum communicationis socialis in singulos exercent inque societates. Debent item parati esse ad suum praestandum ministerium tum iis qui « rerum nuntiorumque cognitione abundant », tum iis, qui « rerum nuntiorumque cognitione indigent ». Oportet sciant quomodo ad dialogum invitent, genus communicationum vitantes, quod videri possit imperium, machinationes vel utilitatem personalem subicere. Quod ad eos pertinet, qui studio et industrio labore communicationum socialium pro Ecclesia implicabuntur, necesse est muneris expertam cognitionem adipiscantur in socialis instrumentorum communicationis provincia, praeter doctrinalem et spiritalem educationem.

D. Actio pastoralis communicatorum usui

19. Labor ad instrumenta communicationis socialis spectans pressus psychologicos et ethica dilemmata sibi vult singularia. Cum momentum consideratur partium, quas instrumenta communications socialis agunt in culturae huius temporis aedificatione atque in ratione vitae innumerorum hominum et societatum, maximi momenti esse videtur eos, qui pro suo munere in instrumenta communicationis socialis profana incumbunt atque in quaestuosas communicationum socialium industrias, sua officia considerare alto cum proposito ac voluntate humano generi serviendi. Hoc congruens exigit Ecclesiae officium: oportet nempe programmata pastoralia elaborentur ac proponantur, quae prorsus respondeant condicionibus peculiaribus

laboris et provocationibus ethicis, prae quibus positi sunt communicatores. Revera haec pastoralia programmata educationem perennem postulant, quae adiuvare possit hos viros hasque mulieres quorum multi sincero animo exoptant scire et explicare quae iusta sunt in ordine ethico et morali — ut plus plusque normis moralibus imbuantur, cum in sui muneris vita, tum in privata.

V.

NECESSITAS DISPOSITIONIS PASTORALIS ACTIONIS

A. Episcoporum officia

20. Momentum, et vel necessitatem agnoscentes postulatorum, quae ex communicationum socialium navitate manant, Episcopi iique, quorum est statuere de opum Ecclesiae distributione — quae quidem tum finibus humanis, tum materialibus circumscribuntur —, eniti debent huic regioni iustum principem locum dare, ratione habita condicionum particularium suae nationis, regionis ac dioecesis. Fieri potest ut haec requisita acrius nunc animadvertantur quam antea, ex eo quod, partim saltem, magnus huius aetatis « areopagus » instrumentorum communicationis socialis est hucusque plus minus neglectus (31). « Praeferuntur plerumque — Sanctus Pater notavit — alia instrumenta nuntii evangelici et formationis, cum instrumenta communicationis singulorum consiliis relinquantur aut parvorum coetuum et solummodo ratione secundaria in pastorale propositum ingrediantur » (32). Haec condicio est corrigenda.

B. Necessitas rationis pastoralis pro communicationibus socialibus

21. Praesertim igitur suademus ut dioeceses et Conferentiae Episcopales, vel alii Ordinariorum coetus, hoc instrumentorum communicationis socialis argumentum curent in omnibus suis pastoralibus rationibus obeundum. Earum est insuper peculiares rationes pastorales perficere ad communicationes sociales attinentes, vel, quae iam exsistunt, certis temporibus recognoscere et renovare. Ut hoc fiat, Episcopis est exquirenda peritorum instrumentorum communicationis socialis cooperatio — sive in profanis instrumentis communicationis laborant, sive in Ecclesiae compagibus coniuncti cum communicationum socialium provincia — atque aliarum consociationum nationalium et internationalium artis cinematographicae, radiophonii, teleorasis et diurnariae navitatis.

Nonnullae Conferentiae Episcopales iam quibusdam rationibus pastoralibus commodum acceperunt, quae definite necessitates describunt iam exsistentes ac proposita persequenda, et conatuum compositionem fovent. Huius inquisitionis exitus, sicut et iudicia atque consultationes unde haec orta sunt documenta, possunt debentque per omnes gradus Ecclesiae percurrere, quoniam argumenta praebent actioni pastorali utilia. Programmata ad momenta rerum et ad actionem spectantia possunt etiam ad necessitates Ecclesiarum localium accommodari. Recognoscenda quidem sunt et continuo aptanda pro necessitatum cursu.

Huic documento finem imponimus elementa praebendo rationis pastoralis et quaestiones suggerendo, de quibus agere possunt epistolae pastorales ac declarationes episcopales, cum nationales, tum locales. Haec elementa extracta sunt ex propositionibus Conferentiarum Episcopalium et instrumentorum communicationis socialis peritorum.

CONCLUSIONES

22. Iterum affirmamus Ecclesiam in iis instrumentis reperire « dona Dei », « quippe quae secundum providentissimi Dei consilium homines inter se fraterna necessitudine concilient ut hi

cum salutifera Eius concurrant voluntate ».33 Sicut Spiritus antiquos adiuvit prophetas ad Dei consilium cognoscendum per suae aetatis signa, hodie Is Ecclesiam adiuvat, ut nostri temporis signa interpretetur suumque propheticum munus ad effectum adducat per studium, iudicium ac bonum usum, quae fundamentalia evaserunt, technologiae et instrumentorum communicationis socialis.

APPENDIX

ELEMENTA RATIONIS PASTORALIS PRO COMMUNICATIONIBUS SOCIALIBUS

23. Instrumentorum communicationis socialis condiciones et facultates Ecclesiae praebitae in communicationum socialium regione dissimiles quidem sunt diversis in nationibus et vel diversis in dioecesibus intra eiusdem nationis fines. Inde, ut par est, differentiae exorientur in se gerendi ratione, qua Ecclesia utetur, pro locis, adversus instrumenta communicationis socialis et culturam, quam ipsa conferent ad formandam, atque diversitates consiliorum et participationis respectu locorum condiciones.

Quaevis igitur Conferentia Episcopalis quaevisque dioecesis elaborare debet rationem pastoralem pro communicationibus socialibus, completam praesertim per consultationem procuratorum consociationum catholicarum, internationalium et nationalium, quae communicationem socialem curant, ac peritorum localium instrumentorum communicationis socialis. Argumentum communicationis socialis insuper non est neglegendum in perficiendis et ad effectum adducendis ceteris omnibus rationibus pastoralibus, iis non exceptis, quae ad servitium sociale, ad docendi disciplinam atque ad evangelizationem pertinent. Certus statusque Conferentiarum Episcopalium et dioecesium numerus huiusmodi rationes elaboraverunt, quae necessitatem communicationis socialis indicant, proposita statuunt, ad verum praesentiones exprimunt expensarum praebitionis atque varios componunt communicationis socialis nisus. Praeceptiones quae sequuntur ideo praebentur, ut auxilio sint rationibus pastoralibus ita elaborandis, vel iis, quae iam exsistunt, aptandis.

Praeceptiones ad elaborandas rationes pastorales pro communicationibus socialibus in dioecesi, in Conferentia Episcopali vel in Synodo Patriarchali

24. Ratio pastoralis pro communicationibus socialibus haec oportet amplectatur elementa:

a) Relationem universam, ex ampia consultatione confectam, quae pro omnibus Ecclesiae ministeriis secuturam peculiarem viam describat communicationum socialium et quaestionibus ac condicionibus praesentibus respondeat;

b) indicem vel aestimationem provinciae instrumentorum communicationis socialis in territorio quod consideratur, quae amplectatur: receptores, effectores et moderatores publicorum ac privatorum instrumentorum communicationis socialis, opes nummarias et technicas, systemata diffusionis, facultates oecumenicas ac institutorias, consociationes catholicas quae de instrumentis communicationis socialis curant earumque administri, iis non exceptis, qui ex communitatibus religiosis proveniunt;

c) propositionem de structura instrumentorum communicationis socialis ad Ecclesiam destinatorum, quae evangelizationi faveant, catechesi, institutioni, servitio sociali et oecumenicae cooperationi; quae simul amplectatur, quantum fieri potest, publicas necessitudines, diurnariam navitatem, radiophonium, teleorasem, cinematographica spectacula, sonorarum visualiumque taeniarum cistellulas, reta informatica transmissionis,

telephotographicam ac per similia exemplaria imaginum transmissionem et alios telecommunicationis modos;

d) educationem ad instrumenta communicationis socialis, quae potissimum insequatur consuetudinem ipsorum instrumentorum cum valoribus;

e) pastoralem voluntatem dialogum instaurandi cum communicatoribus, quae peculiariter intendat eorum fidei auctum ac spiritale incrementum;

f) significationes quoad facultates opes obtinendas modosque providendos de nummis suppeditandis huic actioni pastorali.

Processus elaborandi rationem pastoralem pro communicationibus socialibus

25. Ratio pastoralis oportet proponat praeceptiones et suasiones communicatoribus Ecclesiae ad statuendos fines ad verum atque eorum laboris priores partes. Adhortatio fit ut coetus laboris, ad quem fiant participes personae ecclesiasticae et instrumentorum communicationis socialis periti, hoc opere implicetur, cuius duo sunt momenta: 1, investigatio; 2, dispositio.

Investigationis momentum

26. Elementa investigationis momenti sunt: requisitorum aestimatio; conquisitio rerum cognitionis; exploratio exemplarium alternorum pastoralis rationis. Hoc quidem requirit ambituum internorum communicationum socialium perpensionem, simulque virium et debilitatum structurarum quae in Ecclesia sunt ac programmatum pro communicationibus socialibus, et etiam opportunitatum atque impedimentorum quae hae obeunt.

Tria investigationis genera possunt adiuvare ad rerum cognitiones comparandas: perquisitio requisitorum, investigatio de instrumentis communicationis socialis et index opum. Prima investigatio posita est in indicandis Christifidelium partibus, quae peculiari pastorali attentione indigent Conferentiae Episcopalis vel dioecesis. Secunda spectat quae in praesens fiunt — atque eorum efficaciam — ut cognoscantur vires et debilitates structurarum ac formarum communicationis socialis iam exsistentium. Tenia agnoscit facultates, technologias et personas, quae Ecclesiae in promptu sunt quoad communicationes sociales: non solum autem facultates Ecclesiae proprias, sed eas quoque quae haberi possunt in negotiorum communitate, in quaestuosis instrumentorum communicationis socialis industriis inque corporibus oecumenicis.

Momentum dispositionis

27. Post hanc indiciorum comparationem et considerationem coetus laboris operam dabit cognoscendis propositis ac iis, quae maioris ponderis sunt pro Conferentia Episcopali vel dioecesi. Initium est hoc dispositionis momenti. Coetus laboris deinde, adiuncta locorum considerans, haec tractabit argumenta:

28. Disciplinam institutoriam. Quaestiones communicationum, tum socialium tum non socialium, magnum habent momentum in omnibus gradibus ministerii pastoralis, non excepta disciplina institutoria. Ratio pastoralis pro communicationibus socialibus nitetur:

a) praebere opportunitatem institutionis in provincia communicationum socialium, utpote partium essentialium educationis omnium personarum quae in Ecclesiae opus incumbunt: seminariorum alumnorum, presbyterorum, fratrum ac sororum institutorum religiosorum, moderatorum laicorum;

b) scholas catholicas fovere et studiorum universitates ac programmata proponere et curricula studiorum ad ea pertinentia, quae communicationibus socialibus Ecclesiae et societatis necessaria sunt;

c) lectiones praebere, exercitationibus tempora statuta, seminaria contingentia technologiam, administrationem et ethicam atque agendi rationem communicationum socialium, iis qui in Ecclesiae communicationibus operantur: seminariorum alumnis, religiosis et clero;

d) disponere et exsequi programmata educationis atque instrumentorum communicationis socialis comprehensionis pro docentibus, parentibus ac studentibus;

e) artifices atque scriptores adhortari diffundendos valores evangelicos curent facultatibus utendo, quibus instructi sunt per diuturnam navitatem, per theatrum, radiophonicas transmissiones ac televisificas, atque taeniolas cinematographicas quae oblectationis proprietatem vel paedagogicam habent;

f) novas peculiares vias invenire quae sequatur Ecclesia ad evangelizationem et catechesim tradendas per usum technologiarum atque instrumentorum communicationis socialis.

29. Formationem spiritalem et curam pastoralem. Periti catholici laici ceterique qui laborant tamquam administri communicationis socialis tum in Ecclesiae apostolatu, tum in profanis communicationis socialis instrumentis, saepe ab Ecclesia exspectant directionem spiritalem et auxilium pastorale. Ratio pastoralis pro communicationibus socialibus igitur nitetur:

a) laicis catholicis ceterisque communicatoribus opportunitates praebere, quibus muneris suam excolant cognitionem per dies meditationibus, recessibus, seminariis, coetibus auxilii muneris destinatos;

b) curam pastoralem praebere, quae auxilium necessarium suppeditet, fidem alat communicatorum eorumque obsequii sensum servet in difficili munere communicandi valores evangelicos ac veros humanos valores cum mundo.

30. Cooperationem. Cooperatio opum divisionem complectitur inter Conferentias Episcopales et/aut dioeceses atque inter dioeceses et reliqua instituta, qualia sunt communitates religiosae, studiorum universitates et sanitatis corpora. Ratio pastoralis pro communicationibus socialibus elaborabitur:

a) ad confirmandas necessitudines mutuasque consultationes fovendas inter procuratores Ecclesiae et communicatores, qui magis Ecclesiam erudiant de ipsorum instrumentorum usu;

b) ad quaerenda instrumenta operibus edendis cooperando centris regionalibus et nationalibus atque ad auctus fovendos communium canalium ut ipsa promoveantur, commercificentur et distribuantur instrumenta;

c) ad provehendam cooperationem cum congregationibus religiosis quae communicationum socialium provinciae operam dant;

d) ad cooperandum corporibus oecumenicis aliisque Ecclesiis ac coetibus religiosis quod attinet ad securitatem et tutelam accessus religionis ad instrumenta communicationis socialis, sicut etiam « in provincia novorum instrumentorum communicationis socialis: praesertim quod spectat ad communem usum artificiosorum satellitum, informaticorum tabulariorum argumentorum, systematum per restem tenacem transmissionis, et, in universum, disciplinae informaticae, proficiscendo a systematum convenientia » (34);

e) ad cooperandum profanis instrumentis communicationis socialis, praesertim quod attinet ad communes de quaestionibus religiosis, moralibus, ethicis, culturalibus, institutoriis ac socialibus sollicitudines.

31. Publicas necessitudines. Publicae necessitudines postulant Ecclesiae colnmunicationem activam cum communitate per profana et religiosa communicationis socialis instrumenta. Augmentum celeritatis ad nuntiandos valores evangelicos adque vulganda ministeria et programmata Ecclesiae postulat ut ipsa Ecclesia illa omnia faciat, quae potest, ut cognoscatur an eius imago Christum reddat. Ratio pastoralis pro communicationibus socialibus contendet:

a) ut sedes teneat publicarum necessitudinum opibus humanis ac technologicis instructas ut vera fieri possit communicatio Ecclesiae cum tota communitate;

b) ut scripta producat et programmata radiophonii, teleorasis ac vitri televisifici, genere excellentia, quibus bene cognoscantur Evangelii nuntius et Ecclesiae missio;

c) ut praemia provehat aliaque subsidia ad gratiam ostentandam apta, quo instrumentorum communicationis socialis periti confirmentur et sustineantur;

d) ut Diem Mundialem Communicationum Socialium celebret, tamquam modum fovendae conscientiae communicationum socialium momenti ac sustentandi Ecclesiae coeptus in communicationum socialium provincia.

32. Investigationem. Peculiares viae, quas Ecclesia in communicationis socialis regione sequatur, niti debent exitibus gravis investigationis in hac materia, quae inspecta sit et rectius iudicata. Interest multum investigationem communicationum socialium locum dare quaestionibus atque problematibus peculiaris ponderis pro Ecclesiae missione in regione vel natione, cuia refert. Ratio pastoralis pro communicationibus socialibus elaborabitur:

a) ad adhortanda instituta studiorum superiorum, centra investigationis et studiorum universitates, ut indagationem obeant theoricam et applicatam de necessitatibus deque sollicitudinibus Ecclesiae ac societatum in communicationis socialis materia;

b) ad stabiliendos modos effectivos interpretandi investigationem de communicatione sociali usitata et accommodationis ad Ecclesiae missionem;

c) ad fovendam considerationem theologicam continuam de processibus deque instrumentis communicationis socialis deque partibus, quas Alla in Ecclesia agunt et in societate.

33. Communicationes sociales et populorum progressio. Communicatio socialis perviam facta atque ipsius instrumenta multis personis maiorem praebent opportunitatem hodiernam mundi oeconomiam participandi, libertatem significationis experiendi et ad pacis iustitiaeque in mundo incrementum conferendi. Ratio pastoralis pro communicationibus socialibus elaborabitur:

a) ut valores evangelici vim habeant in multiplices navitates instrumentorum communicationis socialis huius temporis — a librorum editione ad communicationes per satellitem artificiosum — indeque illi necessitudinis internationalis prosint incremento;

b) ut publica defendatur utilitas et religionis protegatur accessus ad instrumenta communicationis socialis, propositis captis edoctis consciisque de quaestionibus ad leges ac disciplinam communicationum socialium pertinentibus deque systematum earundem communicationum processu;

c) ut provectarum technologiarum communicationum socialium vis socialis conspiciatur auxiliumque feratur ad praeripienda discidia socialia atque conversiones culturales inutiles;

d) ut communicatores ad ethicas normas definiendas et observandas adiuventur, praesertim quod attinet ad aequitatem, veritatem, iustitiam, pudorem et vitae tutelam.

e) ut peculiares securturae viae excolantur, quae faveant ad instrumentorum communicationis socialis accessui magis consorti, significanti et conscio;

f) ut munus propheticum exerceatur tempore opportuno loquendo, cum agitur de sustinenda Evangelii sententia quoad momentum morale quaestionum gravium publicam utilitatem contingentium. E Civitate Vaticana, die XXII mensis Februarii, anno MCMXCII, in Festo Cathedrae Sancti Petri Apostoli. IOANNES P. FOLEY Praeses. PETRUS FRANCISCUS PASTORE a Secretis. (1) Cf Ioannes Paulus II, Centesimus annus, nn. 12-23: AAS LXXXIII (1991), 807-821.

02

Prior: Aetatis Novae, post : Communio et Progressio

02. INTER MIRIFICA DECRETUM DE INSTRUMENTIS COMMUNICATIONIS SOCIALIS

Praefatio. 1. ***Inter mirifica technicae artis inventa,*** *quae hodiernis praesertim temporibus, Deo favente, humanum ingenium e rebus creatis deprompsit, peculiari sollicitudine Mater Ecclesia ea excipit ac prosequitur quae hominis animum potissimum respiciunt, quaeque novas aperuerunt vias cuiusvis generis nuntios, cogitata ac praecepta facillime communicandi. E quibus vero inventis ea eminent instrumenta, quae non modo singulos homines, sed ipsas multitudines totamque humanam societatem, natura sua attingere ac movere valent, sicuti prelum, cinematographeum, radiophonia, televisio et alia huiusmodi, quae proinde instrumenta communicationis socialis merito vocari possunt.*

2. Novit quidem Mater Ecclesia haec instrumenta, si recte adhibeantur, humano generi valida praebere subsidia, cum multum conferant ad relaxandos et excolendos animos atque ad Dei regnum propagandum et firmandum; novit etiam homines posse ea adhibere contra divini Conditoris consilium et in suorum ipsorum iacturam convertere; immo materno angitur doloris sensu ob damna quae ex pravo eorum usu humanae consociationi nimis saepe orta sunt.

Quare Sacrosancta Synodus, Summorum Pontificum et Episcoporum, in re tanti momenti, vigilanti curae instans, suum esse censet quaestiones praecipuas tractare cum instrumentis communicationis socialis conexas. Confidit insuper suam doctrinam et disciplinam hoc modo propositam, non modo christifidelium saluti, sed etiam totius consortionis humanae progressui esse profuturam.

Caput I

3. Catholica Ecclesia, cum ad salutem universis hominibus afferendam a Christo Domino constituta sit ideoque evangelizandi necessitate compellatur, sui officii partes esse ducit nuntium salutis, ope etiam instrumentorum communicationis socialis, praedicare hominesque de eorum recto usu docere.

Ecclesiae ergo nativum ius competit quodvis horum instrumentorum genus, quatenus ad christianam educationem omnemque suam de animarum salute operam sunt necessaria vel utilia, adhibendi atque possidendi; ad Sacros vero Pastores munus pertinet fideles ita instituendi atque moderandi ut iidem, horum etiam instrumentorum auxilio, suam totiusque humanae familiae salutem ac perfectionem persequantur.

Ceterum, laicorum praesertim est huiusmodi instrumenta humano christianoque spiritu vivificare, ut magnae humani convictus expectationi divinoque consilio plene respondeant.

4. Ad recte haec instrumenta adhibenda omnino necesse est ut omnes, qui iisdem utantur, ordinis moralis normas noscant et fideliter in hac provincia ad effectum deducant. Rerum materiam ergo considerent quae, pro peculiari cuiusque instrumenti natura, communicantur; simul vero adiuncta seu circumstantias omnes, hoc est finem, personas, locum, tempus ceteraque prae oculis habeant quibus ipsa communicatio perficitur quaeque eiusdem honestatem possunt mutare, vel prorsus novare; inter quae numeratur modus agendi uniuscuiusque instrumentorum proprius, eorum scilicet vis, quae tanta esse potest ut homines, praesertim si imparati sint, eamdem animadvertere, imperio regere ac, si res ferat, reicere, difficulter valeant.

5. Praecipue vero necesse est ut omnes quorum interest rectam de horum instrumentorum usu conscientiam sibi efforment, praesertim quod attinet ad nonnullas quaestiones nostra aetate acrius agitatas.

Prima quaestio informationem, quam aiunt, spectat, seu nuntiorum exquisitionem atque evulgationem. Patet, profecto, eam, ob hodiernae humanae societatis progressum atque ob arctiora vincula inter eiusdem membra, perutilem atque plerumque necessariam evasisse; publica enim et tempestiva eventuum rerumque communicatio pleniorem et continuam eorum notitiam praebet singulis hominibus, ita ut ipsi ad bonum commune efficaciter conferre possint omnesque auctiorem totius civilis societatis profectum facilius promoveant. Inest ergo in societate humana ius ad informationem de iis quae hominibus, sive singulis, sive societate coniunctis, secundum uniuscuiusque condiciones, conveniant. Huius tamen rectum iuris exercitium expostulat ut, quoad suum obiectum communicatio sit semper vera atque, iustitia et caritate servatis, integra; praeterea, quoad modum, sit honesta et conveniens, scilicet leges morales hominisque legitima iura et dignitatem, cum in nuntiis quaeritandis tum in evulgandis, sancte servet; non omnis enim scientia prodest "caritas vero aedificat" (1Cor 8,1).

6. Secunda quaestio rationes respicit intercedentes inter artis, ut aiunt, iura et legis moralis normas. Cum increbrescentes de hac re controversiae non raro ortum ducant a falsis doctrinis de ethica et aesthetica, Concilium obiectivi ordinis moralis primatum absolute omnibus tenendum edicit, quippe qui ceteros omnes rerum humanarum ordines, artis non excepto, licet dignitate praestantes, unus superet congruenterque componat. Solus enim ordo moralis hominem, Dei rationalem creaturam et ad superna vocatum, in tota ipsius natura attingit idemque, si quidem integre fideliterque servetur, ad perfectionem et beatitudinem plene assequendam ipsum adducit.

7. Postremo, mali moralis narratio, descriptio vel repraesentatio possunt sane, etiam ope instrumentorum communicationis socialis, inservire ad hominem penitius cognoscendum explorandumque, ad veri bonique magnificentiam manifestandam atque extollendam, opportunioribus ceterum effectibus dramaticis obtentis; attamen, ne damnum potius quam utilitatem animis afferant, legibus moralibus omnino obtemperent, praesertim si agatur de rebus quae debitam reverentiam exigant, vel quae hominem, originali labe vulneratum, facilius ad pravas cupiditates incitent.

8. Cum publicae opiniones hodie vim et auctoritatem maximam exerceant in omnium ordinum civium vitam, sive privatam sive publicam, necesse est ut omnia societatis membra sua iustitiae et caritatis officia, hac quoque in provincia, adimpleant; itaque, istorum etiam instrumentorum ope, contendant ad rectas publicas opiniones efformandas atque pandendas.

9. Peculiaria officia obstringunt receptores omnes, lectores scilicet, spectatores et auditores, qui communicationes his instrumentis diffusas, personali ac libera electione, recipiunt. Recta enim electio postulat ut iidem omnibus quae virtute, scientia et arte praestent plene faveant; ea autem vitent quae vel sibi spiritalis detrimenti causa vel occasio fiant, vel alios per pravum exemplum in periculum inducere possunt, vel bonis communicationibus obstent malasque promoveant; quod plerumque fit pretium praebitoribus solvendo qui ob oeconomicas dumtaxat rationes haec instrumenta adhibeant.

Ut ergo iidem receptores legem moralem adimpleant, officium ne praetermittant sese tempestive certiores faciendi de sententiis quae his in rebus a competenti auctoritate ferantur, atque eisdem secundum rectae conscientiae normas obsequendi; ut vero minus rectis suasionibus facilius obsistant, bonis autem plene faveant, curent suam conscientiam aptis auxiliis dirigere atque instituere.

10. Receptores, praesertim iuniores, curent ut in usu horum instrumentorum moderationem et disciplinam assuescant; studeant insuper ut res visas, auditas, lectas penitius intellegant; cum educatoribus ac peritis de iisdem disserant et rectum iudicium proferre ediscant. Parentes vero suum esse officium meminerint sedulo invigilandi ne spectacula, folia et alia huiusmodi, quae fidei aut moribus infensa sint, domestici convictus limen intrent, neve filii familias alibi talibus occurrant.

11. Praecipuum morale officium quoad rectum instrumentorum communicationis socialis usum respicit diurnarios, scriptores, actores, scaenarum artifices, effectores, diribitores, distributores, exercentes et venditores, criticos ceterosque qui quocumque modo in communicationibus efficiendis et transmittendis partem habeant; omnino enim patet quae et quam gravis momenti officia iis omnibus sint tribuenda in hodiernis hominum condicionibus, cum ipsi, informando atque incitando, humanum genus recte vel pessum ducere possint.

Eorum itaque erit oeconomicas, vel politicas, vel artis rationes ita componere ut eaedem bono communi numquam adversentur; quod ut expeditius obtineant, ipsi laudabiliter nomen consociationibus dent ad suam professionem spectantibus, quae suis membris - etiam, si opus fuerit, inito foedere de codice morali recte servando - legum moralium reverentiam in suae artis negotiis et officiis imponant.

Semper autem memores sint magnam partem lectorum et spectatorum e iuvenibus constare, qui indigent prelo atque spectaculis quae honesta oblectamenta praebeant atque ad altiora animos alliciant. Curent insuper ut communicationes de rebus ad religionem spectantibus personis dignis ac peritis tractanda concredantur et debita reverentia perficiantur.

12. Civilis auctoritas hac in re peculiaribus officiis obstringitur ratione boni communis, ad quod haec instrumenta ordinantur. Eiusdem enim auctoritatis est, pro suo munere, informationis veram iustamque libertatem, qua hodierna societas ad sui profectum omnino eget, praesertim ad prelum quod attinet, defendere ac tutari; religionem, culturam, optimas artes fovere; receptores, ut suis legitimis iuribus libere frui possint, tueri. Praeterea civilis potestatis est ea incepta adiuvare quae, licet praesertim iuventuti maxime sint utilia, suscipi secus non possunt.

Denique eadem publica potestas, quae legitime operam dat civium valetudini, tenetur officio, per legum promulgationem ac sedulam executionem, iuste et vigilanter consulendi ne ex horum instrumentorum pravo usu gravia discrimina publicis moribus et societatis progressui obveniant. Per hanc vigilem curam minime singulorum vel coetuum comprimitur libertas, praesertim si validae deficiant cautiones ex parte eorum qui, ex suscepto munere, haec instrumenta adhibent.

Peculiaris autem tutela exerceatur ad iuniores defendendos a prelo et spectaculis quae eorum aetati noxia sint.

Caput II

13. Omnes Ecclesiae filii communi animo consilioque conentur ut instrumenta communicationis socialis, nulla interposita mora et maxima adhibita industria, efficaciter in multiplicibus apostolatus operibus, prout rerum et temporum adiuncta exposcent, usurpentur, noxia incepta praecurrentes, illis praesertim in regionibus quarum moralis et religiosus progressus urgentiorem navitatem exquirit.

Sacri ergo Pastores suum munus in hac provincia, cum eorumdem ordinario praedicationis officio arcte conexum, explere properent; laici quoque, qui in his instrumentis adhibendis partes habent, Christo testimonium reddere satagent, imprimis suis cuiusque muneribus perite et apostolico animo perfungentes, immo, pro sua parte, technicis, oeconomicis, cultus artisque facultatibus actioni pastorali Ecclesiae directe auxiliatricem praestantes operam.

14. Imprimis prelum honestum foveatur. Ad lectores autem christiano spiritu plene imbuendos, prelum etiam excitetur et provehatur veri nominis catholicum, quod scilicet - sive directe ab ipsa auctoritate ecclesiastica, sive a catholicis viris promotum et dependens - manifeste hoc animo edatur ut publicas opiniones iuri naturae et catholicis doctrinis praeceptisque consonas efformet, firmet atque promoveat, facta vero quae Ecclesiae vitam respiciant pervulget ac recte explanet. Moneantur autem fideles de necessitate catholicum prelum legendi atque diffundendi ad iudicium christianum sibi de omnibus eventibus efformandum.

Taeniolarum effectio et exhibitio ad honestam animi relaxationem, humanum cultum et artem utilium, imprimis autem earum quae iuventuti destinentur, validis omnibus auxiliis promoveantur et in tuto ponantur: quod praesertim fit opes atque incepta honestorum effectorum et distributorum adiuvando ac simul coniungendo, pelliculas laude dignas criticorum consensu et praemiis commendando, catholicorum proborumque exercentium auditoria fovendo ac inter se consociando.

Itidem efficax adiumentum feratur transmissionibus radiophonicis et televisificis honestis, imprimis iis quae familiis sint consentaneae. Catholicae autem transmissiones sollerter foveantur, quibus auditores et spectatores ad vitam Ecclesiae participandam inducantur atque veritatibus religiosis imbuantur. Sollicite quoque, ubi oportuerit, excitandae sunt stationes catholicae; curandum vero est ut earum transmissiones convenienti perfectione et efficacitate praestent.

Consulatur insuper ut nobilis et prisca scaenica ars, quae iam per instrumenta communicationis socialis late propagatur, ad spectatorum humanitatem morumque conformationem contendat.

15. Ut necessitatibus nuper expositis provideatur, sacerdotes, religiosi necnon laici tempestive instituantur, qui congrua peritia polleant in his instrumentis ad fines apostolatus moderandis.

Imprimis debent laici arte, doctrina et moribus instrui, multiplicato scholarum, facultatum et institutorum numero, ubi diurnarii, auctores cinematographei et radiophonicarum

televisificarumque transmissionum ceterique quorum interest, integram formationem, spiritu christiano imbutam, praesertim quoad doctrinam socialem Ecclesiae, nancisci possint. Scaenici quoque actores instituendi ac iuvandi sunt, ut sua arte humanae societati convenienter prosint. Sedulo denique parandi sunt critici litterarii, cinematographici, radiophonici, televisifici ceterique, qui suam quisque scientiam optime calleant atque talia iudicia ferre edoceantur et incitentur in quibus semper ratio moralis in sua luce collocetur.

16. Cum rectus instrumentorum usus communicationis socialis, quae receptoribus praesto sunt aetate cultuque diversis, accommodatas et proprias requirat eorumdem receptorum institutionem atque exercitationem, incepta quae huic fini consequendo sint apta - praesertim si iunioribus destinentur - in scholis catholicis cuiusve gradus, in Seminariis necnon in apostolatus laicorum coetibus foveantur, multiplicentur atque iuxta morum christianorum principia dirigantur. Quod ut promptius efficiatur, doctrinae et disciplinae catholicae de hac re propositio ac explicatio in catechismo tradatur.

17. Cum prorsus dedeceat Ecclesiae filios desides pati verbum salutis alligari ac praepediri technicis moris vel expensis, ingentissimis sane, quae istorum instrumentorum propria sunt, monet haec Sancta Synodus eosdem officio obstringi sustinendi et auxiliandi catholicas ephemerides, folia periodica atque cinematographica incepta, stationes transmissionesque radiophonicas et televisificas, quorum finis praecipuus sit veritatem evulgare et defendere atque christianae institutioni humanae societatis providere. Simul vero consociationes et singulos viros, qui in rebus oeconomicis vel technicis magna polleant auctoritate, instanter invitat ut suis opibus suaque peritia libenter haec instrumenta, quatenus veri nominis culturae et apostolatui inserviunt, largiter sustentent.

18. Quo autem Elcclesiae multiformis apostolatus circa instrumenta communicationis socialis efficacius roboretur, in omnibus orbis dioecesibus, Episcoporum iudicio, quotannis dies celebretur in qua fideles edoceantur de suis in hac rerum parte officiis, invitentur ad preces pro hac causa fundendas et ad stipem ad eumdem finem conferendam, quae scilicet in instituta et incepta ab Ecclesia in hac re promota, sustentanda ac fovenda, iuxta orbis catholici necessitates, sancte impendatur.

19. In sua suprema pastorali cura adimplenda circa instrumenta communicationis socialis praesto est Summo Pontifici peculiare Sanctae Sedis Officium (1).

20. Episcoporum autem erit huiusmodi operibus et inceptis in propriis Dioecesibus invigilare eademque promovere et, quatenus ad apostolatum publicum spectent, ordinare, iis non exceptis quae religiosorum exemptorum moderamini subiciuntur.

21. Cum vero efficax pro tota Natione apostolatus unitatem consiliorum et virium requirat, haec Sancta Synodus statuit et mandat, ut Officia nationalia pro rebus preli, cinematographei, radiophoniae et televisionis ubique constituantur omnique ope adiuventur. Horum ergo Officiorum praesertim erit consulere ut conscientia fidelium in his instrumentis adhibendis recte efformetur necnon quidquid in hac provincia a catholicis agitur fovere et ordinare.

In unaquaque Natione eorum moderatio peculiari Episcoporum coetui, vel alicui Episcopo delegato, concredatur; in iisdem autem Officiis laici quoque partes habeant, qui catholicae doctrinae harumque artium periti sint.

22. Cum insuper eorundem instrumentorum efficacitas limites Nationum excedat, atque singulos quasi cives efficiat totius consortionis humanae, in hac provincia incepta nationalia inter se

cooperentur etiam in ambitu internationali. Officia autem, de quibus in n. 21, operose adlaborent una cum sua cuiusque Consociatione Catholica Internationali. Hae autem Consociationes Catholicae Internationales a sola Sancta Sede legitime approbantur et ab eadem pendent.

Clausulae

23. Ut universa huius Sanctae Synodi principia et normae de instrumentis communicationis socialis ad effectum deducantur, de expresso mandato Concilii, Instructio pastoralis edatur cura Sanctae Sedis Officii, de quo in n. 19, adiuvantibus ex variis nationibus rei peritis.

24 Ceterum confidit haec Sancta Synodus hanc suam institutorum et normarum traditionem libenter acceptam et sancte custoditam fore ab omnibus Ecclesiae filiis, qui idcirco, etiam his auxiliis utentes, nedum damna patiantur, salis lucisque instar, terram condiant ac mundum collustrent; insuper omnes bonae voluntatis homines, imprimis eos qui haec instrumenta moderantur, invitat ut studeant eadem unice flectere in bonum humanae societatis, cuius sors magis in dies ab eorum recto usu pendet. Itaque, sicut priscis iam artium monumentis, novis etiam hisce inventis Nomen Domini glorificetur, secundum illud Apostoli: "Iesus Christus heri et hodie, ipse et in saecula" (Hebr 13,8).

Haec omnia et singula, quae in hoc Decreto edicta sunt, placuerunt Sacrosancti Concilii Patribus. Et Nos, Apostolica a Christo Nobis tradita potestate, illa, una cum Venerabilibus Patribus, in Spiritu Sancto approbamus, decernimus ac statuimus et quae ita synodaliter statuta sunt ad Dei gloriam promulgari iubemus. Romae, apud S. Petrum die IV decembris anno MCMLXIII. Ego PAULUS Catholicae Ecclesiae Episcopus.

03

Prior: AETATIS NOVAE; post: MIRANDA PRORSUS

03. COMMUNIO ET PROGRESSIO INSTRUCTIO PASTORALIS AD DECRETUM DE INSTRUMENTIS COMMUNICATIONIS SOCIALIS

PROOEMIUM

1. COMMUNIO ET PROGRESSIO convictus humani potissima sunt proposita communicationis socialis eiusque instrumentorum, ut preli, cinematographei, radiophonici et televisifici inventi. Horum vero augescens in dies perfectio, qua pluribus usque hominibus singulisque maiorem in modum facilius praesto sunt, eos omnes magis ac magis implicat affectione quadam animi vitaeque ratione, in quam eadem technica subsidia penitus permanant.

2. In iis reperit Ecclesia « dona Dei » [1] quippe quae secundum providentissimi Dei consilium homines inter se fraterna necessitudine concilient ut hi cum salutifera Eius concurrant voluntate. Plenior autem comprehensio et intelligentia acrior communicationis socialis, ideo muneris etiam instrumentorum eius in hodiernae societatis commodum, aliquot attingitur Concilii Vaticani Secundi documentis, praesertim in Constitutione De Ecclesia in Mundo Huius Temporis [2], tum quoque in Decreto De Oecumenismo [3], Declaratione De Libertate Religiosa [4], Decreto De Activitate Missionali Ecclesiae [5], Decreto De Pastorali Episcoporum Munere in Ecclesia [6], et proprie Decreto illo, quod totum instrumentorum communicationis socialis rem pertractat [7]. Ille autem altior rerum intellectus Concilii afflatu et doctrina fretus Christianos posthac docebit quo animo sese gerant in communicationis subsidiis eosque incitabit, ut in iis impensius élaborent.

3. Haec demum Instructio Pastoralis, iussu ipsius Concilii emissa [8], doctrinae principia atque consilia pastoralia in universum explicat, singulis nimirum minutisque partibus praetermissis, quae ob rei perpetuam vicissitudinem et progressionem proxime definiri valent tantummodo secundum peculiaria temporis cuiusque et loci adiuncta.

4. Quapropter erit Episcoporum eorumque Conventuum, quemadmodum Synodorum in Ecclesiis Orientalibus, libenter uti adiumentis hominum vere peritorum necnon consiliorum dioecesanorum, nationalium, internationalium ac sic hanc instructionem industria operosa et collegiaria ad effectum adducere, dum pressius eam explanabunt et accommodabunt ad singulares condiciones populorum ac finium, quibus praesunt, Ecclesiae totius unitati simul prospicientes. Quo in opere conventus Episcoporum adhibebunt beneficia, quae sacerdotes, religiosi, laici pro certo munere suo hac in re poterunt afferre, quandoquidem congruens usus instrumentorum communicationis socialis recidit in totum Populum Dei.

5. Sperare denique licet fore ut Instructio haec in optimam partem ab iis recipiatur, quicumque in communicationis socialis provincia officio aliquo perfungantur, atque ab omnibus qui pro sua bona voluntate humanae familiae progressibus studeant. Ita enim fiet, ut per mutuo habitum sermonem operamque adiutricem illorum hominum uberrima emolumenta, quae his portendantur instrumentis, in omnium revera bonum percipiantur.

PARS PRIMA. COMMUNICATIONIS SOCIALIS INSTRUMENTA IN CHRISTIANO RERUM PROSPECTU: ELEMENTA DOCTRINAE

6. Instrumenta communicationis socialis, tametsi ab ipsis communicatoribus ad homines singulos directa usurpentur, universam tamen hominum societatem reapse tangunt et movent [1], etenim plurimis hominibus celeriter perferunt cognitiones vitae mundi hodierni, praesentisque temporis animum aperiunt et mentem; plane idcirco necessaria sunt putanda ad intimas et saepius multiplicatas necessitudines atque opera nostrae societatis. Hanc ob causam in ipsa incidunt etiam ea principia, quae secundum prospectum christianum consortionem hominum moderantur. Excelso quidem proposito haec inventa eo spectant et ordinantur, ut quaestiones atque exspectationes humanae societatis in medium proferantur, quo citius eis satisfiat, utque homines in coniunctionem magis magisque arctam contrahantur. Quod quidem primarium est principium, unde proficiscitur aestimatio Christiana opportunitatum, quas hominum prosperitati instrumenta illa praebent.

7. Ubicumque humana industria incumbit ad vitae terrestris condiciones in melius corrigendas, et imprimis quotiescumque aguntur recentissima scientiae humanae prodigia prosperrimique technicae artis successus, ibi profecto Christianorum visus atque existimatio de homine ipso, et necessitudinibus humanis, et tota mundi historia reperiunt aliquam responsionem — saepius vero inconsciam — illi praecepto divino ut homo « possideat et dominetur terrae » [2], eodemque tempore cernit participationem necnon productionem operis Dei rerum electoris ac servatoris [3]. Atqui in eandem illam considerationem et mentem prorsus ingrediuntur communicationis socialis instrumenta, utpote quae ad scientiam inter homines communicandam ac proinde ad eorum mutuo praestitam effectricem operam valeant multum. Eevera, cum hominem Deus fabricaretur ad imaginem suam, potestatem ei dedit simul partis capiendae in ipsa potentia creatrici, ut civitatem terrenam exstrueret [4].

8. Suapte natura id communicatio socialis efficere contendit, ut homines inter se commercia frequentantes maiore imbuantur vitae communis sensu. Ita quisque homo cum reliquis hominibus suis fratribus coniunctus ad consilium divinum in historia adimplendum confert tamquam Dei manu ductus [5]. Secundum fidem Christianam consortio hominum et communio,

finis videlicet princeps omnis communicationis, primitus exoritur ipsa et veluti praemonstratur in mysterio summo aeternae societatis Dei inter Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, qui unam agunt vitam divinam.

9. Plurimum sane adiuvare possunt communicationis instrumenta ad hominum coniunctionem; attamen si animi et mentes inscitia laborant sive bona voluntas desideratur, usus eorum contrarium perficere valet, ut nempe minus homines inter se intellegant magisque dissentiant; unde mala complura gignantur. Etenim nimium crebro experimur per eadem instrumenta negari vel adulteran potissima bona vitae humanae; quibus ex depravationibus Christiana mens concludit necesse profecto esse hominem liberari et eripi peccato, quod in generis humani historiam primigeno intraverit casu [6].

10. Cum propria culpa homo a suo Conditore avertitur, per illam turbationem quae delictum sequitur ipse in discordiam prolabitur, tum altercationem exitiosam cum fratribus suis, et tandem interpellationem communicationis [7]. Verumtamen Dei amor erga homines non patitur se repudiari. Ipse enim auctor fuit, ut ineunte historia salutis [8] commercium haberet cum hominibus, atque appetente iam temporis plenitudine seipsum communicavit cum eis [9], et « Verbum caro factum est » [10]. Dum morte sua et resurrectione genus humanum liberavit Christus Dei Filius Incarnatus, Verbum simulque Imago Dei invisibilis [11], cum omnibus partitus est veritatem et Dei ipsius vitam maiore profecto ubertate geminataque copia. Ipse ut unus mediator inter Patrem et homines pacem seu communionem cum Deo stabilit fraternamque societatem inter homines componit [12]. Quo ex tempore altissimum fundamentum atque primum exemplar coniunctionis inter homines invenitur in Deo, qui Frater Humanus est factus quique discipulis deinde praecepit, ut bonum nuntium universis hominibus perferrent cuiusvis aetatis ac regionis [13] pronuntiantes « in lumine » et « super tecta » [14].

11. Hisce commorans in terris Christus se ipse ostendebat Perfectum Communicatorem. Per « incarnationem » quidem naturam induit eorum, qui aliquando percepturi erant eius communicationem, quam et sermonibus et universa vitae suae ratione peragebat. Ex interiore parte ille loquebatur, id est e medio populo suo, proclamans nuntium divinum valide et tenaciter neque cum ulla exceptione; attamen sese aequabat eorum generi modoque loquendi et cogitandi rationi, cum ex ipsorum situ ac statu loqueretur. Ceterum plus secum infert communicatio quam cogitationum solam declarationem vel animi affectuum significationem; namque secundum reconditam suam naturam constat sui ipsius donatione ob amorem; et communicatio Christi spiritus est et vita [15]. Eucharistia autem sacra instituenda Christus nobis absolutissimam tradidit communionis formam, quae homini terrestri concedi poterat, communionem scilicet Deum inter et hominem, et hoc pacto proximam ac perfectissimam inter homines ipsos societatem. Christus denique nobis suum Spiritum Vivificantem communicavit, qui est principium congregationis et unitatis [16]. In Ecclesia, quae est Corpus Christi Mysticum et plenitudo abscondita Christi glorificati, Ipse complectitur universa [17]: sic fit ut in Ecclesia procedamus per verbum et sacramenta erecti ad spem novissimae coniunctionis, ubi « Deus erit omnia in omnibus » [18].

12. « Inter mirifica technicae artis inventa » [19], quibus socialis communicatio inter homines provehitur, Christifidelis reperit instrumenta illa provido Dei consilio excogitata ad hominum prosperandam consortionem his in terris peregrinantium. Novas enim pariunt illa necessitudines inter eos, et, ut aiunt, novam fabricantur linguam, quae homines sinit rectius se ipsos cognoscere ad aliosque facilius accedere. Quanto autem expeditius inter se comprehendunt et propensa voluntate utrimque inclinant, tanto vicissim celerius admoventur ad iustitiam et pacem, benevolentiam et beneficentiam, adiutorium mutuum, amorem ac tandem communionem.

Quocirca communicationis instrumenta merito annumerantur inter validissimas opes atque facultates, quibus homo uti potest ad caritatis confirmationem, quae exprimit et progignit demum communionem.

13. Cuncti propterea bonae voluntatis homines magna cohortatione stimulentur ad coniuncte laborandum, ut instrumenta communicationis socialis veritati conquirendae et inveniendae necnon humanae progressioni amplificandae vere sint utilia. Ad illud autem faciendum christianus sua in fide confirmatur, quod Evangelii nuntius per eadem disseminatus huic proposito maxime proderit, cum fraternitatem hominum sub Dei paternitate efficiat. Mutua tamen communio et opera rerum effectrix inter homines denique reponuntur in eorum libera voluntate, quae autem movetur vicissim causis ex animo vel societate vel arte technica profectis. Itaque momentum suum et significatio ultima assignantur communicationis instrumentis, cum eadem adhibet humana libertas.

14. Ideo quoniam homo ipse constituit modum utendi communicationis inventis, principia moralia illuc spectantia innituntur aequae considerationi dignitatis hominis, qui particeps reapse fieri debet communitatis filiorum Dei adoptivorum. Ex altera vero parte, haec principia manant ex intima natura communicationis socialis et qualitatibus cuiusque instrumenti propriis. Id quod colligitur etiam ex Constitutione Gaudium et Spes: «Ex ipsa enim creationis condicione res universae propria firmitate, veritate, bonitate propriisque legibus ac ordine instruuntur, quae homo revereri debet... » [20].

15. Quicumque ergo cupiverint communicationis subsidia eorumque usurpationem recte collocare in historia Creationis et Incarnationis Redemptricis atque iudicare eorum honestatem, iidem comprehendant necesse erit hominem integrum, et iam antea funditus perspexerint indolem socialis communicationis et eius instrumentorum. Sic pro sua quemque conscientia oportet omnes communicatores (i.e. illos qui pro munere suo communicationis subsidiis utuntur) studere sibi peritiam comparare ad munus rite obeundum necessariam [21]; hoc eo magis postulatur, quo gravius est onus cuiusque officii erga communicationis bonitatem. Eodem officio magis quidem obstringuntur ii, qui aliorum iudicium et arbitrium illuminare atque edocere debent, praesertim quorum maturitas vel animi cultura haud sufficit. Necessitas autem haec et obligatio ea omnia complectitur, quae uno aliove modo ditare valent aut vitiare humanitatem singulorum vel plurium hominum. Nihil deinde intentatum praetermittetur, ut receptores (i.e. illi qui legendo audiendo intuendo utilitates inde hauriunt) informentur tales, qui accurate interpretentur quidquid instrumenta haec praebuerint, qui plurimum inde emolumenti reportent, qui suas denique operosas partes in societatis vita expleant; namque hoc solo modo subsidia illa plenam suam assequentur efficacitatem.

16. Summa sive universitas cunctorum operum per varia ac diversa communicationis instrumenta in certo aliquo circumscripto loco confectorum, iudicari debet et aestimari, prout bono communi [22] ipsa inserviunt; scilicet, per nuntios suos et artes et oblectamenta satisfacere illa decet eiusdem communitatis vitae atque progressibus. Afferendi sunt his instrumentis nuntii non tantum eventuum carptim evulsorum e rebus adiectis, verum etiam ipsorum adiunctorum, ut universi recipientes plane intellegant societatis quaestiones inque perfectionem eius suum quoque conferant studium et laborem. Aequam proinde proportionem conservari oportet inter nuntios publicos, instructionem scholasticam, oblectationes, inter otia liberaliora et vulgatiora.

17. Quaevis communicatio necesse est primariae legi sinceritatis, probitatis, veritatis obtemperet. Non sufficit igitur bonus animus et voluntas recta, ut communicatio evadat ilico honesta; opus est praeterea communicationem ex veritate referre res ipsas, hoc est, veram reddere imaginem

rerum condicionis, atque praeditam esse propria sua interiore veritate. Laus et praestantia moralis alicuius communicationis non emerget ex solo argumento, neque ex doctrina eius mente tantum concepta, sed etiam ex ratione qua communicatur, ex modis et viis loquendi atque suadendi, ex rebus adiectis, ex ipsa illa hominum multitudine ad quam dirigitur [23].

18. Perfectior intellegentia maiorque inter homines indulgentia, consociatio adiutricis multorum et efiectricis operae, quas socialis communicatio mirandum ad modum promovere valet, sunt quidem proposita consonantia cum ipsis finibus Populi Dei, qui suo tempore ea confirmant atque perficiunt. « Promotio enim unitatis cum intima Ecclesiae missione cohaeret, cum ipsa sit " in Christo veluti sacramentum seu signum et instrumentum intimae cum Deo unionis totiusque generis humani unitatis " » [24].

PARS SECUNDA

INSTRUMENTA SOCIALIS COMMUNICATIONIS UTI PARTES HUMANAE PROGRESSIONIS

Caput Primum

Actio Communicationis Instrumentorum in Hominum Societate

19. Recentiora artificia ad hominum provehendum commercium conglobane ut dicitur, nostrae aetatis homines in aliquem circulum angustam, ut cuncti inter se colloquantur ad fraternitatem et communem omnium operam nitentes. Namque eisdem instrumentis resonant et excitantur ac per immensum iterantur collocutiones cotidianae singulorum hominum; ideoque publicum totius societatis colloquium per ea gignitur atque expeditur usquequaque. Nuntiorum et opinionum profluentia, quae his rationibus perferuntur, revera facit ut totum per orbem terrarum universi homines illorum negotiorum ac difficultatum, quibus tam unusquisque eorum quam omne genus humanum afficitur, ita participes fiant ut condiciones simul impleantur necessariae ad mutuam comprehensionem et indulgentiam omniumque inde progressum.

20. Commutationis instrumenta adeo velocitar perfecta evertunt et diruunt claustra, quae tempora et loca inter homines aliquando erexerant. Sese ergo praebent tamquam iunctioris propinquitatis firmiorisque consortionis artifices; etenim eorum beneficio cuiuslibet rei indicium seu cognitio continenter circuit orbis nostri extrema hominesque patitur vitam et eventa mundi hodierni multo magis actuose sectari. Utilitatem ex his instrumentis déportât traditio quoque doctrinae cuiusvis gradus; ceterum illa admodum prosunt dimicationi adversus plenam litterarum ignorantiam atque simul institutioni tum incipienti tum continuatae. Similiter conferre plurimum valent ad homines evehendos vereque liberandos praesertim in regionibus paulatim tantum progredientibus. Maiorem praeterea aequalitatem inter homines constituunt atque defendunt, in eam videlicet partem, ut cuncti societatis ordines sine discrimine iam perfrui possint bonis animi et oblectamentis. Mentes denique locupletant, dum eas per ipsius vitae sonos et imagines reducunt ad res aspectabiles et concretas eiusque pariter indicant maxime longinquas regiones atque tempora antiquissima. Ubicumque autem litterae paene omnino ignorantur, cives, quamvis culturae nativae et humanitatis mores magni existimare debeant, ad hodierni tamen mundi rationes et modos recentiores vitae cito suscipiendos adducuntur.

21. Adhortatur talium opportunitatum contemplatio, ut instrumenta communicationis socialis elementa validissima esse putentur, quibus et humana augeatur progressio et difficultates perseveranter superentur quas ipsa inferre possint. His vero incommodis tam communicatores quam receptores se intellegent provocari ad quaestiones multiplices resolvendas. Quomodo cavebitur certo, ut rerum nuntii, quos copiose et perpetuo, turbate saepius et plerumque summa

celeritate diffundant, accurate aestimentur atque digerantur? Cum socialis communicationis instrumenta ex sua ipsorum natura ad quam plurimos illis utentes se dirigant ac, ne plures receptores offensa aliqua repellant, crebro faveant neutri parti, qua ratione in populis pluralisticis, quos dicunt, vera et falsa tuto discernetur, honesta et prava? Quo pacto prohiberi potest, quominus, propter liberam competitorum aemulationem, ipsa captatio publici favoris cogat haec instrumenta aut compellat ad evocandas et inflammandas non tam generosas nec honestas impulsiones naturae humanae? Quomodo impedietur, ne nimis pauci homines ita instrumentis dominentur ut vera collocutio et consortio in societate exstinguatur? Quomodo adhibenda erunt haec subsidia ne communicationibus per artificia transmissis, praesertim si imaginibus efficiantur, necessitudines inter ipsas personas laedantur? Cum enim saepe eadem invitent hominem ad alio efiugiendum per somnium quoddam, quid facere potest, ne eum ab ipsa vita absterreant in hoc praesenti tempore agenda? Qua ratione obstabitur, ne homines adigant ad desidiam et animi quandam lentitudinem? Quo denique pacto fiet, ne perpetua affectuum excitatio usum rationis praepediat?

22. Prolapsio regulae morum, quae in pluribus hodiernae vitae partibus deprehenditur, maximae curae est atque cordi universis bonae voluntatis hominibus; eiusdem autem demutationis signa facile notantur in omnibus instrumentis communicationis socialis. Quantum vero culpae harum rerum conferendum sit in illa, disputari quidem potest. Etenim plerique serio existimant per communicationis subsidia tantummodo relucere ac referri mores, qui in humana societate iam vigeant; alii contra arbitrantur ipsa confirmare latiusque propagare illas propensiones atque, dum eas exhibeant tamquam vitae humanae plane communes, paulatim efficere, ut usu tandem recipiantur; alii denique volunt culpam maximam transferri in eadem haec instrumenta. Quidquid id est, negari non potest ipsam societatem vitiis laborare atque, ut res in melius convertantur et restituantur, operam postulari parentum et magistrorum, animarum pastorum et eorum omnium, qui procurent bonum commune. In hoc autem laudabili conatu instrumenta communicationis haud mediocres sustinent partes, quamvis fieri nequeat, ut opus eorum ab ipsa vita et consuetudinibus populi seiungatur.

23. Quo melius agnoscantur certiusque colligantur beneficia humanae societati per socialem communicationem oblata, quo insuper tutius eorundem óbices supervadantur, aspectus praecipuos actionis instrumentorum in hominum commercio ponderari funditus oportet.

1. PUBLICA OPINIO

24. Forum aliquod publicum constituunt communicationis subsidia, ubi homines ultro citroque habeant sermones. Quo in colloquio enuntiatio atque certatio diversarum sententiarum quae pervulgantur ipsam societatis vitam penitus afficit et locupletat eiusque progressionem maturat.

25. Ex eo quod unusquisque sponte studet ita patefacere aliis sensus proprios, opiniones, afflictiones animi, ut communes plurium evadant sententiae ac mores, exoritur « publica opinio », quae est hominum naturae socialis proprietas et nota. Iam pridem Pius XII publicam opinionem perspicue indicavit quasi quandam «imaginem naturalem vocis, communiter repercussam plus minusve spontaneam eventorum simul et conditionum actualium in animis atque iudiciis hominum » [1]. Propriae autem declarandae opinationis libertas est qualitas et pars pernecessaria in publica formanda opinione. Etenim sententiae propalam expressae aliis aperiunt mentem et iudicium circulorum maioris momenti in aliquibus certis adiunctis locorum, temporum, consuetudinum.

26. Illa libertas, qua valet sua quisque asseverare sensa et cogitata, prorsus necessario exposcitur ad recte convenienterque effingendam publicam opinionem. Oportet proinde una cum Concilio

Vaticano II praedicare hanc libertatem, propriae eloquendae mentis, necessariam esse tam singulis quam consociatis hominibus intra honestatis bonique communis terminos [2].Cum adiutrix omnium opera postuletur ut socialis vita revera proficiat, opus est comparatione quoque libera sententiarum, quae alicuius ponderis esse existimantur, ut — dum aliae concedantur vel assumantur, aliae vero repudientur vel perficiantur, aliae demum inter se concilientur vel accommodentur — solidiores quidem ex eis atque constantiores vere conspirare valeant ad commune quoddam agendi consilium.

27. Hinc elucet communicatorum munus sane esse gravissimum: ad opiniones nempe rite conformandas et colligendas et disseminandas maximam vim ipsi habent, dum uno tempore permittunt, ut libero acutoque rei iudicio inter se comparentur.

28. Omnes autem cives rogantur ut publicae informandae opinioni conferant [3] etiam per legatos propriae mentis interpretes. Ii, qui ex officio vel propter dotes nativas aliamve ob causam magni aestimati plurimum in civitate possunt, sustinent partes magni quidem ponderis ad publicam gignendam opinionem, quoties suam indicant sententiam. Unde procedit officium quod tanto magis illos obstringit, quanto magis alios homines ipsi suo exemplo trahere valent.

29. Venerationem autem vel ostentationem (quam «propaganda campaign » vulgo nuncupant), tunc solummodo instrui licebit cum propositum eius et rationes homine sint dignae, cumque ipsi veritati prodesse contendat vel causis, quae communi emolumento favent sive illius nationis sive totius orbis, cum hominum singulorum tum coetuum eorum.

30. Attamen aliquod persuadendi consilium, quod bono communi adversatur, quod apertam et publicam responsionem impedire nititur, quod statum rerum detorquet vel hominum mentes praeiudiciis inficit — dimidiatis veritatibus seminandis vel secundum praestitutum finem selegendis vel etiam quibusdam gravioribus praetereundis — legitimam populi inhibet decernendi libertatem, et propterea nullo modo est ferendum. Id quod eo magis affirmari debet, quo humanarum disciplinarum, psychologiae cumprimis, et ipsorum communicationis socialis inventorum progressio maiorem semper potentiam tribuit huiusmodi publicis praeconum ac nuntiis.

31. Non autem quaevis vulgatissima enuntiata continuo putanda sunt publica opinio, quae magnum hominum numerum complectitur. Namque populi iudicia inter se dissidentia nonnulla eodem tempore locoque exsistere possunt, quamvis aliquod saepe a pluribus proferatur. At maioris partis sententia non necessario optima est nec veritati proxima. Ceterum opinio publica crebrius mutatur, modo augens modo amittens vim suam in vulgus. Has ob causas ne protinus homines sibi asciverint sententias, quae omnium sunt in ore ac manibus. Immo vero rationes praesto esse possunt, cur eis directo obsistatur.

32. Verum sententiae palam atque communiter dictae, quippe quae cogitationem et voluntatem populi recludant, sollerter sunt perpendendae, praesertim auctoritatibus tam religiosis quam civilibus.

2. IUS « INFORMATIONIS » CONSEQUENDAE ATQUE IMPERTIENDAE

33. Ut suo proprio modo emergat publica opinio, necesse est ipsi societati in antecessum tribuatur facultas adeundi originem et canales, ut aiunt, cognitionum, necnon libere suae patefaciendae mentis. Opinandi libertas atque ius rerum scientiae bine acquirendae illinc participandae una simul consistunt. Ioannes XXIII [4], et Paulus VI [5], et Concilium Vaticanum II

[6] hanc potestatem res comperiendi manifesto liquidoque praedicaverunt, quae quidem solidae necessitati innititur ipsius hominis et hodiernae societatis nostrae.

a) Aditus ad Fontes et Vehicula Notitiarum

34. Opus est hominem nostri temporis probe et convenienter, plene et fideliter certiorem rerum fieri, primum ut mundum illum intellegat ubi versatur inter continuas huius aetatis vicissitudines, deinde ut sese rebus ipsis aequet ac mutantibus semper condicionibus quae iudicia eius et consilia cotidie postulant, tum ut partes actuosas et graves peragat in statu proprio sociali, postremo ut variis formis rei oeconomicae et politicae, societatis et humanitatis ac religionis huius temporis ipse intersit. Illi autem iuri, quod ex hisce requisitis procedit, oificium vicissim respondet scientiae rerum praecipiendae; etenim ius illud impleri non poterit, nisi homo certior faciendus suam quoque operam praestiterit. Quem propterea oportet sua in potestate habere subsidia et instrumenta satis varii generis, ut libere seligat ea, quae propriis congruant necessitatibus tum privatis tum socialibus. Nam sine vera communicationis fontium diversitate exercitatio illius iuris inanis erit et nulla.

35. Societas etiam ipsa pro diversis suis ordinibus indiget talis rerum cognitionis atque similiter bene instructarum civium, recte ut sese gerat. Itaque ius istud comperiendi hodie videtur non solum potestas quaedam uniuscuiusque sed etiam boni communis postulatio.

36. Exinde homines, quorum est professio certius facere publicum forum, grave admodum et difficile explent officium, frequentibus conflicti molestiis. Crebro etiam ab iis vexantur, quorum interest obtegere et celare veritatem. Hoc praesertim in illos nuntiorum auctores cadit, qui ex propinquo referunt eventa, quique eam ob causam saepius itinera vel etiam in orbis extrema faciunt [7]. Dum autem ita conantur spectare « eventus, quemadmodum reapse contingunt » [8], saepenumero coguntur ut magnis se exponant periculis vitae; et plures quidem ita perierunt, cum tale suum officium exsequerentur. Quoniam ergo ius habent homines cognoscendi, praecipue statum rerum et condiciones in bellorum praeliorumque locis, quae ipsa sollicitant valde et angunt totum genus humanum, idcirco salus atque incolumitas eorum nuntiatorum semper est omnibus viribus protegenda. Quocirca deflet et improbat Ecclesia quamlibet vim his hominibus et cuivis alii generi communicatorum illatam, qui videlicet notitiis sibi comparandis aliisque recte ministrandis usum iuris illius hominum vindicent atque provehant.

37. Praeter communem hominis difficultatem veri integre percipiendi atque ostendendi, accedit etiam, ut ipsi nuntii, cum aliquid novi afferre debeant, suapte natura eas dumtaxat partes rerum illustrent, quae nuperrime mutatae ac praesentis utilitatis sint. Alia vero inde nascitur difficultas, quod narratores ex permagno nuntiorum congestu eos delibare oportet, quos alicuius ponderis esse existimaverint atque ad vulgus capiendum idoneos. Quo denique accidit, ut cognitiones receptae in frusta discerpantur nec necessario totam eventus gravitatem declarent.

38. Haec praeter, communicat or es, cum res integras intellectuque faciles celeriter pronuntiare debeant, ab horum negotiorum peritis commentarios magis magisque quaerunt, qui nuntiorum principia adiectaque explicent atque iudicia propria conferant. Huius modi autem commentationes saepius flagitantur cito, vel etiam interdum ante eventum iamiam instantem. Mhilominus homines fidissimi munerisque sui maxime consii, praesertim cum imperia gerunt vel auctoritate praecellunt, iure meritoque cunctantur raptim enarrare et explicare cursfm eventa, priusquam totum rerum statum et contextum fuerint perscrutati. Qua de causa, cum suapte natura poscant communicationis instrumenta notationes et commentarios repentinos, accidit saepe ut neglegentiores atque imperitiores narratores sese interponant, qui ceteroquin proclivius et libentius opus illud exsequantur. Quod ne eveniat, vere periti quaestionis tractandae diligenter

cavebunt. Se ipsos nempe, quantum fieri potuerit, parare conabuntur assequenda ultimorum eventuum cognitione, ut munus hoc nuntiandi ipsi praeripiant rectiusque populum certiorem faciant.

39. Alia autem difficultas ex eo oritur, quod nuntii, ut viriditatem suam asservent vulgique audientiam faciant, quam citissime sunt dispergendi; huc etiam additur, quod eorum aemula festinatio mercatoriam necessitatem imponit. Ideoque contingit, ut necessaria ista celeritas accuratae rerum narrationi officiât. Praeterea communicatoribus necesse est rationem ducere populi ipsius et gustus atque animi culturae eius, eodemque tempore considerare, quid ante omnia cognoscere et audire concupiscat. Talibus in adiunctis sane difficilibus communicatores ad veritatem adhaerescere debent, cum nuntios diffundunt.

40. Praeter illa incommoda, quae ex ipsa nuntiationis et instrumentorum communicationis natura proficiscuntur, aliud narratoribus offertur: eos scilicet oportet res explicare alicui vulgo, quod saepenumero urgetur ac distrahitur, vivide et accommodate ad eorum animos pelliciendos captandosque; at ipsi ex altera parte vetantur, ne idem vulgus percellere vehementer penitusque commovere conentur inusitata ratione, quae propter alicuius rei segregationem, amplificationem, scaenicam paene expositionem facere possit ut ipsi nuntii depraventur.

41. Receptores autem, qui dispersa indicia conglutinant, notionem concipere possunt inaequalem vel deformem totius rei. Aequitas autem poterit quadamtenus restitui et reconcilian continuata suppeditatione nuntiorum ex variis diversisque capitibus, quae tamen acriter diiudicare semper oportet. Deinde receptores perspicere convenit beneque comprehendere illorum hominum condicionem, qui pro munere ac professione annuntient neque perfectionem certam ab eis efflagitare vires humanas plane excedentem. Ius nihilominus habent et officium postulare, ut nuntii aliquando falsi vel vitiosi cito manifestoque castigentur, tum commonefacere quae sint forsitan praetermissa, tum reclamitare quoties communicationis socialis instrumenta deformaverint facta ipsa, vel evellendis eis ex comitante rerum statu vel maiore quam mereri videntur pondere assignando vel contra nimis exiguo et parvo attribuendo momento. Hoc igitur receptorum ius efficaciter valet in tuto collocari ex codicibus normarum agendi ab ipsis communicatoribus conscriptis aut, si desunt tales, secundum leges nationis vel pacta inter populos conventa.

42. Verumtamen cognitionis ius definitis continetur terminis, quotiescumque exercitationi eius alia iura adversantur, ut sunt: ius veritatis quod bonam famam hominum totiusque societatis tuetur; ius vitae privatae quod intimum familiarum atque singulorum circulum defendit [9]; ius secreti, si necessitates vel condiciones muneris suscepti aut ipsum commodum publicum exigunt. Quoties bonum commune agitur, prudenter valde nuntiandum est et intellegenter.

43. Aperta descriptio et expositio rerum saevarum violentarumque maximam diligentiam et aerem curam postulat. Absque dubio immanitas et crudelitas foedat vitam humanam atque conspicitur potissimum in novissimis temporum conversionibus, et ita revera describi potest ut receptores ab ea abhorreant. Attamen si res istae cruentae saepius quam opus est et nimium vividis demonstrantur imaginibus, periculum est ne species recta vitae humanae eiusque verae condiciones detorqueantur neve interdum gignantur — sic censent plures periti — aliqua psychosis vel certae animi habitudines, secundum quas vis et violentia habentur tamquam viae consuetae dissolvendarum contentionum.

b) Communicandi Libertas

44. Ius illud congruenter rerum certiorem fieri arcte cohaeret cum ipsa communicandi libertate. Eevera innititur tota socialis vita commercio et colloquio perpetuo inter singulos homines eorumque greges, quod quidem ad mutuam intellegentiam et sociam operam omnino deposcitur. Cum vero ad hoc colloquium vox ipsa instrumentorum communicationis accessit, novum quiddam exstat, quia cum pluribus hominibus vita ipsa participatur et profectus societatis.

45. Quoniam sociali sit homo natura, eum necesse est libere conferre suas cogitationes et comparare cum aliis; et hoc requiritur nostris diebus plus quam alias umquam, cum opera mentis et ingenii prosequuntur collegia potius et consociationes hominum, iam non singuli. Ceterum quoties homines, suae naturae proclivitatem sequentes, inter se rerum cognitiones permutant vel aliis suas declarant sententias, iure prorsus suo utuntur simulque satisfaciunt officio erga societatem.

46. Societates partium diversarum patientes (quas « pluralisticas » appellant) optime intellegunt quanti intersit libere posse nuntios et opiniones disseminari, ut cives revera actuosi versentur in vita sociali eandemque libertatem legibus ferendis tutentur. Illa Universalis Iurium Humanorum Declaratio cum hanc confirmaret ut primariam postulationem, implicite asseveravit necessariam libertatem instrumentorum communicationis socialis.

47. In usu vitaque communi licentia haec communicationis affert quoque facultatem singulorum vel sociatorum hominum investigandi, scientiae rerum quoquoversus dispergendae, adeundi denique inventa socialis nuntiationis. Sed talis communicandi libertas, quae in ipsa sui exercitatione rationem non ducit genuinorum requisitorum illius iuris nuntios atque indicia recipiendi eiusque terminorum, plus certe oblectare studet communicantem vel annuntiantem quam vere prodesse populo audienti.

3. EDUCATIO, ANIMI CULTURA ET OTIUM

48. Semper latiora et maiora officia obeunt communicationis socialis instrumenta in vasta provincia educationis humanae. Pluribus quidem in locis auditorii ac visitici apparatus, necnon et commodissimae sonorarum visualiumque taeniarum cistellulae (« cassettes ») atque scrinia radiophonica et televisifica iam evaserunt solita magistrorum utensilia ad doctrinas tradendas; quo etiam contingit, ut opera hominum in variis studiorum regionibus versatiorum facilius praesto sint usque pluribus. Alibi autem communicationis socialis instrumenta comitantur atque opitulantur iam constitutae docendi rationi simulque adolescentibus et adultis occasiones praebent perficiendae eorum institutionis. Ubi vero didascalica subsidia haud sufficiunt, haec educationem religiosam afferunt et multiplices formas primariae educationis tamquam remedia ignorantiae plenae litterarum; tum etiam agri culturam docent, medicinam artem, valetudinis curandae disciplinam, ac regulas complures prosperandae totius communitatis. Cum autem id fieri potuerit, talis industria per instrumenta communicationis explenda prae se feret indolem genuini colloquii, ut nempe per vim quandam effectricem discentes non solum doctrinis ornentur, veverum etiam assuescant se ipsos iisdem instrumentis exprimere.

49. Insuper communicationis socialis instrumenta, quae ipsa iam sunt perspicua pars hodiernae culturae eiusque patefactio, singulari prorsus modo efficiunt, ut artis atque humanitatis monumenta suppeditentur maximae generis hominum parti, et mox forsitan toti. Hoc autem tam necessario pertinet ad germanos societatis humanae progressus quam ipsa amotio et abolitio oeconomicae socialisve inaequalitatis.

50. Cum inventa illa bene ditare valeant culturam huius temporis, sibi communicatores conscii erunt ius esse universis hominibus ut ad humanitatem informentur, ac propterea alacriter

utentur praeclara opportunitate quam sumministrant ita dicta « Media Multitudinis », quo maiores hominum numeros et coetus attingant. Eadem etiam permittunt obsequi et inservire necessitatibus studiisque variis cultus humani, cum valenter et amoene pertractant opera ex omni artium liberalium provincia. Cives proinde haec subsidia facile usurpare possunt ad ingenium expoliendum animumque perficiendum, dummodo suam deliberatam considerationem addiderint et frequentent cum aliis hominibus sermonis atque cogitationis commercium.

51. Exempla autem utilitatum, quas in genere culturae important communicationis instrumenta, deprehenduntur etiam in tralaticia humanitate et arte multarum gentium, in quibus scilicet narrationes et fabulae scaenicae, cantica et saltationes recludunt saecularem thesaurum culturae alicuius populi. Propter suam autem perfectionem technicam possunt illa instrumenta longe et late serere bona illa nativae humanitatis, conservare ea in receptaculis ut iterum atque iterum degustentur, perferre etiam in loca ubi iam pridem evanuerunt. Hoc pacto subsidia communicationis plurimum adiuvant ad inculcandam cuique nationi conscientiam proprietatis culturalis eamque indicandam aliis populis et nationibus, ut admirantes inde ditentur.

52. Oblivisci non licet complura opera magnae praestantiae in studiis ingenuis — potissimum in re musica, scaenica, litteraria — prius exhibita esse tamquam publicas oblectationes; unde apparet talia oblectamenta plurimum utilitatis animi culturae posse afferre c. Hisce autem diebus per communicationis subsidia excelsiores artis formae pollicentur maiori usque hominum numero relaxationem animi, plena intellectam verbi significatione, qua magis cotidie opus est in nostra admodum implicata societate. Simplex delectatio momentum suum etiam comprobat, cum onere sollicitudinis cotidianae mentem levât vel vacuum negotiis tempus utiliter implet. Propterea multiplex operum varietas, quae his inventis praebentur ad otium consumendum, hominibus nostrae aetatis valde proficiant. Attamen satis sibi temperare posse debent receptores, ne ita venustate et pulchritudine operum exhibitarum vel ipsa curiosa quaerendi cupiditate patiantur se impelli, ut prementia officia deserant aut tempus inaniter profundant.

53. Ipsa communicationis instrumenta profecto novae partes sunt humanitatis nostri temporis, quandoquidem plurium hominum turmis simul prospiciunt; illam vero locupletare sane valent, sed etiam spoliare interdum ornatu suo et dignitate, quia crebro sese accommodant ad captum et intellectum infimi ordinis auditorum vel lectorum. Cumque homo tamdiu vacet his communicationis instrumentis facile prohiberi inde potest, ne consumens tempus in sui intellectus inferiore usu superiores utilioresve facultates neglegat. Continua denique spectatio operum leviorum facere vix potest, quin iudicium elegans et subtile deiciat eorum, qui superiorem culturam fuerint assecuti. Nihilominus pericula haec declinan valent et vitari, si communicatores ipsi non solum curae habent germana bona culturae, verum etiam ad optimam illam voluntatem adiunxerunt amplam cognitionem ipsius artis educandi. Sciendum insuper est instrumenta communicationis posse revera altissimos gradus excellentiae artis attingere, qui non necessario difficilfimi sint neque omnino impervii plerisque hominibus.

4. GENERA ARTIS

54. Recentiores hi communicationis apparatus propagant per orbem terrarum veteres artis formas sed pariunt etiam nova artificiorum genera. Cum rete quoddam communicationum contegat universum mundum et rationes consuetudinis inter gentes duplicet, cumque in singula opera magis ac magis conferatur navitas et industria communicatorum variis ex gentibus, consentaneum est auctores et ipsos homines talibus artificiis utentes communiter quaerere universale aliquod iudicium et veluti characterem, non tantummodo ut et antiquiores et

recentiores formae conservari valeant, verum ut observentur atque scienter admittantur artificia cunctarum gentium cuiuslibet cultus atque omnium minorum circulorum in eiusdem humanitatis regione.

55. Opera artis propter sua momenta et bona humana plurimi sunt aestimanda, etenim pulchritudo sua sponte attollit mentem eam contemplantem. Quodvis artificium referre potest et significare condicionem humanam usque in ultimum eius recessum, per sensum corporis aperire omnibus res spiritus et animi, tribuere homini meliorem sui cognitionem, id quod maxime optandum est non modo in litterarum et artium sed etiam morum et religionis provincia. « Verissimum autem illud est, cum vos scriptores atque artifices ex condicione humana quantumvis humili et tristi elicere sciatis scintillam bonitatis, ilico aliquem pulchritudinis nitorem collustrare totum opus vestrum. Non sane rogamini, ut partes expleatis moralistarum; attamen adhuc creditur et confiditur arcanae potestati vestrae pandendi regionem illam lucis, quae post vitae humanae mysterium iacet » [11].

56. Quicumque igitur penitus comprehendere voluerit habitus animi et indolem alicuius certae aetatis, inspicere atque investigare oportebit, praeter historiam resque gestas eius, litteras quoque et universa artificia, quoniam ipsissima haec opera acriter et lucide, immo vero altius saepe et accuratius quam mentis descriptiones, ingenium alicuius populi, desideria eius et optata, cogitationes et sensus commonstrent. Etiam cum artifices animo evolantes ex hoc vero ac solido orbe persequuntur fictas mentis species, sinunt hominis naturam et proprietates utilissime introspici. Ipsae quoque fabulae, quas effinxit alicuius auctoris fervidum ingenium, cum simularent homines vivere et progredi in condicionibus rerum plene facticiis, suo proprio modo veritatem edocent. Licet non sint vera eventa, res tamen ipsas vitae eatenus tangunt, quatenus ex naturae humanae elementis componuntur [12]. Quin immo afficiunt istae fabellae origines vigoris atque ardoris humani: sic enim illustrant eas, ut homines sagaces inde perspiciant futuras inclinationes humanae progressionis animoque praesentiant.

57. Docet Summus Pontifex Pius XII vitam humanam: « Certe intellegi non posse, saltem in atrocibus eius et vehementibus certaminibus, si scelera illa ac vitia praetereantur, quae plerumque eorum sint causae et auctores... Atqui, nonne praestantissimum spectaculum cinematographicum explicare valet talia facta tamquam sibi propositum argumentum? Summi poetae et scriptores omnium temporum ac populorum hanc asperam et lubricam materiem tractaverunt itemque facient posthac...Quoties contentio haec cum malo, vel etiam temporalis victoria eius, una cum reliquo opere toto conducit ad vitam humanam eiusque rectam moderationem altius pervidendam et ad mores temperandos et ad probum iudicandi agendique modum illustrandum necnon confirmandum, toties elegi potest eiusmodi argumentum et intexi ut pars doctrinae in actione integra spectacula Huc igitur eadem norma ac iudicium adhibetur quod cuique operi litterario praeponi debet » [13]. Ibi nimirum deprehenditur opus ad profectum moralem admodum utile; namque illic germana excellentia artis et honestatis praestantia, quae liquido distinguuntur, non modo inter se minime adversantur, verum evocantur vicissim et corroborantur.

58. Difficultates interdum in re morali praebet artificium aliquod cum quidam spectatores aut omnino non valent aut aegerrime tantum comprehendere malum et pravitatem, quemadmodum oportet, vel propter aetatem vel animi inscitiam vel mancam institutionem. Artifici quidem obversatur ante oculos tota vita humana cum universis bonis malisve rationibus eius. Iudicium propterea et prudentia exiguntur, quotiescumque opus artis multiformem populum afficit, in quo nempe reperiuntur cives omnium ordinum societatis, et praesertim cum propositum argumentum est contentio hominis cum malo.

5. NUNTII LAUDATIVI

59. Momentum nuntiorum laudativorum in hominum nostrae aetatis consortione magis in dies augescit neque eorum vim refugere iam quisquam valet. Utilitates plurimas quidem sociales illi afferunt. Nam per eos emptor tum de bonis, quae ex necessitate quaeruntur, tum de ministeriis, quae in promptu sunt, certior redditur; ita evenit, ut iisdem larga distributio rerum arte effectarum promoveatur; quod cum agitur, quaestuosa industria adiuvatur ad progressus faciendos, qui tandem cedunt in bonum totius populi. Hoc nimirum probandum est, dummodo libertas emptoris in eligendo semper observetur, — etiamsi suadeatur ei aliquid ad necessitates ipsius primarias pertinens ut desiderium cuiusdam rei procreatae excitetur —, et laudationes ipsae suo peculiari modo veritati consulant.

60. Si tamen landativis nuntiis bona noxia vel prorsus inutilia praedieantur in vulgus, si promissa falsa in rebus venditandis fiunt, si inferioribus hominum proclivitatibus obsecundatur, vulgatores huiusmodi praeconiorum societati humanae detrimentum important ac suam denique ipsorum fidem et auctoritatem amittunt. Singuli praeterea et familiae damno afiiciuntur, cum falsae necessitates pariuntur, dum continenter instatur ut res voluptuariae emantur, quae forsitan eas comparantes impediant, ne occurrant necessitatibus omnino primariis. Praesertim vitanda prorsus erunt praeconia, quae inverecunde torquent ac flectunt sexus libidinem ad pecuniae quaestum, vel quae recessus mentis humanae non conscios ita tangunt ut ipsa emptorum periclitetur libertas.

Quapropter sibimet ipsi vulgatores constituent fines necessarios, ne mercium venditatio laedat dignitatem humanam neve iniuriam communitati inferat.

61. Prudens ex contrario usus nuntiorum laudativorum civitates atque nationes progressum maiorem appetentes exstimulare potest, ut vitae suae condiciones ad altiorem statum evehere conentur. Nihilominus damnum grave afferatur, si laudis praedicatio et instans mercimoniorum suasio tam inconsiderate fiant, ut societates, praesertim quae ab inopia rerum ad consentaneam vitae instructionem progredi student, eiusmodi profectum suum contineri velint in satisfaciendo necessitatibus tantum commenticiis atque, ita praecipuam partem opum suarum missam facientes, veras necessitates et progressionem bonorum sibi propriorum illis posthabeant.

62. Copia tamen ingens pecuniarum nuntiis laudativis corrogatarum minitatur vicissim ipsis fundamentis communicationis instrumentorum, quoniam totum genus et rationes illorum praeconiorum periculum comparant, ne homines universe arbitrentur communicationes sociales paene solum dirigi ad naturae appetitus infiammandos, ut tandem alicuius rei usus propagetur. Praeterea ipsa libertas instrumentorum communicationis socialis propter vim atque impulsum commodorum oeconomicorum adduci revera potest in discrimen. Quoniam haec instrumenta eatenus exsistere valent, quatenus ope nummaria sufficiantur, illa igitur sola per manere valent, quae maiorem abundantiam pecuniae ab bis laudativis nuntiis perceptae pollicentur. Ita vero panditur via monopoliis, simulque ius nuntios accipiendi et reddendi necnon ipsum colloquium sociale difficultati obiciuntur. « Pluralismus », qui dicitur, in usu communicationis instrumentorum est omnino in tuto ponendus atque etiam aptis latis legibus, si necesse fuerit, adversus pericula muniendus inde nimirum orientia quod instrumentis validioribus globatim attribuuntur pecuniae ad nuntios laudativos pertinentes.

Caput Secundum

Condiciones aptissimae ad actionem congruentem

63. Ut instrumenta communicationis socialis hominibus reapse inserviant, ante omnia agnoscendum est momentum partis humanae in eorum functione, cuius quidem vis hoc in negotio multo maior est quam ipsa illa summe admiranda prodigia artis mechanicae et eleetronicae. Non enim ultro suaque sponte peragitur functio munerum, quae in hominum societate eiusmodi inventis communicationis sunt commissa. Qui propterea communicent et recipiant, oportet plane hac re sint instructi et eruditi, ut ex iisdem instrumentis utilitates omnes obtineantur. Cunctos ergo peculiarium partium sibi agendarum conscios esse penitus oportet atque ad hoc praeparari tam singulos quam ut sodales humanae communitatis. Et publicae auctoritates et ecclesiastici moderatores simulque educatores propria munia debent explere, ut bonum societatis, quod instrumenta illa egregie promittunt, plene efficiatur.

1. INSTITUTIO

64. Urget imprimis institutio, qua principia illa, quibus usurpatio communicationis socialis instrumentorum inter homines regitur, animis alte inculcentur; quae quidem praecepta ex hisce paginis iam innotuerint, ea omnibus hominibus necessaria esse hodie patet. Etenim communicationis subsidia mentem animumque hominis vere ditant, dummodo indoles eorum et usus probe comprehendantur; libertatem contra facile imminuunt eorum hominum, qui pondus eorum leviter tantummodo capiunt. Quapropter haec institutio complecti debet certa ac definita principia naturae singularis uniuscuiusque instrumenti communicationis, explicationem deinde praesentis eius status atque usus in quadam regione, et denique ea quae rectam applicationem tangunt; qua in re tota specialis respectus habeatur hominis et societatis.

a) Receptorum

65. Primaria institutione indigent receptores, ut ex instrumentis communicationis socialis maxima trahant beneficia non solum in proprium commodum sed eo etiam consilio, ut omnes suas partes exsequi valeant in colloquio seu dialogo societatis et in mutua illa adiutrici effectricique opera inter humanae communitatis membra, et ut aptissimas reperiant vias, quibus cuncta haec ad usum deducant, iustitiam propugnando in nationibus atque efficiendo, ut maximae inaequalitates inter populos opulentiores hinc et illinc egentiores debilioresque amoveantur.

66. Qua de causa receptoribus semper opus est cognitionibus progrediens tempus et aetates respicientibus, quae satis sint omnibusque in promptu ponantur. Homines igitur hac in re pro munere periti adiumenta praebebunt huic continuae institutioni per acroases, circulos, « fora » quae dicuntur, lectiones peculiares, conventus studio dicatos, instaurativa institutionis curricula.

67. Nemo poterit umquam incipere nimis mature in iuvenibus excolere atque acuere iudicium artis, subtilem aestimationem, proprii officii moralis conscientiam in delectu usuque scriptorum, ludorum cinematographicorum, transmissionum radiophonicarum itemque televisificarum, quoniam pueri et adulescentes laedi facilius possunt et offendi, tum etiam quia stabilis animi habitus suique ipsius temperatio in teneriore aetate adepta proderunt eis certissime in omnem reliquam vitam. Infantes nimirum et adulescentes qualitates habent admirabiles liberalitatis et muficentiae, candoris et sinceritatis; verumtamen eaedem animi habitudines atque sui ipsius moderatio custodiri valent solummodo si ab ineunte aetate percoluntur et defenduntur. Parentes propterea aliique praeceptores cohortabuntur et dirigent pueros, ut inter communicationes proprio iudicio discernant et eligant, tametsi, ut decet interdum, ipsi sibi vindicent ultimum consilium hac in selectione. Quod si oportere aliquando intellexerint se a filiis suis dissentire eorumque obstare iudicio cum eligantur atque adhibeantur communicationis instrumenta, curabunt diligenter et providebunt, ut rationes illius contrariae sententiae lucide explanentur.

Namque plus revera efficitur persuadendo quam prohibendo, praesertim ubi hominum eruditio agitur. Reminiscentur similiter puerorum mentem et animum minime eandem esse atque adultorum, ac proinde communicationem aliquam, quae ipsis videatur omni carere iucunditate vel commoditate, pueris atque iuvenibus apprime congruere posse. Convenit autem ut plures adulescentes magistri fiant et institutores aequalium suorum. Eorum aetas sinit eos patere novis humanitatis formis aditumque facit ad coetum cuius sunt sodales. Talis industriae efficacitatem iam experimenta et usus comprobaverunt.

68. Magna deinde cum utilitate ipsi parentes et educatores spectabunt investigabuntque telehoramata, cinematographea, scripta, ad quae iuvenes animos maxime adiciunt, de quibus inde disputare valeant cum eis simul expolire studentes ingenium eorum criticum. Quoties opera artis dubia vel perplexa excutiuntur, parentes tempestive adiuvare filios debent manu veluti ducentes, ut bona eorum humana detegant simulque totum monumentum vel artificium contemplentur et singulas partes in totius operis compage reponant.

69. Haec quidem institutio stabili quadam et fixa ratione viaque tradenda est in scholis ipsis, ubi per omnes gradus discipuli paulatim sed certo perducantur ad principiorum cognitionem usumque vicissim, et ad librorum lectionem atque operum recentiorum interpretationem. In studiorum ratione definitum locum assumere debet talis doctrinae expositio, quae in auditoriis et congressibus seorsum enucleetur quaeque usurpetur exercitationibus ductu peritorum.

70. Liquet autem omnino nec parentes neque paedagogos his officiis satis facere valere, nisi et ipsi scienter versati sint in eadem aestimatione instrumentorum communicationis. At in hanc sententiam commonendum est parentes, qui nullis huius generis instrumentis circumdati adoleverint, eorum plerumque « linguam » difficilius intellegere quam iuvenes hodiernos. Iidem autem parentes idcirco magis anguntur, quod communicationis subsidia apertissime edisserunt universas quaestiones ac difficultates in cunctis tam civitatis quam Ecclesiae vitae provinciis. Quamquam proinde eorum tanti revera interest ut liberi sui probe utantur iisdem instrumentis, fidere tamen iis debebunt, dum sibi persuadent filios suos, natos et adultos et institutos alia in societate, aliter nimirum armatos esse atque instructos adversus multiplices variasque impulsiones quas ipsi patiantur.

b) Communicatorum

71. Plures inveniuntur administri, qui, licet in communicationis socialis instrumentis expedite élaborent, consentanea tamen carent eruditione in artibus illis. Quorum autem ut opus excellens et praestabile fiat, idonea institutio flagitatur. Peropportune ideo contingere dicendum est, ut in altioribus studiorum sedibus magisteria communicationis socialis erigantur quae gradus academicos in ea doctrina concedant. Si autem communicatores curam gerant provinciae communicationis, prius oportet eos illius scientiam et usum assequi.

72. Nihilominus non ad cognitionem solam muneris, sed ad humanitatem ipsam informandi sunt communicatores. Quandoquidem instrumenta eorum humano generi famulantur, communicatoribus deliberatum esse debet hominibus semper deservire. Talem vero animum talemque serviendi alacritatem exhibebunt ii soli, qui comprehenderint vereque dilexerint homines ipsos. Ceterum eo maiore voluptate afficientur communicatores muneribus suis explendis, eoque plura afferent aliis hominibus commoda et emolumenta, quo plenius firmiusque sibi persuaserint ultra illa machinamenta, quibus voces eorum et imagines propagentur, vivere ac spirare singulos veros homines. Quanto igitur impensius cognoscere conabuntur publici fori membra et eorum aestimare ingenium animumque perspicere, tanto sollertius communicationes

suas aptabunt ad recipientium necessitates, sicque eo conferent, ut instrumenta augeant inter homines altiorem intellegentiam atque interiorem animorum communionem.

2. OPPORTUNITATES ET OFFICIA

a) Communicatorum

73. Oommunicatores sunt ipsi actores seu instimulatores illius colloquii, quod frequentatur in media hominum societate. Etenim praesunt commerciis, quae in quodam quasi orbe ingenti fiunt, quem reapse constituunt instrumenta communicationis socialis. Idcirco eorum est funditus et insigniter prospicere communicationis socialis finibus, hoc est, progressionem hominum omni multiplicique ratione provehere atque homines ad consuetudinem et veram communionem inter se adducere.

74. Quocirca dum argumenta eligent ad exhibendum, communicatores operam dabunt, ut universis populi requisitis consulatur locusque tribuatur conveniens variis opinionibus cuiusque multitudinis aliqua auctoritate vel pondere praeditis. Hoc autem ut feliciter eveniat, eorum interest in posterum praevidere, quinam demum spectaturi vel audituri sint communicationes peractas, atque cum eisdem utentibus iam ante consociari. Tantum eo modo valebunt communicatores se accommodare ad totius publici fori necessitates atque facultates secundum vitae aetates, societatis ordines, gradus humanitatis et culturae; et eo solo pacto, inter homines instructos et liberos et officiorum suorum conscios, maximus ille atque perpetuus sermo in humana societate instituetur, quem quidem serent ipsa instrumenta communicationis socialis.

75. Nuntiatores «vigilanti semper mentis intentioni et continuae mundi exterioris observationi addicuntur numquam desistentes per apertam veluti mundi fenestram ita introspicere, ut eventa, rerum proclivitatem, opinationes, summam totam studiorum atque ipsorum hominum multitudinem examinent » [14]. Quamobrem communicatorum non solum est veritatem factorum confirmare, verum praestantiora ex illis denotare per suas commentationes, significationem eorum eruere, necessitudinis rationes inter ea illuminare; sicque receptores adiuvabunt, ut quos nuntios permixte exceperint, in universum eventuum contextum atque in rectum existimationis ordinem ipsi remittant, indeque iudicia ferant et consilia capiant ad societatis vitam attinentia.

76. Communicatores oblivisci nequeunt ex ipsa rei natura fieri non posse quin magna et paene interminata hominum frequentia attingatur, cum proprie agatur de socialis seu generalis communicationis instrumentis. Dum ergo fideliter morem gerent ingenio et arti suae, cogitabunt uno tempore potentiam suam et officia sane gravia, quae secum illa infert; namque haec auctoritas eorum incredibiliter conducere potest hominum felicitati atque progressibus. Eadem illa operum aequitas atque iudicii integritas perficiet profecto, ut necessaria cum observantia respiciant minores etiam populi greges et numeros. Quod si aut iure aut re ipsa nonnulla instrumenta communicationis monopolio fruuntur, haec aequabilitas tanto vehementius postulatur, quoniam monopoliorum proprium est in diverbii locum subdere soliloquium.

77. Communicatores qui studiis solummodo mercatoriis et nummariis vel cupiditate popularis aurae, quae levis est brevique transit, artificia sua et opera dedecorant, non tantum pessime provident clientibus suis, sed serius ocius de fama et existimatione professionis suae multum detrahunt.

78. Ut proinde communicationes cuiusvis indolis semper versentur in summo honestatis utilitatisque gradu, et ut ipsi communicatores ad progressus faciendos adiuventur, critici iudices

partes sustinent pernecessarias; hi enim sunt velut domestici censores ipsius professionis, cum et illi etiam communicent. Per hoc censurae agendae munus praecurrere valent cunctos impetus ab exteriore parte profectus. Intellegere omnes sibique persuadere oportet integritatem probitatemque esse huius artis animam. Ideoque iustitiae sensu ac veritatis amore semper pulsi, significabunt aequabili et vero iudicio cum laudes et virtutes tum vitia et errata variarum communicationum. Hac enim sola ratione receptoribus vere utiles erunt, ut hi probe sciant istarum merita diiudicare. Momentum autem eorum functionis reapse creatricis non est putandum aequo minoris, praesertim cum subtilitas eorum ingenii et scientiae in artis opera penetrantis valeat significationes et divitias detegere, quae fugere possunt ipsos artifices. Ita tamen demissos critici sese praebeant, ut oculos receptorum nolint ab ipsis operibus iudicatis ad se averti.

79. Consociationes communieatorum studiis, crebro commercio, et mutuo auxilio expeditius ac melius difficultatibus suo muneri insitis occurrere valebunt. Sic insuper in collegia conglobati poterunt, a principiis certis rerumque experimentis profecti, componere vel conscribere disciplinam aliquam et codicem morum, quibus opera et incepta omnium communieatorum ordinentur secundum postulata universalis communicationis socialis. Quae vero normae et regulae actionis magis affirmare debent quam negare, nec tantum notare evitanda verum facienda suadere ad commodius ministrandum hominibus.

80. Machinamenta communicationis flagitant collocationem maximorum pecuniarum, ut ipsa pariantur et administrentur et cum progrediente societate pariter ambulent. Cum igitur accidat ut instrumentorum possessores et moderatores pecunias publicas vel privatorum civium recte obliqueve conquirant, homines pecuniosi vim ad eadem instrumenta valde salutarem adhibere possunt, si ita decernunt quibus inceptis opes suas suppeditent, ut non lucro tantum et quaestui prospiciant, verum genuino hominum emolumento. Ceterum, si idem praedivites intellexerint instrumenta communicationis eodem tempore negotia meritoria esse atque ministeria socialis cultus et humanitatis, certo ipsi prohibebunt, ne in legitima sua libertate communicatores, effectores, receptores interpellentur.

b) Receptorum

81. Quae omnia receptores hac in re perficere valent revera sunt plura et maiora — proindeque officia eorum etiam graviora — quam plerumque existimatur. Magna ex parte verum et genuinum colloquium dependet ab ipsis receptoribus; quod si illi taciti prorsus et muti tantummodo patiendo subeant communicationum impulsum, in unam dumtaxat partem dirigatur locutio nec vera reciprocetur, quantumvis enitantur communicatores dialogum instituere.

82. At iidem receptores actuosos quidem sese praebebunt, si bene interpretabuntur nuntios allatos, ponderandis illis et aestimandis secundum originem et totum contextum, si diligenter cauteque seligant acriter iudicantes, si periata indicia complebunt, cum necesse fuerit, aliunde repetitis notitiis, si denique non dubitaverunt aperte significare assensionem suam vel exceptionem aliquam et condicionem, vel planam improbationem.

83. Si vero quispiam obiecerit cives, qui publicum illud forum impleant, singulos seorsum parum omnino valere, ne is obliviscatur conglomérats eos et conglutinatos plurimum sane posse. Sicut ii qui pro munere suo communicationem socialem procurant, ita omnino vulgi cives debent se in circulos et sodalitates cum hoc solo fine colligare vel adiumentum adhibere aliorum institutorum, quae proposita consimilia sed ampliora persequuntur.

3. CONSOCIATA OPERA

a) Inter cives et auctoritates

84. Quoniam progressioni totius societatis consulunt instrumenta communicationis, idcirco universi cives et ipsi magistratus certo officio hac in re obstringuntur. Eorum videlicet interest vindicare communicandi libertatem et procurare condiciones necessarias, ut omnes hac in provincia agant cum plena munerum suorum conscientia, tum etiam ut revereantur personam humanam atque observent bona nationis propriae et omnium gentium.

85. Politica namque communitas postulat ante omnia, ut homines singuli et consociati sint ipsi auctores inceptorum, utque sui ipsorum moderationem gerant ac temperantiam uti communicatores et receptores. Utile est crebroque necessarium institui sodalicia, quae ad tale aspirent propositum.

86. Partes vero magistratuum hac in re expleri oportet maxime affirmando, non negando dumtaxat; eorum scilicet finis non ilico sic intellegenda est, ac si cohibeant solum et reprimant, quamvis ad castigandum vel admonendum necesse sit intercedere nonnumquam. Concilium autem Vaticanum Secundum explicat hominum libertatem, quantum fieri possit, percolendam esse et tutandam, atque tunc solum interpellandam, quoties et quatenus commune bonum id poposcerit [15]; censura proinde extremis solum continebitur casibus. Eaedem insuper publicae potestates obtemperare debent principio communicatae auctoritatis, seu subsidiarietatis, quam vocant, saepius a Magisterio Eccclesiae iterato: videlicet, ne ipsae suscipiant vel perficiant ea, quae singuli homines coetusve valent efficere et transigere tam bene, atque interdum melius, quam leges publicae.

87. Secundum hoc idem praeceptum leges ferantur oportet, quibus communicandi libertas protegatur una cum iure illo comperiendi, et quibus haec duo communiantur adversus vim et impetum oeconomicum, politicum, ideologicum, qui expeditam eorum exercitationem praepedire possunt. Leges item praestare debent et promittere civibus integram facultatem publice iudicandae totius administrationis instrumentorum communicationis, praesertim cum monopolium aliquod, maxime vero ipsius gubernii, ea regit. Dubium hodie non est quin subsidiorum usus disciplinam legum postulet, quae efficienter tutetur varietatem eorum et multitudinem a nimia coacervatione quam quaestuosa aemulatio urgeat et simul quoque defendat personarum atque consociationum dignitatem cultusque praestantiam, et operam denique det, ut condiciones impleantur quibus religiosa libertas per haec instrumenta exerceatur.

88. Praecipue suadetur, ut homines artem communicationis factitantes, vel aliae etiam hac in provincia sodalitates ultro ac sponte instituant conventus propriis normis firmatos, qui de cunctis rationibus huius operis consilia impertiant. Ad eosdem autem advocabuntur legati quoque variorum circulorum atque ordinum civium, qui in tota illa natione vel communitate inveniuntur. Sic fore speratur, ut ex altera parte arceatur interposita civitatis auctoritas et dominatus impulsionum oeconomicarum, ex altera vero mutua adiutrix opera ponatur inter ipsos communicatores, quo tandem plenius universa communicationis instrumentorum industria bono communi deserviat. Verumtamen aliquibus in locis necesse fortasse erit ipsos magistratus publicos erigere huius generis consilia munere invigilandi instructa, quae autem ex lege ita ordinentur ut diversarum communitatis partium mens et voces attendantur.

89. Quantum in eis est situm, legis mandata defendent iuvenes a magnis aliquando detrimentis diuque mansuris, quae communicationes quaedam inferre valent eorum animis atque iudicio

honestatis; in pueris et adulescentibus leges sustentabunt necessario auxilio operositatem didacticam familiae et scholae.

90. Similiter curabitur legibus aptis, ut congrue subveniatur inceptis, quae respiciunt usum instrumentorum communicationis socialis, quaeque manifesto prosunt bono communi — haec verbi gratia sunt varia instituta quae rerum nuntios disséminant, libri et scripta proprie ad docendum accommodata, cinematographea et transmissiones pro pueris confectae — quamquam ex talibus operibus vix expectari possunt lucra. Hoc tantumdem valet etiam ad ludos cinematographicos apparatissimos et primi ordinis, necnon scriptorum atque spectaculorum praestantes editiones, quae, quia definitis solum emptorum catervis dicantur, secus difficulter suscipi possunt.

91. Officia publicarum potestatum, ad communicationis instrumenta quod spectat, hodie iam amplectuntur totum orbem; etenim per conventa inter gentes prospiciendum est, ut communicationis subsidia perficiantur ubique et instituantur sine stirpium discrimine nulloque arrogato monopolio. Arte facti satellites ad eadem pacta internationalia pertinebunt. Hac ratione impertiri poterit omnibus populis dignus conveniensque locus in illa sermocinatione seu collocatione totius mundi.

b) Inter Nationes

92. Inter multiplices formas adiumenti internationalis, quod ipsa natura instrumentorum communicationis instantius efflagitat, peculiare quidem momentum habent illa auxilia, quibus eadem subsidia apud progredientes populos instituuntur ac perficiuntur. Nam privatio vel inopia instrumentorum communicationis indicia sunt tardorum societatis progressuum, quorum eadem indigentia effectus est simulque causa. Nulla natio maehinamentis communicationis socialis recentioribus vacua sibi comparare valet congruentem rerum cognitionem nec consentaneam institutionem, unde vicissim periclitatur rerum oeconomicarum, socialium, politicarum eius profectus.

93. « Progressio novum pacis est nomen » [16], edixit Summus Pontifex Paulus VI. Nationes ergo, quibus sint machinae et officinae opibus gignendis, oportet, sicut in aliis rebus ita in his subsidiis communicationis, subvenire populis inopibus atque egenis, ut ii ministros et curatores peritos praeparent, ac simul technicae artis auxilia suppeditare necessaria, quoniam in eos recidat non solum proprii boni et emolumenti onus, verum prosperitatis et commoditatis totius generis humani. Quod autem officium eo gravius premit, quo mirabilior et velocior increbrescit technicae potentiae auctus. Civitates illae ita aliis adiuvandae sunt, ut sedes institutionis de rebus communicationem attingentibus intra proprios fines exstruantur, ne videlicet istius disciplinae tironibus alio terrarum proficiscentibus magno cum patriae terrae detrimento illustria ingenia foris amittantur.

94. Hoc autem auxilium asseverare debet atque conservare plane tralaticios populorum mores et cultus consuetudines, rationes quoque sermonis et artis, quae tanta bona humana prae se ferunt. Opitulatio talis hac in re non quasi stips quaedam est nec eleemosyna, sed permutatio bonorum ad mutuo locupletandos omnes.

95. In gentibus, quae student prosperitatis augmento, et potissimum, ubi litterarum ignorantia plenum incrementum impedit, instrumenta ad auditum et visum nata valent felicissime partiri et dividere cognitiones utilissimas, quae prosunt agrorum culturae, societatibus machinariis et mercantibus, publicae saluti et valetudini, personarum instructioni, familiarum confirmationi, necessitudini ac menti sociali illorum populorum. Cum autem huiusmodi industria vix quaestuosa

sit ac lucrosa, invocari oportebit liberalitatem et munificentiam singulorum civium, sodalitatum privatarum, nationum opulentiorum, vel facultates institutorum ex omnibus gentibus.

c) Inter cunctos christianos, credentes, homines bonae voluntatis

96. Socialis communicationis instrumenta finem propositum minime assequentur — ut nempe suas conferant partes in hominum progressionem — nisi etiam cum instantibus generis humani quaestionibus et difficultatibus confligent atque spem nostri temporis firmabunt, simul provehenda amplissimam actionis communionem inter omnes homines qui credunt Deum viventem, praecipue vero, qui baptismate devinciuntur. Ita docet Concilium Vaticanum in documentis de oecumenismo et religionibus non-christianis [17].

97. Ceteroquin ipsi Christiani hodierna artis opera per communicationis instrumenta examinantes melius perspicere scient statum naturamque mundi huius temporis, qui a Deo est saepe disiunctus. Scaenici artifices et diurnarii hanc hominis alienationem significanter admodum depingunt, cum aptis ingenii et cogitationum viribus humanam libertatem extollunt. Quae quidem vis efiectrix atque peritia eorum optima causa est, cur gratus erga eos declaretur animus [18].

98. Fide vero sua infiammati homines credentes totius mundi efficaciter auxiliari valent communicationis subsidiis, non tantum ut inde progressus humani in societatis animique ordine fiant constantes, sed ut, tutore Providentissimo Deo, in prosperis condicionibus apparetur ille dialogus quam maxime sublimis et universalis, qui adducat homines ad fraternitatem propria vita melius exprimendam sub Deo Aeterno omnium Patre.

99. Adiutrix nimirum ista et communis opera plurimis rationibus significari ad effectumque deduci potest. Commemorantur nonnullae, quae statim omnibus praesto sunt: communes radiophonicae et televisificae transmissiones, suppeditata coniuncte instructio parentibus praesertim et iuvenibus, congressiones et collocutiones inter populos et ipsos communicationis procuratores, praemia communiter optimis operibus proposita, consortium inceptorum et pervestigationum scientiae; quae omnia eo spectant, ut quam sollertissime adhibeantur communicationis instrumenta, maxime vero ut informentur eorum administri et ut omnes gentes inter se iuribus aequentur.

100. Haec autem ut aliquando contingant, requiruntur commune agendi consilium et facultates opesque consociatae. In illam autem sententiam utilissimum quiddam suasit Concilium Vaticanum II, videlicet Diem Communicationis Universi Orbis. Homines cuncti, qui in Deum credunt, rogantur ut hanc ipsam diem precationis atque deliberationisstudiose agant, utpote cum difficiliores quaestiones et exspectationes futurae instrumentorum communicationis perquirantur, variorum subsidiorum curatores pro munere inter se congrediantur, novae copiae ac viae reperiantur ad opera et incepta instimulanda sicque proficiant generi humano communicationis inventa. Populo autem Dei, tum pastoribus tum fidelibus, cordi erit alacriter conspirare cum conatibus illis et studiis, quibus homines bonae voluntatis enituntur, ut communicationis socialis instrumenta ad iustitiam, pacem, libertatem, humanam progressionem plurimum conferant.

PARS TERTIA.

NAVITAS CATHOLICORUM QUOD AD COMMUNICATIONIS INSTRUMENTA

101. Cohortatur et incitat Catholicos Concilium Vaticanum II, ut acrius et attentius reputent nova illa mandata atque officia, quae secundum fidei doctrinam eis iniunxerint recentiora

communicationis socialis reperta. Sicut modo perstringebatur res breviter in parte prima, historia salutis ipsa comprobat munus sane egregium atque eximium socialis communicationis in Dei Conditoris et Eedemptoris opere, quod homines prosequi oportet. Dum igitur Ecclesia suum officium hac in rerum provincia interpretatur, componere simul in mente sua conatur fidei principia cum ipsis legibus intimis communicationis socialis. Et eo quidem modo satisfacit divinitus concredito muneri, videlicet universali illi curae pastorali, quae duplicem exhibet faciem progressionis hominum et Evangelii nuntiationis. In secunda autem parte huius instructionis explicabatur, quo pacto communicationis subsidia progressibus humanis obsecundarent, f avèrent, prodessent. Quid vero ad eos progressus adiciat res Christiana et Catholica, summatim attingetur hoc capite partis tertiae, quae tota locum eorum instrumentorum particulatim enucleet in vita Catholicorum fidelium.

Caput Primum

Catholicorum beneficia erga Communicationem Socialem

102. Si in animo habeant Catholici sociali communicationi per novissima instrumenta effectae revera deservire, quia haec vicissim ipsis hominibus famulentur, exstat atque apparet in animabus sane rebusque spiritus summa et maxima beneficia eis collocanda esse. Confidit enim Ecclesia spirituali sua praebenda utilitate futurum esse, ut primariae leges communicationis socialis clarius pervideantur diligentius que observentur, simul autem dignitas hominis tam communicatoris quam receptoris plenius cognoscatur sanctiusque tractetur, ut denique communicatio, qua homines fiant inter se proximi, reapse perducat ad communionem.

103. Quapropter ministri communicationis instrumentorum Catholici, qui perite artem suam factitant, ea re ipsa non solum implent egregium communicationis socialis officium, verum etiam definitas exsequuntur partes muneris, quod Christianos mundo addicit. Deinde, praeter hoc principale testimonium quod reddunt tamquam opifices atque administri in officinis vel consociationibus nulli religioni faventibus, sententias Catholicas aperient de omnibus causis hominum societatem sollicitantibus. Ita quoque ipsi adiuvare valent scriptores et praecones nuntiorum, ne vitae religiosae eventa, quibus afficitur totus populus, praetermittant sed ut partem seu faciem religiosam omnium eventorum illuminent. Manifestum est tales Catholicos ibi adesse, non quidem ut dominentur et imperent, sed ut sedulam operam navent, quae ob perspicuam excellentiam suam socios et collegas captet atque conciliet.

104. Communieatoribus Catholicis potestas est, ut auxilium spirituale ab Ecclesia recipiant, quod ad officium adeo grave et difficile omnino accommodatur.

105. Huius excelsae professionis eique insitarum difficultatum prorsus conscia Ecclesia cupit vehementer agere et colloqui cum communieatoribus cuiuslibet religiosae opinionis, ecquid ipsa possit conferre in communem illum conatum dissolvendi proprias eorum muneris quaestiones atque hominibus quam plurimum proiiciendi.

106. Episcopi autem et sacerdotes, religiosi et laici, quicumque scilicet Ecclesiae veluti personam quovis modo gerunt, magis concitantur in singulos dies, ut litterariae opero sitati laborem suum impertiant, utque in emissionibus radiophonicis, televisificis, cinematögraphieis loquantur atque compareant. Hanc quidem operam, ad quam ceterum s i mulandi sunt illi et excitandi assidue, effectus subsequi possunt omni opinione maiores. At ipsa communicationis instrumentorum natura efflagitat, ut qui ea adhibent scribendo loquendo agendo sint ipsi usquequaque exercitati in eadem illa arte. Officiorum propterea cuiusque nationis atque institutorum ad eum finem

spectantium interest, ut hisce subsidiis utentes vel aliquando usuri tempestive ac funditus perdoceantur.

107. Ecclesia instanter necessarium esse intellegit se praebere Christianae institutionis opportunitatem ipsis receptoribus. Quo faciendo bene etiam de communicatione sociali meretur, quoniam receptores praeclare docti poterunt valide serere sermones una cum instrumentis communicationis, atque eodem tempore postulare communicationes nobiliores et praestantiores. Scholas demum aliaque instituta Catholica addecet gravissimum suum hac in regione officium impensius perficere. Quibus in studiorum sedibus ita discipuli scientia exornabuntur, ut non solum boni lectores auditores spectatores evadant, verum ut ipsi hac «lingua totali» utantur, quae iisdem instrumentis usurpatur; itaque iuvenes plane fient cives aetatis communicationum socialium, quam hoc tempus praesens incohare videtur.

108. Cunctae autem res et rationes communicationis socialis suum quaeque obtinebunt locum in disciplinis theologiae, praesertim moralis et pastoralis, quoties eo spectat argumentum tractatum, ac secundum sua praecipua lineamenta in libris etiam catecheticis. Hoc autem congruentius multo continget, cum theologi ipsi ea, quae pars prima huius instructionis indicavit, altius subtiliusque pervestigaverint.

109. Parentes vero et institutores, sacerdotes et sodalitates Catholicae non dubitabunt ordinare et dirigere ad professionem communicationis socialis eos iuvenes, qui sibi eo inclinare ac propendere videntur necessariisque ingenii dotibus eminent. Ut talis praeparatio fructus afferat et meliores candidati provehantur, opus est auxiliis nummariis ad illud destinatis. In regionibus progredientibus summi interest, ut Episcopis nationum illarum succurratur adiumentaque sumministrentur ad candidatos rite instituendos et rerum ipso usu imbuendos eadem in regione.

110. Pro suo quemque officio necesse est Episcopos et sacerdotes, religiosos et religiosas, necnon laicorum coetus agere proprias partes ad Christianam institutionem hac in re, quae vero visionem socialem non praetermittat. Quam ob rem sua quoque sponte eos cognoscere atque continenter edoceri novissima oportet, id quod poscit familiaritatem quandam usumque directum subsidiorum communicationis socialis. Similiter eos una cum communicatoribus accuratius studebunt communicationis socialis quaestionibus, dum permutant inter se experientias rerum ac sententias.

111. Ne procul omnino a rebus vitae detineantur neve impares deinceps accedant ad munia apostolica, futuri sacerdotes et religiosi religiosaeque, cum in seminariis et collegiis instituuntur, recte addiscent quomodo haec subsidia humanam societatem afficiant, quaque ratione technica usurpentur. Haec cognitio pars integralis, ut dicitur, erit illorum institutionis. Etenim est condicio sine qua non potest quisquam efficaciter exercere apostolatum in hodierna mundi communitate, quae eis instrumentis plus movetur in singulos dies [1]. Necesse praeterea est sacerdotes et religiosi viri ac mulieres penitus noverint, quo pacto opiniones et sensus gignantur indeque aptentur huius aetatis adiunctis, siquidem Verbum Dei hodiernis nuntiatur hominibus et illa instrumenta eidem nuntiationi validissimum subsidium ministrant. Qui autem ex alumnis peculiarem proclivitatem et facultatem ostenderint haec inventa communicationis adhibendi, perfectius cohdocefient.

112. Aestimationes et iudicia transmissionum per radiophonium et telehorasim, necnon cinematographeorum et commentariorum imaginibus ornatorum utilissima esse possunt ad humanam atque Christianam institutionem absolvendam, tum etiam ad scienter decernendum instrumentorum usum praesertim in familiis. Qua in re maximi ponderis ducendae sunt aestimationes auctoritate ac scientia praeditae, quae iussu Episcoporum variis in locis ab

institutis peculiaribus eduntur de momento, utilitate, honestate, bono Christiano taeniolarum et transmissionum et scriptorum.

113. Universitates denique studiorum et aliae institutiones Catholicae studiose magisteria sua excolent et perficient, in quibus opera atque investigationes docte peragentur de communicatione sociali. Propositum autem eorum erit, ut omnia doctrinarum reperta illuc pertinentia in unum congerantur, ut adiumenta ad inquisitiones facile suppeditentur, ut demum cognitiones comparatae pervulgentur in commodum eruditionis Christianae; quem ad finem ipsae universitates studiorum stipibus et pecuniis indigebunt aliorum, et cum ceteris institutis operabuntur.

Caput Secundum

Communicationis instrumentorum beneficia erga catholicos

1. PUBLICA OPINIO ET MUTUA AUCTAQUE COMMUNICATIO IN VITA ECCLESIAE

114. Sedulo laborat Ecclesia, ut amplificetur et confirmetur consortionis vinculum inter fideles suos; quamobrem communicatio atque collocutio plane sunt Catholicis necessariae. Ceterum versatur Ecclesia intra ipsam hominum societatem, quacum altiore ratione iungatur oportet per dialogum et necessitudinem. Haec autem proposita sermonis et communionis assequitur Ecclesia nuntiis cognitionibus que rerum permutandis, publica opinione intus et extra animadvertenda, colloquio cum et in mundo huius temporis habendo, dum hominum solvendis difficultatibus communis tribuitur opera.

a) Dialogus in Ecclesia ipsa

115. Quoniam vivum est corpus Ecclesia, opinione publica eget, quae colloquio inter membra sustentatur; namque haec condicio est progredientis cogitationis atque actionis eius. «...Vitae eius aliquid desit, si publica opinio deficiat, cuius rei culpa in pastores ac fideles derivetur » [2].

116. Idcirco necesse est conscii penitus sint Catholici illius verae libertatis eloquendi cogitata mentis, quae quidem in « sensu fidei » et in caritate ponitur: in sensu fidei, qui a Spiritu veritatis excitatur et sustentatur, ita ut Populus Dei sub ductu sacri magisterii, cui fideliter obsequens semel traditae sanctis fidei indefectibiliter adhaereat, recto iudicio in eam profundius penetret eamque in vita plenius applicet [3]; in caritate autem, unde eadem libertas ad communionem libertatis Christi extollitur, qui nos peccatorum nexibus expediens idoneos fecit, ut libere iudicare valeremus secundum eius voluntatem. Potestates, quas penes hoc est, curabunt et providebunt, ut legitimarum opinionum commercium libertate sermonis mentisque intra Ecclesiam frequentetur; normas proinde constituent condicionesque edicent huic congruentes fini [4].

117. Latissimus revera patescit campus ille, ubi intima Ecclesiae collocutio explicatur. Tametsi veritates fidei ad ipsam attingunt essentiam eius neque ullo modo possunt permitti uniuscuiusque liberae interpretationi, tamen Ecclesia procedit per generis humani historiam; proinde ad peculiaria temporum locorumque adiuncta sese accommodare oportet necessariis capiendis consiliis, tum ut fidei veritates aeque demonstrentur diversis aetatibus atque humanitatis et cultus generibus, tum ut mutantibus temporibus atque condicionibus aptetur actuosa eius opera. Quamdiu ergo singuli Catholici Magisterium sequuntur, possunt illi et debent libere inquirere, ut veritates revelatas altius interpretentur vel melius variis mutabilibusque societatibus exponant. Haec vero libera sermocinatio in Ecclesia non tantum non nocet cohaerentiae et unitati eius, verum ob expeditum cursum publicae opinionis favere et proficere valet concordiae communique consilio. Ut autem rite alatur et prosperetur hoc colloquium,

maximi refert caritatem percoli assidue in ipsa dissensione atque vehementem omnibus inesse cupiditatem firmandae et servandae consociationis omniumque conspirationis. Verumtamen agere oportet cum vera aedificandi non diruendi voluntate atque simul cum flagranti erga Ecclesiam amore et studio coniunctionis, quam Christus uti signum verae Ecclesiae indeque verorum fidelium habuit [5].

118. Hac de causa ne omiserint distinguere inter provinciam inquisitionis scientiae, ubi homines vere periti libertate fruantur suis operibus necessaria quaeque eis permittit ut pervestigationis fructus per commentationes suas et libros cum aliis communicent, atque provinciam eruditionis fidelium, ubi eas tantum doctrinas liceat proponi tamquam Ecclesiae proprias, quae a magisterio authentico, quod appellatur, uti tales denotentur, et praeterea illas sententias quae ut tutae proferri iam possint. Quoniam vero ex ipsa communicationis instrumentorum natura evenit, ut novae opiniones theologorum quandoque praematurae et saepius extra locum suum vulgentur, receptores illas opiniones, quae non sint confundendae cum doctrina authentica Ecclesiae, critice perpendere oportet; praeterea reminiscentur crebro sensum earundem opinionum ipso proponendi genere et lingua instrumentorum populari graviter detorqueri.

119. Sicut opinionis publicae incrementum in Ecclesia pernecessarium agnoscitur, ita vicissim fidelibus singulis potestas et facultas est omnino comperiendi universa illa, quae opus sunt ad actuosas partes in Ecclesiae vita sustinendas. Hoc autem poscit ut praesto sint communicationis instrumenta non tantum varia atque late divulgata, sed etiam, si necesse visum fuerit, Catholica, dummodo optime aptentur ad munus eorum adimplendum.

120. Consentanea vitae ac munerum perfunctio in Ecclesia postulat, ut cognitionum et indiciorum continuum flumen inter auctoritates ecclesiasticas cuiuslibet gradus et catholicorum instituta et ipso fideles intercurrat in utramque partem idque fiat per totum mundum. Quod quo plenius contingat, opus sunt variae institutiones (ministeria nuntiorum, publici interpretes, congrediendi loca, consilia pastoralia) subsidiis necessariis dotatae.

121. Quotiescumque tractatio negotiorum in Ecclesia secretum exigit, normae generales, quae in civitatis institutis hanc rem tangunt, erunt pariter observandae. Ex altera vero parte divitiae spiritus, quas Ecclesia ipsa significat, expetunt ut nuntii quam integerrimi, verissimi, apertissimi proferantur de propositis eius et multiplici navitate. Ideo, cum religiosae auctoritates tales nuntios disseminare nolunt vel ex se ipsi non valent, ansam ilico dant ad rumores potius exitiosos circumferendos quam ad rei veritatem illustrandam. Secretum igitur continendum est et coartandum solis necessitatibus famae existimationisque alicuius hominis aut aliis iuribus singulorum vel coetuum.

b) Dialogus inter Ecclesiam et mundum

122. Sermocinatio Ecclesiae non solos complectitur fideles, verum universum orbem. Doctrinam suam et res gestas oportet Ecclesiam ostendere ob ius cognoscendi omnibus filiis terrae tributum, quorum ipsa sit particeps fortunae, et ob clarum mandatum divinum [6]. Praeterea, ut docet Concilium Vaticanum II, debet ea « legere signa temporis », quippe quae modus sint etiam divinus loquendi et documentum Providentiae explicantis Historiam Salutis. Necesse igitur est Ecclesiam novisse quomodo cuncti coaetanei, non tantum Catholici, eventis et cogitationibus recentioribus respondeant. Quantum autem communicationis socialis instrumenta perferunt atque aperiunt responsiones illas, tantum conferunt in maiorem Ecclesiae scientiam.

123. Quicumque in Ecclesia potestatem gerant, eos per communicationis socialis subsidia annuntiare veritatem plene et continenter oportet simulque contendere, ut genuina pingatur

imago Ecclesiae eiusque vitae. Cum instrumenta haec saepe unicus sint trames et fons nuntiorum inter Ecclesiam et mundum, si quando ipsa neglegantur, tunc talenta a Deo tributa defodiantur revera in terris. Si confidit Ecclesia et sperat procurationes nuntiorum et ipsa communicationis instrumenta aliquando animos intentura esse ad argumenta religiosa eaque pertractatum esse omni cura quae naturae illius quaestionis congruat, ex sua parte notitias completas, accuratas, veras exhibere debet atque offerre hisce institutis, ut munere suo usquequaque bene perfungi valeant.

124. Quae omnia supra [7] enuntiata sunt, hic de cognitionibus et commentariis rerum in vita Ecclesiae gestarum plenam vim suam exserunt. Unde sequitur, ut etiam experientes Ecclesiae rectores difficultati isti sua providentia antevertere debeant neve alios patiantur sibi primum motum et conatum eripere. Expedit denique consulta ecclesiastica et sententias maioris gravitatis certis quibusdam hominibus prius innotescere, qui autem vetentur ne ante tempus praestitutum divulgent, ut illa possint deinceps ordinatim explanari et illuminari Ecclesiae commodi causa.

125. Tribus itaque modis instrumenta communicationis socialis attinent ad Catholicos: adiuvant Ecclesiam ad sese mundo hodierno aperiendam; colloquium dein provehunt intra eam; eandem postremo commonent mentis et hominum nostrae aetatis, ad quos ipsa iussa est a Deo nuntium salutis perferre, eo autem utens sermone quem ii intellegerent illisque proficiscens a quaestionibus, quae genus humanum turbarent et angerent.

2. INSTRUMENTA COMMUNICATIONIS EVANGELII PROPAGATIONI UTILIA

126. Praecepit Christus Apostolis eorumque successoribus, ut ducerent «omnes gentes» [8], ut essent «lux mundi» [9] ut Evangelium proclamarent omni tempore ac loco. Quemadmodum igitur Christus ipse prae se tulit perfectissimam formam et speciem « Communicatoris » in vita sua terrestri, et sicut Apostoli quoque usurpaverunt subsidia communicationis, quae tum praesto erant, ita omnino apostolicum munus nostro etiam tempore exsequendum est auxilio consiliorum atque instrumentorum, quae recentius inveteraverunt. Non igitur quisquam existimari poterit fidelis erga Christi mandatum, si opportunitates et utilitates praeterierit, quae importantur his instrumentis, ut scilicet ad homines quam plurimos perveniant instituta ac praecepta evangelica. Exinde Concilium Vaticanum II hortatur Catholicos: «ut instrumenta communicationis socialis, nulla interposita mora et maxima adhibita industria, efficaciter in multiplicibus apostolatus operibus... usurpent » [10].

127. Quam sit necesse haec ita agere, apertius patebit cuilibet reminiscenti homines vere circumdari hodie et paene mergi abundantia communicationum socialium, quae perpetuo informent eorum opiniones animique habitus tam in provincia religiosa quam ceteris in rebus.

128. Eecentiora inventa pandunt novas rationes et vias, quibus homines ipsi obviam ferantur nuntio evangelico, quibus dein permittatur Christianis procul etiam commorantibus interesse sollemnibus ritibus ecclesiasticis unde tota Christianorum communitas propius cohaereat, quibus omnes postremo invitantur ut intimae participes fiant Ecclesiae vitae. Vix dicere attinet rationem haec omnia proponendi convenire oportere cum peculiari indole instrumenti usurpati. Alia namque est lingua instrumentorum, pulpitorum alia. Neque satis graviter instari potest et moneri praestantiam et excellentiam horum operum religiosorum aequandam esse omnino cum profanis operibus instrumentorum communium.

129. Utilissima praeterea haec instrumenta sunt ad omnibus Christianam facilius praebendam institutionem. Namque in auxilium peritos advocare valent educationis religiosae earumque

causarum in quas pro re nata inquiritur; praesto similiter habere possunt omnem ornatum et apparatum technicum, quo res cum delectatione arteque recentissima exponantur. Pro sua etiam quodque natura conducere valent universae religiosae educationi renovandae conatibusque magistrorum ordinariorum adiuvandis. Quoniam deinde eadem subsidia usitatae sunt nuntiorum viae, qui animum ac mentem hominum istius aetatis recludunt, efficere simul possunt, ut, cotidianis eventis et quaestionibus excutiendis, eximiae dentur occasiones perducendi Christifidelis ad fidei propriae fundamentorum contemplationem, unde intellegat quomodo ipsa applicetur praesentis vitae actioni.

130. Nostri temporis homines ita assuefacti sunt blandissimo maximeque ingenioso loquendi suadendique genere communicationis socialis, ut vix tolèrent deterius genus in publicis spectaculis eoque minus in operibus religiosis uti ritibus liturgicis, contionibus, Christianae doxtrinae institutionibus.

131. Ut ergo doctrinarum fidei traditio et explanatio consueta animos audientium revera alliciat teneatque potenter, communicationis instrumenta adhiberi convenit quantum fieri potest, atque ipsa ad linguam et modum hodiernae communicationis socialis accommodari.

132. Valet Ecclesia mentem suam et sententiam declarare tum per inventa communicationis, quae ipsa non possidet tamen usurpare potest quibusdam sub condicionibus, tum, si ita res sese habent, per ea, quae recta via administrat et moderatur. Aliae condiciones aliis in nationibus et instrumentis sunt implendae. Auctoritatum vero religiosarum est sodalibus sui operis recta consilia dare, postquam peritos illius loci et nationis et, si casus fert, ex pluribus gentibus sollerter consuluerunt.

133. Multiplex haec navitas et industria Catholicorum, qui incumbunt in progressionem humanam secundum Evangelii praecepta, quique communicationi sociali suffragantur atque libenter utuntur subsidiis a providentissimo Deo ministratis ad proprios fines, efflagitat opes quidem et facultates nummarias maiores. Catholici fideles rogantur, ut sui oneris et officii in re conscii semper sint eique satis faciant perseveranti liberalitate, « cum prorsus dedeceat Ecclesiae filios desides pati verbum salutis alligari ac praepediri... » [11].

134. Dum ponderant augescens in dies momentum instrumentorum socialis communicationis ad vitam generis humani universim et ad Ecclesiae vitam nominatim, Coetus Episcoporum obsecrantur ut multo magis quam nunc plerumque accidit attribuant his argumentis actionis pastoralis in regione communicationis principem locum in ordinanda illa « Summa Pastorali », atque, pro locis suis et omnium gentium necessitatibus, destinare eidem proposito pecunias congruentes. Caput Tertium Industria et opera catholicorum in singulis instrumentis

135. Iam primum edisserta fuerat Catholicorum industria, quae ex uniuscuiusque conscientia munerum omnibus quidem communicatoribus communium proficiscitur atque religiosa fide stabilitur [12]. Ponderata deinde sunt generatim et universe officia proprie Catholica in eadem hac rerum provincia [13]. Nunc postremo restat, ut pro quoque communicationis subsidio singillatim eadem munia explicentur tam in ipsorum Catholicorum institutis quam in alienis, quae vero ad eiusdem generis opera peragenda suppeditant Catholicis sua instrumenta.

1. SCRIPTA PRELO EDITA

136. Opus preli ex sua ipsius natura atque proprietatibus vindicat sibi plurimum gravitatis et ponderis. Ob flexibilem suam varietatem et argumentorum ubertatem haec opera minutissimas eventuum res ac rationes pervestigare potest dilatando et explicando, dum uno tempore excitat

impigram legentis deliberationem cupidinemque discendi stimulat. Cum validissimum complementum est reliquorum instrumentorum visui audituique natorum, tum congruenter valet exacuere criticum sensum hominumque informare iudicium. Quoniam adeo varia tractare potest et rerum considerationem tam egregie sustentare, magni quidem momenti organum colloquii socialis est. Nostris praeterea diebus libelli exiles atque libri sola ex charta confecti universis hominibus porrigunt in manus monumenta religiosa, opera prestantissima ex omnium gentium litteris, scripta artis technicae et scientiarum, at potissimum lectiones ad animi oblectamentum apprime ordinatas. Imagines denique lineares atque narratiunculae speciebus còllustratae summam pepererunt utilitatem^ etiam in explicandis Libris Sacris et vitis Sanctorum enarrandis. Quae omnia preli beneficia studium merentur atque incitamentum.

137. Litteraria Catholicorum navitas, quae acta diurna, commentarios, alia scripta statis temporibus foras danda complectitur, efficacissimum esse potest instrumentum, quo mundus Ecclesiam et Ecclesia vicissim mundum comprehendat cognitionibus permutandis atque ministeriis publicae opinionis adhibendis. Cavebitur tamen ne vis operum Catholicorum iam exstantium debilitetur multiplicatis inconsulte novis inceptis.

138. Catholicorum scriptorum opera contemplatur universum orbem et totum campum nuntiorum, commentariorum, opinationum de quovis latere aspectuque hodiernae vitae deque cunctis difficultatibus et quaestionibus, quibus obicitur homo nostri temporis, sed sub luce Christiani vitae prospectus. Eius similiter interest conficere et, si fuerit necesse, emendare relationes seu narrationes religionem atque Ecclesiae vitam spectantes. Eodem igitur tempore mundum referet tamquam speculum, ipsumque illuminabit tamquam lucerna; erit insuper locus congressionis atque commercii sententiarum. At necessariis facultatibus et opibus indigebit, ut peritiam muneris et excellentiam assequatur citra omnem controversiam.

139. Una autem cum hac Catholicorum litteraria professione exsistant oportet sedes seu procurationes apparatissimae notitiarum quas ipsi Catholici administrent ut sermoncinatio intra Ecclesiam atque inter mundum et Ecclesiam feliciter progrediatur, ut beneficia afferantur plane « professionalia », quae dicuntur, ut continenter nuntii praebeantur recentes completi fideles de vita Ecclesiae. Hae insuper nuntiorum procurationes opus suum exsequentur mutuo ferendo auxilio per universum orbem, ut videlicet res novae ubique locorum colligantur et quoquoversus diffundantur.

140. Admonentur et incitantur fideles ut pro more lectitent scripta officio Catholicorum exarata, modo sint nomine Catholico vere digna, non tantum ut omne novum Ecclesiae comperiant sed ut mentem Christianam hauriant ex eorum commentationibus. Nihil autem hinc detrahitur de cuiusque libertate legendi neque de legitima varietate consuetudinum loci et sententiarum aliorum scriptorum. Ut autem Catholici scriptores hunc favorem et benevolentiam mereantur, veram prae se ferant oportet perfectionem atque praestantiam artis.

141. Cum cotidiani eventus proponunt singulares quaestiones, quae ipsam naturam Christiani sensus afficiunt, eas interpretari conabuntur auctores Catholici secundum Ecclesiae magisterium. Ceterum clerus et laicorum ordo liberam fovebunt opinionum declarationem magnique facient multiplicem varietatem scriptionum atque cogitationum, non tantum quia variis negotiis et utilitatibus legentium respondent variisque eorum curis subveniunt, verum quod gignunt aluntque opinionem in Ecclesia et mundo [14]. Munus est commentariorum Catholicorum, qui tamquam publicae voces existimantur auctoritatum aut institutorum Ecclesiae, secundum usu receptas leges et consuetudines « preli » assidue contendere, ut illius sodalitatis vel instituti mentem enuntient et patefaciant, cuius ipsi sunt publici praecones. In aliquibus tamen cuiusque

libelli paginis tribui potest libere scribendi copia et facultas, ubi liquido constat collegium vel sodalitatem, quae commentarios edat, sese haudquaquam admiscere ad aliquam quaestionem, de qua adhuc disceptetur.

2. CINEMATOGRAPHEA

142. Ludi cinematographici locum suo prope iure obtinent suasque radices capiunt in ipsa vita hominum, magnamque vim adhibent ad eorum educationem, humanitatem, animi remissionem, rerum scientiam. In eis auctores taeniarum locum deprehendunt, ubi hodie mentem suam aptissime révèlent de mundo universo. Technicae autem artis profectus qui spectatorum animos magis ac magis pelliciunt, necnon aucta facultas comparandorum parvo impendio apparatuum quasi praesagiunt et pollicentur multo frequentiorem ac latiorem usum taeniarum. Hinc pariter proficiscetur amplior cognitio et doctrina de argumentis cinematographicis.

143. Ad animarum curam quod spectat, huius generis progressiones sollertissime sunt ponderandae, quandoquidem maxime propter communem operam inter civitates et populos inferunt illae admirabilem opportunitatem instrumenta cinematographica ad incepta apostolica adhibendi; citius enim et facilius quam ante taeniae ipsae conflantur, diversis hominum necessitatibus rerumque adiunctis dicantur, denique ostentantur non solum in magnis sed in parvis etiam conclavibus, quin immo inter parietes privatos.

144. Complures taeniae suam persuadendi vim comprobant ad illa enodanda argumenta, quae hominis prosperitatem maturant animumque eius ad superna extollunt. Id genus opera admodum digna sunt, quae ab omnibus animadvertantur laudibusque celebrentur. Item peculiares in Ecclesia sodalitates hac in arte potissimum versatae auxilio et studio suo adstabunt iis, qui taenias eximias conficiunt easque promovebunt. Qua de re omnino reminiscendum est plurimas ex taeniis, quae omnium consensione habentur iam eximia monumenta artis, pertractavisse argumenta plane religiosa. Id quod sine dubio probat cinematographeum esse adiumentum omni ex parte accommodatum ad talia argumenta nobilius explicanda. Hoc tandem vehemens est incitamentum ad eiusdem generis spectacula apparanda.

145. Consociationes Catholicorum hac re cinematographica exercitatae consilia iungent operamque sociabunt cum reliquorum instrumentorum Officiis ut sollertius praeparentur, distribuantur, usurpentur spectacula, quibus nova inventa imbuantur principiis religiosis. Dum autem hoc facient scienter, adhibebunt etiam doctrinis religionis tradendis multiplicia nova reperta, quae minore comparantur pecuniae impendio, uti sunt phonographici orbes, taeniolae sonorae et visificae, apparatus imaginibus immotis vel mobilibus necnon vocibus asservandis iisque iterandis.

146. In regionibus, ubi illitterati plerumque incolunt homines, taeniae cinematographicae reapse efficiunt, ut non solum litterarum saltem elementa illi ediscant, verum religionis etiam disciplinas. Imaginibus enim vehementer commovetur et trahitur homo litterarum nescius, quoniam per eas facilius consequitur res et cogitationes. Conatus et studium humanae christianaeque nobilitatis provehendae nequit validissima haec instrumenta et subsidia neglegere. Elucet autem huius propositi gratia taenias rationem ducere debere singulorum populorum mentis et animi culturae.

147. Quoniam ii qui cinematographicam artem factitant haud parvis implicantur sui muneris difficultatibus, omnes Catholici cumprimisque Consociationes catholicae eidem proposito adlaborantes libenti animo colloquia frequentent cum eis. Hae familiaritates luculenter ostendent artem illorum hominum uti pulchram et praestantem professionem putari, cum omnes sibi persuaserint hoc artificium hominum utilitatibus summopere prodesse.

3. RADIOPHONIUM ET TELEHORAMA

148. Radiophonicum et televisificum inventum novam hominum societati facultatem attulit inter se communicandi novamque induxit vivendi rationem. Plures cotidie regiones mundi attingunt illae transmissiones atque puncto temporis veteres fines civitatum et humanitatis formarum transgrediuntur; in domos communicationes intrant et qui eas administrant innumerabilium hominum animos et mentes simul captant. Repentini artis technicae progressus, atque ii praesertim qui invexerunt emissiones per satellites facticios, necnon potestas asservandi iterandique aetas pridem transmissiones, liberaverunt haec instrumenta vinculis et limitibus locorum ac temporum. Spem insuper proponunt fore in posterum ut maiora eveniant et potentiora. Radiophonium ac telehorama copiam audientibus spectantibusque faciunt utendi otio atque eodem tempore animi culturae historiae universi orbis percipiendae. Telehorama autem praeprimis homines, eventus, res constituit ante oculos plurimorum tamquam si illi ipsi adsistant. In iisdem demum radiophonicis et televisificis communicationibus novae generantur formae artium, quae ipsum hominem immutare valent.

149. Rationes et aspectus religiosi vitae humanae suum pro re nata locum habebunt in transmissionibus cotidianis.

150. Variae emissiones religiosae, quas ipsamet radiophonii ac televisionis natura effici patitur, nova excitant inter fideles commercia eorumque pietatis ac religionis vitam mire locupletane Vim etiam magnam habent ad eos religiose instruendos et adiuvandos, ut Ecclesiae et mundo strenue impenseque operentur. Iis etiam prosunt, qui ita aegri sunt aetateve provecti ut impediantur quominus vitae ipsius Ecclesiae sint directo participes; necessitudinem tandem cum plurimis illis instituunt hominibus, qui, etsi ab Ecclesia eiusque compage distant vel etiam disiunguntur, spiritualem alimoniam inscii expetunt. Evangelicum denique nuntium in regiones perferunt, ubi Christi Ecclesia nondum explicat opus suum. Oportet proinde enixe operam det Ecclesia, ut tales transmissiones in singulos dies perficiantur novisque ditentur artificiis.

151. Inter transmissiones religiosas optabiles quidem et consentaneas Missarum Sollemnia aliaque Sacra annumerantur. Necesse est tales quam maxima apparari diligentia, quod ad liturgiam videlicet atque dispositionem technicam attinet. Eatio quoque habenda est multiplicis spectatorum generis, et, si transmissiones alicuius nationis fines transibunt, opinionum religiosarum et consuetudinum, quae in aliis locis obtitinent. Harum emissionum numerus et longitudo morigerabuntur optatis etiam spectatorum.

152. Sermones sacri et orationes congruere debent cum peculiari usurpati instrumenti natura. Ii autem, qui ad hoc obeundum destinabuntur officium, prudentissime et accuratissime deligentur, nec vero antequam debitam sibi scientiam usum consuetudinem comparaverint.

153. Religiosae transmissiones, uti narrationes, cómmentationes, nuntii, disputationes radiophonicae atque televisificae, plurimum valent ad institutionem et collocutionem. Quod autem supra de litteraria Catholicorum opera praeceptum est, ad hanc partem est similiter applicandum. Normae universales de fideli sinceraque opinionum diversarum enuntiatione tunc praesertim ad effectum sunt deducendae, cum haec instrumenta in aliqua regione gubernantur et administrantur vero monopolio.

154. In horum instrumentorum administris et procuratoribus ecclesiasticis atque etiam laicis homines publici fori intuentur legatos et interpretes ipsius Ecclesiae. Quamobrem ii, qui partes gerunt in huius generis transmissionibus, cognitam habere debent hanc rerum condicionem et proclivem confusionem omnibus viribus e medio tollere conabuntur. Conscii sibi erunt officii sui

gravitatis, quoad cogitationes quas declarant, et rationem qua illae exponuntur, et totum modum agendi. Eos denique oportet in consilium adhibere auctoritates ecclesiasticas legitimas, quoties hoc tempestive fieri potuerit.

155. Proprio significando iudicio auditores et spectatores in melius corrigere studebunt religiosas transmissiones.

156. Ut validae Ecclesiae navitati in radiophonii et televisionis usu prospiciatur, quod ad transmissiones universim spectat et religiosas praesertim, opus est consociata opera mutuaque fiducia inter catholicos, huic muneri praepositos, et eos technicae artis peritos, quorum refert spectacula televisifica et nuntiationes radiophonicas fabricari vel disseminare.

157. In iis nationibus, in quibus prohibetur Ecclesia quominus socialis communicationis instrumentis utatur, auditio transmissionum religiosarum per undas radiophonicas unicum est Christifidelibus consilium, quo de vita universae Ecclesiae certiores fiant Deique verbum auscultent. Talis adversa condicio grave officium tum sacris animarum pastoribus tum ipsis fidelibus aliarum regionum iniungit, ut voluntates et animos cum iis alacriter socient, quemadmodum Christiana solidarietas, quam appellant, requirit, utque eisdem in Christo fratribus auxilientur apparandis emissionibus radiophonicis vel televisificis, quarum argumenta religiosa eorum necessitatibus respondeant.

4. SCAENICI LUDI

158. Scaena ac theatrum, quod unum est ex vetustissimis valentissinlisque communicationis humanae generibus, maximam hodie assiduitatem et frequentiam ingentem spectatorum nanciscatur, qui et fabulis praesentes intersunt et per radiophonicum televisificumve instrumentum spectant. Nonnullae etiam fabellae scaenicae sunt iam in taenias cinematographicas relatae.

159. Opera theatri cum ceteris communicationis subsidiis coniuncta novas aperuit ludorum scaenicorum significationes, quas iure « multimedia » saepius vocitant. Tametsi emanant ex communi solitoque theatro, aliquid tamen suum ostendunt et proprium. Praeterea quandam quasi conspirationem efficiunt inter multiplices facultates, quae praesto sunt cuique communicationis artificio.

160. Hodiernum denique theatrum crebro occupat provinciam cogitationum mentisque notionum fitque veluti officina, unde oriuntur novae atque audaces sententiae seu ideae de huius temporis hominibus eorumque condicione terrestri. Horum autem inceptorum et consiliorum vis maiores semper auditorum multitudines permovet, atque ad omnia se propagat socialis communicationis instrumenta.

161. Ecclesia propensa voluntate et studio prosequitur scaenicam artem, quae videlicet ab initiis coniungebatur paene tota cum rebus et argumentis religiosis. Pristino illo favore hodiernos quoque Christianos fideles theatrum amplecti oportet similesque ex eo percipere utilitates omne genus. Scriptores vero scaenici adiuvandi sunt et cohortandi, ut religiosas sollicitudines nostrae aetatis in scaenam producant; quod inceptum saepenumero principium est latioris propagationis per reliqua communicationis subsidia.

Caput Quartum

Apparatus, ministri, ordinatio rerum

162. Tum locus, quem instrumenta communicationis socialis in hominum vita et fortuna obtinent, tum ea quae ipsis effici valent, tum etiam quaestiones quas conscientiae Catholicorum proponunt — haec omnia postulant, ut illa diligenter convertantur in curae pastoralis commoditatem et profectum, ut peritia et facultas administrorum exercitatissimorum adhibeatur, ut consentanea ordinatio consiliorum pastoralium provideatur, quae necessariis auxiliis iuribus opibus instruantur, ut denique variae consociationes devoveantur apostolatui formis specialibus exsequendo.

163. Cordi ceterum erit fidelibus universis, ut precibus suis atque adiumento singulari communique ad illud conducant, ut hisce temporibus munus Ecclesiae expediatur per instrumenta communicationis recentissima et usu sane optima ad Evangelium propagandum, conscientias hominum illuminandas, operam sociam disponendam, quae progressibus revera prosit, quoniam rerum temporalium ordinem Christiano impleat sensu.

164. Cum mente omnino pastorali interesse seseque addicere oportet congruenter institutos curatores seu ministros organis et inceptis ad communicationem socialem pertinentibus. Praeparatio administrorum laicorum atque ecclesiasticorum unum est ex officiis praecipuis eorum, qui Ecclesiae munus hac in re communiter praestant.

165. Diligens consideratio totius regionis instrumentorum communicationis socialis, prudens dispositio navitatis pastoralis, sciens ordinatio eorundem instrumentorum in omni apostolatus opere spectant, ut par est, ad curationem atque inspectionem ecclesiasticorum moderatorum, qui autem adniti debent ad monita et consilia peritorum in diversis partibus eximie experientium. Secundum normas Decreti « Inter Mirifica », hoc moderatorum munus competit Episcopis sua cuique in dioecesi [15], peculiari Episcoporum Coetui vel cuidam Episcopo ad idem officium delegato in quaque natione [16], Pontificio autem Consilio instrumentis communicationis socialis praeposito in universali Ecclesia [17].

166. Multiplicia coepta atque consociationes, quae munia apostolica obeant in re communicationis socialis, oportet incremento magno provehantur, et arcte inter se cooperentur [18]. Auctoritas ecclesiastica studiose et crebro incitabit Catholicos eorumque sodalitates ad opera libere sponteque ineunda; moderationem tamen talium coeptorum sibi reservabit, quae sacerdotio ministeriali suapte natura congruunt, sicut et eorum, quae secundum temporum locorumque adiuncta deposcunt hierarchicam muneris perfunctionem in commodum fidelium.

167. Ecclesiasticae auctoritates, quarum interest, de quibus agit numerus 165 supra, operam dabunt et auxilium iis omnibus, ad quos res spectat, ut quotannis praeparetur atque celebretur ubique terrarum dies peculiaris communicationum socialium, in quo gratiae quoque habebuntur et aestimatio significabitur iis, qui communicationis socialis subsidiis invigilant [19]; praeterea statis temporibus Conferentiis Episcopalibus exhibebunt sumptuum aestimationes ad opus apostolatus sustentandum in rebus communicationis socialis.

168. Episcopos locorum incumbere oportet operi apostolico in provincia communicationis, adhibito sacerdotum vel laicorum consilio fieri potuerit, officium dioecesanum vei saltem interdioecesanum constituatur. Unum ex muneribus eius praecipuis erit rationes pastorales eo spectantes intra dioecesim componere atque etiam in paroeciis ipsis ordinare. Aliud autem erit memoratum diem pro communicationibus socialibus in dioecesis finibus parare.

169. In quaque natione esto aut unum officium nationale praefectum omnibus instrumentis communicationis peculiaribus cum officinis coniunctis aut sedes singillatim distributae cuique

rerum provinciae (scriptis, cinematographeis, radiophonio, telehoramati), quae tamen arcte inter se operantur [20]. Quidquid est, totum opus subdetur unicae primariae temperationi.

170. Officiorum nationis et dioecesium intererit promovere, instimulare, apto nexu componere incepta et omnem operositatem Catholicorum in re communicationis. Peculiari ratione curabunt, ut fideles clerici et laici necessaria perdoceantur in lectionibus, scholis, disputationibus publicis, congressionibus studiorum, atque etiam operum aestimationibus, quas periti ex iisdem officiis secundum auctoritatem suam ediderint, ita ut illi fideles pro se ipsi rectum iudicium et prudentiam exercere sciant. Pariter dabunt consilia quibus rite praeparentur spectacula et transmissiones materiam religiosam tractantes.

171. Item officia nationalia et dioecesana necessitudine ac familiaritate utentur hominum artes communicationis pro munere exercentium atque eorum sodaliciorum; documenta et monita necnon adiumenta pastoralia suppeditabunt, quibus forsitan indigeant. Intra nationis ipsius fines Diem Mundialem Communicationis Socialis apparabunt stipesque corrogandas curabunt, quod suadet Concilii Decretum ut eo die fiat [21].

172. Coetum Episcoporum nationis communicationi sociali praepositum aut Episcopum delegatum pro suo officio intra propriam dicionem moderari oportet industriam officiorum nationalium et normas emittere generales, quibus temperetur omnis hac in re apostolica navitas. Mutuis etiam rationibus consociabuntur cum Conventibus Episcopalibus aliarum nationum atque operam praebebunt Pontificio Consilio instrumentis communicationis socialis praeposito, cuius munia explicantur ibidem [22], et in Litteris Apostolicis Pauli VI a verbis « In Fructibus Multis » incipientibus [23].

173. In iis vero continentibus et regionibus, ubi ex pluribus civitatibus unus Conventus Episcopalis constituitur, huic praesto erit Officium Communicationis Socialis continentis vel regionis illius, auctoritati obnoxium unius pluriumve Episcoporum ad hoc munus destinatorum.

174. Episcopi singuli, unaquaeque Conferentia vel Conventus Episcopalis, necnon Apostolica Sedes suum habebunt interpretem seu nuntiatorem stabilem, qui ex officio rerum indicia et cognitiones pervulget, tum etiam documenta Ecclesiae brevi in vulgus proditura explanet, quo facilius certiusque intellegantur. Hi narratores celeriter et fideliter iudicabunt res novas in Ecclesiae vita et opere, quantum ipsorum sinet officium. Magnopere etiam suadetur, ut dioeceses et sodalicia Catholicorum maiora habeant suos fixos et constantes interpretes, quibus similia demandentur munia. Universi illi ministri, sicut et ceteri qui publicae Ecclesiae vitae quasi personam gerunt, considerationem omnino intèndent in ea omnia quae scientia ac disciplina rationum publicarum praecipit his de rebus, ut videlicet diversas ipsi agnoscant publici fori partes quas alloquantur, et ut cum eis frugiferas necessitudines coniungant fiducia mutua atque indulgentia subnixas. Haec vero reciproca fletes et urbanitas tum tantum gigni possunt ac servari, cum homines ipsi inter se reverentur et observant cumque veritati semper paretur.

175. Praeter institutum illud publici interpretis, in tuto collocari oportet permutationem nuntiorum et notitiarum, quae veram Ecclesiae imaginem omnibus depingant quaeque excipiant motus, opinationes, desideria publici fori ut de eis certiores faciant ipsas auctoritates ecclesiasticas. Hoc autem flagitat, ut reverenter et amice intercedant rationes cum variis hominibus eorumque circulis et coetibus. Ita enim incohari valet commercium perpetuum, quo utrimque dat alteruter et recipit [24].

176. Ut vero dialogus Ecclesiae, intra et extra saepta eius, prospere ac profluenter explicetur circa recentiora eventa secundum aspectum eorum religiosum, necessarii sunt commentarii

publici id est « officiales », qui tempestive hoc est quam primum deferuntur ad legentes sub forma probata et perfecta ac per modos congruentes (libellos, telescriptiones, imagines luce pietas...), quique res explicant secundum necessitates causarum et nuntiorum.

177. Instituta religiosa animos attendent ad munera multiplicia et principalia Ecclesiae in iis quae ad communicationem socialem pertinent; simul perpendent quid agere possint, ut operas suas hoc in negotium conferant et certa munera exsequantur sed concordantia omnino cum Constitutionibus propriis. Instituta autem eo consilio condita, ut in communicationes sociales tota incumberent, inter se arcte adiuvabunt atque cohaerebunt cum officiis dioecesium, nationis, regionis, continentis, quae communiter conficiant atque impleant rationes de operibus pastoralibus in re communicationis.

178. Primaria illa officia nationis, de quibus sermo fuit [25], et officia principalia Institutorum religiosorum adiutricem operam praebebunt consociationibus Catholicorum ex omnibus gentibus diurnariae navitatis (U.C.I.P.), rei cinematographicae (O.C.I.C.), radiophonicae et televisificae (UNDA), secundum statuta earundem Consociationum ab Apostolica Sede approbata [26].

179. Illae consociationes catholicae socialibus communicationibus deditae hoc munus prosequuntur — pro sua quaeque rerum provincia et secundum varietates statutis toleratas — ut subveniant in singulis nationibus has artes pro officio vitae profitentibus. Propositum vero id est, ut investigationibus et progressionibus instrumentorum communicationis consulatur, ut institutioni receptorum rite provideatur, ut sensus mutuae necessitudinis et beneficiorum vicissitudinis invalescat inter nationes, ut inquiratur in operam efficacem Catholicorum per subsidia communicationis socialis, ut inter se concilientur atque copulentur diversa incepta internationalia, ut nova ineantur consilia omnium gentium, quae visa sint utilissima nationibus ad progressionem conitentibus, ut artificia et opera nova stimulentur. Expedient similiter confectionem atque partitionem taeniarum cinematographicarum, transmissionum radiophonicarum et televisificarum, materiarum ad hoc genus artis auditoriae et visualis pertinentium, scriptorum denique, quae serviunt progressibus communitatis humanae et ipsi vitae Populi Dei. Hae tandem consociationes internationales Catholicorum rogantur, ut communibus studiis et investigationibus occurrant communibus quoque difficultatibus.

180. Conferentiae Episcopales, diligentia et sollertia praesertim officiorum nationis adiutae, necnon sodalitates Catholicorum has artes factitantium Consociationibus opitulabuntur pecuniis opibusque necessariis ad propositum earum assequendum.

EPILOGUS

181. Exsistit hoc loco quaestio perdifficilis simusne in limine atque initio novae prorsus aetatis communicationum socialium necne, agaturne scilicet de communicationibus quae non tantum rerum quantitatem verum qualitatem etiam afficiant. Cui interrogationi respondetur magis ac magis difficulter. Id nihilominus constat, propter disciplinarum et scientiae progressus tum etiam ob incrementa technicae artis praesertim per satellites arte factos mox esse futurum, ut eodem temporis momento nuntii per auditum visumque perferantur universis hominibus, qui vero in receptaculis variis asservari possint atque iterari cuiusvis arbitratu ad animi culturam vel oblectationem, qui etiam copiam dent potentioris dialogi inter homines, qui denique secundum argumentum suum et usum proficiant consortioni hominum astringendae, humanitati adaugendae, paci coagmentandae.

182. Sic repente augescit in dies conscientia officii, quo Populus Dei obligatur, quandoquidem maior et crebrior quam umquam alias conceditur opportunitas perficiendi, ut instrumenta communicationis socialis praesentem et efficacem vim adhibeant ad solidum totius humani generis profectum, ad plenam progressionem gentium tertii mundi, qui vocatur, ad communionem fraternam inter populos, atque etiam ad nuntiationem Evangelii Salutis, quo usque ad terras extremas testimonium perhibetur Christi Servatoris.

183. Hac proinde Instructione Pastorali consilia nonnulla et suasiones proferuntur universales quidem, cum status rerum in communicationibus socialibus minutiores ac subtiliores haud permittat. Christiana vitae notio ipsa iam immutabilia infert principia, quae nuntio amoris innituntur, qui videlicet « nuntius laetus » Evangelii est, atque hominis ipsius dignitate, qui nempe vocatur ut si filius Dei adoptatus. Omnibus autem in promptu manifestumque esse intelligitur usus vel applicationes principiorum concretas atque formulas pastorales accommodandas esse hinc ad res condicionesque locorum aliorum in quibus alius obtinet status technicae artis et societatis et humanitatis, illinc autem ad mutabiles partes instrumentorum communicationis in hominum consortione legesque eorum proprias, ita ut ad perfectionem absolutionemque perducantur futuris commutationibus, quae certo evenient in hac socialis communicationis provincia. Quapropter indoles haec mutabilis et inconstans, quae aliqua est nota necessaria instrumentorum communicationis, facile persuadebit, quam sit necesse eos, in quos recidat officii cuiusdam pastoralis onus, libenter amplecti necessitatem perseverantis renovataeque semper eruditionis hisce in rebus.

184. Multa adhuc rimanda sunt et pervestiganda, ut communicationis instrumenta penitus cognoscantur eo quidem consilio, ut hominibus vere famulentur ac prosint, dum institutionem cuiusvis ordinis maxime vero scholastici impertiunt humanamque personam integre absoluteque excolunt. Altiora persequenda sunt studia de effectibus communicationis socialis ac vi in varias cultus humani formas deque hominibus diversi ingenii. Ut autem recte aestimentur modus, quo instrumenta communicationis socialis propriis perfunguntur officiis, ut eorum facultates rationesque, quae nunc usurpantur, funditus comprehendantur accurateque cognoscatur multiplex potentia eorum in animum eiusque culturam, omnino oportet contemplari et ponderare inquisitiones vere proprieque scientificas, quae plus quam ante sunt omnibus viribus propugnandae. Studiorum deinde universitatibus recens conditis vel antiquitus iam exstantibus patet hic campus immensus argumentorum iis temporibus gravissimorum, quae merito aequant dignitatem cuiusvis tralaticiae et antiquae disciplinae. Ecclesia gestit confirmare ac persuadere investigatoribus omnium rerum ad communicationes sociales attinentium se suscepturam esse consectaria et conclusiones studiorum prompta alacrique voluntate, ut, quantum in se fuerit situm, plenissime eas ordinet dirigatque ad omnium hominum emolumentum.

185. Ad eam rem quod attinet, postulari videtur primum ut altiore scientiarum ratione inspiciatur quantum efficere valeat Ecclesia hac in provincia; deinde ut postulata ab Ea munera in toto terrarum orbe secundum suum quodque momentum disponantur; postremo ut Catholici ea coepta ingrediantur, quae semper augescenti horum instrumentorum ponderi prorsus respondeant.

186. Hanc Instructionem Pastoralem nulla mora tardari patiens, Ecclesia maiore in dies necessitate impellitur alioqui et convenire homines communicationis socialis artem profitentes, dum genuinam operam confert in omnia ea, quae eiusdem artis finibus continentur, et ipsa exhortatur cunctos homines, ut illa instrumenta efficiant reapse utilia progressioni generis humani et verae gloriae Dei. Pontificium Consilium Instrumentis Communicationis Socialis praepositum hanc Instructionem de mandato Concilii Vaticani II convenienter exaravit,

postquam doctos peritosque totum terrarum orbem incolentes advocavit in consilium, ad id nempe aspirans atque laborans, ut foras danda illa principium quoddam inauguraret novi cursus potius quam veterem terminaret.

187. Populus Dei, per tempora procedens quae humanam constituunt historiam, tamquam Communicator simul et receptor maxima fiducia studioque flagranti iam in posterum prospiciens ea contuetur, quae inita siderea aetas communicationis socialis plena manu promittit.

Hanc de Instrumentis Communicationis Socialis Instructionem Summus Pontifex Paulus PP. VI in omnibus et singulis approbare atque auctoritate sua confirmare dignatus est, et promulgari iussit, ab omnibus ad quos spectat sedulo servandam.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Datum Romae, Die V Mundiali Communicationis Socialis, XXIII mensis Maii anno 1971. Martinus J. O'connor Archiep. tit. Laodicenus in Syria Praeses. Augustinus Ferrari-Toniolo Ep. tit. Tarasensìs in Byzacena Pro-Praeses. .

04

Prior: Communio et Progressio, post :Gaudium et Spes

04. MIRANDA PRORSUS LITTERAE ENCYCLICAE DE RE CINEMATOGRAPHICA, RADIOPHONICA AC TELEVISIFICA.

Miranda prorsus technicae artis inventa, *quibus nostrorum temporum homines gloriantur, quamquam ex humano ingenio laboreque oriuntur, dona sunt tamen Dei Creatoris nostri, ex quo omnia opera bona procedunt : « non enim solum protulit creaturam, verum etiam prolatam tuetur et fovet » (S. Ioan. Chrys. De consubstantiali, contra Anomoeos: P. G. 48, 810).*

Ex quibus inventis alia hominum vires potentiamque adaugent atque multiplicant ; alia eorum vitae condiciones meliores efficiunt; alia denique, cum animum potissimum respiciant, vel per se, vel per artificiosas imagines ac voces multitudines ipsas attingunt, et cum iisdem cuiusvis generis nuntios, cogitata et praecepta facilitate summa communicant, quibus veluti mentis pabulo enutriantur per requietis etiam ac relaxationis horas.

Ad quae postrema inventa quod attinet, maximum aetate hac nostra incrementum acceperunt cinematographicae, radiophonicae ac televisificae artes.

Quas quidem artes, vixdum in usum invectae sunt, non modo summo cum gaudio Ecclesia excepit, sed materna etiam cura sollicitudineque vigilanti, eo consilio permota, ut filios suos, progredientis aetatis iter ingressos, a periculis omnibus tueretur.

Haec cura evigilans ex ipso a Divino Redemptore accepto munere oritur; quandoquidem, ut patet omnibus, hae novi generis artes multum multumque conferunt ad peculiarem singulorum universaeque hominum communitatis cogitandi agendique modum.

Aliud praeterea est, cur Ecclesia eiusmodi causam e re sua potissimum consideret; ipsa enim, ratione omnino potiore quam ceteri omnes, nuntium debet singulis hominibus impertire : hoc est nuntium aeternae salutis; nuntium incomparabilis ubertatis et potentiae; nuntium denique, quem omnes homines, cuiusvis gentis et cuiusvis aetatis, accipiant atque amplectantur necesse est, secundum illud Apostoli gentium : « Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec,

in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo, qui omnia creavit » (Eph. 3, 8-9).

Nihil igitur mirum est si ii, qui suprema Ecclesiae auctoritate fruuntur, hanc gravis ponderis causam eo consilio pertractarunt, ut sempiternae eorum saluti prospicerent, qui non sunt « corruptibilibus auro vel argento redempti sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi » (1 Petr. 1, 18-19); et quaestiones omnes diligenter perpenderunt, quas res cinematographicae, radiophonicae ac televisificae christianis hodie proponerent.

Plus quam viginti anni elapsi sunt, ex quo Decessor Noster fel. rec. Pius XI, « mira sane ope marconiana » usus, primum radiophonicum nuntium « ad omnes gentes et ad omnem creaturam » edidit (Radiophonicum nuntium Qui arcano, d. 12 Februarii a. 1931: A. A. S. vol. XXIII, 1931, p. 65).

Atque post paucos annos idem Decessor Noster mirabilem illam Epistulam Encyclicam, cui a verbis initium est Vigilanti cura (Epist. Enc. Vigilanti cura, d. 29 Iunii a. 1936: A. A. S. vol. XXVIII, 1936, p. 249 sq), ad Venerabiles Fratres Archiepiscopos et Episcopos Foederatarum Americae Septemtrionalis Civitatum misit; qua quidem Epistula, de cinematographicis spectaculis praecepta sapientissima impertiens, praesentibus necessitatibus consentanea, haec inter alia edixit: « Pernecessarium est ac penitus urget id providere atque efficere, ut quidquid ex Dei munere progrediens aetas in humanas disciplinas ac vel in ipsas technicae industriae artes invexerit, ita divinae gloriae, animarum saluti et Iesu Christi propagando regno reapse inserviat, ut omnes, quemadmodum Ecclesia nos precari iubet, "sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus aeterna" » (ibid. p. 251).

Ac Nosmet ipsi, per Summi Pontificatus Nostri decursum, saepe, occasione data, hac eadem de re egimus, non modo Sacris Pastoribus, sedi variis etiam Actionis Catholicae sodalitatibus, christianisque educatoribus opportunas impertientes normas. libenter praeterea eos coram admisimus, qui pro peculiari, quo funguntur, munere, vel cinematographicam, vel radiophonicam, vel televisificam artem exercent; iisdemque, postquam ob mirandam harum artium horumque artificum progressionem factam, Nostram patefecimus admirationem, sua cuiusque, quibus tenentur, officia significavimus; itemque magna promerita, quae adepti sunt, pericula, in quae facile incidere possunt, atque altissima illa proposita, quae eorum mentes illuminare eorumque regere voluntates debent.

Nobis etiam, ut nostis, curae fuit hac in Romana Curia peculiare Consilium (cfr. A. A. S. d. 16 Decembris, a 1954, vol. XLVI, 1954, p. 783-784) constituere, cuius ex credito munere esset varias de re cinematographica, radiophonica ac televisifica quaestiones diligenter perpendere ad catholicam fidem et christianos mores quod attinet; a quo Consilio et Episcopi et ii omnes, quorum res est, opportunas normas exquirere possunt.

Persaepe Nos ipsi hodiernis hisce mirandisque opibus utimur, quibus facilius possimus gregem universum cum Supremo Pastore coniungere; ita quidem, ut vox Nostra terrae marisque spatium ac vel turbidos animorum fluctus secura tutaque supervolans, mentes hominum attingere possit in easque salutariter influere, prouti summi apostolatus munus, Nobis creditum atque hodie quasi in immensum adauctum, a Nobis postulat (cfr. Sermo ad catholicos Hollandiae, d. 19 Maii, a. 1950 habitus : Discorsi e Radiomessaggi di Sua Santità Pio XII, vol. XII, p. 75).

Cum autem noscamus et Nostras et proximi Decessoris Nostri fel. rec. Pii XI hac de re adhortationes haud parum eo contulisse, ut cinematographicae, radiophonicae ac televisificae

artes homines revocare contenderent ad suam ipsorum animi perfectionem assequendam, atque adeo ad Dei promovendam gloriam, id magnum Nobis solacium affert.

Etenim studiosa vigilantique cura vestra, Venerabiles Fratres, incepta. et opera inita sunt, quibus id genus apostolatus non modo in singulis dioecesibus singulisque Nationibus promoveretur, sed populos etiam amplecteretur universos, collatis viribus consiliisque.

Haud pauci publicae rei moderatores, itemque ii, qui vel ingenuis artibus vel mercandis rebus dant operam, et eorum quoque plurimi, qui vel catholici vel acatholici, id genus spectaculis intersunt, probitatem suam hac in causa gravissima comprobarunt, id non sine labore nec sine rerum iactura enitentes, ut non modo mala pericula vitarentur, sed sacrosancta etiam Dei iussa fierent, atque humanae personae dignitas in tuto poneretur.

Attamen, pro dolor, sententiam illam Apostoli gentium geminare debemus: « Non omnes oboediunt Evangelio » (Rom. 10, 16); etenim hac quoque in re non desunt, qui Ecclesiae magisterium neque intellegant neque agnoscant, immo etiam qui omni ope aversentur: ii sunt, ut nostis, qui vel inordinata lucri cupidine moventur, vel erroribus decepti, humanae naturae dignitatem libertatemque non aequo loco ponunt, vel denique de liberalibus cuiusvis generis artibus sententiam amplectuntur a veritate alienam.

Quamvis horum agendi ratio aegritudine animum oppleat Nostrum, haud possumus tamen officio Nostro deesse a rectoque deflectere itinere, fore confisi, ut verba illa, quae Divino Redemptori Nostro eius inimici dixerunt, Nobis quoque tribuantur : « Scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo » (Matth. 22, 16)

E progressionibus mirandis prorsus, quas nostris hisce diebus technicae disciplinae, ad cinematographicam, radiophonicam et televisificam artem quod attinet, fecerunt, ut maximae utilitates, ita maxima quoque pericula oriri possunt.

Hae enim novae opes novaque instrumenta, quae fere omnibus ad manum sunt, vim exserunt in animos potentissimam, cum idcirco quod eos luce collustrare possunt, nobilitate evehere, pulchritudine decorare ; tum ex eo etiam quod eos tenebrarum obscuratione foedare, depravatione dehonestare, effrenatisque subicere queunt motibus, prouti eiusmodi spectacula res aut pravas aut honestas nostris sensibus proponunt (cfr. Sermo ad cultores cinematographicae artis ex Italia Romae congregatos, d. 21 Iunii, a. 1955: A. A. S. vol. XLVII, 1955, p. 504).

Quemadmodum superiore saeculo, cum progrediens ars technica, ad ea, quae quaestus causa tractantur, pertinens, id saepenumero effecit, ut machinae in usum inductae, quae hominibus servire debent, eos potius in servitutem aerumnoso cum detrimento redigerent, ita pariter hodie increscentia eiusdem technicae artis incrementa, ad imagines, ad sonos, ad cogitata propaganda quod attinet, nisi suavi iugo legis Christi subiciantur (cfr. Matth. 11, 30), innumerabilium malorum fons esse possunt, quae eo vel gravia evadunt, cum non modo materiae, sed animi etiam vires misere subigantur, atque adeo humana inventa salutaribus illis utilitatibus priventur, quas ex providentis Dei consilio primum quaerere oportet (cfr. Sermo ad radiophonicae artis cultorum coetum, d. 5 Maii, a. 1950 ex omnibus Nationibus Romae habitus : Discorsi e Radiomessaggi di Sua Santità Pio XII, vol. XII, p. 54).

Quapropter, cum gravem eiusmodi causam maiore cotidie paterni animi Nostri sollicitudine prosecuti simus, cumque salutares consideraverimus fructus, qui — ad cinematographica spectacula quod pertinet — ex Encyclica Epistula, quae Vigilanti cura inscribitur, per plus quam

decennia duo iam orti sunt, Nos precibus sacrorum Pastorum laicorumque hominum harum artium studiosorum concedentes, cupimus per Encyclicas has Litteras normas et praecepta impertire, quae ad radiophonicas etiam auditiones atque ad televisionem attineant.

Postquam igitur instantes supplicationes Deo admovimus, ac Deiparae Virginis auxilium impetravimus, vos, Venerabiles Fratres, quorum pastoralem sollertemque curam perspectam habemus, eo consilio compellamus, ut non modo christiana hac de re doctrina in plena luce ponatur, sed ut etiam opportuna suscipiantur proposita et incepta ; ideoque omni ope, qua possumus, vos commonere cupimus, ut grex, unicuique vestrum creditus, adversus quoslibet errores quaelibetque detrimenta muniatur, quae memoratarum artium usus in christianae vitae mores, non sine gravi discrimine, inducere possit.

I

Antequam de singulis quaestionibus agimus, quae ad has artes tres pertinent, ad cinematographicam dicimus, radiophonicam, et televisificam — novimus enim unamquamque earum ad mentis animique cultum fovendum peculiares causas solvendas proponere cum in liberalium, tum in technicarum et oeconomicarum disciplinarum campo — opportunum ducimus ea breviter enucleare principia, quae ad bona, hominum communitati et singulis civibus destinata, quam latissime fieri possit, propaganda pertineant.

Deus, cum summum sit bonum, nullo non tempore sua munera hominibus largitur, quos peculiari cura caritateque prosequitur ; e quibus quidem muneribus alia ad animum, alia vero ad terrenae huius vitae usum spectant; suntque haec, ut patet, prioribus subiecta eodem quippe modo, quo corpus menti subigatur oportet, cum qua, antequam semet ipsum per beatificam visionem communicet, per Fidem caritatemque coniungitur, quae « diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis » (Rom. 5, 5).

Ac praeterea, cum propriae perfectionis imaginem in homine cernere percupiat (cfr. Matth. 5, 48), huius etiam supernae largitionis eum voluit fieri participem, atque eum, horum bonorum nuntium, largitorem dispensatoremque ceteris fratribus universaeque hominum communitati factum, cum sua ipsius opera consociavit. Homo enim, ex sua ipsius natura, inde a primaeva aetate, signorum ope quae e rebus corporeis quaesita ad perfectiorem cotidie formam redigere conatus est, sua spiritualia bona cum ceteris communicare assuevit. Ex antiquissimorum igitur temporum imaginibus scriptisque ad technicas usque huius aetatis nostrae artes, instrumenta omnia quibus homines inter se coniunguntur ad excelsum illum finem contendant oportet, ut homines nempe Dei administri hac in re quodam modo evadant.

Quamobrem, ut hoc providentis Dei consilium tutius et efficacius in hominibus effectum detur, Apostolica auctoritate Nostra « Sanctum Gabrielem Archangelum, qui mortalium generi exoptatum detulit humanae Redemptionis nuntium, caelestem apud Deum Patronum » per Apostolicas Litteras (Litt. Apost. d. 12 Ianuarii, a. 1951: A. A. S. vol. XLV, 1952, p. 216-217) constituimus earum artium, quibus homines electrica vi possunt tum verba ad absentes quam celerrime transcribere, tum ex locis valde longinquis inter se colloqui, tum nuntios per aethereas undas mittere, tum denique res et eventus, etsi iidem procul commorantur, per imagines ante oculos relatas praesentes con spicere (cfr. ibid. p. 216). Mens enim Nobis erat, cum hunc caelestem elegimus Patronum, ut ii omnes, quorum in manibus benefica eiusmodi instrumenta sunt posita, quibus licet inaestimabiles Dei thesauros inter homines propagare, veluti bona semina, quae veritatis bonitatisque fructus referrent, mentem cuiusque suam ad crediti muneris nobilitatem converterent.

Considerantibus enim Nobis excelsa illa proposita, ad quae technicae nobilesque hae artes destinantur, haec obversatur quaestio : cur nempe eaedem interdum fiunt vitiorum opes ac veluti semitae? « Unde ergo habet zizania? » (Matth. 13, 27).

Omnia profecto mala, quae rectis morum normis opponuntur, non ex Deo oriri possunt, qui perfectum absolutumque bonum est, non ex ipsis technicis artibus, quae eius pretiosa sunt dona, sed ex eo tantum, quod homo, cum sit libera voluntate praeditus, iisdem donis abuti possit, prava nempe facinorai perpetrando propagandoque, atque adeo cum tenebrarum principe Deique inimico se consociando: « Inimicus homo hoc fecit » (Matth. 13, 28).

Quamobrem id postulat vera hominum libertas, ut iis omnibus utamur opibus easque cum ceteris communicemus, quae ad virtutem nostraeque naturae perfectionem conferre possint.

Ecclesia autem, cum salutiferae doctrinae magistra sit, eaque omnia habeat, quae ad sanctitatem adipiscendam necessaria sunt, inviolabili iure fruitur ea impertiendi, quae sibi ex divino mandato concredita sunt. Cui sacrosancto iuri officium eorum respondeat oportet, qui publicam rem moderantur ; ita quidem, ut etiam ad has artes, quibus veritatem virtutemque propaget, ei aditus patere debeat.

Qui vero Ecclesiae sinceri actuosique filii sunt, cum inaestimabile Redemptionis donum agnoscant, id efficere pro viribus iubentur, ut eadem technicis hisce inventis uti possit, quatenus ad animorum sanctitatem conferant.

Quae tamen Ecclesiae iura asseverantibus ac vindicantibus Nobis voluntas non est civili societati ius negare earundem artium ope eos nuntios easque doctrinas propagandi, quae reapse ad commune humanae consortionis bonum vel necessaria vel utilia sint.

Ac praeterea singulis etiam civibus fas esto, perspectis tamen opportunis rerum adiunctis ac sartis semper tectisque munis boni principiis, pro facultate conferre ad suum ipsorum ceterorumque mentis animique cultum hisce artibus ditanclum amplificandumque.

Attamen christianae doctrinae potiorique harum artium fini contrarium est eorum placitum atque propositum, qui hisce inventis uti velint tantummodo ad res politicas fovendas propagandasque, vel ad res oeconomicas provehendas ; atque adeo nobilem hanc causam quasi negotium commerciumque considerent.

Parique modo illud eorum commentum probari nequit, qui libertatem quidquid effingendi propagandique asseverant ac vindicant, quamvis plena in luce sit positum, quae quantaque animis corporibusque detrimenta elapsis annis hisce ex principiis sint orta; non enim de recta libertate agitur, de qua supra diximus, sed de effrena potius licentia quidquid, nulla cautione habita, cum ceteris communicandi, etiamsi contra rectos sit mores et in grave periculum cedere possit animorum.

Iamvero Ecclesia, quae omnia fovet ac provehit, quae revera ad ornandos ditandosque animos pertinent — est enim humanarum disciplinarum ingenuarumque artium patrona et altrix — haud permittere potest, ut ea principia eaeque normae violentur, quae hominem ad Deum, supremum finem, dirigant ac moderentur. Nemo igitur miretur, si hac etiam in re, quae multas cautiones habeat oportet, considerate circumspecteque agat secundum illud Apostoli : « Omnia autem probate : quod bonum est, tenete. Ab omni specie mala abstinete vos » (1 Thess. 5, 21-22).

Quapropter ii procul dubio improbrandi sunt, qui profiteantur et asseverent illam etiam harum rerum propagationem esse fovendam efferendamque, quae praeceptis de re morali officiat et

adversetur, modo si ad ingenuarum technicarumque artium leges conformetur. « Utique liberales artes — quod, breviter edisserendo, quinto exacto saeculo ab Angelici morte, in audientium memoriam revocavimus — id per se non postulant, ut ad ethicum vel religiosum munus dirigantur. Verumtamen si humanarum artium forma, sive verbis, sive sonis, sive imaginibus efficta, fallacibus, vacuis et turbidis adaequetur modis, qui divini Creatoris consilio non conformentur ; quin immo, si mentem, si animum non ad nobiles sensus excitet, sed ad pravas potius cupiditates libidinesque concipiendas moveat, tum homines allicere potest saltem ob novitatem, quae non semper vi virtuteque pollet, vel ob exiguam eam veritatis partem quae ex qualibet re elucet ; sed tamen eiusmodi ars ex nobili suo gradu decedet, a primario ac necessario principio suo longe aberrabit, atque adeo non universalis, non perennis esse poterit, quemadmodum hominum animus, ad quem dirigitur » (cfr. Sermo, quinto exeunte saeculo ab Angelici obitu, in Aedibus Vaticanis habitus d. 20 Aprilis, a. 1955: A. A. S. vol. XLVII, 1955, p. 291-292; Litt. Enc. Musicae Sacrae, d. 25 Decembris, a. 1955: A. A. S. vol. XLVIII, 1956, p. 10).

Ii, qui publicam rem moderantur, procul dubio gravi tenentur officio novis etiam hisce artibus consulendi vigilanter ; neque solummodo debent politicis hac de re prospicere rationibus, sed publicis quoque moribus, quandoquidem tutum eorum fundamentum in naturali lege innititur, quae ut divinum testatur eloquium, scripta est in cordibus nostris (cfr. Rom. 11, 15).

Hanc evigilantem Civitatis moderatorum curam haud asseverari potest iniuste singulorum opprimere civium libertatem, cum non privatam eorum personam respiciat, sed universam potius hominum consortionem, cum qua hae artes communicantur.

« Haud ignoramus — quod iam occasione data diximus — vulgatam esse nostrae aetatis hominum opinionem, qui interpositae auctoritatis publicae impatientes sunt, praeoptandas esse etiam in re cautiones, quae ab ipsa potius communitate edantur » (Sermo ad cultores artis cinematographicae ex Italia Romae congregatos, d. 21 Iunii, a. 1955; A. A. S. vol. XLVII, 1955, p. 505); attamen hae normae cautionesque, quae ab eis proficiscantur, qui pro suscepto munere has artes exercent, minime debent gravissimum eorum officium aversari, qui publica auctoritate praesunt, quamquam laudabiliter possunt eorum actioni occurrere, atque etiam mala praevertere, quae rectis moribus f acile nocere queant.

Hac de causa, ut proximus Decessor Noster, ita Nosmet ipsi libenter eos dilaudavimus, qui, pro credito hac in causa munere, opportunas ediderunt cautiones et normas, nihil tamen praeiudicatum habentes ad publicas auctoritates quod attinet. Putamus enim tum solummodo has novas artes ad rectam eorum animi conformationem, qui iisdem utuntur, facilius et aptius conferre posse, si Ecclesia, si Civitas, si ii etiam, qui id genus munera obeunt, collatis inter se recto ordine viribus, ad optatum assequendum finem adiutricem sibi invicem operam praebeant, quodsi contra eveniet, hoc est si hae artes, nullis propositis legibus nullisque de re morali cautionibus habitis, per pronum liberumque iter prodibunt, verum populi cultum procul dubio minuent eiusque mores pessumdabunt.

Inter varias technicas artes, quae cogitata hominum propagant, illae hodie peculiarem locum occupant, ut diximus, quae cum auribus unaque simul cum oculis, per voces nempe imaginesque, omne genus nuntios quam latissime communicant.

Hic imagines vocesque propagandi modus, ad res etiam spirituales quod spectat, aptissimus est naturae hominum, secundum Aquinatis sententiam: « Est autem naturale homini, ut per sensibilia ad intelligibilia veniat ; quia omnis nostra cognitio a sensu initium habet » (S. Thom., Summ. Theol. I, q. 1, a. 9). Quin immo videndi facultas, cum nobilior et dignior sit ceteris sensibus, (cfr. ibid. I, q. 67, a.I) facilius ad spiritualium rerum cognitionem conducit.

Quamobrem praecipuae tres technicae artes, quibus auribus voces, oculis autem rerum imagines ex longinquo proponuntur, hoc est cinematographica, radiophonica ac televisifica ars, non ad homines tantummodo recreandos relaxandosque pertinent, quamvis non pauci hoc solum requirant auditores spectatoresque, sed ad ea potissimum propaganda, quae cum ad animi culturam, ad virtutemque alendam attineant, non parum possunt ad civilem nostrorum temporum societatem recte instituendam conformandamque conferre.

Faciliore modo, quam scripta typis edita, id, profecto hae technicae artes efficere possunt, ut homines nempe inter se communicent sibique sociam praestent operam; quod quidem cum ad civilem omnium gentium cultum fovendum per se spectet, Catholica Ecclesia, quae ex sibi credito mandato universam hominum consortionem amplectitur, ad veri nominis propaganda provehendaque bona convertere percupit. Atqui eo primum spectent oportet cinematographicae, radiophonicae, televisificae artes: ut scilicet veritati virtutique inserviant.

Veritati autem propagandae ea ratione inserviant, ut vincula inter populos artiora cotidie fiant; ut iidem mutua rerum aestimatione se intellegant; ut in quovis rerum discrimine se adiuvent; ut denique inter publicae rei moderatores singulosque cives adiutrix intercedat opera.

Veritati inservire non modo postulat, ut omnes ab errore, a mendacio, a fraude omnino abstineant, sed ut etiam ea omnia devitent, quae vel falsam, vel mancam, vel alicui parti obnoxiam fovere possunt vivendi agendique rationem.

Imprimis autem veritates, Deo revelante traditae, ut res sacrae inviolabilesque habeantur. Quin immo, cur ad hoc potissimum non contendant hae nobiles artes, ut nempe Dei eiusque Filii Iesu Christi doctrinam propagent, « christianamque fidem illam mentibus inculcent, quae una potest hominum multitudinibus supernam praebere vim, qua adiutae sereno animo virtuteque consentanea queant superare discrimina, angores vero tolerare praesentis huius aetatis nostrae »? (Sermo ad sodales Radiophonicae Societatis Italiae, d. 3 Decembris, a. 1944 habitus: Discorsi e Radiomessaggi di Sua Santità Pio XII, vol. VI, p. 209).

Ac praeterea non modo veritati inserviant hae novae artes oportet, sed morali etiam humanae vitae perfectioni. Quod quidem tribus hisce modis, de quibus scripturi sumus, conferre enitantur : hoc est datis nuntiis, impertitis praeceptis, praebitisque spectaculis.

Cuiusvis rei notitia, etiamsi nihil aliud nisi veritatem reapse referat, aliquam tamen rationem in se habet, quae ad hominum pertinet aliquo modo conformandos mores. « Quae ratio, ad humanos mores attinens, numquam est neglegenda, nam quivis nuntius mentis iudicium provocat ac voluntatem movet. Nuntiator, qui suo munere fungatur digne, neminem suis dictis opprimat, sed conetur potius relatas iacturas, vel perpetrata crimina aptiore quo potest modo intellegere et explicare; quod tamen eadem excusare vel probare minime significat, sed innuere remedia ac praestare lenimenta, atque adeo ad animorum restituendam probitatem aliquid conferre » (Sermo ad Nationum Societatis Consilium publicis ordinandis nuntiis, d. 24 Aprilis, a. 1956 habitus: Discorsi e Radiomessaggi di Sua Santità Pio XII, vol. XVIII, p. 137).

Quae supra scripsimus, maiorem procul dubio vim habent, cum de praeceptis impertiendis agitur ; quam quidem causam didascalicae taeniolae cinematographicae, radiophonicae auditiones, ac televisifica spectacula magnopere adiuvant ac provehunt, non modo ad eos quod attinet, qui adhuc iuventute florent, sed ad eos etiam, qui ad virilem iam aetatem pervenerunt. Verumtamen cavendum omnino est, ne haec impertita praecepta Ecclesiae doctrinae ac sacrosanctis eius iuribus obstent, vel recto educandae proli muneri in domestico convictu officiant atque adversentur.

Parique modo fore sperandum est, ut novae hae propagationis artes, sive a privatis exercentur civibus, sive e nutu pendent publicae rei moderatorum, varias ne impertiant doctrinas reticito Dei nomine eiusque divina lege ignorata.

Attamen, proh dolor, non ignoramus in quibusdam Nationibus, in quibus communismi athei commenta dominantur, hae technicae artes, quae aures oculosque ex longinquo attingunt, in scholis etiam eo spectare, ut religionem sanctam ex animis radicitus evellant. Quod quidem qui serena mente atque a praeiudicatis opinionibus libera consideret, facere non potest quin videat adulescentium iuvenumque conscientiam, divina veritate orbatam, novo tectoque modo opprimi, cum veritatem illam divinitus patefactam ii cognoscere nequeant, quae, ut Redemptor noster asseverat, nos liberat (cfr. Io. 8, 32); atque adeo hac callida ratione novam haberi adversus religionem insectationem.

Nos autem vehementer cupimus, Venerabiles Fratres, ut haec technica instrumenta, quibus e longinquo aures oculique facilitate summa suavique delectatione attinguntur, in id potissimum adhibeantur, ut pleniore animi cultura, ut cognitionibus ad sua cuiusque obeunda munera necessariis, « utque potissimum christianis principiis homines conformentur ; quibus principiis neglectis, nulla, ne in rebus quidem humanis, veri nominis progressio haberi potest » (cfr. Nuntius radiophonicus ad christifideles Columbianae Reipublicae, d. 11 Aprilis, a. 1953 habitus, cum Statio Radiophonica Sutacentiae inaugurabatur : A. A. S. vol. XLV, 1953, p. 294). Optamus igitur eos omnes praeceptores educatoresque debitis honestare laudibus, qui sive cinematographicis imaginibus, sive radiophonicis auditionibus, sive televisificis spectaculis ad nobilissimam eiusmodi contendunt metam.

Animadvertendum praeterea est, praeterquam editis nuntiis et impertitis praeceptis, spectaculis etiam haud parum posse has novas artes ad verum hominum conferre bonum.

Id genus enim spectacula plerumque aliquid habent, quod non solum ad delectandos homines et ad eis praebendas rerum notitias pertinet, sed ad animos etiam instituendos. Iure igitur meritoque a Decessore Nostro fel. rec. Pius XI cinematographica theatra « veluti rerum scholae » (Ep. Enc. Vigilanti cura, d. 29 Iunii, a. 1936 A. A. S. vol. XXVIII, 1936, p. 255) appellata sunt; scholae enim idcirco dici possunt, quod id genus spectationibus scaenica actio adiungitur, in, qua vividae illae species, quae versatilis lucis motu effinguntur, cum congruentibus vocibus musicisque concentibus non sine magna fascinatione ita copulantur, ut non modo intellegentiam ceterasque facultates, sed totum etiam homineni attingant, eumque sibi quadam ratione coniungant, ac secum quasi rapiant ad effictam rem participandam.

Cinematographicae, radiophonicae ac televisificae artes, quamquam varia spectationum genera, iam diu in usum inducta, quodam modo amplectuntur, novum tamen unaquaeque artificium exprimit, atque adeo novum spectaculi genus, quod non paucis destinatur selectisque spectatoribus, sed hominum multitudinibus, qui aetate, vitae ordine animique cultura inter se differunt.

Ut autem, hisce in rerum condicionibus, eiusmodi spectacula id, ad quod pertinere debent, assequi queant, necesse est, ut spectatorum mentes animique tam recte instituantur atque educentur, ut non modo propriam unicuique arti formam intellegant, sed ut recta potissimum conscientia hac in re ducantur ; ita ut varia elementa, quae, cinematographicum vel televisificum album conspicienda proponit, vel quae ex megaphonio eduntur, mature considerare et iudicare queant, non autem, ut saepenumero contingit, eorum vi fascinationeque alliciantur et incomposite rapiantur.

Si haec animorum institutio et conformatio desit, quae christianae doctrinae lumine collustretur, tum nec honesta oblectamenta, quae « iis omnibus, quotquot negotiis vitaeque sollicitudinibus detineantur, necessaria prorsus esse nemo est qui non videat » (Ep. Enc. Vigilanti cura: ibid. p. 254), neque mentis culturae prof ectus in tuto posita esse possunt.

Sanae huius spectatorum educationis necessitatem catholici laudabili consilio perpenderunt postremis praesertim hisce annis; ac non pauca sunt instituta atque incepta, quae eo contendunt, ut iuvenes et adulti satius aptiusque velint horum spectaculorum utilitatem et pericula perspicere attenteque considerare. Hoc tamen causam numquam praebeat spectacula frequentandi, quae rectis officiant moribus; quin immo ad ea tantum indicanda ac deligenda conducere debet, quae cum Ecclesiae praeceptis congruant ad religionis morumque normas quod spectat, et quae praescriptis obtemperent ab Ecclesiasticis hac de re Officiis impertitis.

Haec incepta, si, ut omnino confidimus, didascalicis principiis rectisque animi cuiturae normis conformantur, Nos non modo probamus, sed commendamus etiam; atque adeo cupimus, ut inducantur in cuiusvis ordinis scholas, in Actionis Catholicae sodalitates et in paroeciales coetus.

Recta eiusmodi spectatorum institutio atque educatio ex una parte id efficiet, ut pericula minuantur, quibus mores pessumdari queant ; ex altera vero ut christiani possint, per novas, quas adipiscentur cognitiones, animum ad supernas veritates meditandas erigere.

Peculiari autem modo exoptamus eos divini verbi praecones hac etiam de causa dilaudare, qui, cum sint conscii se officio teneri morum integritatem servandi incolumem eorum populorum, quos suis laboribus excolunt et ad viam veritatis traducunt, cinematographicis etiam, radiophonicis et televisificis artibus recto modo in hanc causam utuntur; atque adeo quas utilitates, quae inventa, reapse salutifera, nostra induxerit aetas, cum iisdem communicant. Cupimus igitur, ut eorum operae eorumque conatibus ii praesertim obsecundent, qui vel in Ecclesia vel in civili societate auctoritate pollent.

Animadvertendum tamen est hac in moderanda causa rectam, de qua locuti sumus, spectatorum institutionem educationemque non omnino sufficere. Necesse enim est, ut singula spectacula ad peculiarem cuiusvis aetatis ratiocinandi gradum, sentiendi vim, animi fascinationem, morumque condicionem apta atque accommodata sint.

Id quidem idcirco summam suscipit gravitatem, quod, cum radiophonicae auditiones ac televisifica praesertim spectacula intra ipsos domesticos parietes facillime habeantur, repagula subvertere minantur, quibus sana prolis educatio in tuto poni necesse est, usque dum adulescens aetas necessariam virtutem adipiscatur, qua victrix possit saeculi tempestates superare. Quam ad rem, tribus abhinc annis, haec Italiae Episcopis scribebamus: « Cur non horreamus, si intento recogitenaus animo, per televisificas spectationes etiam in domestico convictu omnes posse venenatum illum aërem imbibere, qui "materialismi" placita sapit, qui fatuitatem et omne genus voluptates cupidinesque eodem modo spirat, quo in cinematographicis auditoriis saepe saepius contingit? » (cfr. Adhortatio de televisione, d. I Ianuarii, a. 1954: A. A. S. vol. XLIV, a. 1954, pag. 21).

Haud ea ignoramus incepta, quae non modo ii, qui publica fruuntur auctoritate, sed privati etiam coetus provexerunt, quorum est iuventutis educationi dare operam; incepta dicimus, ac proposita, quibus eo contenditur, ut adulescentes a spectaculis pro facultate abstrahantur, quae eorum aetati consentanea non sint, et quae saepius non sine gravi discrimine frequentantur. Quidquid laudabili hac de causa agitur, Nos valde probamus; animadvertatur tamen oportet magis quam physiologicas et psychologicas perturbationes, quae inde evenire queant, pericula

praecavenda esse, quae ad iuvenum mores attineant; pericula, quae nisi opportuno tempore praevertantur ac prohibeantur, ad ipsius humanae societatis detrimentum et ruinam multum conferre possunt.

Iuvenes Nobis carissimos hac de causa paterno adhortamur animo, fore confisi, ut, cum de spectaculis agitur, in quibus eorum innocentia periclitari possit, eorum temperantia prudentiaque christiana eniteant. Grave eis officium est innatum illud effrenumque quidquid videndi audiendique studium compescere ac moderari; ac liberum animum ab immodicis terrenisque voluptatibus servare, et ad superna dirigere.

Ecclesia, cum probe noscat ex novis hisce artibus, quae directo oculos auresque attingunt, plurima bona plurimaque mala ac pericula, prouti iisdem utantur homines, oriri posse, suo munere hac etiam in re perfungi cupit; quod per se non ad variam animi culturam pertinet, sed ad religionem potissimum et ad mores regendos moderandosque (cfr. Sermo ad moderatores, docentes, et cultores Consociationis ex omnibus Nationibus Institutorum Archaeologiae, Historiae, et Artis Historiae, d. 9 Martii, a. 1956, habitus: A. A. S. vol. XLVIII, 1956, p. 212).

Quo aptius et facilius huic obeundo muneri prospiceretur, Decessor Noster imm. mem. Pius XI asseveravit atque edixit « prorsus necessarium esse Episcopos stabile pro tota Natione inspectionis Officium constituere, cuius [esset] honestas imaginum series promovere, ceteras autem indicato more generatim distribuere, ac denique editum ab se iudicium sacerdotibus et christifidelibus significare » (Ep. Enc. Vigilanti cura, d. 29 Iunii, a. 1936 : A. A. S. vol. XLVIII, 1936, p. 261); ac praeterea catholicorum omnia incepta de re cinematographica ad probum finem dirigi necesse esse.

In nonnullis autem Nationibus Episcopi, has normas prae oculis habentes, huius generis Officia constituerunt non modo ad rem cinematographicam quod attinet, sed ad radiophonicam etiam ac televisificam.

Iamvero Nos mature considerantes spirituales utilitates, quae ex hisce technicis artibus oriri possunt, itemque necessitatem christianorum morum integritatem tutandi, quam id genus spectationes facile in discrimen adducere possunt, cupimus, ut in singulis Nationibus, si eiusmodi Officia nondum habeantur, nulla interposita mora constituantur quam primum ; eademque viris, harum artium usu peritis, concredantur, quos aliquis sacerdos moderetur ab Episcopis delectus.

Vos hortamur praeterea, Venerabiles Fratres, ut in singulis Nationibus haec virorum Officia, sive ad rem cinematographicam, sive ad radiophonicam, sive denique ad televisificam pertinent, vel ab uno eodemque Consilio pendeant, vel saltem adiutricem invicem operam praestent; itemque hortamur, ut christifideles, ii praesertim, qui in Actionis Catholicae agminibus militant, debito modo edoceantur, ita ut necessitatem percipiant communem efficacemque operam hisce Officiis praestandi libenter.

Et quandoquidem quaestiones hac de re non paucae haud facile queunt in singulis Nationibus enodari ac solvi, perutile profecto erit, si haec singula Officia ad magnas illas ex omnibus Nationibus Consociationes pertinehtmt, quas Apostolica haec Sedes, re mature considerata, iam probavit.

Haud dubitamus autem vos, Venerabiles Fratres, ex iis, quae ad obtemperandum hisce normis, non sine labore et incommodo, feceritis, uberes proditurus esse salutaresque fructus; quod tamen facilius aptiusque eveniet, si peculiaria praescripta, quae de re cinematographica

separatim ac de re radiophonica et televisifica per Encyclicas has Litteras edituri sumus, ad effectum diligenter deducantur.

II

Cinematographeum, quod sexaginta circiter abhinc annis in usum invectum est, hodie maximis est instrumentis annumerandum, quibus cogitata et inventa nostrorum temporum propagari queunt.

De variis eius processibus deque eius fascinatoria vi, occasione, data, iam verba fecimus (cfr. Sermo ad cinematographicae artis cultores ex Italia Romae congregatos, d. 21 Iunii, a. 1955: A. A. S. vol. XLVII, 1955, p. 501-502). Ex hoc eius incremento, ad pellicularum series praesertim quod spectat, quae peculiarem narrationem imaginibus et vocibus expressam vivido quodam modo repraesentant, magna succrevit et negotiosa ars, cui sociam operam praestant non modo artifices, opifices et technici, sed coetus etiam de re oeconomica; quandoquidem singuli cives haud facile possunt tam gravem atque implexam operam exsequi. Quamobrem, ut cinematographeum nobile exsistat instrumentum, quo homines salutariter educentur, ad excelsa erigantur, ac meliores revera fiant (cfr. Sermo ad cinematographicae artis cultores, d. 28 Octobris, a. 1955, Romae congregatos : A. A. S. vol. XLVII, 1955, p. 817), omnino necesse est, ut ii singuli universi, de quibus supra diximus, recta animati conscientia voluntateque adiutricem sibi invicem navitatem praestent, qua probandae taeniolarum cinematographei series effingantur ac propagentur.

Iis omnibus, qui ad cinematographica spectacula vigilem mentem, animumque convertunt, iam huius causae gravitatem non semel patefecimus, eos adhortantes ad earum praesertim imaginum series procurandas, quae ad tam nobilem pulchritudinis speciem pertineant, ut quodam modo sanae educationis munus obire queant (cfr. Sermones d. 21 Iunii et 28 Octobris, a. 1955 habiti: ibid. p. 502-505 et 816 sq.).

Diligenti vobis curae sit, Venerabiles Fratres, ut per peculiaria Nationis vestrae Officia, quae auctoritate vestra moderanda sunt, et de quibus supra scripsimus, variis civium ordinibus, quorum res interest, nuntii, res spectandae, consilia et normae impertiantur, quibus, pro variis temporum locorumque adiunctis, nobilissima haec causa, quae tantopere animorum bono consulere potest, pro facultate provehatur.

Ob hanc rem « peculiaria ordine conficiantur typisque edantur rationaria seu elenchi, in quibus quam saepissime cinematographicae pelliculae distribute ita proponantur ut omnium in notitiam venire possint » (Ep. Enc. Vigilanti cura, d. 29 Iunii, a. 1936: A. A. S. vol. XXVIII, 1936, p. 260-261); idque fiat a proborum virorum Consilio, quod a memorato Nationis cuiusque vestrae Officio pendeat; qui profecto viri doctrina ac rerum prudentia eniteant, cum de singulis cinematographicis taeniolis iudicium ferre debeant, ad christianorum morum normas quod attinet.

Huius Consilii sodales, cum rem tanti momenti tractare ac decernere debeant, quae cum christiana vivendi ratione tam arte coniungitur; cumque probe noscant oporteat peculiarem eam vim, quae ex cinematographicis spectaculis exseritur, variam quidem pro variis spectatorum condicionibus, etiam atque etiam adhortamur, ut opportuno harum disciplinarum studio ac precationi sanctae diu multumque vacent.

Quotiescumque ii debent cinematographicae rei seriem, ad rectos mores quod spectat, iudicare, normas intento animo secum recogitent, iam pluries a Nobis, occasione data, impertitas; cum

praesertim verba fecimus de cinematographeo ad excelsam pulchritudinis educationisque speciem evecto, de argumentis, quae ad religionem attinent, itemque de malorum facinorum repraesentatione, quae numquam neglegat, numquam offendat oportet hominis dignitatem, domestici convictus verecundiam, vitae sanctitatem, Iesu Christi Ecclesiam, ac civilem humanamque consortionem.

Meminerint praeterea munus ipsis concreditum singulas cinematographicas imaginum series quoad mores iudicandi ad id potissimum spectare, ut hominum mentes publice, ut oportet, illuminentur; ita ut omnes inducantur ad normas et principia illa de re morali magni habenda, sine quibus recta animorum cultura verique nominis civilis cultus ne intellegi quidem potest. Quamobrem improbanda sine dubio eorum agendi ratio est, qui, nimis indulgentes, eas pellicularum series admittunt, quae, quamvis technica arte praestent, rectos tamen offendunt mores; vel, quamvis legibus moralibus specie saltem obtemperare videantur, aliquid tamen habent, quod catholicae Fidei adversatur.

Si autem clare aperteque significaverint, quas omnes, quas iuvenes, quas adulti imaginum series visere possint; quae vero ii morum discrimen spectantes inducere queant ; et quae denique omnino pravae ac detrimentosae sint, tum singuli facile poterunt iis tantum spectaculis interesse, ex quibus eorum animi « laetiores, liberiores melioresque exibunt » (cfr. Sermo ad cultores cinematographicae artis ex Italia Romae congregatos, d. 21 Iunii, a. 1955: A. A. S. vol. XLVII, 1955, p. 512); eaque vitare, quae eis damno esse possint, eo profecto graviori, quod pravarum rerum negotiatoribus emolumento, ceteris autem malo exemplo erunt.

Opportunas animadversiones iterantes, quas Decessor Noster fel. rec. Pius XI per Encyclicam Epistulam (Ep. Enc. Vigilanti cura, d. 20 Decembris, a. 1935: A. A. S. vol. XXVIII, 1936, p. 2 60) edidit, cui a verbis Vigilanti cura initium est, optamus vehementer, ut christifideles, quotiescumque fieri potest, non modo hac de causa diligenter moneantur, sed gravi etiam obtemperent officio sese certiores faciendi de sententiis in re cinematographica ab Ecclesiastica Auctoritate latis, eisdemque fideliter obsequendi. In hanc rem Episcopi, si opportunum duxerint, peculiarem per annum diem festum praestituere poterunt, quo christifideles de peculiaribus ipsorum officiis, ad spectacula, praesertim cinematographica, quod attinet, sedulo edoceantur, et ad adhibendas Deo supplices preces hac de causa moneantur.

Ut autem omnes facile queant has sententias noscere, iisdemque obtemperare, necesse est, ut hae normae breviter explicatae opportuno edantur tempore, et quam latissime propagentur.

Quam ad rem multum possunt catholici ludorum cinematographicorum critici, qui rationem moralem eorundem in sua debent luce collocare, talia iudicia propugnantes, quibus praecaveatur, ne ad « relativismum moralem », quem dicunt, descendatur aut legitimus turbetur ordo, quo minora subduntur maioribus.

Perverse igitur agunt diariorum et commentariorum, quae catholica appellantur, scriptores, si, de spectaculis huiusmodi tractantes, lectores non edocent, quid, de iis quoad mores sit sentiendum.

Officii autem conscientia non solum spectatores tenentur, qui, quotiescumque aditus tesseram emunt, quasi suffragia ferentes, toties cinematographeum honestum aut inhonestum eligunt, sed etiam, idque magis, qui auditoria cinematographica exercent atque pelliculas distribuunt.

Haud ignoramus quantis difficultatibus eorum, qui cinematographea exercent, opera hac aetate obstruatur plures ob causas atque etiam eo quod res televisifica tot aucta est incrementis. Tamen

difficilibus hisce in rerum adiunctis meminerint illi oportet conscientia se vetari ludos edere cinematographicos, qui Fidei bonisque moribus adversentur, vel contractus inire, quibus spectacula huiusmodi cogantur praebere. Quoniam vero multis in regionibus iidem sese obligaverunt, ne ullo pacto cinematographicas imaginum series proponerent, quae perniciosae essent vel malae, fore confidimus, ut tam egregium inceptum in omnes orbis terrarum partes pervadat neu ullus vir catholicus cinematographeum exercens dubitet tam frugifera tamque salutaria sequi consilia.

Id etiam vehementer moneamus oportet, ne locus detur nuntiis laudativis mercatoriis, quae insidias parent vel turpia sint, licet praeconia huiusmodi, ut interdum evenit, ad honestas taeniolas cinematographicas pertineant. « Quis dicere possit, quanta detrimenta imagines huiusmodi animis, praesertim iuvenilibus, afferant, quot cogitationes impuras ac pravas excitent voluptates, quantum conferant ad corrumpendos populi mores, non sine discrimine prosperi status ipsius rei publicae? » (cfr. Pii XII sermo ad Urbis Parochos sacrosque per Quadragesimae tempus Oratores die 5 Martii 1957 habitus : A. A. S. vol. XXXXIX, 1957, p. 208).

In auditoriis ergo cinematographicis, Ecclesiae auctoritati obnoxiis, quandoquidem fidelibus ac maxime iuventuti spectacula praebenda sunt rectae institutioni apta atque locorum condicionibus honesta, liquet non nisi eos ludos edi licere, qui, ad mores quod attinet, nullo modo possint improbari.

Sacrorum Antistites, huiusmodi auditoriis, etiam religiosorum exemptorum, ad quae vulgo patet aditus, sedulo invigilantes, viros ecclesiasticos, in quos rei onus recidit, admoneant, ut fideliter accurateque normas de his propositas servent neve suae utilitatis nimis sint studiosi, si velint ministerii huius partes implere, quod Apostolicae Sedi maximae curae est. Magnopere etiam suademus, ut, qui auditoriis hisce catholicis sunt praefecti, in collegia coeant — quemadmodum nonnullis in regionibus non sine assensu et probatione Nostra factum est — quo efficacius, praecepta et invitamenta Officiorum singulis in Nationibus constitutorum ad usum deducentes, communia commoda rationesque tueantur.

Adhortationes vero, quas auditoria cinematographica exercentibus adhibuimus, ad distributores quoque, volumus pertinere, qui, cum in pelliculas ipsas conficiendas suis sumptibus interdum operam conferant, maiorem sane habent copiam, atque adeo graviore obstringuntur officio, honesta cinematographica spectacula promovendi. Distributio enim nullo modo technica quaedam muneris functio, uti dicunt, existimari debet, cum taeniolae cinematographicae — ut saepius iam monuimus — non solum merces aestimandae sint, sed etiam, idque potius, ingenii alimentum habendae et quasi palaestra animorum morumque vulgi. Itaque distributores locatoresque eodem modo merita et onera participant, prout a cinematographicis ludis bonum aliquid proficiscitur aut malum.

Cum igitur agatur de re cinematographica melioribus conformanda rationibus, non modicum est conscientiae officium, quo actores scaenici obligantur ; qui quidem, memores dignitatis suae ut homines et artis periti, noverint sibi non licere operam suam ad spectaculorum partes commodare vel eam sociare ad imaginum series exprimendas, quae bonis moribus adversantur. Actor vero quivis, ingenio et artificio nominis famam adeptus, ea, qua floret, laude ita uti debet, ut vulgi animos ad ea erigat, quae egregia sint et praeclara; memineritque suum esse imprimis in vita privata ceteris virtute in exemplum praelucere. Haec enim, artis peritos olim allocuti, asseveravimus : « Neminem fugit coram spectatorum multitudine, in vos intenta, anhelante, plaudente, fremente, animos vestros vehementius concitari atque gaudio et excelsitate quadam

perfundi » (cfr. Sermo de arte scaenica die 26 Augusti 1945 habitus : Discorsi e Radiomessaggi di Sua Santità Pio XII, vol. VII, p. 157).

Quodsi haec iure meritoque aliquem sentire dici queat, tamen non efficitur, ut scaenicis christianis eas liceat a consessu accipere animi declarationes, quae cuiusdam quasi idololatriae similes sint, cum hic quoque obtineat, quod ait Servator : « Sic luceat lux vestra coram hominibus : ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est » (Matth. 5, 16).

Maximum vero officii onus — quamquam ratione diversa — in pellicularum auctores atque scaenici apparatus artifices recidit. Tanti oneris conscientia egregiis eorum inceptis non obest, sed potius animos debet confirmare eorum, qui, bona praediti voluntate, pecuniis pollent aut ingenii dotibus ad huiusmodi imaginum series efficiendas aptis.

Saepe etiam accidit, ut taeniolarum cinematographicarum auctores et scaenici apparatus artifices propter artis rationes et necessitates ac simul religionis morumque praecepta difficultate non levi afficiantur ; tunc, antequam imaginum series exprimitur vel dum efficitur, legitimum expetendum est iudicium sapiensque ineundum consilium, ut bono spirituali spectatorum atque ipsius operis perfectioni provideatur. Hi ergo consulere non dubitent Officium Catholicum rei cinematographicae praepositum, ad quod pertinet quodque libenter iis aderit, etiam negotii huius curam, si oportuerit, viro ecclesiastico huius rei perito, cautione adhibita, delegando.

Neque fiet, ut propter fiduciam, quam in Ecclesia collocarunt, auctoritas et gratia eorum imminuantur ; « Fides enim, omne in aevum, praesidium erit humanae personae » (cfr. Epist. Pii XII ad christifideles Germaniae, ob conventum « Katholikentag » appellatum, Berolinum congregatos die 10 Augusti, a. 1952 : A. A. S. vol. XLIV, 1952, p. 725), atque in ipsis operibus artificiosis exigendis humana persona luce doctrinae christianae rectaque morum ratione locupletatur et perficitur.

Tamen viris ecclesiasticis fas non est operam adiutricem auctoribus imaginum cinematographicarum praebere sine peculiari Moderatorum suorum mandato, cum, ut perspicuum est, ad bene suadendum hac in re necessaria sit artis praestantia eximia et non vulgaris institutio, quarum iudicium singulorum arbitrio permitti non potest.

Catholicos ergo taeniolarum cinematographicarum auctores et scaenici apparatus artifices paterno monemus animo, ne imaginum series fieri sinant, quae Fidei moribusque christianis repugnent ; si autem, quod Deus avertat, hoc evenerit, Episcoporum est eos admonere et, si opus fuerit, opportunis plectere sanctionibus.

Persuasum autem est Nobis, ut res cinematographica ad optimam atque perfectam formam educatur, nihil esse efficacius quam conformationem ad christianae legis praecepta eorum, qui in efficiendis hisce pelliculis operam collocant.

Quarum effectores, si ad fontes, unde superna munera permanant, accedant, si doctrinam perdiscant Evangelicam, si cognoverint, quae Ecclesia de veritate vitae, de beatitudine et virtute, de dolore et peccato, de corpore et anima, de re sociali et studiis hominum tradit praecepta, novas deprehendent praeclarasque rationes, quas ineant, et ad opera egregia et perennia condenda novo quodam instinctu excitari se sentient.

Oportet ergo promoveantur augeanturque ea incepta et exercitationes, quibus illorum animi vita alatur et incrementis confirmetur ; plurimum vero hac in re christianae institutioni iuvenum tribuendum est, qui ad artem cinematographicam profitendam se componunt.

Peculiaribus hisce de re cinematographica praeceptionibus finem imponentes, publicae rei Moderatores cohortamur, ne ullo pacto opem praebeant ad efficiendas aut in vulgus edendas pelliculas cinematographicas deteriores, sed ut opportunis propositis normis ad ludos cinematographicos honestos et probabiles apparandos, praesertim qui iuventuti destinantur, auxiliatores exsistant. Quoniam tot tantique pro populi educatione sustinentur sumptus, eo etiam mentem intendant, ut tanti momenti negotium, quod in ipsa quoque institutione versatur, recta expediatur ratione.

Cum vero quibusdam in regionibus atque etiam in exhibitionibus, ad omnes pertinentibus Nationes, praemiis, ad hoc ipsum propositis, eae non immerito afficiantur pelliculae, quae eo commendantur, quod ad institutionem valent animique vitam, fore confidimus, ut boni cordatique homines omnes, monitis Nostris obsecuti, allaborent, ne taeniolis cinematographicis, laude dignis, communis plausus et probatio, quasi praemium, desint.

III

Nec minus diligenter exponere volumus Vobis, Venerabiles Fratres, qua urgeamur sollicitudine circa aliud instrumentum ad nuntios dimittendos aptum et eadem, qua cinematographeum, invectum aetate, radiophonium dicimus.

Quamquam tot tantisque subsidiis scaenicis et percommodis locorum rerumque adiunctis, quibus cinematographeum fruitur, non est praeditum, radiophonium tamen alias habet utilitates, quarum non omnes adhuc quaesitae sunt.

« Illius enim — quemadmodum societatis cuiusdam radiophonicae sodalibus et administris diximus — haec est condicio, ut a locorum temporisque adiunctis quasi dissociatum sit et immune, quae cetera omnia praepediunt et retardant instrumenta, quibus homines inter se communicant. Volucri enim quasi cursu multo ociore quam undae sonorae motu, citissimum ut lucis fluxus, fines omnes momento temporis transgrediens, nuntios perfert, qui ei crediti sunt » (cfr. Sermo d. 3 Decembris, a. 1944 habitus : Discorsi e Radiomessaggi di Sua Santità Pio XII, vol. VI, p. 209).

Novis inventis ad perfectionem paene absolutionemque perductum, radiophonium artibus technicis eximias affert utilitates, cum etiam machinae eiusmodi radiante vi ad praestituta loca sine gubernatore dirigantur. Nos autem non immerito arbitramur praeclarissimum munus, quo radiophonium spectare debeat, hoc esse : mentes hominum illuminare et erudire, eorumque ingenia et animos ad superna et incorporalia magis magisque erigere.

Intima autem animi humani studia eo pertinent, ut quis, licet domesticis contineatur parietibus, alios audiat homines, eventus cognoscat, qui procul fiunt, et socialis vitae rationem et ingenii cultum participet.

Nihil mirum igitur, si permultae domus celerrime fuerint undisonis scriniis instructae, quibus efficitur, ut inde quasi quaedam arcana fenestella pateat in orbem terrarum, qua diu noctuque actuosa vita hominum diversi cultus ingenii, diversi sermonis et generis attingatur; hoc fit per innumerabiles radiophonicas transmissiones certa ratione propositas, quibus comprehenduntur novi eventus, colloquia, sermones, res ad cognoscendum utiles et iucundae, artificia, cantus, modi musici.

Ut enim non ita pridem sumus elocuti, « quanto beneficio fruuntur, quantoque officii onere devinciuntur homines, qui nunc sunt, et quam mutata sunt tempora antiqua, quibus disciplina veritatis, praeceptum fraterni amoris, sempiternae beatitatis promissa ad homines lente perveniebant per Apostolos, asperas semitas, ut aetate illa vetusta, terentes, cum nostris diebus

nuntius divinus eodem momento ad decies ac pluries centena milia hominum perferri possit » (cfr. Nuntius radiophonicus ad eos, qui interfuerunt tertio generali conventui de communicationibus inter cives et nationes, sexagesimo volvente anno a radiotelegraphia inventa, Genuae habito : A. A. S. vol. XLVII, 1955, p. 736).

Expedit ergo christifideles hoc beneficio, aetate nostra inducto, uti, atque muneribus, ad doctrinam, ad animi relaxationem, ad artem ipsumque verbum divinum spectantibus, quae ipsis per radiophonicas undas obveniunt, quasi locupletari, cum ita scientiam queant incrementis augere ac veluti animi fines propagare.

Neminem ergo latet, quantum ad recte instituendos homines possint honestae vocum sonorumque radiophonicae transmissiones ; tamen ex usu instrumenti huiusce onus oritur conscientiae, quemadmodum in artibus technicis ceteris, cum ad patrandum bonum aut malum possit adhiberi. Ad radiophonicam igitur artem trasferri queunt haec, quae in divinis litteris scripta sunt, verba : « In ipsa benedicimus Deum et Patrem: et in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. Ex ipso ore procedit benedictio et maledictio » (Iac. 3, 9-10).

Quivis undisonam auscultans capsellam praecipuo tenetur officio radiophonicas transmissiones certa ratione propositas diligenter accurateque seligendi; hae enim non sinantur tumultuarie in domos pervadere sed, quemadmodum amicus conscie prudenterque vocatur, ita iis eodem concedatur aditus. Nequiter autem agat, qui amicorum, ad larem suum inducendorum, non habeat delectum. Itaque radiophonicae, quae eo admittantur, vocum sonorumque transmissiones huiusmodi sint oportet, ut veritatem et bonum suadeant, ut familiae sodales non avertant a conscientiae officiis implendis, sive haec ad singulos spectent sive ad hominum societatem, sed ut eos confirment ad eadem rite exsequenda ac, si de adulescentibus agatur puerisque, nullum afferant detrimentum, quin etiam salubrem parentum et magistrorum disciplinam adiuvent et producant.

Officia Catholica rei radiophonicae singulis in Nationibus praeposita studeant, catholicis diariis et commentariis ut subsidiis usa, christifideles de huiusmodi transmissionum natura et ratione antea certiores facere. Haec vero monita ante danda non omnibus in locis fieri poterunt ac saepe non nisi quoddam erunt indicium, quod nonnullae huiusmodi radiophonicae acroases ante haud facile cognosci possunt.

Pastores gregum christifideles moneant divina lege vetari radiophonicas vocum sonorumque audiri transmissiones, quae Fidei aut moribus sint perniciosae, eosque, quibus iuventutis cura commissa est, cohortentur, ut invigilent eisque religionem iniciant quoad usum instrumenti radiophonici domi collocati.

Episcoporum praeterea est christifideles appellare, ut ab iis caveant stationibus radiophonicis, quas constet doctrinae capita christianae Fidei contraria propugnare.

Alterum officium, quo radiophonii auditores obligantur, eo pertinet, ut iis, qui pro munere huiusmodi transmissionibus praesunt, optata sua iustasque reprehensiones significent. Quae obligatio ex ipsa natura rei radiophonicae manifesto proficiscitur, quae huiusmodi est, ut facile ratio quaedam singularis, non mutua, exsistat, scilicet ea, qua non nisi transmittens attingat audientem.

Cum, qui nostra aetate invaluerunt, modi vulgi opinionem explorandi, adeo ut cognoscatur, quantum studii apud audientes singulae radiophonicae transmissiones accendant, sine dubio utiles sint iis, qui acroases moderantur radiophonicas, tamen contingere potest, ut populi plausus

plus minus vehemens levibus ac fluxis causis sit tribuendus vel impulsionibus rectae rationi minus consentaneis, ita ut iudicium huiusmodi haberi nequeat pro certa agendi norma.

Quae cum ita sint, auditores radiophonii pro viribus operam dare debent, ut in vulgo opinio obtineat prudens, qua, debitis servatis modis, hae transmissiones, prout res postulat, probentur, confirmentur, reprehendantur, quaque fiat, ut radiophonica ars, quae pro munere in hominum institutione versatur, « serviat veritati, bonis moribus, iustitiae, amori » (cfr. Sermo Pii XII d. 3 Octobris, a. 1947 quinquagesimo expleto anno ab arte radiophonica inventa habitus : Discorsi e Radiomessaggi di Sua Santità Pio XII, vol. XI, p. 267).

Haec ad effectum deducere omnium est sodalitatum catholicarum, quae christifidelium commodis hac in re strenue consulere studeant. Iis autem in regionibus, ubi rerum locorumque adiuncta id suadeant, ad hoc ipsum institui poterunt societates auditorum spectatorumque, Officiis rei cinematographicae, radiophonicae et televisificae singulis in Nationibus praepositis, obnoxiae.

Noverint denique radiophonii auditores obligatione se teneri acroases promovendi honestas, ac maxime eas, quibus animi ad Deum erigantur. Nonne christifideles, praesertim ii, qui radiophonii commoda cotidiano usu experiuntur, alacres se praebeant ad huiusmodi transmissiones provehendas, maxime hac aetate, qua per aërias undas doctrinae falsae et perversae disseminantur, qua instrumentis perturbantibus in aethere quasi quoddam « vallum ferreum », ad sonos quod attinet, effectum est, eo quidem consilio, ne veritati, quae « materialismi athei » evertat imperium, pateat aditus, hac dicimus aetate, qua pluries centena milia hominum Evangelii nuntium quasi illucescentem auroram adhuc praestolantur et aegroti aliove modo praepediti anxie exoptant, ut communitatis christianae preces et Eucharistici Sacrificii ritum aliqua ratione participent?

Haud equidem ignoramus quantum variis in regionibus impensum sit laboris et impendatur, ut acroases catholicae in radiophonicis stationibus augeantur. Multi sane exstiterunt homines ecclesiastici et laici hac in re antesignani, qui acri studio effecerunt, ut sacris transmissionibus radiophonicis is daretur locus, qui religioni convenit, quae potior est quam res humanae universae.

Interea autem, dum intento animo consideramus, quantopere radiophonica ars sacri ministerii causae prodesse queat, dumque illo urgemur Divini Redemptoris mandato: « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae » (Marc.16, 15), facere non possumus quin vos, Venerabiles Fratres, paterne adhortemur, ut id genus de re catholica, auditiones, pro varia uniuscuiusque loci necessitate atque facultate, magis magisque promovere ac perficere studeatis.

Cum vero summa, qua par est, dignitate liturgicos ritus, catholicas veritates, res atque eventus Ecclesiae marconianae artis ope proponere, praeter debitam vigilantiam, multum profecto ingenii, multum peritiae quoque expostulet, necessarium omnino est, ut sive sacerdotes sive laici, qui ad hanc tanti momenti navitatem destinentur, recta consentaneaque ratione instituantur.

Quam ad rem sane expedit, ut apud Nationes, in quibus catholici recentioribus huius artis instrumentis utuntur eorumque diuturno usu ceteris praestant, opportuna per certum tempus de hac re habeantur studia exercitationesque, quorum ope ex aliis etiam Nationibus candidati illam valeant adipisci peritiam, quae requiritur, ut radiophonicae de re religiosa transmissiones ad optima ingenuae artis praescripta technicorumque rationes redigantur.

Ipsis Nationis Officiis curae erit intra suae cuiusque dicionis fines varia religiosarum auditionum genera promovere eaque apte inter se ordinare atque componere; eadem praeterea, quantum fieri poterit, ceterarum radiophonicarum stationum moderatoribus adiutricem praestabunt operam, sedula adhibita vigilantia, ne in eiusmodi auditiones quid irrepat honestati morum minus consentaneum.

Quod attinet autem ad ecclesiasticos viros, etiam ex religiosorum sodalitatibus exemptis, qui suam navant operam apud radiophonicas vel televisificas stationes, Episcoporum erit opportunas impertire normas, quas exsequendi cura variis Nationis Officiis demandabitur.

Peculiari modo perplacet catholicarum radiophonicarum stationum Moderatoribus et administris hortamenta Nostra adhibere. Difficultates sane innumerae hac in re subeundae Nobis plane innotescunt; fore tamen confidimus, ut iidem hoc apostolatus opus, quoci Nos tantopere pendimus, strenuo animo ac viribus inter se collatis prosequi pergant.

Ad Nos quod attinet, amplificandam perficiendamque curavimus Radiophonicam Vaticanam Stationem, optime de re catholica meritam, cuius incepta, saluberrima sane — quemadmodum Hollandiae christifidelibus amplissima largitate praestantibus asseveravimus — flagrantissimis votis summisque totius catholici orbis necessitatibus » apprime respondent (cfr. Sermo ad Hollandiae catholicos, d. 19 Maii, a. 1950 habitus : Discorsi e Radiomessaggi di Sua Santità Pio XII, vol. XII, p. 75).

Praeterea grata prosequi voluntate percupimus universos probos radiophonicarum transmissionum auctores ac moderatores ob rectam Ecclesiae necessitatum aestimationem, quam ex iisdem plures testati sunt, sive Dei propagando verbo libenter opportuna tempora assignantes, sive necessaria artis adiumenta suppeditantes. Ii quidem hoc agendi modo mercedem prof ecto participant apostolico operi propriam, etsi per aethereas undas exercetur, prouti Christus Dominus pollicitus est: « Qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet » (Matth. 10, 41).

Hisce temporibus radiophonicae acroases, artificio praecellentes, postulant, ut ad genuina artis principia conformentur ; earum igitur auctores omnesque, qui iisdem parandis vel efficiendis dant operam, uberis doctrinae praesidio instructi sint oportet. Quamobrem eos etiam, ut iam cinematographicae artis cultores, enixe compellamus, ut materiae copiam, quae ex amplissimo christianae humanitatis penu sufficitur, in rem suam convertant. Denique sacrorum Antistites in publicae rei moderatorum memoriam revocent, ad eorum officium pertinere sedula, qua par est, diligentia in tuto ponere propagandas de re catholica auditiones, peculiari dierum festorum habita ratione ac spiritualium necessitatum, quibus christifideles cotidie premuntur.

IV

Reliquum est, Venerabiles Fratres, ut breviter de televisione quoque vobiscum agamus, quae quidem per Pontificatus Nostri decursum in quibusdam Nationibus mira suscepit incrementa, in aliis autem pedetemptim iam in usum inducitur.

Invalescentem huius artis consuetudinem, quae procul dubio in humani generis fastis magni ponderis est eventus, studioso animo, alacri spe gravibusque affecti sollicitudinibus prosecuti sumus, atque dum ex una parte inde ab initio saluberrimam eius vim novasque obortas utilitates extulimus, ex altera vero pericula ac male utentium intemperantiam prospeximus atque indicavimus.

Televisioni plura sunt; cum cinematographica arte communia, quandoquidem eius spectationes ipsam vitae actionem agitationemque oculis exhibent ; haud raro enim cinematographici ludi eidem materiam praebent. Praeterea ipsam quoque indolem atque vim radiophonicae artis propriam quodammodo participat, quippe quae potius quam in theatris, intra domesticos parietes ad homines convertatur.

Supervacaneum ducimus hoc loco Nostra iterare monita, quae de cinematographicis ludis deque radiophonicis transmissionibus iam habuimus; de officiis scilicet, quibus hac in re spectatores, auditores, auctores necnon publicae rei Moderatores tenentur. Neque est, cur iterum commemoremus curam atque diligentiam necessario adhibendam, ut varia religiosarum spectationum genera rite parentur atque promoveantur.

Compertum habemus, quam sedulo studio creberrima spectatorum multitudo res catholicas per televisionem relatas conspiciat. Liquet omnino Eucharisticum Sacrificium televisionis ope participare — uti paucos ante annos, ad radiophonium quod attinet, declaravimus (cfr. Sermo ad radiophonicae artis cultores conventum ex omnibus Nationibus participantes, d. 5 Maii, a. 1950: Discorsi e Radiomessaggi di Sua Santità Pio XII, vol. XII, p. 55) — non idem esse ac Divino Sacrificio coram adesse, ut diebus festis praecipitur. Uberrimi tamen fructus ex liturgicis prodeuntes ritibus per televisionem ob oculos propositis, quos quidem ad roborandam Fidem sanctitudinemque fovendam omnes percipere possunt, quibus alio modo participandi copia deest, Nobis plane suadent, ut spectationes huiusmodi etiam atque etiam commendemus.

In singulis Nationibus Episcoporum erit de televisificarum rei religiosae transmissionum opportunitate iudicare, easdemque constituto Officio efficiendas concredere, quod quidem, ut in rebus similibus, vigilem navabit operam ad notitias propagandas, ad auditorum animos educandos et ad omnia ordinanda et componenda, modo quidem christianis moribus consentaneo.

Televisio autem praeter id, quod cum duobus ad res evulgandas artis inventis, de quibus iam diximus, commune habet, sua quoque pollet vi suaque efficacitate. Televisificae enim artis ope efficitur, ut longinquos eventus auribus oculisque subiectos eodem puncto temporis, quo contingant, spectatores conspiciant, atque ita alliciantur, ut quasi praesentes eosdem participent; ipsa autem intima domesticae vitae consuetudine eiusmodi propinquitas valde adaugetur.

Peculiaris haec oblectandi vis, qua inter sacra familiae penetralia televisio pollet, permagni quidem facienda est, quippe quae plurimum conferat ad religiosam vitam, ad humanitatem atque ad mores eorum, ex quibus familia constat, filiorum praesertim. quos recentioris huiusce inventi fascinatio procul dubio afficiet ac tenebit. Quodsi illud : « Modicum fermentum totam massam corrumpit » (Gal. 5, 9) veritati omnino respondet, atque in adulescentibus vita corporis, quodam contagionis germine infecta, impediri potest, quominus ad plenam virium maturitatem perveniat, multo magis pravum aliquod educationis elementum religiosae vitae nervos valet elidere, ac debitam morum conformationem remorari. Ceterum quis ignorat saepissime pueros extra domum morbi vim repentem vitare posse, latentem intra domum effugere non posse?

Domestici convictus sanctitatem quoquo modo in discrimen adducere nefas est; Ecclesia igitur, prout eius ius et officium postulant, omnibus viribus semper contendit, ne pravis televisificis spectationibus sacra eiusmodi limina ullo pacto violentur.

Cum televisio inter cetera hoc quoque salutiferum sane commodum pariat, ut minores ac maiores natu domi facilius remaneant, ea profecto plurimum valet ad amoris fideique vinculum

intra saepta domestica roborandum, dummodo nihil proferat, quod iisdem fidei et casti amoris virtutibus minus consentiat.

Haud tamen desunt, qui sanctissima haec postulata ad rem posse deduci, saltem in praesens, omnino negent. Dictitant, enim, fidem spectatoribus datam haudquaquam sinere, ut ulla ex parte vacuum abeat tempus televisificis transmissionibus assignatum; praeterea necessita tem plura spectationum genera in promptu semper habendi cogere, ut interdum spectacula exhibeantur initio ad publicum theatrum tantummodo destinata; televisionem denique non ad iuvenes tantum sed ad provectae etiam aetatis homines pertinere. Haud infitiamur hac in re difficultates profecto occurrere; earundem tamen solutio minime in posterum remittenda est, cum huius artis usus, non antea prudentis consilii frenis temperatus, gravissima detrimenta singulis civibus atque hominum communitati iam attulerit; quae quidem ex aequo aestimari usque adhuc difficulter possunt.

Ut autem harum difficultatum enodatio cum increbrescente rei televisificae usu in singulis Nationibus pari gressu procedat, primo loco apparandis variis spectationibus impensissima opera danda est, quae quidem ethicis, psychologicis necnon technicis televisionis rationibus respondeat.

Quamobrem catholicos viros eruditione, doctrina, optimarum artium scientia praestantes — atque imprimis clerum atque Ordinum vel Congregationum religiosos sodales — paterno animo adhortamur, ut ad hanc novam artem mentem convertant sociamque conferant navitatem suam, ita quidem, ut quae praeteritae aetates ac veri nominis progressus ad excolendum animum bona protulerint, eadem in televisionis commodum utilitatemque redundent.

Praeterea necesse est, ut, qui in effingendis televisionis taeniolis moderatorum partes agunt, non modo sarta tecta servari religionis honestatisque principia curent, verum periculum etiam diligenter attendant, in quod forte adduci possint iuvenes, qui spectaculis intersint ad provectae aetatis homines pertinentibus. Quod attinet ad spectaculorum cognatum genus, quae in cinematographeis et in publicis theatris exhibentur, apud plerasque excultas Nationes opportunis cautionibus provisum est, consulto atque in communis boni tutelam, ut iuvenes ab inhonestis ludicris arceantur. Nemo autem est qui non videat, televisionem quoque, immo multo magis, sedulae vigilantiae commodis atque praesidiis indigere. Si vero contingat, quod penes quasdam Nationes laudabiliter exclusum est, ut alicubi televisificae transmissiones specctacula admittant adulescentibus prohibita, tunc saltem certae cautiones sunt omnino necessariae.

Perperam tamen aliquis putaverit egregia proposita rectamque officii conscientiam eorum, qui id genus artem exercent, satis valere ad bona omnia eruenda, quae ex mira illa parvi televisifici albi arte profluant, aut ad quaevis pericula removenda.

Hac enim in re prudentia ac vigil eorum cura, qui televisificis scriniis utuntur, prorsus expostulantur. Rectus in televisione adhibenda modus, prudens ad spectandum filiorum admissio ex aetate decernenda, aequa de visis iam spectaculis aestimatio, ac denique ab eis, quae minus addeceant, filiorum exclusio: haec omnia totidem sunt officia, quibus parentes atque omnes, in quos educandi munus incumbit, graviter onerantur.

Haud equidem ignoramus, ea praesertim, quae postremo loco monuimus, graves interdum difficultates et gravia incommoda gignere posse; siquidem impertiendae educationis conscientia parentes haud raro iubebit proli exemplo praeesse, atque etiam cum suo ipsorum gravamine se a quibusdam allicientibus spectationibus abstinere. At quis nimio gravius putet onus, quod parentibus praecipitur, cum maximum liberorum bonum in discrimen vocatur?

Quae cum ita sint, « urget quam maxime necessitas — quemadmodum iam Italiae Episcopis scripto asseveravimus — ut catholicorum conscientia de televisionis usu ad sana christianae religionis principia conformetur » (cfr. Adhortatio Apostolica de televisione, d. I Ianuarii a. 1954: A. A. S. vol. XLVI, 1954, p. 23); adeo quidem, ut non errori, non vitiorum illecebris eiusmodi ars inserviat, sed « ad homines erudiendos, instituendos, et ad meliorem statum revocandos » (cfr. Sermo de gravi televisionis momento, d. 21 Octobris a. 1955: A. A. S. vol. XLVII, 1955, p. 777) subsidium potius evadat.

Hisce Litteris finem facere non possumus, Venerabiles Fratres, quin in memoriam vestram redigamus, quanti momenti sint partes sacerdoti concreditae, ut in ceteris apostolatus campis, etiam in hoc Ecclesiae necessario opere, quod evulgandarum rerum inventa respicit, cum promovenda, tum in usum adhibenda.

Is nempe quaestiones universas pernoscat oportet, quae in re cinematographica, radiophonica atque televisifica christifidelium animis proponuntur. « Sacerdos, cui animorum cura demandata est — ita Nos in oratione habita ad participantes Conventum per hebdomadam actum de ministerio sacro in Italia ad huius aetatis rationem instituendo — scire potest ac debet, quidquid nostrae aetatis studiis, liberalibus artibus atque technicae progressibus profertur, quod quidem ad supremum hominis finem eiusque religiosam vitam ac mores attineat » (cfr. Sermo d. 14 Septembris a. 1956 habitus : A. A. S. vol. XLVIII, 1956, p. 707). Hisce adiumentis recte uti addiscat, quotiescumque, pro prudenti ecclesiasticae auctoritatis iudicio, id postulant concrediti sibi ministerii indoles aut necessitas frequentiori animorum multitudini opitulandi. Denique, si a sacerdote eaedem artes in ipsius utilitatem adhibeantur, eius prudentia, temperantia, necnon recta officiorum conscientia in exemplum christifidelibus omnibus refulgeant.

Placuit has, quibus profecto et vos ipsi afficimini, Venerabiles Fratres, curas sollicitudinesque aperire Nostras, de gravibus, quae christianorum Fidei moribusque instare possunt periculis, si validissima eiusmodi ad audiendum et ad spectandum artis inventa ad pravos usus ab hominibus detorqueantur.

Haud tamen omisimus commoda quoque utilitatesque indicare, quae hodierna eiusmodi instrumenta valent afferre. Quam ad rem, praelucentibus christianae Fidei legisque naturalis praeceptis, principia illustravimus, ad quorum normas regi atque conformari necesse est, tum eorum actionem, qui haec ad res evulgandas instrumenta moderantur, tum hominum conscientiam, qui iisdem utuntur. Atque ob id ipsum, ut nempe haec Dei Providentis munera animorum bonum procurent, vos paterne adhortati sumus, non solum, ad vigilem agendam curam, sed ad actuosam etiam vestram operam auctoritatemque interponendam.

Nam ad cuiusque Nationis id genus Officia, quae hac data quoque occasione vobis commendamus, non solum pertinet munus servandi atque tuendi, sed potissimum moderandi, ordinandi atque iuvandi permulta educationis incepta, quae in variis Nationibus inita sunt, ut per hanc tam arduam tamque immensam artium provinciam longe lateque christiani spiritus propagentur.

Quandoquidem autem hanc Dei causam triumphaturam firmiter confidimus, minime dubitamus quin Nostra haec praescripta ac mandata — quae quidem ad rem diligenter deducenda Pontificio Consilio de re cinematographica, radiophonica et televisifica committimus — nova apostolatus studia excitare valeant in hoc campo, qui tam laetam tamque uberem segetem pollicetur.

Hac spe suffulti, quam vestra pastoralis alacritas Nobis sane exploratissima valde confirmat, Apostolicam Benedictionem, caelestium gratiarum conciliatricem, vobis, Venerabiles Fratres,

itemque clero populoque unicuique vestrum concreditis, iis nominatim, qui ad vota ac mandata Nostra adimplenda actuosam conferent operam, effusa caritate impertimus. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die VIII mensis Septembris, in Festo Nativitatis Beatae Mariae Virginis, anno MDCCCCLVII, Pontificatus Nostri undevicesimo.

05

Prior = Miranda prorsus, post = Gravissimum educationis

05. GAUDIUM ET SPES CONSTITUTIO PASTORALIS DE ECCLESIA IN MUNDO HUIUS TEMPORIS PROOEMIUM

1. De intima coniunctione Ecclesiae cum tota familia gentium.

***Gaudium et spes, luctus et angor hominum huius temporis**, pauperum praesertim et quorumvis afflictorum, gaudium sunt et spes, luctus et angor etiam Christi discipulorum, nihilque vere humanum invenitur, quod in corde eorum non resonet. Ipsorum enim communitas ex hominibus coalescit, qui, in Christo coadunati, a Spiritu Sancto diriguntur in sua ad Regnum Patris peregrinatione et nuntium salutis omnibus proponendum acceperunt. Quapropter ipsa cum genere humano eiusque historia se revera intime coniunctam experitur.*

2. Ad quosnam Concilium sermonem dirigat.

Ideo Concilium Vaticanum Secundum, mysterio Ecclesiae penitius investigato, iam non ad solos Ecclesiae filios omnesque Christi nomen invocantes, sed ad universos homines incunctanter sermonem convertit, omnibus exponere cupiens quomodo Ecclesiae praesentiam ac navitatem in mundo hodierno concipiat.

Mundum igitur hominum prae oculis habet seu universam familiam humanam cum universitate rerum inter quas vivit; mundum, theatrum historiae generis humani, eiusque industria, cladibus ac victoriis signatum; mundum, quem christifideles credunt ex amore Creatoris conditum et conservatum, sub peccati quidem servitute positum, sed a Christo crucifixo et resurgente, fracta potestate Maligni, liberatum, ut secundum propositum Dei transformetur et ad consummationem perveniat.

3. De ministerio homini praebendo.

Nostris autem diebus, genus humanum, de propriis inventis propriaque potentia admiratione commotum, saepe tamen anxias agitat quaestiones de hodierna mundi evolutione, de loco et munere hominis in orbe universo, de sui individualis et collectivi conaminis sensu, denique de ultimo rerum hominumque fine. Quapropter Concilium, fidem universi populi Dei, a Christo congregati, testificans et exponens, ipsius coniunctionem, observantiam ac dilectionem erga totam hominum familiam, cui inseritur, eloquentius demonstrare non valet quam instituendo cum ea de variis illis problematibus colloquium, lumen afferendo ex Evangelio depromptum, atque humano generi salutares vires suppeditando, quas ipsa Ecclesia, Spiritu Sancto ducente, a Fundatore suo accipit. Hominis enim persona salvanda est humanaque societas instauranda. Homo igitur, et quidem unus ac totus, cum corpore et anima, corde et conscientia, mente et voluntate, totius nostrae explanationis cardo erit.

Ideo Sacra Synodus, altissimam vocationem hominis profitens et divinum quoddam semen in eo insertum asseverans, generi humano sinceram cooperationem Ecclesiae offert ad instituendam eam omnium fraternitatem quae huic vocationi respondeat. Nulla ambitione terrestri movetur Ecclesia, sed unum tantum intendit: nempe, Spiritus Paracliti ductu, opus ipsius continuare Christi, qui in mundum venit ut testimonium perhiberet veritati (2), ut salvaret, non ut iudicaret, ut ministraret, non ut sibi ministraretur (3).

EXPOSITIO INTRODUCTIVA DE HOMINIS CONDICIONE IN MUNDO HODIERNO

4. De spe et angore.

Ad tale munus exsequendum, per omne tempus Ecclesiae officium incumbit signa temporum perscrutandi et sub Evangelii luce interpretandi; ita ut, modo unicuique generationi accommodato, ad perennes hominum interrogationes de sensu vitae praesentis et futurae deque earum mutua relatione respondere possit. Oportet itaque ut mundus in quo vivimus necnon eius exspectationes, appetitiones et indoles saepe dramatica cognoscantur et intelligantur. Quaedam autem principaliores mundi hodierni notae sequenti modo delineari possunt.

Hodie genus humanum in nova historiae suae aetate versatur in qua profundae et celeres mutationes ad universum orbem gradatim extenduntur. Ab hominis intelligentia et creativa industria excitatae, in ipsum hominem recidunt, in eius iudicia et desideria individualia et collectiva, in eius modum cogitandi et agendi tum circa res tum circa homines. Ita iam de vera sociali et culturali transformatione loqui possumus, quae etiam in vitam religiosam redundat.

Ut in quavis accretionis crisi contingit, haec transformatio non leves secumfert difficultates. Ita, dum homo potentiam suam tam late extendit, eam tamen non semper ad suum servitium redigere valet. Proprii animi intimiora altius penetrare satagens, saepe de seipso magis incertus apparet. Leges vitae socialis pedetentim clarius detegens, de directione ei imprimenda anceps haeret.

Numquam genus humanum tantis divitiis, facultatibus et potentia oeconomica abundavit, et tamen adhuc ingens pars incolarum orbis fame et egestate torquetur atque innumeri litterarum ignorantia plane laborant. Numquam homines tam acutum ut hodie sensum libertatis habuerunt, dum nova interea genera socialis et psychicae servitutis exsurgunt. Dum mundus suam unitatem necnon singulorum ab invicem dependentiam in necessaria solidarietate tam vivide persentit, viribus tamen inter se pugnantibus gravissime in opposita distrahitur; etenim acres dissensiones politicae, sociales, oeconomicae, raciales et ideologicae adhuc perseverant, nec periculum deest belli omnia usque ad ima destructuri. Dum idearum communicatio augetur, verba ipsa quibus magni momenti conceptus exprimuntur sensus sat diversos in distinctis ideologiis induunt. Tandem sedulo perfectior quaeritur temporalis ordinatio, quin spirituale incrementum pariter progrediatur.

Tot implexis condicionibus affecti, plurimi coaevi nostri impediuntur quominus valores perennes vere dignoscant et simul cum noviter inventis rite componant; exinde, inter spem et angorem agitati, de praesenti rerum cursu sese interrogantes, inquietudine premuntur. Qui rerum cursus homines ad respondendum provocat, immo et constringit.

5. De profunde mutatis condicionibus.

Hodierna animorum commotio et in vitae condicionibus immutatio cum ampliori rerum transmutatione connectuntur, qua efficitur ut in mentibus efformandis scientiae mathematicae et naturales vel de ipso homine tractantes, in ordine vero agendi technicae artes ex illis scientiis

profluentes, crescens pondus acquirant. Haec mens scientifica rationem culturalem modosque cogitandi aliter quam antea fingit. Technicae artes eo progrediuntur ut faciem terrae transforment et etiam spatium ultraterrestre subigere conentur.

Super tempora quoque humanus intellectus dominium suum quodammodo dilatat: in praeteritum ope cognitionis historicae, in futurum arte prospectiva et planificatione. Progredientes scientiae biologicae, psychologicae et sociales non solum homini ad meliorem sui cognitionem opem ferunt, sed ipsum etiam adiuvant ut, technicis methodis adhibitis, in vitam societatum directe influxum exerceat. Insimul genus humanum de proprio demographico incremento iam praevidendo et ordinando magis magisque cogitat.

Ipsa historia tam rapido cursu acceleratur ut singuli eam vix prosequi valeant. Consortionis humanae sors una efficitur et non amplius inter varias velut historias dispergitur. Ita genus humanum a notione magis statica ordinis rerum ad notionem magis dynamicam atque evolutivam transit, unde quam maxima nascitur problematum nova complexio, quae ad novas analyses et syntheses provocat.

6. Mutationes in ordine sociali.

Eo ipso communitates locales traditionales, uti sunt familiae patriarchales, "clans", tribus, pagi, varii coetus et consortionis socialis necessitudines, pleniores in dies immutationes experiuntur.

Typus industrialis societatis paulatim diffunditur, quasdam nationes ad oeconomicam opulentiam adducens, et notiones et condiciones vitae socialis a saeculis constitutas penitus transformans. Similiter vitae urbanae cultus ac studium augentur sive per urbium earumque incolarum augmentum, sive per motum quo vita urbana ad ruricolas dilatatur.

Nova et aptiora communicationis socialis instrumenta ad eventus cognoscendos et ad modos cogitandi et sentiendi quam citissime latissimeque diffundendos conferunt, plures connexas repercussiones excitando.

Nec parvipendendum est quot homines, ex variis causis, ad migrandum inducti, vitae suae rationem immutent.

Sic necessitudines hominis cum similibus suis indesinenter multiplicantur ac simul ipsa socializatio novas necessitudines inducit, quin tamen congruentem personae maturationem et relationes vere personales (personalizationem) semper promoveat.

Huiusmodi quidem evolutio clarius apparet in nationibus quae commodis progressus oeconomici et technici iam gaudent, sed populos quoque movet adhuc ad progressionem nitentes qui, pro suis regionibus, beneficia industrializationis et urbanizationis obtinere cupiunt. Qui populi, praesertim antiquioribus traditionibus addicti, simul motum experiuntur ad maturius magisque personale libertatis exercitium.

7. Mutationes psychologicae, morales et religiosae.

Mutatio mentis et structurarum bona recepta frequenter in controversiam vocat, maxime apud iuvenes qui non semel impatientes, immo angore rebelles fiunt, et conscii de proprio momento in vita sociali, citius in eadem partes habere cupiunt. Exinde non raro parentes et educatores in muneribus suis adimplendis in dies maiores difficultates experiuntur.

Instituta vero, leges atque modi cogitandi et sentiendi a maioribus tradita non semper statui rerum hodierno bene aptari videntur; inde gravis perturbatio in modo et in ipsis agendi normis.

Ipsam denique vitam religiosam novae condiciones afficiunt. Ex una parte acrior diiudicandi facultas eam a magico mundi conceptu et a superstitionibus adhuc vagantibus purificat atque magis personalem et actuosam adhaesionem fidei in dies exigit; quo fit ut non pauci ad vividiorem Dei sensum accedant. Ex altera vero parte crebriores turbae a religione practice discedunt. Secus ac transactis temporibus, Deum religionemve negare, aut ab iisdem abstrahere, non amplius quid insolitum et individuale sunt: hodie enim non raro quasi exigentia progressus scientifici vel cuiusdam novi humanismi exhibentur. Haec omnia in pluribus regionibus non tantum in philosophorum placitis exprimuntur, sed latissime litteras, artes, scientiarum humanarum et historiae interpretationem, ipsasque leges civiles afficiunt ita ut exinde multi perturbentur.

8. De inaequilibriis in mundo hodierno.

Tam rapida rerum mutatio inordinate saepe progrediens, immo et ipsa discrepantiarum in mundo vigentium acrior conscientia, contradictiones et inaequilibria gignunt vel augent.

In ipsa persona frequentius oritur inaequilibrium inter modernum intellectum practicum et theoreticam cogitandi rationem, quae summam cognitionum suarum neque sibi subigere neque in syntheses apte ordinare valet. Oritur pariter inaequilibrium inter sollicitudinem efficientiae practicae et exigentias conscientiae moralis, necnon multoties inter condiciones vitae collectivas et requisita cogitationis personalis, immo et contemplationis. Oritur tandem inaequilibrium inter activitatis humanae specializationem et universalem rerum visionem.

In familia autem discrepantiae oriuntur, sive ex prementibus condicionibus demographicis, oeconomicis et socialibus, sive ex difficultatibus inter generationes quae sibi subsequuntur exsurgentibus, sive ex novis necessitudinibus socialibus inter viros ac mulieres.

Magnae oriuntur etiam discrepantiae inter stirpes, immo inter varii generis societatis ordines; inter nationes opulentas et minus valentes egentesque; denique, inter instituta internationalia, ex pacis desiderio populorum exorta, et ambitionem propriae ideologiae disseminandae nec non cupiditates collectivas in nationibus aliisve coetibus exsistentes.

Inde mutuae diffidentiae et inimicitiae, conflictationes et aerumnae, quarum ipse homo simul causa est et victima.

9. De appetitionibus universalioribus generis humani.

Interea crescit persuasio genus humanum non tantum imperium suum super res creatas in dies magis roborare posse ac debere; sed insuper eius esse ordinem politicum, socialem et oeconomicum statuere qui in dies melius homini inserviat et singulos ac coetus adiuvet ad dignitatem sibi propriam affirmandam et excolendam.

Hinc plurimi acerrime exigunt illa bona quibus, per iniustitiam vel non aequam distributionem, orbatos se esse vivida conscientia iudicant. Nationes in via progressus sicut illae recenter sui iuris factae, bona civilizationis hodiernae non tantum in campo politico sed etiam oeconomico participare et libere partibus suis in mundo fungi cupiunt, dum tamen in dies augetur earumdem distantia simul ac persaepe dependentia etiam oeconomica ab aliis ditioribus nationibus citius progredientibus. Populi fame pressi populos opulentiores interpellant. Mulieres sibi vindicant, ubi eam nondum sunt consecutae, paritatem de iure et de facto cum viris. Opifices et ruricolae non solum victui necessaria comparare, sed laborando dotes suae personae excolere, immo in ordinanda vita oeconomica, sociali, politica et culturali suas partes agere volunt. Nunc primum

in historia humana universi populi iam persuasum sibi habent culturae beneficia reapse ad cunctos extendi posse ac debere.

Sub omnibus autem istis exigentiis latet profundior et universalior appetitio: personae scilicet atque coetus plenam atque liberam vitam, homine dignam, sitiunt, omnia quae hodiernus mundus eis tam abundanter praebere potest proprio servitio subicientes. Nationes praeterea in dies fortius enituntur ut universalem quamdam communitatem assequantur.

Quae cum ita sint, mundus hodiernus simul potentem ac debilem se exhibet, capacem optima vel pessima patrandi, dum ipsi ad libertatem aut servitutem, ad progressum aut regressum, ad fraternitatem aut odium prostat via. Praeterea, homo conscius fit ipsius esse recte dirigere vires, quas ipse suscitavit et quae eum opprimere aut ei servire possunt. Unde seipsum interrogat.

10. De profundioribus interrogationibus generis humani.

Revera inaequilibria quibus laborat mundus hodiernus cum inaequilibrio illo fundamentaliori connectuntur, quod in hominis corde radicatur. In ipso enim homine plura elementa sibi invicem oppugnant. Dum enim una ex parte, utpote creatura, multipliciter sese limitatum experitur, ex altera vero in desideriis suis illimitatum et ad superiorem vitam vocatum se sentit. Multis sollicitationibus attractus, iugiter inter eas seligere et quibusdam renuntiare cogitur. Immo infirmus ac peccator, non raro illud quod non vult facit et illud quod facere vellet non facit (4). Unde in seipso divisionem patitur, ex qua etiam tot ac tantae discordiae in societate oriuntur. Plurimi sane, quorum vita materialismo practico inficitur, a clara huiusmodi dramatici status perceptione avertuntur, vel autem, miseria oppressi, impediuntur quominus illum considerent. Multi in interpretatione rerum multifarie proposita quietem se invenire existimant. Quidam vero a solo conatu humano veram plenamque generis humani liberationem exspectant, sibique persuasum habent futurum regnum hominis super terram omnia vota cordis eius expleturum esse. Nec desunt qui, de sensu vitae desperantes, audaciam laudant eorum qui, exsistentiam humanam omnis significationis propriae expertem existimantes, ei totam significationem ex solo proprio ingenio conferre nituntur. Attamen, coram hodierna mundi evolutione, in dies numerosiores fiunt qui quaestiones maxime fundamentales vel ponunt vel nova acuitate persentiunt: quid est homo? Quinam est sensus doloris, mali, mortis, quae, quamquam tantus progressus factus est, subsistere pergunt? Ad quid victoriae illae tanto pretio acquisitae? Quid societati homo afferre, quid ab ea exspectare potest? Quid post vitam hanc terrestrem subsequetur?

Credit autem Ecclesia Christum, pro omnibus mortuum et resuscitatum (5), homini lucem et vires per Spiritum suum praebere ut ille summae suae vocationi respondere possit; nec aliud nomen sub caelo datum esse hominibus, in quo oporteat eos salvos fieri (6). Similiter credit clavem, centrum et finem totius humanae historiae in Domino ac Magistro suo inveniri. Affirmat insuper Ecclesia omnibus mutationibus multa subesse quae non mutantur, quaeque fundamentum suum ultimum in Christo habent, qui est heri, hodie, Ipse et in saecula (7). Sub lumine ergo Christi, Imaginis Dei invisibilis, Primogeniti omnis creaturae (8), Concilium, ad mysterium hominis illustrandum atque ad cooperandum in solutionem praecipuarum quaestionum nostri temporis inveniendam, omnes alloqui intendit.

PARS I

DE ECCLESIA ET VOCATIONE HOMINIS

11. Impulsionibus Spiritus respondendum.

Populus Dei, fide motus, qua credit se a Spiritu Domini duci qui replet orbem terrarum, in eventibus, exigentiis atque optatis, quorum una cum ceteris nostrae aetatis hominibus partem habet, quaenam in illis sint vera signa praesentiae vel consilii Dei, discernere satagit. Fides enim omnia novo lumine illustrat et divinum propositum de integra hominis vocatione manifestat, ideoque ad solutiones plene humanas mentem dirigit.

Concilium imprimis illos valores, qui hodie maxime aestimantur, sub hoc lumine diiudicare et ad fontem suum divinum referre intendit. Hi enim valores, prout ex hominis ingenio eidem divinitus collato procedunt, valde boni sunt; sed ex corruptione humani cordis a sua debita ordinatione non raro detorquentur, ita ut purificatione indigeant.

Quid Ecclesia de homine sentit? Quaenam ad societatem hodiernam aedificandam commendanda videntur? Quaenam est significatio ultima humanae navitatis in universo mundo? Ad has quaestiones responsio exspectatur. Exinde luculentius apparebit populum Dei et genus humanum, cui ille inseritur, servitium sibi mutuo praestare, ita ut Ecclesiae missio religiosam et ex hoc ipso summe humanam se exhibeat.

Caput I

DE HUMANAE PERSONAE DIGNITATE

12. De homine ad imaginem Dei.

Secundum credentium et non credentium fere concordem sententiam, omnia quae in terra sunt ad hominem, tamquam ad centrum suum et culmen, ordinanda sunt.

Quid est autem homo? Multas opiniones de seipso protulit et profert, varias et etiam contrarias, quibus saepe vel se tamquam absolutam regulam exaltat vel usque ad desperationem deprimit, exinde anceps et anxius. Quas quidem difficultates Ecclesia persentiens, a Deo revelante instructa eisdem responsum afferre potest, quo vera hominis condicio delineetur, explanentur eius infirmitates, simulque eius dignitas et vocatio recte agnosci possint.

Sacrae enim Litterae docent hominem "ad imaginem Dei" creatum esse, capacem suum Creatorem cognoscendi et amandi, ab eo tamquam dominum super omnes creaturas terrenas constitutum (9), ut eas regeret, eisque uteretur, glorificans Deum (10). "Quid est homo quod memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius" (Ps 8,5-7).

At Deus non creavit hominem solum: nam inde a primordiis "masculum et feminam creavit eos" (Gen 1,27), quorum consociatio primam formam efficit communionis personarum. Homo etenim ex intima sua natura ens sociale est, atque sine relationibus cum aliis nec vivere nec suas dotes expandere potest.

Deus igitur, sicut iterum in sacra Pagina legimus, vidit "cuncta quae fecerat, et erant valde bona" (Gen 1,31).

13. De peccato.

In iustitia a Deo constitutus, homo tamen, suadente Maligno, inde ab exordio historiae, libertate sua abusus est, seipsum contra Deum erigens et finem suum extra Deum attingere cupiens. Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed obscuratum est insipiens cor eorum et servierunt creaturae potius quam Creatori (11). Quod Revelatione divina nobis innotescit, cum

ipsa experientia concordat. Nam homo, cor suum inspiciens, etiam ad malum inclinatum se comperit et in multiplicibus malis demersum, quae a bono suo Creatore provenire non possunt. Deum tamquam principium suum saepe agnoscere renuens, etiam debitum ordinem ad finem suum ultimum, simul ac totam suam sive erga seipsum sive erga alios homines et omnes res creatas ordinationem disrupit.

Ideo in seipso divisus est homo. Quapropter tota vita hominum, sive singularis sive collectiva, ut luctationem et quidem dramaticam se exhibet inter bonum et malum, inter lucem et tenebras. Immo incapacem se invenit homo per seipsum mali impugnationes efficaciter debellandi, ita ut unusquisque se quasi catenis vinctum sentiat. At ipse Dominus venit ut hominem liberaret et confortaret, eum interius renovans ac principem huius mundi (cf. Io 12,31) foras eiiciens qui eum in servitute peccati retinebat (12). Peccatum autem minuit ipsum hominem, a plenitudine consequenda eum repellens.

In lumine huius Revelationis simul sublimis vocatio et profunda miseria, quas homines experiuntur, rationem suam ultimam inveniunt.

14. De hominis constitutione.

Corpore et anima unus, homo per ipsam suam corporalem condicionem elementa mundi materialis in se colligit, ita ut, per ipsum, fastigium suum attingant et ad liberam Creatoris laudem vocem attollant (13). Vitam ergo corporalem homini despicere non licet, sed e contra ipse corpus suum, utpote a Deo creatum et ultima die resuscitandum, bonum et honore dignum habere tenetur. Peccato tamen vulneratus, corporis rebelliones experitur. Ipsa igitur dignitas hominis postulat ut Deum glorificet in corpore suo (14), neve illud pravis cordis sui inclinationibus inservire sinat.

Homo vero non fallitur, cum se rebus corporalibus superiorem agnoscit, et non tantum ut particulam naturae aut anonymum elementum civitatis humanae seipsum considerat. Interioritate enim sua universitatem rerum excedit: ad hanc profundam interioritatem redit, quando convertitur ad cor, ubi Deus eum exspectat, qui corda scrutatur (15), et ubi ipse sub oculis Dei de propria sorte decernit. Itaque, animam spiritualem et immortalem in seipso agnoscens, non fallaci figmento illuditur, a physicis tantum et socialibus condicionibus fluente, sed e contra ipsam profundam rei veritatem attingit.

15. De dignitate intellectus, de veritate et de sapientia.

Recte iudicat homo, divinae mentis lumen participans, se intellectu suo universitatem rerum superare. Ingenium suum per saecula impigre exercendo ipse in scientiis empiricis, artibus technicis et liberalibus sane profecit. Nostris autem temporibus in mundo materiali praesertim investigando et sibi subiiciendo egregios obtinuit successus. Semper tamen profundiorem veritatem quaesivit et invenit. Intelligentia enim non ad sola phaenomena coarctatur, sed realitatem intelligibilem cum vera certitudine adipisci valet, etiamsi, ex sequela peccati, ex parte obscuratur et debilitatur.

Humanae tandem personae intellectualis natura per sapientiam perficitur et perficienda est, quae mentem hominis ad vera bonaque inquirenda ac diligenda suaviter attrahit, et qua imbutus homo per visibilia ad invisibilia adducitur.

Aetas autem nostra, magis quam saecula anteacta, tali sapientia indiget ut humaniora fiant quaecumque nova ab homine deteguntur. Periclitatur enim sors futura mundi nisi sapientiores

suscitentur homines. Insuper notandum est plures nationes, bonis quidem oeconomicis pauperiores, sapientia vero ditiores, ceteris eximium emolumentum praestare posse.

Spiritus Sancti dono, homo ad mysterium consilii divini contemplandum et sapiendum fide accedit (16).

16. De dignitate conscientiae moralis.

In imo conscientiae legem homo detegit, quam ipse sibi non dat, sed cui obedire debet, et cuius vox, semper ad bonum amandum et faciendum ac malum vitandum eum advocans, ubi oportet auribus cordis sonat: fac hoc, illud devita. Nam homo legem in corde suo a Deo inscriptam habet, cui parere ipsa dignitas eius est et secundum quam ipse iudicabitur (17). Conscientia est nucleus secretissimus atque sacrarium hominis, in quo solus est cum Deo, cuius vox resonat in intimo eius (18). Conscientia modo mirabili illa lex innotescit, quae in Dei et proximi dilectione adimpletur (19). Fidelitate erga conscientiam christiani cum ceteris hominibus coniunguntur ad veritatem inquirendam et tot problemata moralia, quae tam in vita singulorum quam in sociali consortione exsurgunt, in veritate solvenda. Quo magis ergo conscientia recta praevalet, eo magis personae et coetus a caeco arbitrio recedunt et normis obiectivis moralitatis conformari satagunt. Non raro tamen evenit ex ignorantia invincibili conscientiam errare, quin inde suam dignitatem amittat. Quod autem dici nequit cum homo de vero ac bono inquirendo parum curat, et conscientia ex peccati consuetudine paulatim fere obcaecatur.

17. De praestantia libertatis.

At nonnisi libere homo ad bonum se convertere potest, quam libertatem coaevi nostri magni faciunt ardenterque prosequuntur: et recte sane. Saepe tamen eam pravo modo fovent, tamquam licentiam quidquid faciendi dummodo delectet, etiam malum. Vera autem libertas eximium est divinae imaginis in homine signum. Voluit enim Deus hominem relinquere in manu consilii sui (20), ita ut Creatorem suum sponte quaerat et libere ad plenam et beatam perfectionem ei inhaerendo perveniat. Dignitas igitur hominis requirit ut secundum consciam et liberam electionem agat, personaliter scilicet ab intra motus et inductus, et non sub caeco impulsu interno vel sub mera externa coactione. Talem vero dignitatem obtinet homo cum, sese ab omni passionum captivitate liberans, finem suum in boni libera electione persequitur et apta subsidia efficaciter ac sollerti industria sibi procurat. Quam ordinationem ad Deum libertas hominis, a peccato vulnerata, nonnisi gratia Dei adiuvante, plene actuosam efficere potest. Unicuique autem ante tribunal Dei propriae vitae ratio reddenda erit, prout ipse sive bonum sive malum gesserit (21).

18. De mysterio mortis.

Coram morte aenigma condicionis humanae maximum evadit. Non tantum cruciatur homo dolore et corporis dissolutione progrediente, sed etiam, immo magis, perpetuae extinctionis timore. Recte autem instinctu cordis sui iudicat, cum totalem ruinam et definitivum exitum suae personae abhorret et respuit. Semen aeternitatis quod in se gerit, ad solam materiam cum irreductibile sit, contra mortem insurgit. Omnia technicae artis molimina, licet perutilia, anxietatem hominis sedare non valent: prorogata enim biologica longaevitas illi ulterioris vitae desiderio satisfacere nequit, quod cordi eius ineluctabiliter inest.

Dum coram morte omnis imaginatio deficit, Ecclesia tamen, Revelatione divina edocta, hominem ad beatum finem, ultra terrestris miseriae limites, a Deo creatum esse affirmat. Mors insuper corporalis, a qua homo si non peccasset subtractus fuisset (22), fides christiana docet fore ut

vincatur, cum homo in salutem, culpa sua perditam, ab omnipotente et miserante Salvatore restituetur. Deus enim hominem vocavit et vocat ut Ei in perpetua incorruptibilis vitae divinae communione tota sua natura adhaereat. Quam victoriam Christus, hominem a morte per mortem suam liberando, ad vitam resurgens adeptus est (23). Cuicumque igitur recogitanti homini, fides, cum solidis argumentis oblata, in eius anxietate de sorte futura responsum offert; simulque facultatem praebet cum dilectis fratribus iam morte praereptis in Christo communicandi, spem conferens eos veram vitam apud Deum adeptos esse.

19. De formis et radicibus atheismi.

Dignitatis humanae eximia ratio in vocatione hominis ad communionem cum Deo consistit. Ad colloquium cum Deo iam inde ab ortu suo invitatur homo: non enim exsistit, nisi quia, a Deo ex amore creatus, semper ex amore conservatur; nec plene secundum veritatem vivit, nisi amorem illum libere agnoscat et Creatori suo se committat. Multi tamen ex coaevis nostris hanc intimam ac vitalem cum Deo coniunctionem nequaquam perspiciunt aut explicite reiiciunt, ita ut atheismus inter gravissimas huius temporis res adnumerandus sit ac diligentiori examini subiiciendus.

Voce atheismi phaenomena inter se valde diversa designantur. Dum enim a quibusdam Deus expresse negatur, alii censent hominem nihil omnino de Eo asserere posse; alii vero quaestionem de Deo tali methodo examini subiiciunt, ut illa sensu carere videatur. Multi, scientiarum positivarum limites indebite praetergressi, aut omnia hac sola scientifica ratione explicari contendunt aut e contra nullam omnino veritatem absolutam iam admittunt. Quidam hominem tantopere exaltant, ut fides in Deum quasi enervis fiat, magis proclives, ut videntur, ad affirmationem hominis quam ad Dei negationem. Alii Deum sibi ita effingunt, ut illud figmentum, quod repudiant, nullo modo Deus sit Evangelii. Alii quaestiones de Deo ne aggrediuntur quidem, quippe qui inquietudinem religiosam non experiri videantur nec percipiant quare de religione iam sibi curandum sit. Atheismus praeterea non raro oritur sive ex violenta contra malum in mundo protestatione, sive ex nota ipsius absoluti quibusdam humanis bonis indebite adiudicata, ita ut ista iam loco Dei habeantur. Ipsa civilizatio hodierna, non ex se, sed utpote nimis rebus terrestribus intricata accessum ad Deum saepe difficiliorem reddere potest.

Sane qui voluntarie Deum a corde suo arcere et quaestiones religiosas devitare conantur, dictamen conscientiae suae non secuti, culpae expertes non sunt; attamen et ipsi credentes quamdam de hoc responsabilitatem saepe ferunt. Atheismus enim, integre consideratus, non est quid originarium, sed potius ex diversis causis oritur, inter quas adnumeratur etiam reactio critica contra religiones et quidem, in nonnullis regionibus, praesertim contra religionem christianam. Quapropter in hac atheismi genesi partem non parvam habere possunt credentes, quatenus, neglecta fidei educatione, vel fallaci doctrinae expositione, vel etiam vitae suae religiosae, moralis ac socialis defectibus, Dei et religionis genuinum vultum potius velare quam revelare dicendi sint.

20. De atheismo systematico.

Atheismus modernus formam etiam systematicam saepe praebet, quae, praeter alias causas, optatum autonomiae hominis eo usque perducit ut contra qualemcumque a Deo dependentiam difficultatem suscitet. Qui talem atheismum profitentur, libertatem in eo esse contendunt quod homo sibi ipse sit finis, propriae suae historiae solus artifex et demiurgus: quod componi non posse autumant cum agnitione Domini, omnium rerum auctoris et finis, vel saltem talem affirmationem plane superfluam reddere. Cui doctrinae favere potest sensus potentiae quem hodiernus progressus technicus homini confert.

Inter formas hodierni atheismi illa non praetermittenda est, quae liberationem hominis praesertim ex eius liberatione oeconomica et sociali exspectat. Huic autem liberationi religionem natura sua obstare contendit, quatenus, in futuram fallacemque vitam spem hominis erigens, ipsum a civitatis terrestris aedificatione deterreret. Unde fautores talis doctrinae, ubi ad regimen reipublicae accedunt, religionem vehementer oppugnant, atheismum diffundentes etiam adhibitis, praesertim in iuvenum educatione, illis pressionis mediis, quibus potestas publica pollet.

21. De habitudine Ecclesiae ad atheismum.

Ecclesia, fideliter tum Deo tum hominibus addicta, desistere non potest quin dolenter perniciosas illas doctrinas actionesque, quae rationi et communi experientiae humanae contradicunt hominemque ab innata eius excellentia deiiciunt, omni firmitate reprobet, sicut antehac reprobavit (24).

Abditas tamen in atheorum mente negationis Dei causas deprehendere conatur et, de gravitate quaestionum quas atheismus excitat conscia necnon caritate erga omnes homines ducta, eas serio ac profundiori examini subiiciendas esse censet.

Tenet Ecclesia agnitionem Dei dignitati hominis nequaquam opponi, cum huiusmodi dignitas in ipso Deo fundetur et perficiatur: homo enim a Deo creante intelligens ac liber in societate constituitur; sed praesertim ad ipsam Dei communionem ut filius vocatur et ad Ipsius felicitatem participandam. Docet praeterea per spem eschatologicam momentum munerum terrestrium non minui, sed potius eorum adimpletionem novis motivis fulciri. Deficientibus e contra fundamento divino et spe vitae aeternae, hominis dignitas gravissime laeditur, ut saepe hodie constat, atque vitae et mortis, culpae et doloris aenigmata sine solutione manent, ita ut homines in desperationem non raro deiiciantur.

Omnis homo interea sibi ipsi remanet quaestio insoluta, subobscure percepta. Nemo enim quibusdam momentis, praecipue in maioribus vitae eventibus, praefatam interrogationem omnino effugere valet. Cui quaestioni solus Deus plene et omni certitudine responsum affert, qui ad altiorem cogitationem et humiliorem inquisitionem hominem vocat.

Remedium autem atheismo afferendum, cum a doctrina apte exposita, tum ab integra Ecclesiae eiusque membrorum vita exspectandum est. Ecclesiae enim est Deum Patrem eiusque Filium incarnatum praesentem et quasi visibilem reddere, ductu Spiritus Sancti sese indesinenter renovando et purificando (25). Id imprimis obtinetur testimonio fidei vivae et maturae, ad hoc scilicet educatae ut difficultates lucide perspicere valeat easque superare. Huius fidei testimonium praeclarum plurimi martyres reddiderunt et reddunt. Quae fides suam fecunditatem manifestare debet, credentium integram vitam, etiam profanam, penetrando, eosque ad iustitiam et amorem, praesertim erga egentes, movendo. Ad praesentiam Dei manifestandam maxime denique confert caritas fraterna fidelium, qui spiritu unanimes collaborant fidei Evangelii (26), et signum unitatis se exhibent.

Ecclesia vero, etiamsi atheismum omnino reiicit, sincere tamen profitetur homines omnes, credentes et non credentes, ad hunc mundum, in quo communiter vivunt, recte aedificandum opem conferre debere: quod certe fieri non potest sine sincero et prudenti colloquio. Conqueritur igitur de discrimine inter credentes et non credentes, quod quidam civitatum rectores, personae humanae iura fundamentalia non agnoscentes, iniuste inducunt. Pro credentibus vero actuosam libertatem expostulat ut in hoc mundo etiam Dei templum exstruere sinantur. Atheos autem humaniter invitat ut Evangelium Christi corde aperto considerent.

Apprime etenim novit Ecclesia nuntium suum cum secretissimis humani cordis desideriis concordare, cum vocationis humanae dignitatem vindicat, illis qui iam de altiore sua sorte desperant spem restituens. Nuntium eius, nedum hominem minuat, lucem, vitam et libertatem ad eius profectum fundit; atque praeter illud nihil cordi hominis satisfacere valet: "Fecisti nos ad Te", Domine, "et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in Te" (27).

22. De Christo Novo Homine.

Reapse nonnisi in mysterio Verbi incarnati mysterium hominis vere clarescit. Adam enim, primus homo, erat figura futuri (28), scilicet Christi Domini. Christus, novissimus Adam, in ipsa revelatione mysterii Patris Eiusque amoris, hominem ipsi homini plene manifestat eique altissimam eius vocationem patefacit. Nil igitur mirum in Eo praedictas veritates suum invenire fontem atque attingere fastigium.

Qui est "imago Dei invisibilis" (Col 1,15) (29), Ipse est homo perfectus, qui Adae filiis similitudinem divinam, inde a primo peccato deformatam, restituit. Cum in Eo natura humana assumpta, non perempta sit (30), eo ipso etiam in nobis ad sublimem dignitatem evecta est. Ipse enim, Filius Dei, incarnatione sua cum omni homine quodammodo Se univit. Humanis manibus opus fecit, humana mente cogitavit, humana voluntate egit (31), humano corde dilexit. Natus de Maria Virgine, vere unus ex nostris factus est, in omnibus nobis similis excepto peccato (32).

Agnus innocens, sanguine suo libere effuso, vitam nobis meruit, in Ipsoque Deus nos Sibi et inter nos reconciliavit (33) et a servitute diaboli ac peccati eripuit, ita ut unusquisque nostrum cum Apostolo dicere possit: Filius Dei "dilexit me et tradidit semetipsum pro me" (Gal 2,20). Pro nobis patiendo non solummodo exemplum praebuit ut sequamur vestigia Eius (34), sed et viam instauravit, quam dum sequimur, vita et mors sanctificantur novumque sensum accipiunt.

Christianus autem homo, conformis imagini Filii factus qui est Primogenitus in multis fratribus (35), "primitias Spiritus" (Rom 8,23) accipit, quibus capax fit legem novam amoris adimplendi (36). Per hunc Spiritum, qui est "pignus hereditatis" (Eph 1,14), totus homo interius restauratur, usque ad "redemptionem corporis" (Rom 8,23): "Si Spiritus Eius, qui suscitavit Iesum a mortuis, habitat in vobis: qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis" (Rom 8,11) (37). Christianum certe urgent necessitas et officium contra malum per multas tribulationes certandi necnon mortem patiendi; sed mysterio paschali consociatus, Christi morti configuratus, ad resurrectionem spe roboratus occurret (38).

Quod non tantum pro christifidelibus valet, sed et pro omnibus hominibus bonae voluntatis in quorum corde gratia invisibili modo operatur (39). Cum enim pro omnibus mortuus sit Christus (40) cumque vocatio hominis ultima revera una sit, scilicet divina, tenere debemus Spiritum Sanctum cunctis possibilitatem offerre ut, modo Deo cognito, huic paschali mysterio consocientur.

Tale et tantum est hominis mysterium, quod per Revelationem christianam credentibus illucescit. Per Christum et in Christo, igitur, illuminatur aenigma doloris et mortis, quod extra Eius Evangelium nos obruit. Christus resurrexit, morte sua mortem destruens, vitamque nobis largitus est (41) ut, filii in Filio, clamemus in Spiritu: Abba, Pater! (42)

Caput II

DE HOMINUM COMMUNITATE

23. Quid Concilium intendat.

Inter praecipuos mundi hodierni aspectus, mutuarum inter homines necessitudinum multiplicatio adnumeratur, ad quam evolvendam hodierni technici progressus plurimum conferunt. Tamen fraternum hominum colloquium non in istis progressibus, sed profundius in personarum communitate perficitur, quae mutuam reverentiam erga plenam earum dignitatem spiritualem exigit. Ad hanc vero communionem inter personas promovendam, Revelatio christiana magnum subsidium affert, simulque ad altiorem vitae socialis legum intelligentiam nos perducit quas Creator in natura spirituali ac morali hominis inscripsit.

Quoniam autem recentiora Ecclesiae Magisterii documenta christianam de societate humana doctrinam fusius exposuerunt (43), Concilium quasdam tantum principaliores veritates in memoriam revocat earum que fundamenta sub luce Revelationis exponit. Deinde in quaedam consectaria insistit quae nostris diebus maioris sunt momenti.

24. De indole communitaria vocationis humanae in consilio Dei.

Deus, qui paternam curam omnium habet, voluit ut cuncti homines unam efficerent familiam fraternoque animo se invicem tractarent. Omnes enim creati ad imaginem Dei, qui fecit "ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae" (Act 17,26), ad unum eumdemque finem, id est ad Deum ipsum, vocantur.

Quapropter dilectio Dei et proximi primum et maximum mandatum est. A Sacra autem Scriptura docemur Dei amorem a proximi amore seiungi non posse: "... si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum... Plenitudo ergo legis est dilectio" (Rom 13,9-10; Cf 1 Io 4,20). Quod vero hominibus magis in dies ab invicem dependentibus atque mundo magis in dies unificato maximi comprobatur esse momenti.

Immo Dominus Iesus, quando Patrem orat ut "omnes unum sint..., sicut et nos unum sumus" (Io 17,21-22), prospectus praebens humanae rationi impervios, aliquam similitudinem innuit inter unionem personarum divinarum et unionem filiorum Dei in veritate et caritate. Haec similitudo manifestat hominem, qui in terris sola creatura est quam Deus propter seipsam voluerit, plene seipsum invenire non posse nisi per sincerum sui ipsius donum (44).

25. De interdependentia humanae personae et humanae societatis.

Ex sociali hominis indole apparet humanae personae profectum et ipsius societatis incrementum ab invicem pendere. Etenim principium, subiectum et finis omnium institutorum socialium est et esse debet humana persona, quippe quae, suapte natura, vita sociali omnino indigeat (45). Cum igitur vita socialis non sit homini quid adventicium, ideo commercio cum aliis, mutuis officiis, colloquio cum fratribus, quoad omnes suas dotes grandescit homo, et suae vocationi respondere potest.

Ex socialibus vinculis, quae homini excolendo necessaria sunt, alia, uti familia et communitas politica, intimae eius naturae immediatius congruunt; alia potius ex eius libera voluntate procedunt. Nostra hac aetate, variis de causis, mutuae necessitudines et interdependentiae in dies multiplicantur; unde diversa oriuntur consociationes et instituta sive publici sive privati iuris. Hoc autem factum, quod socializatio nuncupatur, licet periculis sane non careat, multa tamen secum emolumenta affert ad confirmandas et augendas humanae personae qualitates eiusque iura tuenda (46).

Sed si personae humanae ad suam vocationem adimplendam, etiam religiosam, ex hac vita sociali multum accipiunt, negari tamen nequit homines ex adiunctis socialibus in quibus vivunt et, inde ab infantia, immerguntur, saepe a bono faciendo averti et ad malum impelli. Certum est perturbationes, tam frequenter in ordine sociali occurrentes, ex ipsa formarum oeconomicarum, politicarum et socialium tensione pro parte provenire. Sed penitius ex hominum superbia et egoismo oriuntur, quae etiam ambitum socialem pervertunt. Ubi autem ordo rerum sequelis peccati afficitur, homo, proclivis ad malum natus, nova deinde ad peccatum incitamenta invenit, quae, sine strenuis gratia adiuvante conatibus, superari nequeunt.

26. De bono communi promovendo.

Ex interdependentia in dies strictiore et paulatim ad mundum universum diffusa sequitur bonum commune - seu summam eorum vitae socialis condicionum quae tum coetibus, tum singulis membris permittunt ut propriam perfectionem plenius atque expeditius consequantur - hodie magis magisque universale evadere, et exinde iura officiaque implicare, quae totum humanum genus respiciunt. Quilibet coetus necessitatum et legitimarum appetitionum aliorum coetuum, immo boni communis totius familiae humanae, rationem habere debet (47).

Simul vero conscientia crescit eximiae dignitatis quae personae humanae competit, cum ipsa rebus omnibus praestet, et eius iura officiaque universalia sint atque inviolabilia. Oportet ergo ut ea omnia homini pervia reddantur, quibus ad vitam vere humanam gerendam indiget, ut sunt victus, vestitus, habitatio, ius ad statum vitae libere eligendum et ad familiam condendam, ad educationem, ad laborem, ad bonam famam, ad reverentiam, ad congruam informationem, ad agendum iuxta rectam suae conscientiae normam, ad vitae privatae protectionem atque ad iustam libertatem etiam in re religiosa.

Ordo socialis igitur eiusque progressus in bonum personarum indesinenter cedere debent, siquidem rerum ordinatio ordini personarum subiicienda est et non e converso, ipso Domino id innuente cum dixerit sabbatum (48) propter hominem factum esse et non hominem propter sabbatum. Ordo ille in dies evolvendus, in veritate fundandus, in iustitia aedificandus, amore vivificandus est; in libertate autem aequilibrium in dies humanius invenire debet (49). Ad haec autem implenda mentis renovatio atque amplae societatis immutationes inducendae sunt.

Spiritus Dei, qui mirabili providentia temporum cursum dirigit et faciem terrae renovat, huic evolutioni adest. Evangelicum autem fermentum in corde hominis irrefrenabilem dignitatis exigentiam excitavit atque excitat.

27. De reverentia erga personam humanam.

Ad practica urgentioraque consectaria descendens, Concilium reverentiam inculcat erga hominem, ita ut singuli proximum, nullo excepto, tamquam alterum seipsum considerare debeant, de eius vita et de mediis ad illam digne degendam necessariis rationem imprimis habentes (50), ne divitem illum imitentur, qui pauperis Lazari nullam curam egit (51).

Nostris praesertim diebus urget obligatio nosmetipsos cuiuslibet omnino hominis proximos efficiendi et illi occurrenti actuose inserviendi, sive sit senex ab omnibus derelictus, sive alienigena operarius iniuste despectus, sive exsul, sive infans ex illegitima unione natus, immerito patiens propter peccatum a se non commissum, vel esuriens qui conscientiam nostram interpellat Domini vocem revocans: "Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis" (Mt 25,40).

Quaecumque insuper ipsi vitae adversantur, ut cuiusvis generis homicidia, genocidia, abortus, euthanasia et ipsum voluntarium suicidium; quaecumque humanae personae integritatem violant, ut mutilationes, tormenta corpori mentive inflicta, conatus ipsos animos coërcendi; quaecumque humanam dignitatem offendunt, ut infrahumanae vivendi condiciones, arbitrariae incarcerationes, deportationes, servitus, prostitutio, mercatus mulierum et iuvenum; condiciones quoque laboris ignominiosae, quibus operarii ut mera quaestus instrumenta, non ut liberae et responsabiles personae tractantur: haec omnia et alia huiusmodi probra quidem sunt, ac dum civilizationem humanam inficiunt, magis eos inquinant qui sic se gerunt, quam eos qui iniuriam patiuntur et Creatoris honori maxime contradicunt.

28. De reverentia et amore erga adversarios.

Ad illos etiam qui in rebus socialibus, politicis vel etiam religiosis aliter ac nos sentiunt aut faciunt, reverentia et caritas extendi debent; quo magis quidem humanitate et caritate modos sentiendi eorum intimius comprehendemus, eo facilius cum ipsis colloquium inire poterimus.

Haec sane caritas et benignitas nequaquam indifferentes erga veritatem et bonum nos reddere debent. Immo caritas ipsa discipulos Christi urget ad veritatem salutarem omnibus hominibus annuntiandam. Sed distinguere oportet inter errorem, semper reiciendum, et errantem, qui dignitatem personae iugiter servat, etiam ubi falsis minusve accuratis notionibus religiosis inquinatur (52). Deus solus iudex est et scrutator cordium: unde nos vetat de interiore cuiusvis culpa iudicare (53).

Doctrina Christi ut etiam iniuriis ignoscamus postulat praeceptumque amoris ad inimicos omnes extendit, quod est Novae Legis mandatum: "Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: et orate pro persequentibus et calumniantibus vos" (Mt 5,43-44) (54).

29. De essentiali inter omnes homines aequalitate et de iustitia sociali.

Cum omnes homines, anima rationali pollentes et ad imaginem Dei creati, eamdem naturam eamdemque originem habeant, cumque, a Christo redempti, eadem vocatione et destinatione divina fruantur, fundamentalis aequalitas inter omnes magis magisque agnoscenda est.

Sane varia capacitate physica viriumque intellectualium et moralium diversitate non omnes homines aequiparantur. Omnis tamen discriminandi modus in iuribus personae fundamentalibus, sive socialis sive culturalis, ob sexum, stirpem, colorem, socialem condicionem, linguam aut religionem, superandus et removendus est, utpote Dei proposito contrarius. Vere enim dolendum est iura illa fundamentalia personae adhuc non ubique sarta tecta servari. Ut si mulieri denegetur facultas libere sponsum eligendi et vitae statum amplectendi, vel ad parem educationem et culturam quae viro agnoscitur accedendi.

Insuper, quamquam inter homines iustae diversitates adsunt, aequalis personarum dignitas postulat ut ad humaniorem et aequam vitae condicionem deveniatur. Etenim nimiae inter membra vel populos unius familiae humanae inaequalitates oeconomicae et sociales scandalum movent, atque iustitiae sociali, aequitati, personae humanae dignitati, necnon paci sociali et internationali adversantur.

Humanae autem institutiones, sive privatae sive publicae, dignitati ac fini hominis subservire nitantur, simul adversus quamlibet servitutem tum socialem tum politicam strenue decertantes, et iura hominum fundamentalia sub omni regimine politico servantes. Immo, huiusmodi

institutiones spiritualibus rebus, omnium altissimis, paulatim congruant oportet, etiamsi interdum sat longo tempore opus sit ut ad optatum finem perveniant.

30. Quod ultra individualisticam ethicam progrediendum sit.

Profunda et velox rerum immutatio urgentius postulat ut nemo sit qui, ad rerum cursum non attendens vel inertia torpens, ethicae mere individualisticae indulgeat. Iustitiae ac caritatis officium magis ac magis adimpletur per hoc quod unusquisque, ad bonum commune iuxta proprias capacitates et aliorum necessitates conferens, etiam institutiones sive publicas sive privatas promovet et adiuvat quae hominum vitae condicionibus in melius mutandis inserviunt. Sunt autem qui, largas generosioresque opiniones profitentes, ita tamen semper reapse vivunt ac si nullam societatis necessitatum curam habeant. Immo, plures, in variis regionibus, leges et praescriptiones sociales minimi faciunt. Non pauci, variis fraudibus ac dolis, iusta vectigalia vel alia quae societati debentur effugere non verentur. Alii normas quasdam vitae socialis, e. gr., ad valetudinem tuendam, aut ad vehiculorum ductum moderandum statutas, parvi aestimant, non animadvertentes se tali incuria vitae suae et aliorum periculum inferre.

Sanctum sit omnibus necessitudines sociales inter praecipua hominis hodierni officia recensere easque observare. Quo magis enim mundus unitur, eo apertius hominum munera particulares coetus superant et ad universum mundum paulatim extenduntur. Quod fieri nequit nisi et singuli homines et ipsorum coetus virtutes morales et sociales in seipsis colant et in societate diffundant, ita ut vere novi homines et artifices novae humanitatis exsistant cum necessario auxilio divinae gratiae.

31. De responsabilitate et participatione.

Ut singuli homines suum conscientiae officium accuratius impleant tum erga seipsos, tum erga varios coetus quorum membra sunt, diligenter ad ampliorem animi culturam educandi sunt, ingentibus adhibitis subsidiis quae hodie generi humano praesto sunt. Praeprimis educatio iuvenum cuiuslibet socialis originis ita instituenda est, ut viri mulieresque suscitentur qui non tantum exculti ingenii sed et magni animi sint, utpote qui a nostro tempore vehementer postulentur.

Sed ad hunc responsabilitatis sensum homo vix pervenit, nisi vitae condiciones ei permittant ut suae dignitatis conscius fiat, et vocationi suae, seipsum pro Deo et pro aliis impendendo, respondeat. Humana vero libertas saepe debilior fit, ubi homo in extremam incidit egestatem, sicut vilescit, ubi ipse, nimiis vitae facilitatibus indulgens, in aurea veluti solitudine seipsum includit. E contra roboratur, cum homo inevitabiles vitae socialis necessitates accipit, multiformes exigentias humanae coniunctionis assumit atque humanae communitatis servitio se obstringit.

Ideo omnium exstimulanda est voluntas inceptorum communium suas partes assumendi. Laudanda est autem ratio agendi nationum, in quibus pars quam maxima civium in vera libertate rerum publicarum particeps fit. Ratio tamen habenda est condicionis realis uniuscuiusque gentis et necessarii vigoris publicae auctoritatis. Ut vero omnes cives proni sint ad participandam vitam variorum coetuum, quibus corpus sociale constat, necesse est ut his in coetibus bona inveniant, quae ipsos attrahant eosque ad aliorum servitium disponant. Iure arbitrari possumus futuram humanitatis sortem in illorum manibus reponi, qui posteris generationibus vivendi et sperandi rationes tradere valent.

32. Verbum Incarnatum et solidarietas humana.

Sicut Deus homines non ad singulatim vivendum, sed ad socialem unionem efformandam creavit, ita Ipsi etiam "placuit... homines non singulatim, quavis mutua connexione seclusa, sanctificare et salvare, sed eos in populum constituere, qui in veritate Ipsum agnosceret Ipsique sancte serviret" (55). Inde ab initio historiae salutis Ipse homines elegit non ut individuos tantum sed ut membra cuiusdam communitatis. Illos enim electos Deus, suum aperiens consilium, vocavit "populum suum" (Ex 3,7-12), quocum insuper in Sinai foedus pepigit (56).

Quae indoles communitaria opere Iesu Christi perficitur et consummatur. Ipsum enim Verbum incarnatum humanae consortionis particeps esse voluit. Canae nuptiis interfuit, in domum Zachaei descendit, cum publicanis et peccatoribus manducavit. Patris amorem hominumque eximiam vocationem, communissimas res sociales commemorando et locutiones figurasque vitae plane cotidianae adhibendo, revelavit. Necessitudines humanas, imprimis familiares, ex quibus rationes sociales oriuntur, sanctificavit, legibus suae patriae voluntarie subditus. Vitam opificis sui temporis et regionis propriam ducere voluit.

In sua praedicatione clare mandavit filiis Dei ut tamquam fratres ad invicem se gererent. In sua oratione rogavit ut omnes discipuli sui unum essent. Immo Ipse usque ad mortem sese pro omnibus obtulit, omnium Redemptor. "Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis" (Io 15,13). Apostolos autem iussit praedicare omnibus gentibus nuntium evangelicum ut genus humanum familia Dei fieret, in qua plenitudo legis esset dilectio.

Primogenitus in multis fratribus, inter omnes qui Eum fide ac caritate recipiunt, post mortem et resurrectionem suam, dono sui Spiritus novam fraternam communionem instituit, in Corpore scilicet suo, quod est Ecclesia, in quo omnes, inter se invicem membra, secundum dona diversa concessa, mutua sibi praestarent servitia.

Quae solidarietas semper augenda erit, usque ad illam diem qua consummabitur, et qua homines, gratia salvati, tamquam familia a Deo et Christo Fratre dilecta, perfectam gloriam Deo praestabunt.

Caput III

DE HUMANA NAVITATE IN UNIVERSO MUNDO

33. Ponitur problema.

Suo labore atque ingenio homo suam vitam amplius evolvere semper conatus est; hodie autem, praesertim ope scientiae et artis technicae, suum dominium in universam fere naturam dilatavit ac iugiter dilatat, et adiuvantibus imprimis auctis inter nationes multimodi commercii mediis, familia humana paulatim tamquam unam in universo mundo communitatem sese agnoscit atque constituit. Quo fit, ut multa bona, quae olim homo a supernis viribus praesertim exspectabat, hodie iam propria industria sibi procuret.

Coram immenso hoc conamine, quod totum humanum genus iam pervadit, multae exsurgunt inter homines interrogationes. Quinam est illius operositatis sensus et valor? Quomodo omnibus his rebus utendum est? Ad quem finem assequendum nisus sive singulorum sive societatum tendunt? Ecclesia, quae depositum verbi Dei custodit, ex quo principia in ordine religioso et morali hauriuntur, quin semper de singulis quaestionibus responsum in promptu habeat, lumen revelationis cum omnium peritia coniungere cupit, ut iter illuminetur, quod humanitas nuper ingressa est.

34. De valore humanae navitatis.

Hoc credentibus ratum est, navitatem humanam individualem et collectivam, seu ingens illud conamen, quo homines decursu saeculorum suae vitae condiciones in melius mutare satagunt, in seipso consideratum, Dei proposito respondere. Homo enim, ad imaginem Dei creatus, mandatum accepit ut, terram cum omnibus quae in ea continentur sibi subiciens, mundum in iustitia et sanctitate regeret (57) utque, Deum omnium Creatorem agnoscens, seipsum ac rerum universitatem ad Ipsum referret, ita ut rebus omnibus homini subiectis, admirabile sit nomen Dei in universa terra (58).

Quod etiam opera penitus quotidiana respicit. Viri namque et mulieres qui, dum vitae sustentationem sibi et familiae comparant, navitates suas ita exercent ut societati opportune ministrent, iure existimare possunt se suo labore opus Creatoris evolvere, commodis fratrum suorum consulere, et ad consilium divinum in historia adimplendum personali industria conferre (59).

Christiani itaque, nedum arbitrentur opera, quae homines suo ingenio et virtute pepererunt, Dei potentiae opponi, creaturamque rationalem quasi aemulam Creatoris exsistere, potius persuasum habent humani generis victorias signum esse magnitudinis Dei et fructus ineffabilis Ipsius consilii. Quo magis vero hominum potentia crescit, eo latius ipsorum responsabilitas, sive singulorum sive communitatum extenditur. Unde apparet christiano nuntio homines ab exstruendo mundo non averti, nec ad bonum sui similium negligendum impelli, sed potius officio haec operandi arctius obstringi (60).

35. De humana navitate ordinanda.

Humana vero navitas, sicut ex homine procedit, ita ad hominem ordinatur. Homo enim, cum operatur, non tantum res et societatem immutat, sed et seipsum perficit. Multa discit, facultates suas excolit, extra se et supra se procedit. Huiusmodi incrementum, si recte intelligatur, maioris pretii est quam externae quae colligi possunt divitiae. Magis valet homo propter id quod est quam propter id quod habet (61). Pariter, omnia quae homines, ad maiorem iustitiam, ampliorem fraternitatem, humanioremque ordinationem in socialibus necessitudinibus obtinendam agunt, plus quam progressus technici valent. Hi enim progressus quasi materiam humanae promotioni praebere possunt, illam autem per se solos ad actum nequaquam deducunt.

Unde haec est humanae navitatis norma, quod iuxta consilium et voluntatem divinam cum genuino humani generis bono congruat, et homini individuo vel in societate posito integrae suae vocationis cultum et impletionem permittat.

36. De iusta rerum terrenarum autonomia.

Multi tamen coaevi nostri timere videntur, ne ex arctiore humanae navitatis et religionis coniunctione autonomia hominum vel societatum vel scientiarum impediatur.

Si per terrenarum rerum autonomiam intelligimus res creatas et ipsas societates propriis legibus valoribusque gaudere, ab homine gradatim dignoscendis, adhibendis et ordinandis, eamdem exigere omnino fas est: quod non solum postulatur ab hominibus nostrae aetatis, sed etiam cum Creatoris voluntate congruit. Ex ipsa enim creationis condicione res universae propria firmitate, veritate, bonitate propriisque legibus ac ordine instruuntur, quae homo revereri debet, propriis singularum scientiarum artiumve methodis agnitis. Ideo inquisitio methodica in omnibus disciplinis, si modo vere scientifico et iuxta normas morales procedit, numquam fidei revera adversabitur, quia res profanae et res fidei ab eodem Deo originem ducunt (62). Immo, qui humili et constanti animo abscondita rerum perscrutari conatur, etsi inscius quasi manu Dei ducitur qui,

res omnes sustinens, facit ut sint id quod sunt. Hinc deplorare liceat quosdam animi habitus, qui aliquando inter christianos ipsos, ob non satis perspectam legitimam scientiae autonomiam, non defuerunt et, contentionibus controversiisque exinde suscitatis, plurium animos eo perduxerunt ut fidem et scientiam inter se opponi censerent (63).

At si verbis rerum temporalium autonomia intelligitur res creatas a Deo non pendere, eisque hominem sic uti posse ut easdem ad Creatorem non referat, nemo qui Deum agnoscit non sentit quam falsa huiusmodi placita sint. Creatura enim sine Creatore evanescit. Ceterum, omnes credentes, cuiuscumque sint religionis, vocem et manifestationem Eius in creaturarum loquela semper audierunt. Immo, per oblivionem Dei ipsa creatura obscuratur.

37. De humana navitate a peccato corrupta.

Sacra vero Scriptura, cui saeculorum consentit experientia, humanam familiam edocet progressum humanum, qui magnum hominis bonum est, magnam tamen tentationem secumferre: ordine enim valorum turbato et malo cum bono permixto, singuli homines ac coetus solummodo quae propria sunt considerant, non vero aliorum. Quo fit ut mundus non iam spatium verae fraternitatis exsistat, dum aucta humanitatis potentia iam ipsum genus humanum destruere minatur.

Universam enim hominum historiam ardua colluctatio contra potestates tenebrarum pervadit, quae inde ab origine mundi incepta, usque ad ultimum diem, dicente Domino (64), perseverabit. In hanc pugnam insertus, homo ut bono adhaereat iugiter certare debet, nec sine magnis laboribus, Dei gratia adiuvante, in seipso unitatem obtinere valet.

Quapropter Ecclesia Christi, Creatoris consilio fidens, dum agnoscit progressum humanum verae hominum felicitati inservire posse, non potest tamen quin illud Apostoli resonare faciat: "Nolite conformari huic saeculo" (Rom 12,2), illi scilicet vanitatis et malitiae spiritui qui humanam navitatem, ad servitium Dei et hominis ordinatam, in instrumentum peccati transmutat.

Si quis ergo quaerit, qua ratione miseria illa superari possit, christiani profitentur, omnes hominis navitates, quae per superbiam et inordinatum sui ipsius amorem cotidie in discrimine versantur, Christi cruce et resurrectione purificandas et ad perfectionem deducendas esse. A Christo enim redemptus et in Spiritu Sancto nova creatura effectus, homo ipsas res a Deo creatas amare potest et debet. A Deo enim illas accipit et quasi de manu Dei fluentes respicit et reveretur. Pro illis Benefactori gratias agens et in paupertate et libertate spiritus creaturis utens ac fruens, in veram mundi possessionem introducitur, tamquam nihil habens et omnia possidens (65). "Omnia enim vestra sunt: vos autem Christi, Christus autem Dei" (1 Cor 3,22-23).

38. De humana navitate in paschali mysterio ad perfectionem adducta.

Verbum enim Dei, per quod omnia facta sunt, Ipsum caro factum et in hominum terra habitans (66), perfectus homo in historiam mundi intravit, eam in Se assumens et recapitulans (67). Ipse nobis revelat, "quoniam Deus caritas est" (1 Io 4,8), simulque nos docet legem fundamentalem perfectionis humanae, ac proinde transformationis mundi, novum dilectionis esse mandatum. Eos igitur, qui divinae credunt caritati, certos facit, viam dilectionis omnibus hominibus aperiri et conamen fraternitatem universalem instaurandi non esse inane. Simul monet, hanc caritatem non in solis magnis rebus sectandam esse, sed et imprimis in ordinariis vitae adiunctis. Pro nobis omnibus peccatoribus mortem sustinens (68), suo exemplo nos docet crucem etiam baiulandam esse, quam caro et mundus pacem et iustitiam sectantium humeris imponunt. Sua resurrectione Dominus constitutus, Christus, cui omnis potestas in caelo et in terra data est (69), per virtutem

Spiritus Sui in cordibus hominum iam operatur, non solum venturi saeculi desiderium suscitans, sed eo ipso illa etiam generosa vota animans, purificans et roborans, quibus familia humana suam ipsius vitam humaniorem reddere et totam terram huic fini subiicere satagit. Diversa autem sunt Spiritus dona: dum alios vocat ut caelestis habitationis desiderio manifestum testimonium reddant illudque in humana familia vividum conservent, alios vocat ut terreno hominum servitio se dedicent, hoc suo ministerio materiam regni caelestis parantes. Omnes tamen liberat ut, proprio amore abnegato omnibusque terrenis viribus in vitam humanam assumptis, ad futura se extendant, quando humanitas ipsa fiet oblatio accepta Deo (70).

Cuius spei arrham et itineris viaticum Dominus suis reliquit in illo sacramento fidei, in quo naturae elementa, ab hominibus exculta, in Corpus et Sanguinem gloriosum convertuntur, coena communionis fraternae et caelestis convivii praelibatione.

39. Terra nova et caelum novum.

Terrae ac humanitatis consummandae tempus ignoramus (71), nec universi transformandi modum novimus. Transit quidem figura huius mundi per peccatum deformata (72), sed docemur Deum novam habitationem novamque terram parare in qua iustitia habitat (73), et cuius beatitudo omnia pacis desideria, quae in cordibus hominum ascendunt, implebit ac superabit (74). Tunc, morte devicta, filii Dei in Christo resuscitabuntur, et id quod seminatum fuit in infirmitate ac corruptione, incorruptionem induet (75); et, manente caritate eiusque opere (76), a servitute vanitatis liberabitur tota creatura illa (77), quam Deus propter hominem creavit.

Monemur sane nihil prodesse homini, si universum mundum lucretur, seipsum autem perdat (78). Exspectatio tamen novae terrae extenuare non debet, sed potius excitare, sollicitudinem hanc terram excolendi, ubi Corpus illud novae familiae humanae crescit quod aliqualem novi saeculi adumbrationem iam praebere valet. Ideo, licet progressus terrenus a Regni Christi augmento sedulo distinguendus sit, inquantum tamen ad societatem humanam melius ordinandam conferre potest, Regni Dei magnopere interest (79).

Bona enim humanae dignitatis, communionis fraternae et libertatis, hos omnes scilicet bonos naturae ac industriae nostrae fructus, postquam in Spiritu Domini et iuxta Eius mandatum in terris propagaverimus, postea denuo inveniemus, mundata tamen ab omni sorde, illuminata ac transfigurata, cum Christus Patri reddet regnum aeternum et universale: "regnum veritatis et vitae, regnum sanctitatis et gratiae, regnum iustitiae, amoris et pacis" (80). His in terris Regnum iam in mysterio adest; adveniente autem Domino consummabitur.

Caput IV

DE MUNERE ECCLESIAE IN MUNDO HUIUS TEMPORIS

40. De Ecclesiae et mundi mutua relatione.

Omnia quae a nobis dicta sunt de dignitate personae humanae, de hominum communitate, de profundo sensu navitatis humanae, fundamentum relationis Ecclesiam inter et mundum necnon basim eorum mutui dialogi (81) constituunt. Ideo in hoc capite, omnibus praesuppositis ab hoc Concilio de mysterio Ecclesiae iam edictis, eadem Ecclesia nunc consideranda venit prout ipsa, in hoc mundo exsistit et cum eo vivit atque agit.

Procedens ex amore Patris aeterni (82), in tempore fundata a Christo Redemptore, coadunata in Spiritu Sancto (83), Ecclesia finem salutarem et eschatologicum habet, qui nonnisi in futuro saeculo plene attingi potest. Ipsa autem iam hic in terris adest, ex hominibus collecta, terrestris

nempe civitatis membris quae ad hoc vocantur ut iam in generis humani historia familiam filiorum Dei, usque ad adventum Domini semper augendam, efforment. Unita quidem propter bona caelestia iisque ditata, haec familia a Christo "in hoc mundo ut societas constituta et ordinata" (84) est, atque "aptis mediis unionis visibilis et socialis" (85) instructa. Ita Ecclesia, insimul "coetus adspectabilis et communitas spiritualis" (86), una cum tota humanitate incedit eamdemque cum mundo sortem terrenam experitur, ac tamquam fermentum et veluti anima societatis humanae (87) in Christo renovandae et in familiam Dei transformandae exsistit.

Haec quidem terrestris et caelestis civitatis compenetratio nonnisi fide percipi potest, immo mysterium manet historiae humanae, quae usque ad plenam revelationem claritatis filiorum Dei peccato perturbatur. Ecclesia quidem, proprium suum finem salutarem persequens, non solum vitam divinam cum homine communicat, sed etiam lumen eius repercussum quodammodo super universum mundum fundit, potissimum per hoc quod personae humanae dignitatem sanat et elevat, humanae societatis compaginem firmat, atque cotidianam hominum navitatem profundiori sensu et significatione imbuit. Ita Ecclesia per singula sua membra et totam suam communitatem multa se conferre posse credit ad hominum familiam eiusque historiam humaniorem reddendam.

Libenter insuper Ecclesia Catholica ea magni aestimat quae ad idem munus adimplendum aliae Ecclesiae christianae vel communitates ecclesiasticae socia opera contulerunt ac conferunt. Simul sibi firmiter persuasum habet se multum varioque modo a mundo, sive a singulis hominibus sive ab humana societate, eorum dotibus ac navitate, in praeparatione Evangelii iuvari posse. Mutui huius commercii atque adiutorii, in illis quae Ecclesiae et mundo quodammodo sunt communia, rite promovendi, principia quaedam generalia exponuntur.

41. De adiutorio quod Ecclesia singulis hominibus praestare satagit.

Homo hodiernus in via est ad personalitatem suam plenius evolvendam iuraque sua in dies magis detegenda et affirmanda. Cum autem Ecclesiae concreditum sit manifestare mysterium Dei, qui est ultimus finis hominis, ipsa homini simul aperit sensum propriae eius exsistentiae, intimam scilicet de homine veritatem. Vere novit Ecclesia solum Deum cui ipsa inservit, profundissimis respondere desideriis humani cordis, quod nutrimentis terrestribus numquam plene satiatur. Novit praeterea hominem, incessanter a Spiritu Dei incitatum, numquam circa problema religionis prorsus indifferentem fore, sicut non solum experientia saeculorum anteactorum, sed multiplici etiam testimonio nostrorum temporum comprobatur. Semper enim homo scire desiderabit, saltem confuse, quae sit significatio suae vitae, suae navitatis ac suae mortis. Ipsa praesentia Ecclesiae haec problemata in eius mentem revocat. Solus autem Deus, qui hominem ad imaginem suam creavit atque a peccato redemit, his quaestionibus plenissimum responsum praebet, idque per revelationem in Filio suo qui homo factus est. Quicumque Christum sequitur, Hominem perfectum, et ipse magis homo fit.

Ex hac fide Ecclesia dignitatem naturae humanae omnibus opinionum mutationibus subtrahere potest, quae, exempli gratia, corpus humanum aut nimis deprimunt aut immoderate extollunt. Nulla lege humana personalis dignitas atque libertas hominis tam apte in tuto collocari possunt quam Evangelio Christi Ecclesiae concredito. Hoc enim Evangelium libertatem filiorum Dei annuntiat et proclamat, omnem servitutem ex peccato ultimatim fluentem respuit (88), dignitatem conscientiae eiusque liberam decisionem sancte veretur, omnia talenta humana in Dei servitium hominumque bonum reduplicare indesinenter monet, omnes denique omnium commendans caritati (89). Quod legi fundamentali oeconomiae christianae correspondet. Etsi enim idem Deus sit Salvator qui et Creator, idem quoque Dominus et historiae humanae et

historiae salutis, tamen in hoc ipso ordine divino iusta creaturae autonomia et praesertim hominis nedum auferatur, potius in suam dignitatem restituitur atque in ipsa firmatur.

Ecclesia ergo, vi Evangelii sibi concrediti, iura hominum proclamat et hodierni temporis dynamismum, quo haec iura undique promoventur, agnoscit et magni aestimat. Qui motus tamen spiritu Evangelii imbuendus et adversus omnem speciem falsae autonomiae tutandus est. Tentationi enim subiicimur, iudicandi nostra iura personalia tunc tantum plene servari, cum ab omni norma Legis divinae solvimur. Hac autem via, personae humanae dignitas, nedum salvetur, potius perit.

42. De adiutorio quod Ecclesia societati humanae afferre satagit.

Unio familiae humanae unitate familiae filiorum Dei in Christo fundata (90) multum roboratur et completur.

Missio quidem propria, quam Christus Ecclesiae suae concredidit, non est ordinis politici, oeconomici vel socialis: finis enim quem ei praefixit ordinis religiosi (91) est. At sane ex hac ipsa missione religiosa munus, lux et vires fluunt quae communitati hominum secundum Legem divinam constituendae et firmandae inservire possunt. Item, ubi opus fuerit, secundum temporum et locorum circumstantias, et ipsa suscitare potest, immo et debet, opera in servitium omnium, praesertim vero egentium destinata, uti opera misercordiae vel alia huiusmodi.

Ecclesia insuper agnoscit quidquid boni in dynamismo sociali hodierno invenitur: praesertim evolutionem versus unitatem, processum sanae socializationis et consociationis civilis et oeconomicae. Promotio enim unitatis cum intima Ecclesiae missione cohaeret, cum ipsa sit "in Christo veluti sacramentum seu signum et instrumentum intimae cum Deo unionis totiusque generis humani unitatis" (92). Ita ipsa mundo ostendit veram unionem socialem externam ex unione mentium et cordium fluere, ex illa scilicet fide et caritate, quibus in Spiritu Sancto eius unitas indissolubiliter condita est. Vis enim, quam Ecclesia hodiernae hominum societati iniicere valet, in illa fide et caritate, ad effectum vitae adductis, consistit, non autem in dominio aliquo externo mediis mere humanis exercendo.

Cum insuper vi suae missionis et naturae ad nullam alligetur particularem culturae humanae formam aut systema politicum, oeconomicum vel sociale, Ecclesia ex hac sua universalitate ligamen arctissimum inter diversas hominum communitates et nationes exsistere potest, dummodo ipsae ei fidant eiusque veram libertatem ad hanc suam missionem adimplendam reapse agnoscant. Qua de causa Ecclesia filios suos, sed etiam omnes homines monet, ut in hoc familiali spiritu filiorum Dei, omnes dissensiones inter nationes et stirpes superent et iustis associationibus humanis internam firmitatem praebeant.

Quaecumque igitur vera, bona, iustaque inveniuntur in diversissimis institutionibus, quae genus humanum sibi condidit incessanterque condit, eadem Concilium magna cum reverentia considerat. Declarat insuper Ecclesiam omnes tales institutiones adiuvare et promovere velle, quatenus hoc ab ea dependet et cum eius missione coniungi potest. Ipsa nihil ardentius desiderat quam ut omnium bono inserviens, se libere sub quovis regimine evolvere possit quod iura fundamentalia personae ac familiae et boni communis necessitates agnoscat.

43. De adiutorio quod Ecclesia per christianos navitati humanae conferre satagit.

Concilium christianos, cives utriusque civitatis, adhortatur ut sua terrestria officia fideliter implere studeant, idque spiritu Evangelii ducti. A veritate discedunt qui, scientes nos non habere hic manentem civitatem sed futuram inquirere (93), putent se proinde officia sua terrestria

negligere posse, non attendentes se per ipsam fidem ad eadem implenda magis teneri, secundum vocationem qua quisque vocatus est (94). At non minus errant qui, e contrario, opinentur se ita seipsos negotiis terrestribus immergere posse, quasi ista omnino aliena sint a vita religiosa, quippe quia ipsam in solius cultus actibus et officiis quibusdam moralibus implendis consistere arbitrentur. Discidium illud inter fidem quam profitentur et vitam quotidianam multorum, inter graviores nostri temporis errores recensendum est. Scandalum hoc iam in Vetere Testamento Prophetae vehementer redarguebant (95) et multo magis in Novo Testamento ipse Iesus Christus gravibus poenis minabatur (96). Ne igitur perperam inter se opponantur activitates professionales et sociales ex una parte, vita religiosa ex altera. Christianus, officia sua temporalia negligens, officia sua erga proximum, immo et ipsum Deum negligit suamque aeternam salutem in discrimen adducit. Gaudeant potius christiani, exemplum Christi secuti, qui fabrilem artem exercuit, se omnes suas navitates terrestres exercere posse, conatus humanos, domesticos, professionales, scientificos vel technicos in unam synthesim vitalem cum bonis religiosis colligendo, sub quorum altissima ordinatione omnia in Dei gloriam coordinantur.

Laicis proprie, etsi non exclusive, saecularia officia et navitates competunt. Cum igitur, sive singuli sive consociati, ut cives mundi agunt, non solum leges proprias uniuscuiusque disciplinae servabunt, sed veram peritiam in illis campis sibi comparare studebunt. Libenter cum hominibus eosdem fines prosequentibus cooperabuntur. Agnoscentes exigentias fidei eiusque virtute praediti, incunctanter, ubi oportet, nova incepta excogitent atque ad effectum deducant. Ad ipsorum conscientiam iam apte formatam spectat, ut lex divina in civitatis terrenae vita inscribatur. A sacerdotibus vero laici lucem ac vim spiritualem exspectent. Neque tamen ipsi censeant pastores suos semper adeo peritos esse ut, in omni quaestione exsurgente, etiam gravi, solutionem concretam in promptu habere queant, aut illos ad hoc missos esse: ipsi potius, sapientia christiana illustrati et ad doctrinam Magisterii observanter attendentes (97), partes suas proprias assumant.

Pluries ipsa visio christiana rerum eos ad aliquam determinatam solutionem in quibusdam rerum adiunctis inclinabit. Alii tamen fideles, non minore sinceritate ducti, ut saepius et quidem legitime accidit, aliter de eadem re iudicabunt. Quodsi solutiones hinc inde propositae, etiam praeter partium intentionem, a multis facile connectantur cum nuntio evangelico, meminerint oportet nemini licere in praefatis casibus pro sua sententia auctoritatem Ecclesiae sibi exclusive vindicare. Semper autem colloquio sincero se invicem illuminare satagant, mutuam caritatem servantes et boni communis imprimis solliciti.

Laici vero, qui in tota vita Ecclesiae actuosas partes gerendas habent, non solum mundum spiritu christiano imbuere tenentur, sed etiam ad hoc vocantur ut in omnibus, in media quidem humana consortione, Christi sint testes.

Episcopi vero, quibus munus moderandi Ecclesiam Dei commissum est, cum presbyteris suis nuntium Christi ita praedicent, ut omnes fidelium terrestres activitates Evangelii luce perfundantur. Insuper pastores omnes memores sint se sua cotidiana conversatione et sollicitudine (98) mundo faciem Ecclesiae exhibere, ex qua homines vim et veritatem nuntii christiani iudicant. Vita et verbo, una cum religiosis atque suis fidelibus, demonstrent Ecclesiam sola sua praesentia, cum omnibus quae continet donis, inexhaustum fontem esse illarum virtutum, quibus mundus hodiernus maxime indiget. Studiis assiduis se ita aptos reddant, ut in dialogo cum mundo et hominibus cuiuscumque opinionis instituendo partes suas agere possint. Imprimis vero in corde verba huius Concilii habeant: "Quia genus humanum hodie magis magisque in unitatem civilem, oeconomicam et socialem coalescit, eo magis oportet ut

Sacerdotes, coniuncta cura et ope sub ductu Episcoporum et Summi Pontificis, omnem rationem dispersionis elidant, ut in unitatem familiae Dei totum genus humanum adducatur" (99).

Quamvis Ecclesia ex virtute Spiritus Sancti fidelis sponsa Domini sui manserit et numquam cessaverit esse signum salutis in mundo, ipsa tamen minime ignorat inter membra sua (100), sive clericos sive laicos, decurrente multorum saeculorum serie, non defuisse qui Spiritui Dei infideles exstiterint. Etiam hac nostra aetate Ecclesiam non fugit, quantum inter se distent nuntius a se prolatus et humana debilitas eorum quibus Evangelium concreditur. Quidquid de istis defectibus historia iudicet, eorum conscii esse debemus eosdemque strenue impugnare, ne Evangelio diffundendo detrimentum afferant. Pariter novit Ecclesia quantopere ipsa, in sua cum mundo relatione excolenda, ex saeculorum experientia iugiter maturescere debeat. A Spiritu Sancto ducta, Ecclesia Mater indesinenter filios suos "ad purificationem et renovationem exhortatur, ut signum Christi super faciem Ecclesiae clarius effulgeat" (101).

44. De adiutorio quod Ecclesia a mundo hodierno accipit.

Sicut autem mundi interest Ecclesiam ut socialem realitatem historiae eiusque fermentum agnoscere, ita ipsa Ecclesia non ignorat, quantum ex humani generis historia et evolutione acceperit.

Praeteritorum saeculorum experientia, scientiarum profectus, thesauri in variis culturae humanae formis absconditi, quibus ipsius hominis natura plenius manifestatur novaeque viae ad veritatem aperiuntur, Ecclesiae quoque prosunt. Ipsa enim, inde ab initio suae historiae, nuntium Christi, ope conceptuum et linguarum diversorum populorum exprimere didicit, eumdemque sapientia insuper philosophorum illustrare conata est: in hunc finem nempe ut Evangelium tum omnium captui tum sapientium exigentiis, in quantum par erat, aptaret. Quae quidem verbi revelati accommodata praedicatio lex omnis evangelizationis permanere debet. Ita enim in omni natione facultas nuntium Christi suo modo exprimendi excitatur simulque vivum commercium inter Ecclesiam et diversas populorum culturas promovetur (102). Ad tale commercium augendum Ecclesia, imprimis nostris temporibus, in quibus res celerrime mutantur et cogitandi modi valde variantur, peculiariter eorum auxilio indiget qui, viventes in mundo, varias institutiones et disciplinas callent earumque intimam mentem intelligunt, sive de credentibus sive de non credentibus agatur. Totius Populi Dei est, praesertim pastorum et theologorum, adiuvante Spiritu Sancto, varias loquelas nostri temporis auscultare, discernere et interpretari easque sub lumine verbi divini diiudicare, ut revelata Veritas semper penitius percipi, melius intelligi aptiusque proponi possit.

Ecclesia, cum visibilem structuram socialem habeat, signum quidem suae unitatis in Christo, etiam evolutione vitae socialis humanae ditari potest et ditatur, non quasi aliquid in constitutione a Christo sibi data deesset, sed ad eamdem profundius cognoscendam, melius exprimendam atque temporibus nostris felicius accommodandam. Ipsa grato animo percipit se, in sua communitate non minus quam in singulis suis filiis, varium adiutorium ab hominibus cuiusvis gradus vel condicionis accipere. Quicumque enim communitatem humanam in ordine familiae, culturae, vitae oeconomicae et socialis, necnon politicae tam nationalis quam internationalis, promovent, secundum consilium Dei communitati quoque ecclesiali, in quantum haec ab externis dependet, adiutorium non parvum afferunt. Immo Ecclesia, ex ipsa oppositione eorum qui ei adversantur vel eam persequuntur, se multum profecisse et proficere posse fatetur (103).

45. De Christo, alpha et omega.

Ecclesia, dum ipsa mundum adiuvat et ab eo multa accipit, ad hoc unum tendit ut Regnum Dei adveniat et totius humani generis salus instauretur. Omne vero bonum, quod Populus Dei in suae peregrinationis terrestris tempore hominum familiae praebere potest, ex hoc profluit quod Ecclesia est "universale salutis sacramentum" (104), mysterium amoris Dei erga hominem manifestans simul et operans.

Verbum enim Dei, per quod omnia facta sunt, Ipsum caro factum est, ita ut, perfectus Homo, omnes salvaret et universa recapitularet. Dominus finis est humanae historiae, punctum in quod historiae et civilizationis desideria vergunt, humani generis centrum, omnium cordium gaudium eorumque appetitionum plenitudo (105). Ille est quem Pater a mortuis suscitavit, exaltavit et a dextris suis collocavit, Eum vivorum atque mortuorum iudicem constituens. In Eius Spiritu vivificati et coadunati, versus historiae humanae peregrinamur consummationem, quae cum consilio Eius dilectionis plene congruit: "Instaurare omnia in Christo, quae in caelis et quae in terra sunt" (Eph 1,10).

Dicit Ipse Dominus: "Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. Ego sum alpha et omega, primus et novissimus, principium et finis" (Apoc 22,12-13).

PARS II

DE QUIBUSDAM PROBLEMATIBUS URGENTIORIBUS

46. Prooemium.

Concilium, postquam exposuit cuiusnam dignitatis sit persona hominis necnon ad quodnam munus, sive individuale sive sociale, in universo mundo adimplendum sit vocata, sub luce Evangelii et humanae experientiae omnium nunc animos ad quasdam urgentiores huius temporis necessitates convertit, quae maxime genus humanum afficiunt.

Inter multa quae hodie sollicitudinem omnium excitant haec praesertim recolere iuvat: matrimonium et familiam, culturam humanam, vitam oeconomicam-socialem ac politicam, coniunctionem familiae populorum et pacem. Circa haec singula clarescant principia et lumina a Christo manantia, quibus christifideles ducantur omnesque homines illuminentur in tot implicatorum problematum solutione quaerenda.

Caput I

DE DIGNITATE MATRIMONII ET FAMILIAE FOVENDA

47. De matrimonio et familia in mundo hodierno.

Salus personae et societatis humanae ac christianae arcte cum fausta condicione communitatis coniugalis et familiaris connectitur. Ideo christiani, una cum omnibus qui eandem communitatem magni aestimant, sincere gaudent de variis subsidiis quibus homines, in hac communitate amoris fovenda et in vita colenda, hodie progrediuntur, et coniuges atque parentes in praecellenti suo munere adiuvantur; meliora insuper exinde beneficia exspectant atque promovere student.

Non ubique vero huius institutionis dignitas eadem claritate illucescit, siquidem polygamia, divortii lue, amore sic dicto libero, aliisve deformationibus obscuratur; insuper amor nuptialis saepius egoismo, hedonismo et illicitis usibus contra generationem profanatur. Praeterea hodiernae condiciones oeconomicae, socio-psychologicae et civiles non leves in familiam perturbationes inducunt. In certis denique orbis partibus non absque sollicitudine problemata ex incremento demographico exorta observantur. Quibus omnibus conscientiae anguntur.

Verumtamen matrimonialis familiarisque instituti vis et robur ex eo quoque apparent, quod profundae immutationes societatis hodiernae, non obstantibus difficultatibus inde prorumpentibus, saepe saepius veram eiusdem instituti indolem vario modo manifestant.

Quapropter Concilium, quaedam doctrinae Ecclesiae capita in clariorem lucem ponendo, christianos hominesque universos illuminare et confortare intendit, qui nativam status matrimonialis dignitatem eiusque eximium valorem sacrum tueri et promovere conantur.

48. De sanctitate matrimonii et familiae.

Intima communitas vitae et amoris coniugalis, a Creatore condita suisque legibus instructa, foedere coniugii seu irrevocabili consensu personali instauratur. Ita actu humano, quo coniuges sese mutuo tradunt atque accipiunt, institutum ordinatione divina firmum oritur, etiam coram societate; hoc vinculum sacrum intuitu boni, tum coniugum et prolis tum societatis, non ex humano arbitrio pendet. Ipse vero Deus est auctor matrimonii, variis bonis ac finibus praediti (106); quae omnia pro generis humani continuatione, pro singulorum familiae membrorum profectu personali ac sorte aeterna, pro dignitate, stabilitate, pace et prosperitate ipsius familiae totiusque humanae societatis maximi sunt momenti. Indole autem sua naturali, ipsum institutum matrimonii amorque coniugalis ad procreationem et educationem prolis ordinantur iisque veluti suo fastigio coronantur. Vir itaque et mulier, qui foedere coniugali "iam non sunt duo, sed una caro" (Mt 19,6), intima personarum atque operum coniunctione mutuum sibi adiutorium et servitium praestant, sensumque suae unitatis experiuntur et plenius in dies adipiscuntur. Quae intima unio, utpote mutua duarum personarum donatio, sicut et bonum liberorum, plenam coniugum fidem exigunt atque indissolubilem eorum unitatem urgent (107).

Christus Dominus huic multiformi dilectioni, e divino caritatis fonte exortae et ad exemplar suae cum Ecclesia unionis constitutae, abundanter benedixit. Sicut enim Deus olim foedere dilectionis et fidelitatis populo suo occurrit (108), ita nunc hominum Salvator Ecclesiaeque Sponsus (109), per sacramentum matrimonii christifidelibus coniugibus obviam venit. Manet porro cum eis, ut quemadmodum Ipse dilexit Ecclesiam et Semetipsum pro ea tradidit (110), ita et coniuges, mutua deditione, se invicem perpetua fidelitate diligant. Germanus amor coniugalis in divinum amorem assumitur atque virtute redemptiva Christi et salvifica actione Ecclesiae regitur ac ditatur, ut coniuges efficaciter ad Deum ducantur atque in sublimi munere patris et matris adiuventur et confortentur (111). Quapropter coniuges christiani ad sui status officia et dignitatem peculiari sacramento roborantur et veluti consecrantur (112); cuius virtute munus suum coniugale et familiare explentes, spiritu Christi imbuti, quo tota eorum vita, fide, spe et caritate pervaditur, magis ac magis ad propriam suam perfectionem mutuamque sanctificationem, ideoque communiter ad Dei glorificationem accedunt.

Unde, ipsis parentibus exemplo et oratione familiari praegredientibus, filii, immo et omnes in familiae convictu degentes, humanitatis, salutis atque sanctitatis viam facilius invenient. Coniuges autem, dignitate ac munere paternitatis et maternitatis ornati, officium educationis praesertim religiosae, quod ad ipsos imprimis spectat, diligenter adimplebunt.

Liberi, ut viva familiae membra, ad sanctificationem parentum suo modo conferunt. Gratae enim mentis affectu, pietate atque fiducia beneficiis parentum respondebunt ipsisque in rebus adversis necnon in senectutis solitudine filiorum more assistent. Viduitas, in continuitate vocationis coniugalis forti animo assumpta, ab omnibus honorabitur (113). Familia suas divitias spirituales cum aliis quoque familiis generose communicabit. Proinde familia christiana, cum e matrimonio, quod est imago et participatio foederis dilectionis Christi et Ecclesiae, exoriatur (114), vivam Salvatoris in mundo praesentiam atque germanam Ecclesiae naturam omnibus patefaciet, tum

coniugum amore, generosa fecunditate, unitate atque fidelitate, tum amabili omnium membrorum cooperatione.

49. De amore coniugali.

Pluries verbo divino sponsi atque coniuges invitantur, ut casto amore sponsalia et indivisa dilectione coniugium nutriant atque foveant (115). Plures quoque nostrae aetatis homines verum amorem inter maritum et uxorem variis rationibus secundum honestos populorum et temporum mores manifestatum magni faciunt. Ille autem amor, utpote eminenter humanus, cum a persona in personam voluntatis affectu dirigatur, totius personae bonum complectitur ideoque corporis animique expressiones peculiari dignitate ditare easque tamquam elementa ac signa specialia coniugalis amicitiae nobilitare valet. Hunc amorem Dominus, speciali gratiae et caritatis dono, sanare, perficere et elevare dignatus est. Talis amor, humana simul et divina consocians, coniuges ad liberum et mutuum sui ipsius donum, tenero affectu et opere probatum, conducit totamque vitam eorum pervadit (116); immo ipse generosa sua operositate perficitur et crescit. Longe igitur exsuperat meram eroticam inclinationem, quae, egoistice exculta, citius et misere evanescit.

Haec dilectio proprio matrimonii opere singulariter exprimitur et perficitur. Actus proinde, quibus coniuges intime et caste inter se uniuntur, honesti ac digni sunt et, modo vere humano exerciti, donationem mutuam significant et fovent, qua sese invicem laeto gratoque animo locupletant. Amor ille mutua fide ratus, et potissimum sacramento Christi sancitus, inter prospera et adversa corpore ac mente indissolubiliter fidelis est, et proinde ab omni adulterio et divortio alienus remanet. Aequali etiam dignitate personali cum mulieris tum viri agnoscenda in mutua atque plena dilectione, unitas matrimonii a Domino confirmata luculenter apparet. Ad officia autem huius vocationis christianae constanter exsequenda virtus insignis requiritur: quapropter coniuges, gratia ad vitam sanctam roborati, firmitatem amoris, magnitudinem animi et spiritum sacrificii assidue colent et oratione impetrabunt.

Germanus autem amor coniugalis altius aestimabitur atque sana circa eum opinio publica efformabitur, si coniuges christiani testimonio fidelitatis et harmoniae in eodem amore necnon sollicitudine in filiis educandis, eminent atque in necessaria renovatione culturali, psychologica et sociali in favorem matrimonii et familiae partes suas agunt. Iuvenes de amoris coniugalis dignitate, munere et opere, potissimum in sinu ipsius familiae, apte et tempestive instruendi sunt, ut, castitatis cultu instituti, convenienti aetate ab honestis sponsalibus ad nuptias transire possint.

50. De matrimonii fecunditate.

Matrimonium et amor coniugalis indole sua ad prolem procreandam et educandam ordinantur. Filii sane sunt praestantissimum matrimonii donum et ad ipsorum parentum bonum maxime conferunt. Ipse Deus qui dixit: "non est bonum esse hominem solum" (Gen 2,18) et qui "hominem ab initio masculum et feminam... fecit" (Mt 19,4), volens ei participationem specialem quamdam in Suiipsius opere creativo communicare, viro et mulieri benedixit dicens: "crescite et multiplicamini" (Gen 1,28). Unde verus amoris coniugalis cultus totaque vitae familiaris ratio inde oriens, non posthabitis ceteris matrimonii finibus, eo tendunt ut coniuges forti animo dispositi sint ad cooperandum cum amore Creatoris atque Salvatoris, qui per eos Suam familiam in dies dilatat et ditat.

In officio humanam vitam transmittendi atque educandi, quod tamquam propria eorum missio considerandum est, coniuges sciunt se cooperatores esse amoris Dei Creatoris eiusque veluti

interpretes. Ideo humana et christiana responsabilitate suum munus adimplebunt ac docili erga Deum reverentia, communi consilio atque conatu, rectum iudicium sibi efformabunt, attendentes tum ad suum ipsorum bonum tum ad bonum liberorum, sive iam nati sint sive futuri praevideantur, dignoscentes temporum et status vitae condiciones tum materiales tum spirituales, ac denique rationem servantes boni communitatis familiaris, societatis temporalis ipsiusque Ecclesiae. Hoc iudicium ipsi ultimatim coniuges coram Deo ferre debent. In sua vero agendi ratione coniuges christiani conscii sint se non ad arbitrium suum procedere posse, sed semper regi debere conscientia ipsi legi divinae conformanda, dociles erga Ecclesiae Magisterium, quod illam sub luce Evangelii authentice interpretatur. Lex illa divina plenam amoris coniugalis significationem ostendit, illum protegit et ad eiusdem vere humanam perfectionem impellit. Ita coniuges christiani, divinae Providentiae confidentes et spiritum sacrificii excolentes (117), Creatorem glorificant atque ad perfectionem in Christo contendunt, cum procreandi munere generosa, humana atque christiana responsabilitate funguntur. Inter coniuges qui tali modo muneri sibi a Deo commisso satisfaciunt, peculiariter memorandi sunt illi qui, prudenti communique consilio, magno animo prolem congruenter educandam etiam numerosiorem suscipiunt (118).

Matrimonium vero, non est tantum ad procreationem institutum; sed ipsa indoles foederis inter personas indissolubilis atque bonum prolis exigunt, ut mutuus etiam coniugum amor recto ordine exhibeatur, proficiat et maturescat. Ideo etsi proles, saepius tam optata, deficit, matrimonium ut totius vitae consuetudo et communio perseverat, suumque valorem atque indissolubilitatem servat.

51. De amore coniugali componendo cum observantia vitae humanae.

Concilium novit coniuges, in vita coniugali harmonice ordinanda, saepe quibusdam hodiernis vitae condicionibus praepediri atque in circumstantiis versari posse in quibus numerus prolis, saltem ad tempus, augeri nequit, et fidelis amoris cultus atque plena vitae consuetudo non sine difficultate conservantur. Ubi autem intima vita coniugalis abrumpitur, bonum fidei non raro in discrimen vocari et bonum prolis pessumdari possunt: tunc enim educatio liberorum necnon fortis animus ad prolem ulteriorem suscipiendam periclitantur.

Sunt qui his problematibus solutiones inhonestas afferre praesumunt, immo ab occisione non abhorrent; at Ecclesia in memoriam revocat veram contradictionem inter divinas leges vitae transmittendae et germani amoris coniugalis fovendi adesse non posse.

Deus enim, Dominus vitae, praecellens servandi vitam ministerium hominibus commisit, modo homine digno adimplendum. Vita igitur inde a conceptione, maxima cura tuenda est; abortus necnon infanticidium nefanda sunt crimina. Indoles vero sexualis hominis necnon humana generandi facultas mirabiliter exsuperant ea quae in inferioribus vitae gradibus habentur; proinde ipsi actus vitae coniugali proprii, secundum germanam dignitatem humanam ordinati, magna observantia reverendi sunt. Moralis igitur indoles rationis agendi, ubi de componendo amore coniugali cum responsabili vitae transmissione agitur, non a sola sincera intentione et aestimatione motivorum pendet, sed obiectivis criteriis, ex personae eiusdemque actuum natura desumptis, determinari debet, quae integrum sensum mutuae donationis ac humanae procreationis in contextu veri amoris observant; quod fieri nequit nisi virtus castitatis coniugalis sincero animo colatur. Filiis Ecclesiae, his principiis innixis, in procreatione regulanda, vias inire non licet, quae a Magisterio, in lege divina explicanda, improbantur (119).

Omnibus vero compertum sit vitam hominum et munus eam transmittendi non ad hoc saeculum tantum restringi neque eo tantum commensurari et intelligi posse, sed ad aeternam hominum destinationem semper respicere.

52. De matrimonii et familiae promotione ab omnibus curanda.

Familia schola quaedam uberioris humanitatis est. Ut autem vitae ac missionis suae plenitudinem attingere valeat, benevola animi communicatio communeque coniugum consilium necnon sedula parentum cooperatio in filiorum educatione requiruntur. Praesentia actuosa patris eorumdem efformationi magnopere prodest, sed et cura domestica matris, qua liberi praesertim iuniores indigent, in tuto ponenda est, quin legitima mulieris promotio socialis posthabeatur. Liberi ita educatione instruantur ut ad aetatem adultam provecti pleno responsabilitatis sensu vocationem etiam sacram sequi ac vitae statum eligere queant, in quo, si nuptiis iungantur, familiam propriam, in condicionibus moralibus, socialibus et oeconomicis eidem propitiis, condere possint. Parentum vel tutorum est se iunioribus, in fundanda familia, prudenti consilio, ab eis libenter audiendo, duces praebere, caventes tamen ne eos coactione directa vel indirecta ad matrimonium ineundum aut ad electionem compartis adigant.

Ita familia, in qua diversae generationes conveniunt ac sese mutuo adiuvant ad pleniorem sapientiam acquirendam atque iura personarum cum aliis vitae socialis exigentiis componenda, fundamentum societatis constituit. Ideoque omnes qui influxum in communitates et coetus sociales exercent, ad promotionem matrimonii et familiae efficaciter conferre debent. Potestas civilis veram eorumdem indolem agnoscere, protegere et provehere, moralitatem publicam tueri atque prosperitati domesticae favere, ut sacrum suum munus consideret. Ius parentum prolem procreandi et in sinu familiae educandi tutandum est. Provida legislatione variisque inceptis etiam illi protegantur aptoque adiumento subleventur qui bono familiae infeliciter carent.

Christifideles, praesens tempus redimentes (120) atque aeterna a mutabilibus formis discernentes, bona matrimonii et familiae, tum propriae vitae testimonio tum concordi actione cum hominibus bonae voluntatis, diligenter promoveant, et sic, interceptis difficultatibus, providebunt familiae necessitatibus et commodis, quae novis temporibus conveniunt. Ad quem finem obtinendum sensus christianus fidelium, recta hominum conscientia moralis necnon sapientia ac peritia eorum qui in sacris disciplinis versati sunt, magno auxilio erunt.

Qui scientiis, praecipue biologicis, medicis, socialibus et psychologicis eruditi sunt, multum bono matrimonii et familiae, pacique conscientiarum inservire possunt, si collatis studiis diversas condiciones honestae ordinationi procreationis humanae faventes, penitius elucidare conentur.

Sacerdotum est, debita de re familiari eruditione accepta, vocationem coniugum diversis mediis pastoralibus, verbi Dei praedicatione, cultu liturgico aliisve adiumentis spiritualibus in vita eorum coniugali et familiari fovere, eosque humaniter et patienter in difficultatibus roborare atque in caritate confortare ut vere radiosae familiae efformentur.

Varia opera, praesertim familiarum consociationes, iuvenes ipsosque coniuges, praecipue nuper iunctos, doctrina et actione confirmare eosque ad vitam familiarem, socialem et apostolicam formare satagent.

Ipsi denique coniuges, ad imaginem Dei vivi facti et in vero ordine personarum constituti, affectu compari, mente consimili et mutua sanctitate adunati sint (121), ut Christum, vitae principium (122) secuti, in gaudiis et sacrificiis vocationis suae, per suum fidelem amorem, illius testes fiant mysterii dilectionis, quod Dominus morte et resurrectione sua mundo revelavit (123).

Caput II

DE CULTURAE PROGRESSU RITE PROMOVENDO

53. Introductio.

Ad ipsam personam hominis pertinet ut nonnisi per culturam, hoc est bona naturae valoresque colendo, ad veram plenamque humanitatem accedat. Ubicumque ergo de vita humana agitur, natura et cultura quam intime connectuntur.

Voce cultura sensu generali indicantur omnia quibus homo multifarias dotes animi corporisque perpolit atque explicat; ipsum orbem terrarum cognitione et labore in suam potestatem redigere studet; vitam socialem, tam in familia quam in tota consortione civili, progressu morum institutorumque humaniorem reddit; denique magnas experientias spirituales atque appetitiones decursu temporum in operibus suis exprimit, communicat atque conservat, ut ad profectum multorum, quinimmo totius generis humani, inserviant.

Inde sequitur culturam humanam aspectum historicum atque socialem necessario prae se ferre, atque vocem cultura saepe sensum sociologicum necnon ethnologicum assumere. Hoc autem sensu de culturarum pluralitate sermo fit. Ex diverso enim modo utendi rebus, laborem praestandi et sese exprimendi, religionem colendi moresque formandi, statuendi leges et iuridica instituta, augendi scientias et artes atque colendi pulchrum, diversae oriuntur communes vivendi condiciones et diversae formae bona vitae componendi. Ita ex traditis institutis efficitur patrimonium cuique humanae communitati proprium. Ita etiam constituitur ambitus definitus et historicus, in quem homo cuiusque gentis vel aetatis inseritur, et ex quo bona ad humanum civilemque cultum promovendum haurit.

Sectio I: De culturae condicionibus in mundo hodierno

54. De novis vivendi formis.

Condiciones vitae hominis moderni sub respectu sociali et culturali profunde immutatae sunt, ita ut de nova historiae humanae aetate loqui liceat (124). Exinde ad culturam perficiendam ampliusque spargendam novae patent viae. Quas paraverunt ingens augmentum scientiarum naturalium et humanarum, etiam socialium, incrementum technicarum artium, necnon progressus in excolendis et recte disponendis instrumentis quibus homines inter se communicant. Hinc cultura hodierna particularibus signatur notis: scientiae, quae exactae nuncupantur, iudicium criticum maxime excolunt; recentiora psychologiae studia humanam activitatem profundius explicant; disciplinae historicae valde conferunt ut res sub specie suae mutabilitatis atque evolutionis adspiciantur; vitae consuetudines et mores in dies magis uniformes efficiuntur; industrializatio, urbanizatio aliaeque causae quae vitam communitariam promovent, novas culturae formas creant (mass-culture), ex quibus novi modi sentiendi, agendi otioque utendi nascuntur; aucta simul inter varias gentes societatisque coetus commercia thesauros diversarum culturae formarum omnibus et singulis latius aperiunt, et sic paulatim universalior paratur culturae humanae forma, quae eo magis humani generis unitatem promovet ac exprimit, quo melius diversarum culturarum particularitates observat.

55. Homo auctor culturae.

Maior in dies fit numerus virorum ac mulierum cuiusvis coetus vel nationis, qui conscii sunt suae communitatis culturae artifices se esse atque auctores. In universo mundo magis magisque crescit autonomiae simulque responsabilitatis sensus, quod pro spirituali ac morali maturitate

generis humani maximi est momenti. Illud clarius apparet, si ante oculos unificationem mundi ponimus atque munus nobis impositum, ut in veritate et iustitia meliorem aedificemus mundum. Tali ergo modo testes sumus novum humanismum nasci, in quo homo imprimis sua responsabilitate erga suos fratres historiamque definitur.

56. Difficultates et munera.

Quibus in condicionibus, non est mirandum, hominem, qui responsabilitatem suam sentit pro culturae progressu, altiorem spem nutrire, sed etiam anxio animo adspicere multiplices antinomias exsistentes, quas ipse resolvere debet.

Quid faciendum est, ne frequentiora culturarum commercia, quae inter diversos coetus et nationes ad verum et fructuosum dialogum adducere deberent, vitam communitatum perturbent, neve sapientiam maiorum evertant, neve propriam populorum indolem in discrimen adducant?

Quomodo dynamismo atque expansioni novae culturae est favendum, quin fidelitas viva erga traditionum haereditatem pereat? Quod particulari modo urget ubi cultura, quae ex ingenti scientiarum artiumque technicarum progressu oritur, componenda est cum eo ingenii cultu qui studiis secundum varias traditiones classicis alitur.

Quomodo tam velox atque progrediens disciplinarum particularium dispersio conformari potest cum necessitate formandi earum synthesim, necnon servandi apud homines facultates contemplationis ac admirationis, quae ad sapientiam adducunt?

Quid faciendum est, ut universi homines bonorum culturalium participes fiant in mundo, cum insimul cultus humanus peritiorum semper sublimior atque complexior evadat?

Quomodo denique prout legitima agnoscenda est autonomia, quam cultura sibi vindicat, quin ad humanismum mere terrestrem, immo ipsi religioni adversantem deveniatur?

In medio quidem illarum antinomiarum cultura humana ita hodie evolvatur oportet, ut integram personam humanam aequo ordine excolat atque homines iuvet in muneribus, ad quae adimplenda omnes, praecipue autem christifideles, in una familia humana fraterne uniti, vocantur.

Sectio II: De quibusdam principiis ad culturam rite promovendam

57. Fides et cultura.

Christifideles, ad civitatem caelestem peregrinantes, ea quae sursum sunt quaerere et sapere debent (125); quo tamen nedum minuatur, potius crescit momentum muneris eorum una cum omnibus hominibus adlaborandi ad aedificationem mundi humanius exstruendi. Et revera fidei christianae mysterium praestantia incitamenta et adiumenta eis praebet ad munus illud impensius adimplendum et praesertim ad plenum huiusmodi operis sensum detegendum, quo cultus humanus in integra hominis vocatione suum eximium obtineat locum.

Cum enim homo opere manuum suarum vel ope technicarum artium terram excolit, ut fructum afferat et dignum universae familiae humanae habitaculum fiat, et cum conscie partes assumit in socialium coetuum vita, ipse exsequitur consilium Dei, initio temporum patefactum, terrae subiiciendae (126) creationisque perficiendae, atque seipsum excolit; insimul magnum Christi mandatum servat, sese in servitium fratrum impendendi.

Insuper homo cum in varias philosophiae, historiae atque scientiae mathematicae et naturalis disciplinas incumbit et artibus versatur, maxime conferre potest, ut familia humana ad sublimiores veri, boni et pulchri rationes atque ad iudicium universi valoris elevetur et sic clarius illuminetur mirabili Sapientia, quae ab aeterno cum Deo erat, cuncta cum Eo componens, ludens in orbe terrarum, esse cum filiis hominum in deliciis habens (127).

Eo ipso animus hominis, a rerum servitute magis solutus, expeditius ad ipsum Creatoris cultum et contemplationem evehi potest. Immo impulsu gratiae ad agnoscendum Dei Verbum disponitur, quod, antequam caro fieret ad omnia salvanda et in Se recapitulanda, iam in mundo erat, tamquam "lux vera quae illuminat omnem hominem" (Io 1,9) (128).

Sane hodiernus progressus scientiarum artiumque technicarum, quae vi methodi suae usque ad intimas rerum rationes penetrare nequeunt, cuidam phaenomenismo et agnosticismo favere potest, quando methodus investigandi, qua disciplinae istae utuntur, immerito pro suprema totius veritatis inveniendae regula habetur. Immo periculum adest, ne homo, inventis hodiernis nimis fidens, se sibi sufficere aestimet et altiora amplius iam non quaerat.

Haec tamen infausta non necessario ex hodierna cultura sequuntur, nec nos in tentationem inducere debent, ne eius valores positivos non agnoscamus. Inter quos adnumerantur: scientiarum studium atque exacta fidelitas erga veritatem in inquisitionibus scientificis, necessitas laborandi una cum aliis in coetibus technicis, sensus solidarietatis internationalis, conscientia in dies vividior responsabilitatis peritorum erga homines adiuvandos immo et protegendos, voluntas faustiores reddendi vitae condiciones omnibus, praesertim illis qui vel responsabilitatis privatione vel culturae paupertate laborant. Haec omnia aliquam praeparationem ad nuntium Evangelii accipiendum afferre valent, quae informari potest caritate divina ab Eo qui venit ut mundum salvaret.

58. De multiplici inter bonum nuntium Christi et culturam humanam connexione.

Inter nuntium salutis et culturam humanam multiplices nexus inveniuntur. Nam Deus, populo suo sese revelans usque ad plenam sui manifestationem in Filio incarnato, locutus est secundum culturam diversis aetatibus propriam.

Pariter Ecclesia, decursu temporum variis in condicionibus vivens, diversarum culturarum inventa adhibuit, ut nuntium Christi in sua praedicatione ad omnes gentes diffundat et explicet, illud investiget et altius intelligat, in celebratione liturgica atque in vita multiformis communitatis fidelium melius exprimat.

At simul, ad omnes populos cuiusvis aetatis et regionis missa, Ecclesia nulli stirpi aut nationi, nulli particulari morum rationi, nulli antiquae aut novae consuetudini exclusive et indissolubiliter nectitur. Propriae traditioni inhaerens et insimul missionis suae universalis conscia, communionem cum diversis culturae formis inire valet, qua tum ipsa Ecclesia tum variae culturae ditescunt.

Bonum Christi nuntium hominis lapsi vitam et cultum continenter renovat, et errores ac mala, ex semper minaci peccati seductione manantia, impugnat et removet. Mores populorum indesinenter purificat et elevat. Animi ornamenta dotesque cuiuscumque populi vel aetatis supernis divitiis velut ab intra fecundat, communit, complet atque in Christo restaurat (129). Sic Ecclesia, proprium implendo munus (130), iam eo ipso ad humanum civilemque cultum impellit atque confert, et actione sua, etiam liturgica, hominem ad interiorem libertatem educat.

59. De diversis rationibus in cultus humani formis rite componendis.

Supradictis rationibus, Ecclesia in mentem omnium revocat culturam ad integram personae humanae perfectionem, ad bonum communitatis et totius humanae societatis esse referendam. Quare oportet animum ita excolere, ut promoveatur facultas admirandi, intus legendi, contemplandi atque efformandi iudicium personale et excolendi sensum religiosum, moralem ac socialem.

Cultura enim, cum ex hominis indole rationali et sociali immediate fluat, indesinenter indiget iusta libertate ad sese explicandam atque legitima, secundum propria principia, sui iuris agendi facultate. Iure merito ergo postulat reverentiam et quadam gaudet inviolabilitate, servatis utique iuribus personae et communitatis, sive particularis sive universalis, intra fines boni communis.

Sacra Synodus, recolens ea quae Concilium Vaticanum Primum docuit, declarat "duplicem esse ordinem cognitionis" distinctum, nempe fidei et rationis, nec sane Ecclesiam vetare ne "humanarum artium et disciplinarum culturae... in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo"; quare "iustam hanc libertatem agnoscens", cultus humani et praesertim scientiarum legitimam autonomiam affirmat (131).

Haec omnia postulant quoque ut homo, morali ordine communique utilitate servatis, libere possit verum inquirere et opinionem suam declarare ac vulgare, atque artem qualemcumque colere; ut denique secundum veritatem de publicis eventibus certior fiat (132).

Ad publicam vero auctoritatem pertinet, non propriam cultus humani formarum indolem determinare, sed condiciones et subsidia ad vitam culturalem inter omnes promovendam fovere, etiam intra minoritates alicuius nationis (133). Ideo praeprimis instandum est, ne cultura, a proprio fine aversa, potestatibus politicis vel oeconomicis servire cogatur.

Sectio III: De quibusdam urgentioribus christianorum muneribus circa culturam

60. Ius ad culturae beneficia omnibus agnoscatur et in rem deducatur.

Cum nunc facultas praebeatur plurimos homines ab ignorantiae miseria liberandi, officium nostrae aetati maxime consentaneum est, praesertim pro christianis, strenue adlaborandi ut, tam in re oeconomica quam in re politica, tam in campo nationali quam internationali, ferantur iudicia fundamentalia, quibus ius omnium ad humanum civilemque cultum, personae dignitati congruum, sine discrimine stirpis, sexus, nationis, religionis aut socialis condicionis, ubique terrarum agnoscatur et ad rem deducatur. Ideo sufficiens bonorum culturalium copia omnibus providenda est, praesertim eorum quae constituunt culturam sic dictam fundamentalem, ne plurimi litterarum ignorantia responsabilisque actuositatis privatione a cooperatione vere humana ad bonum commune impediantur.

Contendendum est itaque ut homines, quorum ingenii vires id ferant, ad altiores studiorum ordines ascendere queant; ita quidem ut iidem, quoad fieri possit, in humana societate ad munera, officia et servitia emergant, tum suo ingenio, tum peritiae quam acquisierint consentanea (134). Sic quilibet homo et coetus sociales cuiuscumque populi ad plenam vitae suae culturalis explicationem, suis dotibus atque traditionibus congruam, pertingere valebunt.

Enixe insuper adlaborandum est ut omnes conscii fiant tum iuris ad culturam, tum officii quo astringuntur sese excolendi aliosque adiuvandi. Condiciones enim vitae et laboris quandoque exstant, quae impediunt contentiones culturales hominum et in ipsis studium culturae destruunt. Res speciali ratione pro ruricolis et opificibus valet, quibus praebeantur oportet tales condiciones operam suam praestandi, quae humanam eorum culturam non praepediant sed promoveant.

Mulieres in fere omnibus vitae campis iam adlaborant; convenit autem ut partes suas secundum propriam indolem plene assumere valeant. Omnium erit, ut mulierum propria necessariaque participatio vitae culturalis agnoscatur atque promoveatur.

61. De educatione ad hominis integrum cultum.

Maior hodie adest difficultas quam olim varias cognitionis disciplinas et artes in synthesim redigendi. Dum enim crescunt moles et diversitas elementorum, quae culturam constituunt, insimul minuitur facultas pro singulis hominibus eadem percipiendi et organice componendi, ita ut imago hominis universalis magis ac magis evanescat. Attamen unicuique homini remanet officium retinendi rationem totius personae humanae, in qua eminent intelligentiae, voluntatis, conscientiae et fraternitatis valores, qui omnes in Deo Creatore fundantur et in Christo mirabiliter sanati et elevati sunt.

Quasi mater et nutrix huius educationis est imprimis familia, in qua liberi, amore foti, rectum rerum ordinem facilius condiscunt, dum probatae cultus humani formae quasi naturaliter in progredientis adolescentiae animum transfunduntur.

Pro eadem educatione in societatibus hodiernis exstant opportunitates, praesertim ex aucta librorum diffusione atque novis instrumentis communicationis culturalis et socialis, quae universali culturae favere possunt. Imminuto enim passim laboris spatio in dies augescunt pro pluribus hominibus commoda. Otia ad animum relaxandum et mentis ac corporis sanitatem roborandam rite insumantur, per liberas industrias et studia, versus alias regiones itinera (turismus), quibus ingenium hominis expolitur, sed et homines mutua cognitione locupletantur, per exercitationes quoque et manifestationes sportivas, quae ad animi aequilibrium, etiam in communitate, servandum necnon ad fraternas relationes inter homines omnium condicionum, nationum vel diversae stirpis statuendas, adiumentum praebent. Christifideles ergo cooperentur ut culturae manifestationes actionesque collectivae, quae nostrae aetatis sunt propriae, spiritu humano et christiano imbuantur.

Haec autem omnia commoda educationem hominis ad integrum sui cultum perficere non valent, si insimul profunda interrogatio de sensu culturae et scientiae pro persona humana negligitur.

62. De humano civilique cultu cum christiana institutione rite componendo.

Quamvis Ecclesia ad culturae progressum multum contulerit, experientia tamen constat compositionem culturae cum christiana institutione ex causis contingentibus non semper sine difficultatibus procedere.

Istae difficultates non necessario vitae fidei damnum afferunt, immo ad accuratiorem et altiorem intelligentiam fidei mentem excitare possunt. Etenim scientiarum, necnon historiae ac philosophiae recentiora studia et inventa novas suscitant quaestiones, quae sequelas pro vita quoque secumferunt et etiam a theologis novas investigationes postulant. Praeterea theologi, servatis propriis scientiae theologicae methodis et exigentiis, invitantur ut aptiorem modum doctrinam cum hominibus sui temporis communicandi semper inquirant, quia aliud est ipsum depositum Fidei seu veritates, aliud modus secundum quem enuntiantur, eodem tamen sensu eademque sententia (135). In cura pastorali non tantum principia theologica, sed etiam inventa scientiarum profanarum, imprimis psychologiae et sociologiae, satis agnoscantur et adhibeantur, ita ut etiam fideles ad puriorem et maturiorem fidei vitam ducantur.

Suo quoque modo litterae et artes pro vita Ecclesiae magni sunt momenti. Indolem enim propriam hominis, eius problemata eiusque experientiam in conatu ad seipsum mundumque

cognoscendum et perficiendum ediscere contendunt; situationem eius in historia et in universo mundo detegere necnon miserias et gaudia, necessitates et vires hominum illustrare atque sortem hominis meliorem adumbrare satagunt. Ita vitam humanam, multiplicibus formis secundum tempora et regiones expressam, elevare valent.

Exinde adlaborandum est ut artium illarum cultores se ab Ecclesia in sua navitate agnitos sentiant et, ordinata libertate fruentes, faciliora commercia cum communitate christiana instituant. Novae quoque formae artis, quae coaevis nostris aptantur iuxta variarum nationum et regionum indolem, ab Ecclesia agnoscantur. In sanctuario autem recipiantur, cum, modo dicendi accommodato et liturgiae exigentiis conformi, mentem ad Deum erigunt (136).

Sic notitia Dei melius manifestatur ac praedicatio evangelica in intellectu hominum magis perspicua fit et eorum condicionibus quasi insita apparet.

Fideles ergo coniunctissime cum aliis suae aetatis hominibus vivant, et perfecte eorum cogitandi atque sentiendi modos, qui per ingenii cultum exprimuntur, percipere studeant. Novarum scientiarum et doctrinarum necnon novissimorum inventorum notitias cum christianis moribus christianaeque doctrinae institutione coniungant, ut religionis cultus animique probitas apud ipsos pari gressu procedant cum scientiarum cognitione et cotidie progredientibus technicorum artibus, et ideo ipsi valeant res omnes integro christiano sensu probare atque interpretari.

Qui theologicis disciplinis in Seminariis et Studiorum Universitatibus incumbunt, cum hominibus qui in aliis scientiis excellunt, collatis viribus atque consiliis, cooperari studeant. Theologica inquisitio insimul profundam veritatis revelatae cognitionem prosequatur et coniunctionem cum proprio tempore ne negligat, ut homines variis disciplinis excultos ad pleniorem fidei scientiam iuvare possit. Haec socia opera plurimum proderit institutioni sacrorum ministrorum qui Ecclesiae doctrinam de Deo, de homine et de mundo aptius coaevis nostris explanare poterunt, ita ut verbum illud etiam libentius ab eis suscipiatur (137). Immo optandum ut plures laici congruam in disciplinis sacris institutionem adipiscantur, nec pauci inter eos haec studia, data opera, colant et altius producant. Ut vero munus suum exercere valeant, agnoscatur fidelibus, sive clericis sive laicis, iusta libertas inquirendi, cogitandi necnon mentem suam in humilitate et fortitudine aperiendi in iis in quibus peritia gaudent (138).

Caput III

DE VITA OECONOMICA-SOCIALI

63. De quibusdam vitae oeconomicae aspectibus.

Etiam in vita oeconomica-sociali personae humanae dignitas eiusque integra vocatio, totiusque societatis bonum, honoranda atque promovenda sunt. Homo enim totius vitae oeconomicae-socialis auctor, centrum et finis est.

Oeconomia hodierna, non secus atque aliae vitae socialis provinciae, crescenti super naturam hominis dominatione notatur, densioribus impensioribusque relationibus atque mutua dependentia, inter cives, coetus et populos, necnon frequentiori politicae potestatis interventione. Insimul progressus in rationibus producendi atque in bonis ac servitiis commutandis, oeconomiam aptum effecerunt instrumentum, quo adauctis familiae humanae necessitatibus melius provideri possit.

Non desunt tamen rationes inquietudinis. Homines non pauci, praesertim in regionibus oeconomice progressis, re oeconomica quasi regi videntur, ita ut fere tota eorum vita personalis

ac socialis spiritu quodam oeconomistico imbuatur, tam in nationibus quae oeconomiae collectivisticae favent quam in aliis. Eo temporis momento quo vitae oeconomicae incrementum, dummodo rationabiliter humaniterque dirigatur atque coordinetur, inaequalitates sociales mitigare posset, saepe saepius in earum exasperationem, vel etiam alic-ubi in regressum condicionis socialis debilium et in despectum pauperum vertitur. Dum rebus omnino necessariis ingens multitudo adhuc caret, aliqui, etiam in regionibus minus progressis, opulenter vivunt vel bona dissipant. Luxus et miseria simul exsistunt. Dum pauci maxima deliberandi potestate fruuntur, multi omni paene possibilitate carent propria initiativa ac responsabilitate agendi, saepe etiam in condicionibus vitae et laboris persona humana indignis versantes.

Similes aequilibrii oeconomici socialisque defectus inter agriculturam, industriam ac servitia, sicut etiam inter diversas regiones unius eiusdemque nationis advertuntur. Inter nationes oeconomice magis progressas aliasque nationes gravior in dies oppositio fit, quae ipsam pacem mundi in discrimen vocare potest.

Has disparitates coaevi nostri conscientia in dies vividiore persentiunt, cum eis persuasissimum sit, ampliores technicas et oeconomicas facultates, quibus mundus hodiernus gaudet, hunc infaustum statum rerum corrigere posse atque debere. Inde autem reformationes multae in vita oeconomica-sociali atque mentis et habitudinis conversio ab omnibus requiruntur. Ad hoc Ecclesia iustitiae et aequitatis principia, tam pro vita individuali et sociali, quam pro vita internationali, a recta ratione postulata, in decursu saeculorum sub luce Evangelii exaravit atque his praesertim ultimis temporibus protulit. Sacrum Concilium haec principia secundum adiuncta huius aetatis roborare orientationesque quasdam proferre intendit, exigentias progressionis oeconomicae imprimis respiciens (139).

Sectio I: De progressione oeconomica

64. De progressione oeconomica in hominis servitium.

Hodie, magis quam antea, ut augmento populi consulatur et crescentibus generis humani optatis satisfiat, incrementum productionis bonorum agriculturae et industriae necnon praestationis servitiorum iure intenditur. Ideo favendum est progressui technico, spiritui innovationis, studio inceptuum creandorum atque ampliandorum, methodis productionis aptandis, ac strenuis quorumcumque productionem exercentium conatibus: omnibus nempe elementis quae huic progressioni inserviunt. Huius autem productionis finalitas fundamentalis non est merum productorum incrementum, neque lucrum vel dominatus, sed hominis servitium, hominis quidem integri, attento ordine materialium eius necessitatum atque eius vitae intellectualis, moralis, spiritualis ac religiosae exigentiarum, hominis, dicimus, cuiuscumque, et cuiuscumque hominum coetus, cuiusvis stirpis vel mundi regionis. Itaque navitas oeconomica, secundum methodos et leges proprias, intra fines ordinis moralis (140) exercenda est ita ut Dei de homine consilium adimpleatur (141).

65. De progressione oeconomica sub consilio hominis.

Progressio oeconomica sub hominis consilio manere debet; nec soli arbitrio paucorum hominum aut coetuum nimia potentia oeconomica pollentium, nec solius communitatis politicae, nec quarundam potentiorum nationum remittenda est. Oportet e contra ut, in quocumque gradu, homines quam plurimi atque, ubi de relationibus internationalibus agitur, omnes nationes in ea dirigenda activas partes habeant. Pariter opus est ut opera spontanea singulorum hominum liberorumque coetuum cum auctoritatum publicarum conatibus coordinentur atque apte et cohaerenter componantur.

Incrementum nec soli cursui quasi mechanico activitatis oeconomicae singulorum nec soli potestati auctoritatis publicae relinquendum est. Quare erroris arguendae sunt, tam doctrinae quae specie falsae libertatis reformationibus necessariis obstant, quam illae quae iura fundamentalia personarum singularum et coetuum organizationi productionis collectivae postponunt (142).

Meminerint ceterum cives suum esse ius et officium, etiam a potestate civili agnoscendum, ad verum propriae communitatis progressum pro sua possibilitate conferre. Praesertim in regionibus oeconomice minus progressis, ubi omnes opes urgenter adhibendae sunt, bonum commune graviter in discrimen vocant qui opes suas infructuosas retinent vel - salvo iure personali migrationis - communitatem suam subsidiis sive materialibus sive spiritualibus privant quibus illa eget.

66. De ingentibus differentiis oeconomicis-socialibus removendis.

Ut exigentiis iustitiae et aequitatis satisfiat, strenue enitendum est ut, servatis iuribus personarum atque propria indole cuiusque populi, ingentes quae nunc sunt et saepe crescunt inaequalitates oeconomicae cum discriminatione individuali et sociali coniunctae, quam citius removeantur. Pariter, in pluribus regionibus, attentis peculiaribus agriculturae difficultatibus sive in gignendis sive in vendendis bonis, adiuvandi sunt ruricolae cum ad productionem augendam et vendendam, tum ad necessarias evolutiones ac innovationes inducendas, tum ad aequum redditum consequendum, ne, ut saepius accidit, in condicione civium inferioris ordinis maneant. Ipsi autem agricolae, praesertim iuvenes, sese sollerter applicent ad suam peritiam professionalem perficiendam, sine qua progressio agriculturae dari nequit (143).

Iustitia et aequitas item requirunt ut mobilitas, quae in progredientibus rebus oeconomicis necessaria est, ita ordinetur, ne vita hominum singulorum eorumque familiarum incerta et praecaria fiat. Erga opifices vero, qui ex alia natione vel regione oriundi, ad promotionem oeconomicam populi vel provinciae labore suo conferunt, quaevis discriminatio quoad condiciones remunerationis vel laboris sedulo vitanda est. Insuper universi, imprimis publicae potestates, illos non simpliciter veluti mera productionis instrumenta sed ut personas habere debent, eosque adiuvare ut familiam suam apud se arcessere et decentem habitationem sibi providere possint, atque eorum insertioni in vitam socialem populi vel regionis recipientis favere. Attamen, quantum fieri potest, in propriis regionibus fontes laboris creentur.

In rebus oeconomicis hodie mutationi obnoxiis uti in novis societatis industrialis formis in quibus e.g. automatio progreditur, curandum est ut labor sufficiens et unicuique conveniens simul ac possibilitas congruae formationis technicae et professionalis praebeatur, et in tuto collocentur victus atque dignitas humana eorum praesertim qui ob morbum vel aetatem gravioribus laborant difficultatibus.

Sectio II: De quibusdam principiis totam vitam oeconomicam-socialem regentibus

67. De labore eiusque condicionibus atque de otio.

Labor humanus, qui in bonis gignendis ac commutandis vel in servitiis oeconomicis suppeditandis exercetur, ceteris elementis vitae oeconomicae praestat, quippe quae tantum rationem instrumentorum habeant.

Hic enim labor, sive proprio marte assumatur sive ab alio conducatur, a persona immediate procedit, quae res naturae quasi suo sigillo signat easque suae voluntati submittit. Labore suo, homo ordinarie suam suorumque vitam sustentat, cum fratribus suis coniungitur eisque inservit,

germanam caritatem exercere potest atque creationi divinae perficiendae sociam operam praebere. Immo, per laborem Deo oblatum, tenemus hominem ipsi redemptionis operi Iesu Christi consociari, qui praecellentem labori detulit dignitatem, cum in Nazareth propriis manibus operaretur. Exinde oritur pro unoquoque officium fideliter laborandi atque etiam ius ad laborem; societatis vero est, iuxta adiuncta in ea vigentia, pro sua parte cives adiuvare ut sufficientis laboris occasionem invenire possint. Denique ita remunerandus est labor ut homini facultates praebeantur suam suorumque vitam materialem, socialem, culturalem spiritualemque digne excolendi, spectatis uniuscuiusque munere et productivitate necnon officinae condicionibus et bono communi (144).

Cum navitas oeconomica plerumque consociato hominum labore fiat, iniquum et inhumanum est illam ita componere et ordinare ut quibusvis laborantibus detrimento sit. Saepius autem accidit, etiam nostris diebus, ut opus facientes quodammodo in servitutem proprii operis redigantur. Quod sic dictis legibus oeconomicis nequaquam iustificatur. Universus igitur fructuosi laboris processus necessitatibus personae eiusque vitae vivendi rationibus accommodandus est; imprimis eius vitae domesticae, praesertim quod ad matres familiae spectat, respectu semper habito et sexus et aetatis. Laborantibus praebeatur insuper facultas proprias qualitates personamque suam in ipso laboris exercitio explicandi. Huic exercitio tempus viresque suas debita cum responsabilitate applicantes, tamen ad vitam familiarem, culturalem, socialem et religiosam colendam etiam sufficienti quiete et otio omnes gaudeant. Immo opportunitatem habeant vires ac potentias libere evolvendi, quas fortasse in labore professionali parum excolere valent.

68. De participatione in inceptis et in universa rei oeconomicae dispositione, et de conflictibus in labore.

In inceptis oeconomicis personae consociantur, homines scilicet liberi et sui iuris, ad imaginem Dei creati. Ideo, attentis muneribus uniuscuiusque, sive proprietariorum, sive conductorum operis, sive dirigentium, sive operariorum, atque salva necessaria directionis operis unitate, promoveatur, modis apte determinandis, omnium actuosa participatio in inceptorum curatione (145). Cum autem saepius non iam in ipso incepto, sed altius a superioris ordinis institutis de oeconomicis et socialibus condicionibus decernatur, e quibus sors futura laborantium eorumque liberorum pendet, etiam in his statuendis partem habeant, et quidem per seipsos vel per delegatos libere electos.

Inter fundamentalia personae humanae iura adnumerandum est ius pro laborantibus consociationes libere condendi, quae eos vere repraesentare et ad vitam oeconomicam recto ordine disponendam conferre possint, necnon ius earum navitatem sine ultionis periculo libere participandi. Per huiusmodi ordinatam participationem, cum progrediente formatione oeconomica et sociali iunctam, in dies augebitur apud omnes proprii muneris onerisque conscientia, qua ipsi eo adducantur ut, secundum capacitates aptitudinesque sibi proprias, totius operis progressionis oeconomicae et socialis necnon universi boni communis procurandi socios se sentiant.

Cum vero conflictus oeconomici-sociales oriuntur, ut ad pacificam eorum solutionem deveniatur enitendum est. Licet autem semper praeprimis ad sincerum inter partes colloquium sit recurrendum, operistitium tamen, et in hodiernis adiunctis, ad propria iura defendenda et ad iusta laborantium quaesita implenda, adiumentum necessarium, etsi ultimum, manere potest. Quamprimum vero viae ad negotiationem et conciliationis colloquium resumendum quaerantur.

69. De bonorum terrestrium ad universos homines destinatione.

Deus terram cum omnibus quae in ea continentur in usum universorum hominum et populorum destinavit, ita ut bona creata aequa ratione ad omnes affluere debeant, iustitia duce, caritate comite (146). Quaecumque formae proprietatis sint, legitimis institutis populorum accommodatae, secundum diversa atque mutabilia adiuncta, ad hanc bonorum universalem destinationem semper attendendum est. Quapropter homo, illis bonis utens, res exteriores quas legitime possidet non tantum tamquam sibi proprias, sed etiam tamquam communes habere debet, eo sensu ut non sibi tantum sed etiam aliis prodesse queant (147). Ceterum, ius habendi partem bonorum sibi suisque familiis sufficientem omnibus competit. Ita Patres Doctoresque Ecclesiae senserunt, docentes ad pauperes sublevandos homines obligari, et quidem, non tantum ex superfluis (148). Qui autem in extrema necessitate degit, ius habet ut ex aliorum divitiis necessaria sibi procuret (149). Cum tot sint in mundo fame oppressi, Sacrum Concilium omnes sive singulos sive auctoritates urget ut, illius sententiae Patrum memores: Pasce fame morientem, quia si non pavisti occidisti (150), pro uniuscuiusque facultate, bona sua revera communicent et impendant, praesertim illos, sive singulos sive populos, auxiliis muniendo, quibus ipsi sese adiuvare atque evolvere possint.

In societatibus oeconomice minus progressis non raro destinationi communi bonorum ex parte per consuetudines et traditiones communitati proprias satis fit, quibus unicuique membro bona prorsus necessaria praebentur. Vitandum tamen est ne consuetudines quaedam ut omnino immutabiles habeantur, si novis exigentiis huius temporis non iam respondeant; altera vero parte, ne contra honestas consuetudines imprudenter agatur quae, dummodo hodiernis adiunctis apte accommodentur, perutiles esse non desinunt. Similiter in nationibus oeconomice valde progressis, corpus quoddam socialium institutionum, ad cautionem et securitatem spectantium, communem bonorum destinationem pro sua parte ad actum adducere potest. Ulterius promovenda sunt servitia familiaria et socialia, praesertim quae animi cultui atque educationi consulunt. In his omnibus instituendis, invigilandum tamen est ne cives ad quamdam erga societatem inertiam inducantur neve suscepti officii onus reiiciant et servitium repudient.

70. De bonorum collocationibus et de re nummaria.

Bonorum collocationes, ex sua parte, tendere debent ad occasiones laboris redditusque sufficientes tam populo hodierno quam futuro procurandos. Quicumque de his collocationibus et vitae oeconomicae ordinatione decernunt - sive singuli, sive coetus, sive auctoritates publicae -, hos fines prae oculis habere tenentur, atque gravem suam obligationem agnoscere ex una parte invigilandi, ut necessariis ad vitam decentem requisitis, sive singulorum sive totius communitatis, provideatur, ex altera parte futura praevidendi et iustum aequilibrium constituendi inter necessitates hodiernae consumptionis, sive individualis sive collectivae, et exigentias collocandi bona pro generatione ventura. Semper etiam prae oculis habeantur urgentes nationum vel regionum oeconomice minus progressarum necessitates. In re autem monetaria caveatur ne propriae nationis necnon aliarum nationum bono offendatur. Provideatur insuper ne oeconomice debiles ex valoris pecuniae immutatione iniuste detrimentum patiantur.

71. De accessione ad proprietatem et dominium privatum bonorum; et de latifundiis.

Cum proprietas ac aliae in bona exteriora dominii privati formae ad expressionem personae conferant, cum insuper occasionem ei praebeant suum munus in societate et oeconomia exercendi, valde interest ut, sive singolorum sive communitatum, ad quoddam bonorum exteriorum dominium accessio foveatur.

Proprietas privata aut dominium quoddam in bona exteriora spatium plane necessarium ad personalem et familiarem autonomiam unicuique conferunt, et velut libertatis humanae extensio

considerari debent. Demum, quia ad munus onusque exercendum stimulos addunt, condicionem quamdam libertatum civilium constituunt (151).

Formae talis dominii vel proprietatis sunt hodie diversae et in dies adhuc magis diversificantur. Omnes autem, non obstantibus fundis socialibus, iuribus et ministeriis a societate procuratis, causa non parvipendenda securitatis manent. Quod non tantum de proprietatibus materialibus dicendum est, sed etiam de immaterialibus bonis, uti sunt capacitates professionales.

Ius autem privati dominii illi iuri non obstant quod variis formis proprietatum publicarum inest. Translatio quidem bonorum in publicam proprietatem non nisi a competenti auctoritate, iuxta boni communis exigentias et intra eius limites, aequa compensatione oblata, fieri potest. Praeterea, ad publicam auctoritatem pertinet praecavere ne quis privata proprietate contra bonum commune abutatur (152).

Ipsa autem proprietas privata et indolem socialem natura sua habet, quae in communis destinationis bonorum lege fundatur (153). Qua sociali indole neglecta, proprietas multoties occasio cupiditatum et gravium perturbationum fieri accidit, ita ut ad ipsum ius in discrimen vocandum impugnatoribus praetextus detur.

In pluribus regionibus oeconomice minus progressis, magni vel etiam latissimi rustici fundi existunt, mediocriter exculti vel lucri causa sine ulla cultura manentes, dum maior pars populi vel terris caret vel minimis tantum agris gaudet, atque, ex altera parte, incrementum fructificationis agrorum evidenter urgens apparet. Non raro ii qui a dominis ad laborem conducuntur, vel qui partem illorum titulo locationis colunt, nonnisi stipendium vel proventum homine indignum recipiunt, decenti habitatione privantur, necnon a mediatoribus exspoliantur. Omni securitate carentes, sub tali personali famulatu vivunt, ut fere omnis facultas sponte et cum responsabilitate agendi eis tollatur, omnisque promotio in cultu humano et omnis pars in vita sociali et politica illis prohibeantur. Pro variis igitur casibus reformationes necessariae sunt: ut crescant reditus, emendentur condiciones laboris, augeatur securitas in conductione, deturque incitamentum ad sponte operandum; immo ut distribuantur fundi non satis exculti iis qui easdem terras fructuosas reddere valeant. Quo in casu suppeditanda sunt res et media necessaria, praesertim educationis subsidia et iustae ordinationis cooperativae facultates. Quoties autem proprietatis ademptionem bonum commune exegerit, compensatio ex aequitate, omnibus adiunctis perpensis, aestimanda est.

72. De navitate oeconomica-sociali et de Regno Christi.

Christiani qui activas partes in hodierna progressione oeconomica-sociali agunt et iustitiam caritatemque propugnant, persuasum sibi habeant se multum ad humanitatis prosperitatem et mundi pacem conferre posse. In his activitatibus sive singuli sive consociati exemplo fulgeant. Acquisitis quidem peritia experientiaque omnino necessariis, inter terrestres navitates rectum ordinem servent, in fidelitate erga Christum Eiusque Evangelium, ita ut integra eorum vita, tam individualis quam socialis, spiritu Beatitudinum, notabiliter paupertatis, imbuatur.

Quicumque Christo obediens, primum quaerit Regnum Dei, inde validiorem ac puriorem amorem suscipit, ad omnes fratres suos adiuvandos et ad opus iustitiae, inspirante caritate, perficiendum (154).

Caput IV

DE VITA COMMUNITATIS POLITICAE

73. De hodierna vita publica.

Nostris temporibus profundae advertuntur transformationes etiam in compage et institutionibus populorum, quae ipsorum evolutionem culturalem, oeconomicam ac socialem consequuntur; quae transformationes magnum influxum in communitatis politicae vitam exercent, praesertim quod attinet ad omnium iura et officia in libertatis civilis exercitio ac in bono communi attingendo et ad civium relationes inter se et cum publica auctoritate ordinandas.

Ex vividiore humanae dignitatis conscientia exoritur, in variis mundi regionibus, studium ordinem politicum-iuridicum instaurandi, in quo personae iura in vita publica melius protegantur, ut sunt iura libere sese coadunandi, consociandi, proprias opiniones exprimendi ac religionem privatim publiceque profitendi. Tutamen enim personae iurium condicio necessaria est ut cives, sive singuli sive consociati, in rei publicae vita et moderamine actuose participare possint.

Una cum progressu culturali, oeconomico ac sociali apud plures roboratur desiderium assumendi maiorem partem in communitatis politicae vita ordinanda. In multorum conscientia studium augetur ut iura minorum alicuius nationis partium serventur, earum officiis erga communitatem politicam non neglectis; insuper reverentia in dies increscit erga homines aliam opinionem vel aliam religionem profitentes; simul latior instituitur cooperatio, ut omnes cives, et non tantum quidam privilegiis ornati, iuribus personalibus reapse frui possint.

Reprobantur autem quaecumque formae politicae, in aliquibus regionibus vigentes, quae libertatem civilem vel religiosam praepediunt, victimas cupiditatum et criminum politicorum multiplicant ac exercitium auctoritatis a bono communi ad commodum cuiusdam factionis vel ipsorum moderatorum detorquent.

Ad vitam politicam vere humanam instaurandam nihil melius est quam interiorem iustitiae et benevolentiae ac servitii boni communis sensum fovere atque persuasiones fundamentales circa veram indolem communitatis politicae necnon circa finem, rectum exercitium et limites publicae auctoritatis corroborare.

74. De communitatis politicae natura et fine.

Homines, familiae et varii coetus, qui communitatem civilem constituunt, propriae insufficientiae ad vitam plene humanam instituendam conscii sunt et necessitatem amplioris communitatis percipiunt, in qua omnes, ad commune bonum semper melius procurandum, cotidie proprias vires conferant (155). Quapropter communitatem politicam secundum varias formas constituunt. Communitas ergo politica propter illud commune bonum exsistit, in quo suam plenam iustificationem et sensum obtinet, et ex quo ius suum primigenum et proprium depromit. Bonum vero commune summam complectitur earum vitae socialis condicionum, quibus homines, familiae et consociationes, suam ipsorum perfectionem plenius atque expeditius consequi possint (156).

Multi autem et diversi sunt homines, qui in communitatem politicam conveniunt et legitime in diversa consilia declinare possunt. Ne igitur, unoquoque in suam sententiam abeunte, communitas politica distrahatur, auctoritas requiritur, quae omnium civium vires in bonum commune dirigat, non mechanice nec despotice, sed imprimis ut vis moralis, quae libertate et suscepti officii onerisque conscientia nititur.

Patet ergo communitatem politicam et auctoritatem publicam in natura humana fundari ideoque ad ordinem a Deo praefinitum pertinere; etsi regiminis determinatio et moderatorum designatio liberae civium voluntati relinquantur (157).

Sequitur item auctoritatis politicae exercitium sive in communitate ut tali, sive in institutis rem publicam repraesentantibus, semper intra fines ordinis moralis ad effectum deducendum esse, ad commune bonum - et quidem dynamice conceptum - procurandum, secundum ordinem iuridicum legitime statutum vel statuendum. Tunc cives ad obedientiam praestandam ex conscientia obligantur (158). Exinde vero patet responsabilitas, dignitas et momentum eorum, qui praesunt.

Ubi autem a publica auctoritate, suam competentiam excedente, cives premuntur, ipsi, quae a bono communi obiective postulantur, ne recusent; fas vero sit eis contra abusum huius auctoritatis sua conciviumque suorum iura defendere, illis servatis limitibus, quos lex naturalis et evangelica delineat.

Modi vero concreti, quibus communitas politica propriam compagem et publicae auctoritatis temperationem ordinat, varii esse possunt secundum diversam populorum indolem et historiae progressum; semper autem ad hominem excultum, pacificum et erga omnes beneficum efformandum inservire debent, ad totius familiae humanae emolumentum.

75. De omnium in vita publica cooperatione.

Cum humana natura plene congruit ut structurae politicae-iuridicae inveniantur, quae omnibus civibus semper melius ac sine ulla discriminatione possibilitatem effectivam praebeant libere et actuose participandi tum in fundamentis iuridicis communitatis politicae statuendis, tum in rei publicae moderamine et variorum institutorum campis et finibus determinandis, tum in moderatorum electione (159). Memores ergo omnes cives sint iuris simul et officii suo libero suffragio utendi ad bonum commune promovendum. Ecclesia laude et consideratione dignum opus illorum habet, qui in hominum servitium rei publicae bono se devovent et huius officii onera suscipiunt.

Ut civium cooperatio, cum officii conscientia coniuncta, in cotidiana publicae rei vita effectum suum felicem attingat, requiritur positivus ordo iuris, in quo conveniens divisio munerum et institutorum auctoritatis publicae atque simul efficax tuitio iurium, neminique obnoxia, instaurentur. Omnium personarum, familiarum ac coetuum iura eorumque exercitium agnoscantur, serventur et promoveantur (160), simul cum officiis, quibus cuncti cives obstringuntur. Inter quae officium meminisse oportet rei publicae materialia et personalia servitia praestandi, quae ad bonum commune requiruntur. Caveant moderatores ne coetus familiares, sociales aut culturales, corpora aut instituta intermedia, impediant, neve ea sua legitima et efficaci actione privent, quam potius libenter et ordinatim promovere satagant. Cives vero, sive singuli sive consociati, caveant ne nimiam potestatem publicae auctoritati tribuant, neve nimia commoda et utilitates ab ipsa inopportune postulent, ita ut personarum, familiarum necnon coetuum socialium officii onus imminuant.

Ab implicatioribus nostrae aetatis adiunctis publica auctoritas saepius in res sociales et oeconomicas atque culturales se interponere cogitur ad aptiores inducendas condiciones, quibus cives ac coetus ad integrum humanum bonum libere prosequendum efficacius iuventur. Secundum autem diversas regiones et populorum evolutionem diverso modo intellegi possunt relationes inter socializationem (161) et personae autonomiam ac progressum. Sed ubi exercitium iurium propter bonum commune ad tempus restringitur, libertas, circumstantiis mutatis, quam primum restituatur. At inhumanum est quod auctoritas politica incidat in formas totalitarias vel in formas dictatorias quae iura personae vel socialium coetuum laedant.

Cives pietatem erga patriam magnanimiter et fideliter excolant, sine tamen mentis angustia, ita scilicet ut ad bonum totius familiae humanae, quae variis nexibus inter stirpes, gentes ac nationes coniungitur, semper simul animum intendant.

Christifideles omnes in communitate politica specialem et propriam vocationem sentiant, qua exemplo praefulgere debent quatenus officii conscientia sunt adstricti et communi bono excolendo inserviunt, ita ut factis quoque commonstrent quomodo auctoritas cum libertate, inceptio personalis cum totius corporis socialis coniunctione ac necessitudine, unitas opportuna cum proficua diversitate componantur. Circa rem temporalem ordinandam legitimas, at inter se discrepantes, opiniones agnoscant, civesque, etiam consociatos, qui eas honeste defendunt, revereantur. Partes autem politicae ea promovere debent, quae earum iudicio ad bonum commune requiruntur; numquam vero propriam utilitatem communi bono praeponere licet.

Educatio vero civilis et politica, hodie tum populo tum praesertim iuvenibus maxime necessaria, sedulo curanda est, ut omnes cives in communitatis politicae vita partes suas agere valeant. Qui idonei sunt aut fieri possunt ad artem politicam, difficilem simul et nobilissimam (162), sese praeparent et eam, proprii commodi et venalis beneficii immemores, exercere satagant. Contra iniuriam et oppressionem, unius hominis vel partis politicae arbitrarium dominatum et intolerantiam, integritate morum ac prudentia agant; sinceritate autem et aequitate, immo caritate et fortitudine politica, bono omnium se devoveant.

76. Communitas politica et Ecclesia.

Magni momenti est, praesertim ubi societas pluralistica viget, ut rectus respectus relationis inter communitatem politicam et Ecclesiam habeatur, utque inter ea, quae christifideles, sive singuli sive consociati, suo nomine tamquam cives, christiana conscientia ducti, et ea, quae nomine Ecclesiae una cum pastoribus suis agunt, clare distinguatur.

Ecclesia, quae, ratione sui muneris et competentiae, nullo modo cum communitate politica confunditur, neque ad ullum systema politicum alligatur, simul signum est et tutamentum transcendentiae humanae personae.

Communitas politica et Ecclesia in proprio campo ab invicem sunt independentes et autonomae. Ambae autem, licet diverso titulo, eorumdem hominum vocationi personali et sociali inserviunt. Quod servitium eo efficacius in omnium bonum exercebunt, quo ambae melius sanam cooperationem inter se colunt, attentis quoque locorum temporumque adiunctis. Homo enim ad solum ordinem temporalem non coarctatur, sed in historia humana vivens aeternam suam vocationem integre servat. Ecclesia vero, in Redemptoris amore fundata, ad hoc confert ut intra nationis terminos et inter nationes iustitia et caritas latius vigeant. Evangelicam veritatem praedicando atque omnes navitatis humanae provincias, per suam doctrinam et testimonium a christifidelibus exhibitum, illuminando, etiam politicam civium libertatem et responsabilitatem reveretur atque promovet.

Apostoli ipsorumque successores et horum cooperatores, cum mittantur ut hominibus Christum mundi Salvatorem annuntient, in suo apostolatu exercendo Dei potentia innituntur, qui persaepe in testium infirmitate virtutem Evangelii manifestat. Quicumque enim Dei verbi ministerio se devovent, utantur oportet viis et subsidiis Evangelio propriis, quae in pluribus a terrenae civitatis subsidiis differunt.

Res quidem terrenae et ea, quae in hominum condicione hunc mundum exsuperant, arcte inter se iunguntur, et ipsa Ecclesia rebus temporalibus utitur quantum propria eius missio id postulat.

Spem vero suam in privilegiis ab auctoritate civili oblatis non reponit; immo quorundam iurium legitime acquisitorum exercitio renuntiabit, ubi constiterit eorum usu sinceritatem sui testimonii vocari in dubium aut novas vitae condiciones aliam exigere ordinationem. Semper autem et ubique ei fas sit cum vera libertate fidem praedicare, socialem suam doctrinam docere, munus suum inter homines expedite exercere necnon iudicium morale ferre, etiam de rebus quae ordinem politicum respiciunt, quando personae iura fundamentalia aut animarum salus id exigant, omnia et sola subsidia adhibendo, quae Evangelio et omnium bono secundum temporum et condicionum diversitatem congruant.

Fideliter Evangelio adhaerens et suam missionem in mundo exercens, Ecclesia, cuius est, quidquid verum, bonum et pulchrum in communitate humana invenitur, fovere ac elevare (163), pacem inter homines ad Dei gloriam roborat (164).

Caput V

DE PACE FOVENDA ET DE COMMUNITATE GENTIUM PROMOVENDA

77. Introductio.

Hisce nostris annis, quibus aerumnae et angustiae ex grassante vel impendente bello profluentes adhuc gravissimae inter homines perdurant, universa familia humana ad horam summi discriminis in suae maturitatis processu pervenit. In unum paulatim congregata atque ubivis suae unitatis melius iam conscia, opus quod ei incumbit, mundum scilicet pro omnibus hominibus ubique terrarum vere humaniorem aedificandi, peragere nequit nisi cuncti ad veritatem pacis renovato animo convertantur. Hinc fit ut evangelicum nuntium, cum altioribus generis humani studiis atque optatis congruens, nostris temporibus nova claritate elucescat dum pacis artifices beatos proclamat, "quoniam filii Dei vocabuntur" (Mt 5,9).

Ideo Concilium veram et nobilissimam pacis rationem illustrans, belli immanitate damnata, christianos ferventer evocare intendit ut, auxiliante Christo auctore pacis, cum omnibus hominibus ad pacem in iustitia et amore inter eos firmandam et ad instrumenta pacis apparanda cooperentur.

78. (De natura pacis). Pax non est mera absentia belli, neque ad solum adversarum virium aequilibrium stabiliendum reducitur neque ex imperioso dominatu oritur, sed recte proprieque dicitur "opus iustitiae" (Is 32,17). Fructus exsistit ordinis humanae societati a divino suo Fundatore insiti et ab hominibus perfectiorem semper iustitiam sitientibus in actum deducendi. Cum enim generis humani bonum commune primaria quidem sua ratione lege aeterna regatur, sed, quoad id quod concrete exigit, progrediente tempore incessantibus mutationibus subiciatur, numquam pax pro semper acquisita est, sed perpetuo aedificanda. Cum insuper labilis sit humana voluntas necnon peccato sauciata, procuratio pacis constantem uniuscuiusque exposcit passionum dominationem et legitimae auctoritatis invigilantiam.

Hoc tamen non sufficit. Pax haec in terris obtineri non potest nisi bonum personarum in tuto collocetur et homines cum fiducia divitias sui animi atque ingenii inter se sponte communicent. Firma voluntas alios homines et populos eorumque dignitatem reverendi studiosumque fraternitatis exercitium ad pacem construendam omnino necessaria sunt. Ita pax fructus etiam amoris exsistit, qui ultra ea progreditur quae iustitia praestare valet.

Pax autem terrena, quae ex dilectione proximi oritur, figura et effectus est pacis Christi, a Deo Patre promanantis. Ipse enim Filius incarnatus, princeps pacis, per crucem suam omnes homines

Deo reconciliavit ac, restituens omnium unitatem in uno Populo et uno Corpore, in propria sua carne occidit odium (165) et, resurrectione exaltatus, Spiritum caritatis in corda hominum diffudit.

Quapropter omnes christiani enixe evocantur ut, "veritatem facientes in caritate" (Eph 4,15), cum hominibus vere pacificis sese uniant ad pacem implorandam et instaurandam.

Eodem spiritu moti, non possumus non laudare eos, qui in iuribus vindicandis actioni violentae renuntiantes, ad media defensionis recurrunt quae ceteroquin etiam debilioribus praesto sunt, dummodo hoc sine laesione iurium et obligationum aliorum vel communitatis fieri possit.

Quatenus homines peccatores sunt, eis imminet periculum belli, et usque ad adventum Christi imminebit; quatenus autem, caritate coniuncti, peccatum superant, superantur et violentiae, donec impleatur verbum: "Conflabunt gladios suos in vomeres et lanceas suas in falces. Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad praelium" (Is 2,4).

Sectio I: De bello vitando

79. De bellorum immanitate refrenanda.

Quamvis recentia bella nostro mundo gravissima damna tum materialia tum moralia intulerint, adhuc cotidie in aliqua terrarum parte bellum suas vastationes persequitur. Immo, dum arma scientifica cuiuslibet generis in bello adhibentur, saeva eius indoles proeliantes ad barbariem adducere minatur quae illam anteactorum temporum longe superet. Porro condicionis hodiernae complexitas ac relationum inter nationes intricatio permittunt ut novis methodis, iisque insidiosis et subversivis, bella larvata protrahantur. In pluribus adiunctis usus methodorum terrorismi tamquam nova ratio bellandi habetur.

Deiectum istum humanitatis statum prae oculis habens, Concilium ante omnia in memoriam revocare intendit permanentem vim iuris naturalis gentium eiusque principiorum universalium. Ipsa generis humani conscientia haec principia firmiter magis magisque proclamat. Actiones ergo quae iisdem deliberate adversantur necnon iussa quibus tales actiones praescribuntur scelesta sunt, nec caeca obedientia illos qui iis parent excusare valet. Inter has actiones illae ante omnia recensendae sunt quibus, ratione quadam et methodo, universa gens, natio aut minoritas ethnica exterminantur: quae tamquam crimina horrenda vehementer condemnandae sunt. Maxime vero probandus est animus illorum qui talia praecipientibus aperte resistere non timescunt.

Exstant de rebus bellicis variae conventiones internationales quibus sat multae nationes subscripserunt, ut minus inhumanae efficiantur actiones militares earumque sequelae: huiusmodi sunt conventiones quae pertinent ad militum vulneratorum aut captivorum sortem, variaeque huius generis stipulationes. Quae pactiones servandae sunt; immo tenentur omnes, praesertim auctoritates publicae et de his rebus periti, quantum possunt conari ut illae perficiantur sicque melius et efficacius ad bellorum immanitatem refrenandam conducant. Insuper aequum videtur ut leges humaniter provideant pro casu illorum qui ex motivo conscientiae arma adhibere recusant, dum tamen aliam formam communitati hominum serviendi acceptant.

Utique bellum non est e rebus humanis eradicatum. Quamdiu autem periculum belli aderit, auctoritasque internationalis competens congruisque viribus munita defuerit, tamdiu, exhaustis quidem omnibus pacificae tractationis subsidiis, ius legitimae defensionis guberniis denegari non poterit. Civitatum rectoribus aliisque qui rei publicae responsabilitatem participant, incumbit igitur officium ut populorum sibi commissorum salutem tueantur, res tam graves graviter

gerentes. At aliud est res militares gerere ut populi iuste defendantur, aliud alias nationes subiugare velle. Nec potentia bellica omnem eiusdem militarem vel politicum usum legitimum facit. Nec bello infeliciter iam exorto, eo ipso omnia inter partes adversas licita fiunt.

Qui vero, patriae servitio addicti, in exercitu versantur, et ipsi tamquam securitatis libertatisque populorum ministros sese habeant, et, dum hoc munere recte funguntur, vere ad pacem stabiliendam conferunt.

80. De bello totali.

.Horror pravitasque belli scientificorum armorum incremento in immensum augentur. Bellicae enim actiones, his armis adhibitis, ingentes indiscriminatasque inferre possunt destructiones quae proinde limites legitimae defensionis longe excedunt. Immo, si haec media, qualia iam in magnarum nationum armamentariis inveniuntur, penitus adhiberentur, ex eo internecio fere plena et omnino reciproca uniuscuiusque partis a parte adversa haberetur praetermissis multis vastationibus in mundo oboriundis et exitialibus effectibus ex usu huiusmodi armorum consequentibus.

6Quae omnia nos cogunt ut de bello examen mente omnino nova instituamus (166). Sciant huius aetatis homines se de suis bellicis actionibus gravem rationem esse reddituros. Ab eorum enim hodiernis consiliis temporum futurorum decursus multum pendebit.

His attentis, haec Sacrosancta Synodus, suas faciens condemnationes belli totalis iam a recentibus Summis Pontificibus enuntiatas (167), declarat:

.Omnis actio bellica quae in urbium integrarum vel amplarum regionum cum earum incolis destructionem indiscriminatim tendit, est crimen contra Deum et ipsum hominem, quod firmiter et incunctanter damnandum est.

.Singulare belli hodierni periculum in hoc consistit quod illis qui recentiora arma scientifica possident quasi occasionem praebet talia scelera perpetrandi et, connexione quadam inexorabili, hominum voluntates ad atrocissima consilia impellere potest. Ne vero hoc in futurum unquam eveniat, Episcopi totius orbis terrarum in unum congregati, omnes, nationum moderatores praesertim, necnon eos qui rei militari praesunt, obsecrant, ut tantam responsabilitatem coram Deo et coram universa humanitate incessanter perpendant.

.81. De cursu ad arma apparanda.

Arma quidem scientifica non ad hoc unice accumulantur ut tempore belli adhibeantur. Cum enim firmitas uniuscuiusque partis defensionis a capacitate fulminea adversarium repercutiendi dependere aestimetur, haec armorum accumulatio, quae quotannis ingravescit, inconsueto quidem modo ad deterrendos adversarios forte insurgentes inservit. Quod a multis habetur tamquam omnium mediorum efficacissimum quibus nunc pax quaedam inter nationes in tuto poni possit.

Quidquid sit de illo dissuasionis modo, persuasum habeant homines cursum ad arma apparanda, ad quem sat multae nationes confugiunt, non securam esse viam ad pacem firmiter servandam, neque sic dictum aequilibrium ex illo manans certam ac veram esse pacem. Belli exinde causae quin eliminentur, potius paulatim aggravari minantur. Dum in arma semper nova apparanda perabundantes divitiae erogantur, tot miseriis hodiernis mundi universi remedium sufficiens praeberi non potest. Potius quam dissensiones inter nationes vere ac funditus sanentur, iisdem aliae mundi partes inficiuntur. Novae viae, ex reformato animo initium sumentes, eligendae

erunt ut hoc scandalum removeatur et, mundo ab anxietate qua opprimitur liberato, vera pax restitui possit.

Quapropter denuo declarandum est: cursum ad arma apparanda gravissimam plagam humanitatis esse, ac pauperes intolerabiliter laedere. Valde autem timendum est ne, si perduret, aliquando omnes exitiales clades pariat, quarum media iam praeparat.

Calamitatibus commonefacti quas humanum genus possibiles effecit, moram, nobis desuper concessam, qua gaudemus, adhibeamus ut propriae responsabilitatis magis conscii, vias inveniamus quibus controversias nostras modo homine digniore componere possimus. Providentia divina a nobis instanter requirit ut nosmetipsos ab antiqua belli servitute liberemus. Quod si huiusmodi conamen facere renuerimus, quo ducamur in hac via mala quam ingressi sumus, nescimus.

82. De bello omnino interdicendo et actione internationali ad bellum vitandum.

Patet ergo nobis enitendum esse ut viribus omnibus tempora praeparemus quibus, consentientibus nationibus, bellum quodlibet omnino interdici possit. Quod sane requirit ut quaedam publica auctoritas universalis, ab omnibus agnita, instituatur, quae efficaci potestate polleat ut pro omnibus tum securitas, tum iustitiae observantia, tum iurium reverentia in tuto ponantur. Antequam vero haec optanda auctoritas institui possit, opus est ut hodierna suprema gremia internationalia studiis mediorum ad securitatem communem procurandam aptiorum acriter se dedicent. Cum pax e mutua gentium fiducia nasci oporteat potius quam armorum terrore nationibus imponi, omnibus adlaborandum est ut cursus ad arma apparanda finem tandem habeat; ut diminutio armorum re incipiat, non unilateraliter quidem sed pari passu ex condicto progrediatur, veris efficacibusque cautionibus munita (168).

Interea non parvipendenda sunt conamina quae iam facta sunt et adhuc fiunt ut periculum belli amoveatur. Potius adiuvanda est bona voluntas permultorum qui, ingentibus suorum supremorum munerum curis onerati, gravissimo autem quo obstringuntur officio moti, bellum quod abhorrent eliminare satagunt, etiamsi a complexitate rerum quales sunt, praescindere non possunt. Deum autem enixe rogare oportet ut illis vim det perseveranter aggrediendi ac fortiter perficiendi hoc summi amoris hominum opus quo pax viriliter aedificatur. Quod hodie certissime ab eis exigit ut mentem et spiritum ultra fines propriae nationis extendant, egoismum nationalem atque ambitionem aliis nationibus dominandi deponant, profundamque reverentiam erga totam humanitatem nutriant, quae iam ad maiorem sui unitatem tam laboriose properat.

Circa pacis et armorum depositionis problemata perscrutationes iam strenue et indesinenter protractae, internationalesque congressus, qui hac de re egerunt, tamquam primi passus ad solvendas tantopere graves quaestiones consideranda sunt atque urgentiori modo ad obtinendos effectus practicos in futurum promovenda. Nihilominus caveant homines ne solummodo conatibus quorumdam se committant quin de propriis mentibus curent. Nam populorum moderatores, qui boni communis propriae gentis sponsores sunt et simul boni universi orbis promotores, ex multitudinum opinionibus et animi sensibus quam maxime pendent. Nihil eis prodest ut paci aedificandae instent, quamdiu hostilitatis, contemptus et diffidentiae sensus, racialia odia necnon obstinatae ideologiae, homines dividunt atque inter se opponunt. Hinc maxima necessitas urget renovatae mentium educationis novaeque in publica opinione inspirationis. Qui operi educationis se devovent, praesertim iuvenum, aut opinionem publicam efformant, tamquam gravissimum officium reputent curam mentes omnium ad novos pacificos sensus instituendi. Nos omnes quidem commutare corda nostra oportet, universum orbem et illa

munera prospicientes quae nos, una simul, agere possumus ut genus nostrum ad meliora proficiat.

.Nec falsa spes nos decipiat. Nisi enim, dimissis inimicitiis et odiis, firma honestaque pacta de pace universali in futuro concludantur, humanitas quae iam in gravi discrimine versatur, quamvis scientia mirabili praedita, forsan funeste ad illam horam adducetur in qua non aliam pacem quam horrendam mortis pacem experiatur. Attamen, dum haec profert, Ecclesia Christi, in media anxietate huius temporis constituta, firmissime sperare non cessat. Aetati nostrae iterum iterumque, opportune importune, nuntium apostolicum proponere intendit: "ecce nunc tempus acceptabile" ut mutentur corda, "ecce nunc dies salutis" (169).

Sectio II: De communitate internationali aedificanda

83. De causis discordiarum earumque remediis.

Ad pacem aedificandam ante omnia requiritur ut eradicentur causae discordiarum inter homines, quibus bella aluntur, praesertim iniustitiae. Non paucae earum ex nimiis inaequalitatibus oeconomicis proveniunt, necnon ex necessariis remediis retardatis. Aliae vero ex spiritu dominationis et personarum contemptu oriuntur et, si in causas profundiores inquirimus, ex humana invidia, diffidentia, superbia aliisque egoisticis passionibus. Cum tot ordinis defectus homo ferre non possit, ex iis consequitur ut, etiam bello non saeviente, mundus indesinenter contentionibus inter homines et violentiis inficiatur. Cum insuper eadem mala in relationibus inter ipsas nationes inveniantur, necessarium omnino est ut, ad illa vincenda vel praevenienda, et ad effrenatas violentias coercendas, melius et firmius cooperentur et coordinentur institutiones internationales necnon indefesse stimuletur creatio organismorum qui pacem promoveant.

.84. De communitate gentium et de institutionibus internationalibus.

6Ut, crescentibus hoc tempore arctis mutuae necessitudinis nexibus inter omnes cives et omnes populos orbis terrarum, bonum commune universale apte quaeratur et efficacius obtineatur, iam necesse est communitatem gentium sibi constituere ordinem qui cum hodiernis muneribus congruat, praesertim relate ad illas numerosas regiones quae intolerabilem egestatem adhuc patiuntur.

.Ad hos fines assequendos, institutiones communitatis internationalis variis hominum necessitatibus pro sua parte providere debent, tam in vitae socialis campis ad quos pertinent victus, sanitas, educatio, labor, quam in nonnullis condicionibus particularibus quae alicubi oriri possunt, ut sunt necessitas generali nationum progredientium incremento fovendi, aerumnis profugorum per universum mundum dispersorum occurrendi, vel etiam migrantes eorumque familias adiuvandi.

.Institutiones internationales, universales vel regionales, quae iam exsistunt certe de genere humano bene merentur. Eaedem tamquam primi conatus apparent fundamenta internationalia totius communitatis humanae ponendi ut gravissimae nostrorum temporum quaestiones solvantur, et quidem ad progressum ubique terrarum promovendum et ad bella in quacumque forma praecavenda. In omnibus istis campis gaudet Ecclesia de spiritu verae fraternitatis inter christianos et non christianos florentis qui enititur ut conamina semper intensiora fiant ad ingentem miseriam sublevandam.

.85. De cooperatione internationali in campo oeconomico.

Hodierna generis humani coniunctio etiam instaurationem maioris cooperationis internationalis in campo oeconomico expostulat. Etenim, etsi omnes fere populi sui iuris facti sunt, longe tamen abest ut a nimiis inaequalitatibus et ab omni indebitae dependentiae forma iam liberi sint omneque gravium difficultatum internarum periculum effugiant.

6Incrementum alicuius nationis ex adiumentis humanis et pecuniariis pendet. Cives uniuscuiusque nationis per educationem et formationem professionalem ad varia munera vitae oeconomicae et socialis obeunda praeparandi sunt. Ad hoc autem requiritur auxilium peritorum alienigenarum qui, dum opem ferunt, non ut dominatores se gerant sed ut adiutores et cooperatores. Auxilium materiale nationibus progredientibus non procurabitur, nisi consuetudines hodierni commercii in mundo profunde mutentur. Alia insuper auxilia a nationibus progressis praestanda sunt sub forma sive donorum sive mutuorum sive pecuniarum collocationum; quae praestentur cum generositate et sine cupiditate ex una parte, accipiantur cum omni honestate ex altera.

Ad verum ordinem oeconomicum universalem instaurandum abolenda sunt nimia lucrorum studia, ambitiones nationales, appetitus dominationis politicae, calculi ordinis militaristici necnon machinationes ad ideologias propagandas et imponendas. Plura oeconomica et socialia systemata proponuntur; optandum est ut in his periti communia fundamenta sani commercii mundialis inveniant; quod facilius continget si singuli propria praeiudicia abnuant et ad dialogum sincere gerendum promptos se praebeant.

86. De quibusdam opportunis normis.

Pro hac cooperatione sequentes normae opportunae videntur:

a) Gentes progredientes valde cordi habeant ut tamquam finem progressus expresse et firmiter plenam perfectionem humanam suorum civium appetant. Meminerint ex labore ante omnia et ingenio ipsarum gentium oriri et crescere progressum quippe qui non solis opibus alienis, sed propriis plene explicandis necnon ingenio et traditione propria colendis imprimis inniti debeat. Qua in re illi excellant oportet, qui maiorem influxum in alios exercent.

b) Gentium autem progressarum officium gravissimum est progredientes populos ad supradicta munera implenda adiuvandi. Quapropter mentales et materiales accommodationes, quae ad hanc universalem cooperationem stabiliendam requiruntur, apud seipsas perficiant.

.Ita in negotiatione cum debilioribus et pauperioribus nationibus bonum illarum sedulo respiciant; nam hae proventibus quos ex venditione rerum a se productarum accipiunt, ad propriam suam sustentationem indigent.

.c) Communitatis vero internationalis est incrementum componere et stimulare, ita tamen ut de opibus ad hoc ordinatis quam efficacissime et plena cum aequitate disponatur. Ad hanc quoque communitatem pertinet, principio subsidiarietatis utique servato, rationes oeconomicas in toto mundo ordinare ut ad normam iustitiae explicentur.

Condantur instituta apta ad promovenda et ordinanda negotia internationalia, praesertim cum nationibus minus progressis et ad compensandos defectus qui ex nimia inaequalitate potentiae inter nationes manant. Huiusmodi ordinatio, cum adiumentis technicis, culturalibus et nummariis coniuncta, nationibus ad progressum intendentibus subsidia necessaria praestare debet ut incrementa oeconomiae suae convenienter consequi valeant.

d) In multis casibus urget necessitas recognoscendi oeconomicas socialesque structuras; sed cavendum est a solutionibus technicis immature propositis, imprimis ab illis quae, dum homini commoda materialia praebent, eius spirituali indoli ac profectui adversantur. Nam "non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei" (Mt 4,4). Quaelibet autem humanae familiae pars in seipsa et in suis melioribus traditionibus aliquam partem thesauri spiritualis a Deo humanitati concrediti secumfert, etsi multi nesciunt ex qua origine procedat.

87. De cooperatione internationali quoad incrementum incolarum.

Maxime necessaria evadit cooperatio internationalis relate ad illos populos qui hodie sat frequenter, praeter tot alias difficultates, ea peculiariter premuntur quae ex rapido incremento populationis oritur. Urget necessitas ut per plenam et impensam cooperationem omnium, praesertim ditiorum nationum, exploretur quomodo ea quae ad victum et ad congruam instructionem hominum necessaria sunt, parari et cum tota communitate humana communicari possint. Nonnulli vero populi suae vitae condiciones multo meliores reddere possent si, debita instructione exculti, a methodis antiquis pro bonis agrariis gignendis ad novas artes technicas transirent, eas cum necessaria prudentia suis condicionibus applicantes, ordine sociali meliori insuper instaurato et terrarum possessionis distributione aequius ordinata.

Gubernii quidem sunt iura et officia, problema populationis in sua natione quod attinet, intra propriae competentiae limites; ut puta in ordine ad legislationem socialem et ad familias respicientem, ad transitum ruricolarum ad urbes, ad informationes circa statum et necessitates nationis. Cum hodie mentes hominum de hoc problemate tam vehementer agitentur, optandum quoque est ut de his omnibus periti catholici, praesertim in Universitatibus, studia et incepta sollerter prosequantur et latius evolvant.

Cum autem a multis affirmetur incolarum orbis incrementum, vel saltem quarumdam nationum, omnibus mediis et cuiusvis generis interventu auctoritatis publicae funditus omnino minuendum esse, Concilium omnes hortatur ut caveant a solutionibus publice vel privatim promotis et quandoque impositis, quae legi morali contradicunt. Nam iuxta inalienabile hominis ius ad matrimonium et generationem prolis, deliberatio circa numerum prolis gignendae a recto iudicio parentum pendet ac nullo modo auctoritatis publicae iudicio committi potest. Cum autem parentum iudicium conscientiam recte formatam supponat, magni momenti est ut omnibus aditus praebeatur ad colendam rectam et vere humanam responsabilitatem quae legem divinam, attentis adiunctis rerum et temporum, respiciat; hoc vero exigit ut passim condiciones paedagogicae et sociales in melius mutentur et imprimis ut formatio religiosa vel saltem integra moralis institutio praebeatur. De progressibus porro scientificis in explorandis methodis quibus coniuges iuvari possint in ordinando numero prolis, quarum firmitas bene probata est et congruentia cum ordine morali comperta habetur, homines sapienter certiores fiant.

88. De munere christianorum in subsidiis praestandis.

Ad ordinem internationalem cum vera observantia legitimarum libertatum et amica fraternitate omnium aedificandum, christiani libenter et toto corde cooperentur, idque eo magis quod maior pars mundi tanta adhuc egestate laborat ut in pauperibus Christus Ipse quasi alta voce caritatem suorum discipulorum evocet. Ne igitur scandalo sit hominibus aliquas nationes, quarum saepius maior numerus civium christiano nomine ornatur, bonorum copia abundare, dum aliae rebus ad vitam necessariis priventur ac fame, morbis omnimodaque miseria cruciantur. Sunt enim spiritus paupertatis et caritatis gloria et testimonium Ecclesiae Christi.

Laudandi igitur et adiuvandi sunt illi christiani, iuvenes praesertim, qui sponte seipsos ad aliis hominibus et populis auxilia praestanda offerunt. Immo totius Populi Dei est, Episcopis verbo et exemplo praeeuntibus, miserias huius temporis pro viribus sublevare, idque, ut antiquus mos ferebat Ecclesiae, non ex superfluis tantum, sed etiam ex substantia.

Modus subsidia colligendi et distribuendi, quin sit rigide et uniformiter ordinatus, recto tamen ordine disponatur in dioecesibus, nationibus et in universo mundo, coniuncta, ubicumque opportunum videtur, actione catholicorum cum ceteris fratribus christianis. Spiritus enim caritatis providum ordinatumque actionis socialis et caritativae exercitium nedum prohibeat, potius id imponit. Quare necesse est eos qui se ad nationibus progredientibus inserviendum devovere intendunt, idoneis etiam institutis apte efformari.

89. De praesentia efficaci Ecclesiae in communitate internationali.

+Ecclesia, cum, divina sua missione innixa, omnibus hominibus Evangelium praedicat et thesauros gratiae elargitur, ubique terrarum ad pacem firmandam et solidum fundamentum ponendum consortionis fraternae hominum et populorum confert: cognitionem scilicet legis divinae et naturalis. Quapropter Ecclesia in ipsa communitate gentium omnino praesens esse debet ad cooperationem inter homines fovendam et excitandam; et quidem tam per suas institutiones publicas quam per plenam ac sinceram collaborationem omnium christianorum, solo desiderio omnibus inserviendi inspiratam.

Quod efficacius attingetur si ipsi fideles, suae responsabilitatis humanae et christianae conscii, iam in proprio ambitu vitae voluntatem prompte cooperandi cum communitate internationali excitare satagunt. Cura peculiaris hac in re iuvenibus formandis impendatur, tam in educatione religiosa quam civili.

.90. De partibus christianorum in institutionibus internationalibus.

Praecellens quaedam forma navitatis internationalis christianorum absque dubio socia opera est quam, sive singuli sive consociati, in ipsis Institutis ad cooperationem inter nationes provehendam conditis vel condendis praestant. Communitati gentium in pace et fraternitate aedificandae insuper multipliciter inservire possunt variae consociationes catholicae internationales, quae roborandae sunt, auctis numero cooperatorum bene formatorum, subsidiis quibus indigent et apta virium coordinatione. Nostris enim temporibus et actionum efficacitas et colloquii necessitas consociata incepta postulant. Tales consociationes insuper haud parum conferunt ad universalem sensum excolendum, catholicis certe congruum, et ad formandam conscientiam vere universalis solidarietatis et responsabilitatis.

Optandum denique est ut catholici, ad munus suum in communitate internationali rite implendum, actuose et positive cooperare studeant sive cum fratribus seiunctis qui una cum eis evangelicam caritatem profitentur, sive cum omnibus hominibus veram pacem sitientibus.

Concilium vero, ratione habita immensitatis aerumnarum quibus maior pars generis humani etiam nunc vexatur, et ad iustitiam simul ac amorem Christi erga pauperes ubique fovendum, valde opportunum aestimat creationem alicuius Ecclesiae universalis organismi, cuius sit catholicorum communitatem excitare ut progressus indigentium regionum necnon iustitia socialis inter nationes promoveantur.

Conclusio

91. De munere singulorum fidelium et Ecclesiarum particularium.

Ea quae ab hac Sacra Synodo ex thesauris doctrinae Ecclesiae proponuntur, omnes homines nostrorum temporum, sive in Deum credant sive Eum non explicite agnoscant, adiuvare intendunt ut, suam integram vocationem clarius percipientes, mundum praecellenti dignitati hominis magis conforment, universalem altiusque fundatam fraternitatem appetant atque, sub impulsu amoris, generoso atque consociato conamine, urgentibus nostrae aetatis postulationibus respondeant.

Sane coram immensa diversitate tum rerum status tum culturae humanae formarum in mundo, propositio haec in compluribus suis partibus consulto nonnisi indolem generalem prae se fert: immo, licet doctrinam iam in Ecclesia receptam proferat, cum non raro de rebus incessanti evolutioni subiectis agatur, adhuc prosequenda et amplianda erit. Confidimus vero multa quae verbo Dei et spiritu Evangelii innixi protulimus, omnibus validum adiutorium conferre posse, praesertim postquam adaptatio ad singulas gentes et mentalitates a christifidelibus sub Pastorum moderamine ad actum deducta fuerit.

92. De dialogo inter omnes homines.

Ecclesia, vi suae missionis universum orbem nuntio evangelico illuminandi et omnes homines cuiusvis nationis, stirpis vel culturae in unum Spiritum coadunandi, signum evadit illius fraternitatis quae sincerum dialogum permittit atque roborat.

Quod autem requirit ut imprimis in ipsa Ecclesia mutuam aestimationem, reverentiam et concordiam promoveamus, omni legitima diversitate agnita, ad fructuosius semper colloquium inter omnes instituendum qui unum Populum Dei constituunt, sive pastores sive ceteri christifideles sint. Fortiora enim sunt ea quibus uniuntur fideles quam ea quibus dividuntur: sit in necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus caritas (170).

Animus autem noster simul complectitur fratres nondum nobiscum in plena communione viventes eorumque communitates, quibus tamen coniungimur confessione Patris et Filii et Spiritus Sancti ac vinculo caritatis, memores scilicet christianorum unitatem hodie etiam a multis in Christum non credentibus exspectari et desiderari. Quo magis enim haec unitas, sub potenti virtute Spiritus Sancti, in veritate et caritate proficiet, eo magis universo mundo erit praesagium unitatis et pacis. Quare, unitis viribus et in formis huic praeclaro fini hodie efficaciter assequendo magis magisque aptatis, studeamus ut, Evangelio in dies melius conformati, fraterne cooperemur ad servitium familiae humanae praestandum quae, in Christo Iesu, in familiam filiorum Dei vocatur.

Animum nostrum proin etiam ad omnes convertimus qui Deum agnoscunt et in traditionibus suis pretiosa elementa religiosa et humana conservant, optantes ut apertum colloquium omnes nos adigat ad impulsiones Spiritus fideliter accipiendas et alacriter implendas.

Desiderium talis colloquii, quod sola caritate erga veritatem ducatur, servata utique congrua prudentia, ex nostra parte neminem excludit, neque illos qui praeclara animi humani bona colunt, eorum vero Auctorem nondum agnoscunt, neque illos qui Ecclesiae opponuntur eamque variis modis persequuntur. Cum Deus Pater principium omnium exsistat et finis, omnes, ut fratres simus, vocamur. Et ideo, hac eadem humana et divina vocatione vocati, sine violentia, sine dolo ad aedificandum mundum in vera pace cooperari possumus et debemus.

93. De mundo aedificando et ad finem perducendo.

Christiani, memores verbi Domini "in hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem" (Io 13,35), nihil ardentius optare possunt quam ut hominibus

mundi huius temporis semper generosius et efficacius inserviant. Itaque, Evangelio fideliter adhaerentes eiusque viribus fruentes, cum omnibus qui iustitiam diligunt et colunt coniuncti, ingens opus in his terris adimplendum susceperunt, de quo Ei, qui omnes iudicabit ultimo die, rationem reddere debent. Non omnes qui dicunt: "Domine, Domine", intrabunt in regnum caelorum, sed ii qui faciunt voluntatem Patris (171) validamque manum operi apponunt. Vult autem Pater ut in omnibus hominibus Christum fratrem agnoscamus et efficaciter diligamus, tam verbo quam opere, ita testimonium perhibentes Veritati, et cum aliis mysterium amoris Patris caelestis communicemus. Hac via in toto orbe terrarum homines ad vivam spem excitabuntur, quae Spiritus Sancti donum est, ut tandem aliquando in pace ac beatitudine summa suscipiantur, in patria quae gloria Domini effulget.

."Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus, secundum virtutem quae operatur in nobis, Ipsi gloria in Ecclesia et in Christo Iesu, in omnes generationes saeculorum. Amen" (Eph 3, 20-21).

Haec omnia et singula quae in hac Constitutione pastorali edicta sunt, placuerunt Sacrosancti Concilii Patribus. Et Nos, Apostolica a Christo Nobis tradita potestate, illa, una cum Venerabilibus Patribus, in Spiritu Sancto approbamus, decernimus ac statuimus et quae ita synodaliter statuta sunt ad Dei gloriam promulgari iubemus. Romae, apud S. Petrum die VII mensis decembris anno MCMLXV. Ego PAULUS Catholicae Ecclesiae Episcopus. Sequuntur Patrum subsignationes. PAULUS EPISCOPUS CONSTITUTIO PASTORALIS DE ECCLESIA IN MUNDO HUIUS TEMPORIS GAUDIUM ET SPES

*,,,

Haec igitur Sacra Synodus ea omnia laeto animo considerans, cum iam doctrinam de Ecclesia declaraverit, desiderio unitatis inter omnes Christi discipulos restaurandae permota, Catholicis omnibus proponere vult adiumenta, vias ac modos quibus ipsi possint huic divinae vocationi et gratiae respondere.

CAPUT I

De catholicis oecumenismi principiis

2. In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quod Filius Dei unigenitus a Patre in mundum missus est, ut homo factus totum genus humanum redimendo regeneraret atque in unum congregaret.[2] Qui antequam seipsum in ara crucis hostiam immaculatam offerret, Patrem pro credentibus oravit, dicens: «ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint; ut credat mundus quia tu me misisti» (Io. 17, 21), et in Ecclesia sua Eucharistiae mirabile sacramentum instituit, quo unitas Ecclesiae et significatur et efficitur. Discipulis suis novum mutui amoris mandatum dedit[3] atque Paraclitum Spiritum promisit[4] qui, Dominus et vivificans, cum eis maneret in aeternum.

Exaltatus autem in cruce et glorificatus Dominus Iesus Spiritum promissum effudit, per quem Novi Foederis populum, qui est Ecclesia, in unitatem fidei, spei et caritatis vocavit et congregavit, sicut docet Apostolus: «Unum corpus et unus Spiritus sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma» (Eph. 4, 4-5). Etenim «quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis... Omnes enim vos unus estis in Christo Iesu» (Gal. 3, 27-28 gr.). Spiritus Sanctus, qui credentes inhabitat totamque replet atque regit Ecclesiam, miram illam communionem fidelium efficit et tam intime omnes in Christo coniungit, ut Ecclesiae unitatis sit Principium. Ille divisiones gratiarum et ministrationum operatur,[5] variis muneribus Ecclesiam Iesu Christi ditans «ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi» (Eph. 4, 12).

Ad hanc autem sanctam suam Ecclesiam ubique terrarum usque ad consummationem saeculi stabiliendam, Christus munus docendi, regendi et sanctificandi Collegio Duodecim concredidit.[6] Inter eos Petrum elegit, super quem post fidei confessionem Ecclesiam suam aedificare decrevit; cui claves regni caelorum promisit[7] atque, post suae dilectionis professionem, universas oves in fide confirmandas[8] et in perfecta unitate pascendas commisit,[9] Ipso Christo Iesu summo angulari lapide[10] et pastore animarum nostrarum[11] in aeternum manente.

.+Iesus Christus per Apostolorum eorumque successorum, nempe episcoporum cum Petri successore capite, fidelem Evangelii praedicationem sacramentorumque administrationem, et per gubernationem in dilectione, Spiritu Sancto operante, populum suum crescere vult eiusque communionem perficit in unitate: in confessione unius fidei, in divini cultus communi celebratione, necnon in familiae Dei fraterna concordia.

Ita Ecclesia, unicus Dei grex, tamquam signum levatum in nationes,[12] Evangelium pacis ministrans toti generi humano,[13] peregrinatur in spe ad patriae supernae metam.[14]

Hoc est unitatis Ecclesiae sacrum mysterium, in Christo et per Christum, Spiritu Sancto munerum varietatem operante. Huius mysterii supremum exemplar et principium est in Trinitate Personarum unitas unius Dei Patris et Filii in Spiritu Sancto.

3. In hac una et unica Dei Ecclesia iam a primordiis scissurae quaedam exortae sunt,[15] quas ut damnandas graviter vituperat Apostolus;[16] posterioribus vero saeculis ampliores natae sunt dissensiones, et Communitates haud exiguae a plena communione Ecclesiae catholicae seiunctae

sunt, quandoque non sine hominum utriusque partis culpa. Qui autem nunc in talibus Communitatibus nascuntur et fide Christi imbuuntur, de separationis peccato argui nequeunt, eosque fraterna reverentia et dilectione amplectitur Ecclesia catholica. Hi enim qui in Christum credunt et baptismum rite receperunt, in quadam cum Ecclesia catholica communione, etsi non perfecta, constituuntur. Profecto, ob discrepantias variis modis vigentes inter eos et Ecclesiam catholicam tum in re doctrinali et quandoque etiam disciplinari tum circa structuram Ecclesiae, plenae ecclesiasticae communioni opponuntur impedimenta non pauca, quandoque graviora, ad quae superanda tendit motus oecumenicus. Nihilominus, iustificati ex fide in baptismate, Christo incorporantur,[17] ideoque christiano nomine iure decorantur et a filiis Ecclesiae catholicae ut fratres in Domino merito agnoscuntur.[18]

.Insuper ex elementis seu bonis, quibus simul sumptis ipsa Ecclesia aedificatur et vivificatur, quaedam immo plurima et eximia exstare possunt extra visibilia Ecclesiae catholicae saepta: verbum Dei scriptum, vita gratiae, fides, spes et caritas, aliaque interiora Spiritus Sancti dona ac visibilia elementa: haec omnia, quae a Christo proveniunt et ad Ipsum conducunt, ad unicam Christi Ecclesiam iure pertinent.

Non paucae etiam christianae religionis actiones sacrae apud fratres a nobis seiunctos peraguntur, quae variis modis secundum diversam condicionem uniuscuiusque Ecclesiae vel Communitatis procul dubio vitam gratiae reapse generare possunt atque aptae dicendae sunt quae ingressum in salutis communionem pandant.

.Proinde ipsae Ecclesiae[19] et Communitates seiunctae, etsi defectus illas pati credimus, nequaquam in mysterio salutis significatione et pondere exutae sunt. Iis enim Spiritus Christi uti non renuit tamquam salutis mediis, quorum virtus derivatur ab ipsa plenitudine gratiae et veritatis quae Ecclesiae catholicae concredita est.

Attamen fratres a nobis seiuncti, sive singuli sive Communitates et Ecclesiae eorum, unitate illa non fruuntur, quam Iesus Christus iis omnibus dilargiri voluit quos in unum corpus et in novitatem vitae regeneravit et convivificavit, quamque Sacrae Scripturae et veneranda Ecclesiae Traditio profitentur. Per solam enim catholicam Christi Ecclesiam, quae generale auxilium salutis est, omnis salutarium mediorum plenitudo attingi potest. Uni nempe Collegio apostolico cui Petrus praeest credimus Dominum commisisse omnia bona Foederis Novi, ad constituendum unum Christi corpus in terris, cui plene incorporentur oportet omnes, qui ad populum Dei iam aliquo modo pertinent. Qui populus, durante sua terrestri peregrinatione, quamvis in membris suis peccato obnoxius remaneat, in Christo crescit et a Deo, secundum Eius arcana consilia, suaviter ducitur, usquedum ad totam aeternae gloriae plenitudinem in caelesti Ierusalem laetus perveniat.

4. Cum hodie in pluribus orbis partibus, afflante Spiritus Sancti gratia, oratione, verbo et opere multi conatus fiant accedendi ad illam plenitudinem unitatis, quam Iesus Christus vult, haec Sancta Synodus cunctos fideles catholicos hortatur ut, signa temporum agnoscentes, operi oecumenico sollerter participent.

Per «motum oecumenicum» intelliguntur activitates et incepta, quae pro variis Ecclesiae necessitatibus et opportunitatibus temporum ad Christianorum unitatem fovendam suscitantur et ordinantur, ut sunt: primum, omnes conatus ad eliminanda verba, iudicia et opera, quae fratrum seiunctorum condicioni secundum aequitatem et veritatem non respondeant, ideoque mutuas cum ipsis rationes difficiliores reddant; dein, in conventibus Christianorum ex diversis Ecclesiis vel Communitatibus in spiritu religioso ordinatis, «dialogus» inter peritos apte instructos initus, in quo unusquisque suae Communionis doctrinam profundius explicat eiusque characteres perspicue praesentat. Per hunc enim dialogum veriorem utriusque Communionis doctrinae

vitaeque cognitionem et magis aequam aestimationem omnes acquirunt; tum etiam illae Communiones eam consequuntur ampliorem collaborationem in quibusvis officiis ad bonum commune ab omni conscientia christiana postulatis, et in oratione unanimi, sicubi licet, conveniunt. Denique omnes suam fidelitatem voluntati Christi circa Ecclesiam examinant atque, ut oportet, opus renovationis nec non reformationis strenue aggrediuntur.

Quae omnia, cum a fidelibus Ecclesiae catholicae sub pastorum vigilantia prudenter et patienter perficiuntur, ad bonum aequitatis et veritatis, concordiae et collaborationis, fraterni animi et unionis conferunt; ut hac via paulatim, superatis obstaculis perfectam communionem ecclesiasticam impedientibus, omnes Christiani, in una Eucharistiae celebratione, in unius unicaeque Ecclesiae unitatem congregentur quam Christus ab initio Ecclesiae suae largitus est, quamque inamissibilem in Ecclesia catholica subsistere credimus et usque ad consummationem saeculi in dies crescere speramus. Patet autem opus praeparationis ac reconciliationis eorum singulorum, qui plenam communionem catholicam desiderant, ab oecumenico incepto natura sua distingui; nulla tamen adest oppositio, cum utrumque ex Dei mirabili dispositione procedat. Fideles catholici in actione oecumenica sine dubio de fratribus seiunctis solliciti sint oportet, pro illis orando, de rebus Ecclesiae cum illis communicando, primos gressus ad illos movendo. In primis vero ipsimet sincero attentoque animo ea perpendere debent, quae in ipsa Familia catholica renovanda et efficienda sunt, ut eius vita fidelius et clarius testimonium reddat de doctrina institutisque a Christo per Apostolos traditis.

Quamvis enim Ecclesia catholica omni a Deo revelata veritate et omnibus mediis gratiae ditata sit, tamen membra eius non omni quo par est fervore inde vivunt, ita ut vultus Ecclesiae fratribus a nobis seiunctis et universo mundo minus affulgeat atque regni Dei incrementum retardetur. Quapropter Catholici omnes ad perfectionem christianam tendere debent[20] atque, pro sua quisque condicione, eniti ut Ecclesia, humilitatem et mortificationem Iesu in corpore suo portans,[21] de die in diem mundetur et renovetur, donec Christus eam sibi exhibeat gloriosam, non habentem maculam aut rugam.[22]

In necessariis unitatem custodientes, omnes in Ecclesia, secundum munus unicuique datum, cum in variis formis vitae spiritualis et disciplinae, tum in diversitate liturgicorum rituum, immo et in theologica veritatis revelatae elaboratione, debitam libertatem servent; in omnibus vero caritatem colant. Hac enim agendi ratione ipsi veri nominis catholicitatem simul et apostolicitatem Ecclesiae in dies plenius manifestabunt.

.Ex altera parte necessarium est Catholicos cum gaudio agnoscere et aestimare bona vere christiana, a communi patrimonio promanantia, quae apud fratres a nobis seiunctos inveniuntur. Divitias Christi et virtutum opera agnoscere in vita aliorum, qui pro Christo testimonium ferunt, quandoque usque ad sanguinis effusionem, aequum et salutare est: Deus enim semper mirabilis est et mirandus in operibus suis.

Neque est praetereundum, quaecumque Spiritus Sancti gratia in fratribus seiunctis efficiuntur, eadem ad nostram quoque aedificationem conferre posse. Quodcumque vere christianum est, numquam germanis fidei bonis adversatur, immo semper efficere potest ut perfectius ipsum mysterium Christi et Ecclesiae attingatur.

Attamen divisiones Christianorum impedimento Ecclesiae sunt, quominus ipsa ad effectum deducat plenitudinem catholicitatis sibi propriam in iis filiis, qui sibi quidem baptismate appositi, sed a sua plena communione seiuncti sunt. Immo et pro ipsa Ecclesia difficilius fit plenitudinem catholicitatis sub omni respectu in ipsa vitae realitate exprimere. Haec Sacra Synodus cum gaudio advertit participationem fidelium catholicorum in actione oecumenica in dies augeri,

eamque episcopis ubique terrarum commendat, ut eadem promoveatur sollerter, et prudenter ab ipsis dirigatur.

CAPUT II

De oecumenismi exercitio

5. Ad totam Ecclesiam sollicitudo unionis instaurandae spectat, tam ad fideles quam ad pastores, et unumquemque secundum propriam virtutem afficit, sive in vita christiana quotidiana sive in theologicis et historicis investigationibus. Haec cura fraternam coniunctionem inter omnes Christianos existentem iam quodammodo manifestat, atque ad plenam perfectamque unitatem secundum Dei benevolentiam conducit.

6. Cum omnis renovatio Ecclesiae[23] essentialiter in aucta fidelitate erga vocationem eius consistat, ea procul dubio ratio est cur motus versus unitatem contendat. Ecclesia in via peregrinans vocatur a Christo ad hanc perennem reformationem qua ipsa, qua humanum terrenumque institutum, perpetuo indiget; ita ut si quae, pro rerum temporumque adiunctis, sive in moribus, sive in ecclesiastica disciplina, sive etiam in doctrinae enuntiandae modo -qui ab ipso deposito fidei sedulo distingui debet- minus accurate servata fuerint, opportuno tempore recte debiteque instaurentur.

Haec igitur renovatio insigne obtinet momentum oecumenicum. Varii autem illi modi vitae Ecclesiae, per quos haec renovatio iam efficitur -ut sunt motus biblicus et liturgicus, praedicatio verbi Dei atque catechesis, laicorum apostolatus, vitae religiosae novae formae, matrimonii spiritualitas, doctrina et activitas Ecclesiae in re sociali- tamquam pignora et auspicia quaedam sunt habenda, quae futuros oecumenismi progressus fauste portendunt.

7. Oecumenismus veri nominis sine interiore conversione non datur. Etenim ex novitate mentis,[24] ex sui ipsius abnegatione atque ex caritatis liberrima effusione proficiscuntur et maturescunt desideria unitatis. Ideo a Spiritu divino imploranda nobis est gratia sincerae abnegationis, humilitatis et mansuetudinis in serviendo, atque fraternae in alios animi liberalitatis. «Obsecro itaque vos», ait Apostolus gentium, «ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis» (Eph. 4, 1-3). Exhortatio haec illos praesertim spectat, qui ad sacrum ordinem eo consilio evecti sunt, ut continuetur missio Christi, qui inter nos «non venit ministrari, sed ministrare» (Mt. 20, 28).

De culpis etiam adversus unitatem valet testimonium S. Ioannis: «Si dixerimus quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, et verbum eius non est in nobis» (I Io. 1, 10). Humili igitur prece veniam petimus a Deo et a fratribus seiunctis, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.

Meminerint omnes christifideles se Christianorum unionem eo melius promovere, immo exercere, quo puriorem secundum Evangelium vitam degere studeant. Quo enim arctiore communione cum Patre, Verbo et Spiritu unientur, eo intimius atque facilius mutuam fraternitatem augere valebunt.

8. Haec cordis conversio vitaeque sanctitas, una cum privatis et publicis supplicationibus pro Christianorum unitate, tamquam anima totius motus oecumenici existimandae sunt et merito oecumenismus spiritualis nuncupari possunt.

Sollemne enim est Catholicis frequenter ad illam orationem convenire pro Ecclesiae unitate, quam Salvator Ipse in pervigilio mortis a Patre flagranter precatus est: «ut omnes unum sint» (Io.

17, 21). In quibusdam peculiaribus rerum adiunctis, cuiusmodi sunt precationes quae «pro unitate» indicuntur, atque in oecumenicis conventibus licitum est immo et optandum, ut Catholici cum fratribus seiunctis in oratione consocientur. Communes eiusmodi preces perefficax sane medium sunt gratiae unitatis impetrandae et genuina significatio vinculorum, quibus Catholici cum fratribus seiunctis adhuc coniunguntur: «Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum» (Mt. 18, 20).

Attamen communicationem in sacris considerare non licet velut medium indiscretim adhibendum ad Christianorum unitatem restaurandam. Quae communicatio a duobus principiis praecipue pendet: ab unitate Ecclesiae significanda, et a participatione in mediis gratiae. Significatio unitatis plerumque vetat communicationem. Gratia procuranda quandoque illam commendat. De modo concreto agendi, attentis omnibus circumstantiis temporum, locorum et personarum, prudenter decernat auctoritas episcopalis localis, nisi aliud a conferentia episcopali, ad normam propriorum statutorum, vel a Sancta Sede statuatur.

9. Fratrum seiunctorum animum cognoscere oportet. Ad hoc necessario requiritur studium, quod secundum veritatem et animo benevolo peragendum est. Catholici debito modo praeparati acquirant necesse est meliorem cognitionem doctrinae et historiae, vitae spiritualis et cultualis, psychologiae religiosae et culturae, quae fratribus propria est.

Ad id assequendum multum iuvant ex utraque parte conventus ad theologicas praesertim quaestiones tractandas, ubi unusquisque par cum pari agat, dummodo qui in illis partem habent sub praesulum vigilantia vere periti sint. Ex tali dialogo etiam clarius innotescet, quae sit revera Ecclesiae catholicae condicio. Hac via et seiunctorum fratrum mens melius cognoscetur eisque fides nostra aptius exponetur.

.10. Sacrae theologiae institutiones et aliae disciplinae praesertim historicae tradantur oportet etiam sub aspectu oecumenico, ut usque accuratius rerum veritati respondeant.

Multum enim interest futuros pastores et sacerdotes pollere theologia hoc modo adamussim elaborata, non polemice, in iis imprimis, quae fratrum seiunctorum erga Ecclesiam catholicam relationes spectant.

A sacerdotum enim formatione necessaria institutio ac formatio spiritualis fidelium et religiosorum quam maxime pendet.

Etiam Catholici in missionalia opera in iisdem terris ac alii Christiani incumbentes hodie praesertim cognoscant oportet quaestiones et fructus, quae ex oecumenismo in eorum apostolatu oriuntur.

11. Modus ac ratio fidem catholicam exprimendi nullatenus obstaculum fieri debet dialogo cum fratribus. Integra doctrina lucide exponatur omnino oportet. Nil ab oecumenismo tam alienum est quam ille falsus irenismus, quo puritas doctrinae catholicae detrimentum patitur et eius sensus genuinus et certus obscuratur.

Simul fides catholica et profundius et rectius explicanda est, modo et sermone qui etiam a fratribus seiunctis possit vere comprehendi.

Insuper in dialogo oecumenico theologi catholici, doctrinae Ecclesiae inhaerentes, una cum fratribus seiunctis investigationem peragentes de divinis mysteriis, cum veritatis amore, caritate et humilitate progredi debent. In comparandis doctrinis meminerint existere ordinem seu «hierarchiam» veritatum doctrinae catholicae, cum diversus sit earum nexus cum fundamento

fidei christianae. Sic via sternetur qua per fraternam hanc aemulationem omnes incitentur ad profundiorem cognitionem et clariorem manifestationem investigabilium divitiarum Christi.[25]

12. Coram omnibus gentibus Christiani universi fidem in Deum unum et trinum, in Filium Dei incarnatum, Redemptorem et Dominum nostrum profiteantur et communi conatu in mutua aestimatione testimonium reddant spei nostrae, quae non confundit. Cum hodiernis temporibus in re sociali cooperatio latissime instauretur, omnes prorsus homines ad communem operam vocantur, potiore vero ratione ii, qui in Deum credunt, maxime autem omnes Christiani utpote Christi nomine insigniti. Omnium Christianorum cooperatio coniunctionem illam qua iam inter se uniuntur vivo modo exprimit atque Christi servi vultum in pleniorem lucem ponit. Cooperatio haec, in non paucis nationibus iam instaurata, magis magisque perficiatur oportet, in regionibus praesertim, ubi evolutio socialis vel technica peragitur, sive in dignitate personae humanae recte aestimanda, sive in bono pacis promovendo, sive in sociali Evangelii applicatione prosequenda, sive in scientiis et artibus spiritu christiano provehendis, sive etiam in cuiusvis generis remediis adhibendis contra nostrae aetatis aerumnas, cuiusmodi sunt fames et calamitates, analphabetismus et inopia, penuria habitationum et non aequa bonorum distributio. Hac cooperatione omnes qui in Christum credunt facile addiscere possunt, quomodo alii alios melius cognoscere et pluris aestimare queant atque ad unitatem Christianorum via sternatur.

CAPUT III

De Ecclesiis et de Communitatibus ecclesialibus

a Sede Apostolica Romana seiunctis

13. Ad duas praecipuas scissionum categorias inconsutilem tunicam Christi afficientium oculos convertimus .

Primae earum in Oriente evenerunt, sive contestatione dogmaticarum formularum Conciliorum Ephesini et Chalcedonensis, sive, posteriore tempore, per solutionem ecclesiasticae communionis inter Patriarchatus orientales et Sedem Romanam.

Aliae dein, post amplius quattuor saecula, in Occidente ortae sunt ex eventibus qui sub nomine Reformationis communiter veniunt. Exinde a Sede Romana plures Communiones sive nationales sive confessionales seiunctae sunt. Inter eas, in quibus traditiones et structurae catholicae ex parte subsistere pergunt, locum specialem tenet Communio anglicana.

Hae tamen diversae divisiones inter se valde differunt non solum ratione originis, loci et temporis, sed praesertim natura et gravitate quaestionum ad fidem et structuram ecclesiasticam pertinentium. Quam ob rem, haec Sancta Synodus, nec condiciones diversas diversorum Coetuum christianorum parvipendens, neque superstites, non obstante divisione, nexus inter eos praeteriens, ad prudentem actionem oecumenicam exercendam sequentes considerationes proponere decernit.

I. De Ecclesiarum Orientalium peculiari consideratione

14. Ecclesiae Orientis et Occidentis per non pauca saecula suam propriam viam, fraterna tamen communione fidei et vitae sacramentalis coniunctae, secutae sunt, Sede Romana moderante communi consensu, si dissensiones circa fidem vel disciplinam inter eas orirentur. Sacrosanctae Synodo gratum est, inter cetera gravis momenti, omnibus in mentem revocare plures in Oriente florere particulares seu locales Ecclesias, inter quas primum locum tenent Ecclesiae Patriarchales, et ex quibus non paucae ab ipsis Apostolis ortum habere gloriantur. Proinde apud Orientales

praevaluit atque praevalet sollicitudo et cura servandi fraternas illas in fidei caritatisque communione necessitudines, quae inter Ecclesias locales, ut inter sorores, vigere debent.

Praetermittendum pariter non est Ecclesias Orientis ab origine habere thesaurum, ex quo plura in rebus liturgicis, in traditione spirituali et in ordine iuridico Ecclesia Occidentis deprompsit. Neque illud parvi faciendum est fundamentalia dogmata christianae fidei de Trinitate et de Verbo Dei, ex Virgine Maria incarnato, in Conciliis Oecumenicis in Oriente celebratis definita esse. Ad hanc fidem servandam illae Ecclesiae multa et passae sunt et patiuntur.

Tradita autem ab Apostolis haereditas diversis formis et modis acceptata est et inde ab ipsis Ecclesiae primordiis hic et illic varie explicata ob diversitatem quoque ingenii et vitae condicionum. Quae omnia, praeter causas externas, propter defectum etiam mutuae comprehensionis et caritatis separationibus ansam praebuerunt.

Quamobrem Sacrosancta Synodus omnes quidem, sed praesertim eos exhortatur qui in instaurationem plenae communionis optatae inter Ecclesias orientales et Ecclesiam catholicam incumbere intendunt, ut debitam considerationem habeant de hac peculiari condicione nascentium crescentiumque Ecclesiarum Orientis et de indole relationum, quae inter eas et Sedem Romanam ante separationem vigebant atque rectam de his omnibus existimationem sibi efforment. Haec accurate servata ad dialogum intentum summopere conferent.

15. Omnibus quoque notum est quanto cum amore Christiani orientales liturgica Sacra peragant, praesertim celebrationem eucharisticam, fontem vitae Ecclesiae et pignus futurae gloriae, qua fideles cum episcopo uniti accessum ad Deum Patrem habentes per Filium Verbum incarnatum, passum et glorificatum, in effusione Sancti Spiritus, communionem cum Sanctissima Trinitate consequuntur, «divinae consortes naturae» (2 Pt. 1, 4) effecti. Proinde per celebrationem Eucharistiae Domini in his singulis Ecclesiis, Ecclesia Dei aedificatur et crescit,[26] et per concelebrationem communio earum manifestatur. In cultu hoc liturgico Mariam semper Virginem, quam Oecumenica Synodus Ephesina sollemniter Deiparam Sanctissimam proclamavit ut vere et proprie Christus Filius Dei et Filius Hominis secundum Scripturas agnosceretur, Orientales pulcherrimis hymnis magnificant et multos quoque Sanctos, inter quos Patres universalis Ecclesiae, collaudant.

Cum autem illae Ecclesiae, quamvis seiunctae, vera sacramenta habeant, praecipue vero, vi successionis apostolicae, Sacerdotium et Eucharistiam, quibus arctissima necessitudine adhuc nobiscum coniunguntur, quaedam communicatio in sacris, datis opportunis circumstantiis et approbante auctoritate ecclesiastica, non solum possibilis est sed etiam suadetur.

In Oriente quoque inveniuntur divitiae illarum traditionum spiritualium, quas praesertim monachismus expressit. Ibi enim inde a gloriosis Sanctorum Patrum temporibus floruit spiritualitas illa monastica, quae dein ad occidentales partes manavit et ex qua religiosum latinorum institutum tamquam e suo fonte originem duxit ac deinceps novum vigorem identidem accepit. Quapropter enixe commendatur ut Catholici frequentius accedant ad has spirituales Patrum Orientalium divitias quae hominem totum ad divina contemplanda evehunt.

Ditissimum Orientalium patrimonium liturgicum et spirituale cognoscere, venerari, conservare et fovere omnes sciant maximi esse momenti ad plenitudinem traditionis christianae fideliter custodiendam et ad reconciliationem orientalium et occidentalium Christianorum perficiendam.

16. Praeterea a primis iam temporibus Ecclesiae Orientis disciplinas proprias a Sanctis Patribus atque Synodis, etiam Oecumenicis, sancitas sequebantur. Cum autem unitati Ecclesiae minime

obstet, immo decorem eius augeat et ad missionem eius implendam non parum conferat quaedam morum consuetudinumque diversitas, uti supra memoratur, Sacra Synodus, ad omne dubium tollendum, declarat Ecclesias Orientis, memores necessariae unitatis totius Ecclesiae, facultatem habere se secundum proprias disciplinas regendi, utpote indoli suorum fidelium magis congruas atque bono animorum consulendo aptiores. Perfecta huius traditionalis principii observantia, non semper quidem servata, ad ea pertinet quae ad unionem restaurandam tamquam praevia condicio omnino requiruntur.

17. Quae supra de legitima diversitate dicta sunt, eadem placet etiam de diversa theologica doctrinarum enuntiatione declarare. Etenim in veritatis revelatae exploratione methodi gressusque diversi ad divina cognoscenda et confitenda in Oriente et in Occidente adhibiti sunt. Unde mirum non est quosdam aspectus mysterii revelati quandoque magis congrue percipi et in meliorem lucem poni ab uno quam ab altero, ita ut tunc variae illae theologicae formulae non raro potius inter se compleri dicendae sint quam opponi. Ad traditiones theologicas authenticas Orientalium quod attinet, agnoscendum est eas eximio quidem modo in Sacris Scripturis radicatas esse, vita liturgica foveri et exprimi, viva apostolica traditione scriptisque Orientalium Patrum ac spiritualium auctorum nutriri, ad rectam vitae institutionem, immo ad christianam veritatem plene contemplandam tendere.

Haec Sancta Synodus, gratias agens Deo quod multi orientales Ecclesiae catholicae filii, qui hoc patrimonium custodiunt et illud purius pleniusque vivere cupiunt, iam cum fratribus traditionem occidentalem colentibus in plena communione vivunt, declarat, totum hoc patrimonium spirituale ac liturgicum, disciplinare ac theologicum in diversis suis traditionibus ad plenam catholicitatem et apostolicitatem Ecclesiae pertinere.

18. His omnibus bene perspectis, haec Sacrosancta Synodus renovat id quod a Sacris praeteritis Conciliis nec non a Romanis Pontificibus declaratum est, nempe ad communionem et unitatem restaurandam vel servandam opus esse «nihil ultra imponere... oneris quam... necessaria» (Act. 15, 28). Vehementer etiam exoptat ut ad eam paulatim consequendam omnes conatus exinde intendant in variis institutis et formis vitae Ecclesiae, praesertim oratione et fraterno dialogo circa doctrinam et muneris pastoralis urgentiores aetatis nostrae necessitates. Eodem modo pastoribus et fidelibus Ecclesiae catholicae commendat necessitudines cum eis qui non iam in Oriente, sed procul a patria vitam degunt, ut fraterna collaboratio cum eis in spiritu caritatis et secluso omni spiritu contentiosae aemulationis crescat. Quod si hoc opus toto animo promoveatur, Sacrosancta Synodus sperat fore, ut sublato pariete occidentalem orientalemque Ecclesiam dividente, unica tandem fiat mansio angulari firmata lapide, Christo Iesu, qui faciet utraque unum.[27]

II. De Ecclesiis et Communitatibus ecclesialibus in Occidente seiunctis

19. Ecclesiae et Communitates ecclesiales, quae vel in gravissimo illo rerum discrimine, quod in Occidente iam ab exeunte medio aevo initium sumpsit, vel posterioribus temporibus ab Apostolica Sede Romana separatae sunt, cum Ecclesia catholica peculiari affinitate ac necessitudine iunguntur ob diuturnam populi christiani vitam praeteritis saeculis in ecclesiastica communione peractam.

Cum hae vero Ecclesiae et Communitates ecclesiales propter diversitatem originis, doctrinae et vitae spiritualis non tantum a nobis, sed etiam inter se non parum differant, eas aeque describere opus perdifficile est, quod hic aggredi non intendimus.

Quamvis motus oecumenicus et desiderium pacis cum Ecclesia catholica nondum ubique invaluerint, spes nobis est fore ut in omnibus sensus oecumenicus et mutua aestimatio paulatim crescant. Attamen agnoscendum est inter has Ecclesias et Communitates atque Ecclesiam catholicam magni ponderis discrepantias adesse, non tantum indolis historicae, sociologicae, psychologicae, culturalis, sed imprimis interpretationis revelatae veritatis. Quo autem facilius, non obstantibus illis differentiis, dialogus oecumenicus instaurari possit, in sequentibus quaedam efferre volumus quae fundamentum huius dialogi atque incitamentum esse possunt ac debent.

20. Mens nostra eos imprimis Christianos respicit, qui Iesum Christum ut Deum ac Dominum et unicum mediatorem inter Deum et homines palam confitentur ad unius gloriam Dei, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Non leves scimus quidem existere discrepantias a doctrina catholicae Ecclesiae etiam de Christo Verbo Dei incarnato et de opere redemptionis, proinde de mysterio ministerioque Ecclesiae et munere Mariae in opere salutis. Laetamur tamen videntes fratres seiunctos in Christum tamquam fontem et centrum communionis ecclesiasticae intendere. Desiderio tacti unionis cum Christo compelluntur ad unitatem magis magisque quaerendam atque etiam ad testimonium fidei suae ubique apud gentes reddendum.

21. Sacrarum Scripturarum amor et veneratio ac prope cultus fratres nostros ad constans et sollers Sacrae Paginae studium adducunt: Evangelium «virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Iudaeo primum et Graeco» (Rom. 1, 16).

Spiritum Sanctum invocantes, in ipsis Sacris Scripturis Deum inquirunt quasi sibi loquentem in Christo, a Prophetis praenuntiato, Verbo Dei pro nobis incarnato. In iis vitam Christi contemplantur et ea quae Divinus Magister ad salutem hominum docuit et peregit, mysteria praesertim mortis eius et resurrectionis.

At cum Christiani a nobis seiuncti auctoritatem divinam Sacrorum Librorum affirmant, aliter ac nos -diversi quidem diverse- sentiunt de habitudine Scripturas inter et Ecclesiam, in qua secundum fidem catholicam magisterium authenticum peculiarem obtinet locum in verbo Dei scripto exponendo et praedicando.

Nihilominus Sacra Eloquia in ipso dialogo eximia sunt instrumenta in potenti manu Dei ad illam unitatem adipiscendam, quam Salvator omnibus hominibus exhibet.

22. Baptismi sacramento, quandocumque iuxta Domini institutionem rite confertur ac debita animi dispositione accipitur, homo vere Christo crucifixo et glorificato incorporatur atque ad vitae divinae consortium regeneratur iuxta illud Apostoli: «consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis (Col. 2, 12).[28]

Baptismus igitur vinculum unitatis sacramentale constituit vigens inter omnes qui per illum regenerati sunt. Attamen baptismus per se dumtaxat initium et exordium est, quippe qui totus in acquirendam tendit plenitudinem vitae in Christo. Itaque baptismus ordinatur ad integram fidei professionem, ad integram incorporationem in salutis institutum, prout ipse Christus illud voluit, ad integram denique in communionem eucharisticam insertionem.

Communitates ecclesiales a nobis seiunctae, quamvis deficiat earum plena nobiscum unitas ex baptismate profluens, et quamvis credamus illas, praesertim propter sacramenti Ordinis defectum, genuinam atque integram substantiam Mysterii eucharistici non servasse, tamen, dum in Sancta Coena mortis et resurrectionis Domini memoriam faciunt, vitam in Christi communione significari profitentur atque gloriosum Eius adventum exspectant. Quapropter

doctrina circa Coenam Domini, cetera sacramenta et cultum ac Ecclesiae ministeria obiectum dialogi constituat oportet.

23. Christiana horum fratrum conversatio fide in Christum alitur, baptismatis gratia et verbo Dei audito fovetur. Manifestatur quidem in oratione privata, in meditatione biblica, in familiae christianae vita, in cultu communitatis ad laudem Dei congregatae. Ceteroquin cultus eorum nonnumquam elementa conspicua communis antiquae liturgiae prae se fert. Fides qua Christo creditur fructus edit in laude et gratiarum actione pro beneficiis divinitus acceptis; accedit vivus iustitiae sensus et sincera caritas in proximum. Haec autem operosa fides haud pauca etiam instituta ad miseriam spiritualem et corporalem sublevandam, ad iuventutis educationem excolendam, ad sociales vitae condiciones humaniores reddendas, ad pacem universim constabiliendam protulit.

Quod si inter Christianos multi non semper eadem ratione atque Catholici Evangelium in re morali intelligunt neque easdem solutiones difficiliorum hodiernae societatis quaestionum admittunt, nihilominus ut nos volunt verbo Christi ut fonti christianae virtutis haerere et apostolico oboedire praecepto: «Omne, quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum» (Col. 3, 17). Hinc dialogus oecumenicus de morali Evangelii applicatione initium sumere potest.

24. Sic post breviter expositas condiciones, quibus exerceri contingit actio oecumenica, et principia quibus moderanda est, fidenter oculos ad futura convertimus. Haec Sacrosancta Synodus hortatur fideles, ut a quavis levitate vel imprudenti zelo se abstineant, quae vero progressui unitatis nocere possint. Eorum enim oecumenica actio non potest esse nisi plene sincereque catholica, fidelis nempe veritati, quam ab Apostolis et Patribus accepimus, et consentanea fidei, quam Ecclesia catholica semper professa est, ac simul in eam plenitudinem tendens, qua Dominus decursu temporum Corpus Suum vult augeatur.

Haec Sacrosancta Synodus instanter exoptat ut filiorum Ecclesiae catholicae incepta cum inceptis fratrum seiunctorum coniuncta progrediantur, quin Providentiae viis ullum ponatur obstaculum et quin futuris Spiritus Sancti impulsionibus praeiudicetur. Insuper se consciam esse declarat hoc sanctum propositum reconciliandi Christianos omnes in unitate unius unicaeque Ecclesiae Christi humanas vires et dotes excedere. Quapropter spem suam in oratione Christi pro Ecclesia, in amore Patris erga nos, in virtute Spiritus Sancti penitus ponit. «Spes autem non confundit, quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis» (Rom. 5, 5).

Haec omnia et singula quae in hoc Decreto edicta sunt, placuerunt Sacrosancti Concilii Patribus. Et Nos, Apostolica a Christo Nobis tradita potestate, illa, una cum Venerabilibus Patribus, in Spiritu Sancto approbamus, decernimus ac statuimus et quae ita synodaliter statuta sunt ad Dei gloriam promulgari iubemus.Romae, apud S. Petrum die XXI mensis Novembris anno MCMLXIV.
Ego PAULUS Catholicae Ecclesiae Episcopus. Sequuntur Patrum Subsignationes.

06

Prior= Gaudium et spes, post = Declaratio de ecclesia

O6 GRAVISSIMUM EDUCATIONIS MOMENTUM. DECLARATIO DE EDUCATIONE CHRISTIANA

Gravissimum educationis momentum in vita hominis *eiusque influxum semper maiorem in socialem huius aetatis progressum Sancta Oecumenica Synodus attente perpendit (1). Re quidem vera iuvenum educatio, immo adultorum quoque continua quaedam institutio, cum facilior tum urgentior redditur temporis nostri adiunctis. Homines enim propriae dignitatis et officii plenius conscii, vitam socialem ac praesertim oeconomicam et politicam actuosius in dies participare praeoptant (2); mirabiles artis technicae et inquisitionis scientificae progressus, nova communicationis socialis subsidia opportunitatem praebent hominibus, maiore interdum temporis spatio ab occupationibus liberi fruentibus, facilius ad patrimonium mentis animique culturae accedendi atque arctiore tum coetuum tum ipsorum populorum necessitudine mutuo se complendi.*

Proinde ubique conatus fiunt ad opus educationis magis magisque promovendum; hominum, et peculiariter puerorum atque parentum, iura primaria educationem respicientia declarantur et publicis documentis consignantur (3); alumnorum numero celeriter crescente, late multiplicantur et perficiuntur scholae atque alia educationis instituta conduntur; novis experimentis excoluntur educationis et instructionis methodi; magni quidem ponderis peraguntur nisus ad eas omnibus hominibus procurandas, licet permulti pueri et iuvenes institutione etiam fundamentali adhuc priventur et tot alii apta educatione, in qua simul veritas et caritas excoluntur, careant.

Cum vero Sancta Mater Ecclesia ad mandatum implendum a divino suo Conditore acceptum, mysterium nempe salutis omnibus hominibus nuntiandi et omnia instaurandi in Christo, integram hominis vitam etiam terrenam quatenus cum vocatione coelesti connexam curare debeat (4), in educationis progressu atque amplificatione partes suas habet. Proinde S. Synodus de educatione christiana praesertim in scholis fundamentalia quaedam principia declarat, quae a speciali post Concilium Commissione fusius evolvenda erunt atque ab Episcoporum Conferentiis ad diversas regionum condiciones applicanda.

1 .Omnibus hominibus cuiusvis stirpis, condicionis et aetatis utpote dignitate personae pollentibus, ius est inalienabile ad educationem (5), proprio fini respondentem (6), propriae indoli, sexus differentiae, culturae patriisque traditionibus accommodatam et simul fraternae cum aliis populis consortioni apertam ad veram unitatem et pacem in terris fovendam. Vera autem educatio prosequitur formationem personae humanae in ordine ad finem eius ultimum et simul ad bonum societatum, quarum homo membrum exstat et in quarum officiis, adultus effectus, partem habebit.

Pueri igitur et adolescentes, ratione habita progressus scientiae psychologicae, paedagogicae et didacticae adiuventur oportet ad dotes physicas, morales et intellectuales harmonice evolvendas, ad gradatim acquirendum perfectiorem sensum responsabilitatis in propria vita continuo nisu recte excolenda et in vera libertate prosequenda, obstaculis magno et constanti animo superatis. Positiva et prudenti educatione sexuali progrediente aetate instituantur. Praeterea ad vitam socialem participandam ita conformentur ut, instrumentis necessariis et opportunis rite instructi, in varios humanae communitatis coetus actuose sese inserere valeant, colloquio cum aliis aperiantur communique bono provehendo operam libenter navent.

Similiter Sancta Synodus declarat pueris ac adolescentibus ius esse ut in valoribus moralibus recta conscientia aestimandis et adhaesione personali amplectendis necnon in Deo perfectius cognoscendo et diligendo instimulentur. Ideoque enixe rogat omnes qui vel populorum regimen tenent vel educationi praesunt, ut curent ne umquam iuventus hoc sacro iure privetur. Filios autem Ecclesiae exhortatur ut generoso animo operam praestent in universo educationis campo,

praesertim hunc in finem ut congrua educationis et instructionis beneficia ad omnes ubique terrarum citius extendi possint (7).

2. Omnibus christianis, quippe qui, per regenerationem ex aqua et Spiritu Sancto nova creatura effecti (8), filii Dei nominentur et sint, ius est ad educationem christianam. Quae quidem non solum maturitatem humanae personae modo descriptam prosequitur, sed eo principaliter spectat ut baptizati dum in cognitionem mysterii salutis gradatim introducuntur, accepti fidei doni in dies magis conscii fiant; Deum Patrem in spiritu et veritate adorare (cf. Io 4,23) praeprimis in actione liturgica addiscant, ad propriam vitam secundum novum hominem in iustitia et sanctitate veritatis (Eph 4,22-24) gerendam conformentur; ita quidem occurrant in virum perfectum, in aetatem plenitudinis Christi (cf. Eph 4,13) et augmento corporis mystici operam praestent. Iidem insuper suae vocationis conscii tum spei quae in eis est (cf. 1 Pt 3,15), testimonium exhibere tum christianam mundi conformationem adiuvare consuescant, qua naturales valores in completa hominis a Christo redempti consideratione assumpti, ad totius societatis bonum conferant (9). Quare haec S. Synodus animarum Pastoribus gravissimum recolit officium omnia disponendi ut hac educatione christiana omnes fideles fruantur, praeprimis iuvenes qui spes sunt Ecclesiae (10).

3. Parentes, cum vitam filiis contulerint, prolem educandi gravissima obligatione tenentur et ideo primi et praecipui eorum educatores agnoscendi sunt (11). Quod munus educationis tanti ponderis est ut, ubi desit, aegre suppleri possit. Parentum enim est talem familiae ambitum amore, pietate erga Deum et homines animatum creare qui integrae filiorum educationi personali et sociali faveat. Familia proinde est prima schola virtutum socialium quibus indigent omnes societates. Maxime vero in christiana familia, matrimonii sacramenti gratia et officio ditata, filii iam a prima aetate secundum fidem in baptismo receptam Deum percipere et colere atque proximum diligere doceantur oportet; ibidem primam inveniunt experientiam et sanae societatis humanae et Ecclesiae; per familiam denique in civilem hominum consortionem et in populum Dei sensim introducuntur. Persentiant igitur parentes quanti momenti sit familia vere christiana pro vita et progressu ipsius populi Dei (12).

Educationis impertiendae munus primario familiae competens totius societatis auxiliis indiget. Praeter igitur iura parentum ceterorumque quibus ipsi partem in munere educationis concredunt, certa quidem officia et iura competunt societati civili, quatenus eius est ea ordinare quae ad bonum commune temporale requiruntur. Ad eius munera pertinet educationem iuventutis pluribus modis provehere: parentum scilicet aliorumque qui in educatione partes habent officia et iura tueri eisque adiumenta praebere; iuxta subsidiarii officii principium, deficientibus parentum aliarumque societatum incoeptis, educationis opus, attentis quidem parentum votis, perficere; insuper, quatenus bonum commune postulat, scholas et instituta propria condere (13).

Singulari demum ratione officium educandi ad Ecclesiam spectat, non solum quia humana quoque societas educationis tradendae capax agnoscenda est, sed maxime quia munus habet viam salutis omnibus hominibus annuntiandi, credentibus vitam Christi communicandi eosque continua sollicitudine adiuvandi ut ad huius vitae plenitudinem pervenire valeant (14). His igitur filiis suis tanquam Mater eam praestare Ecclesia tenetur educationem, qua tota eorum vita spiritu Christi imbuatur, simul autem omnibus populis suam operam praebet ad promovendam integram personae humanae perfectionem, ad bonum quoque societatis terrestris atque ad aedificationem mundi humanius configurandi (15).

In munere suo educationis explendo Ecclesia de omnibus aptis subsidiis sollicita, praecipue de eis curat quae ipsi sunt propria, quorum primum est institutio catechetica (16) quae fidem illuminat

et roborat, vitam secundum spiritum Christi nutrit, ad mysterii liturgici consciam et actuosam participationem conducit (17) atque ad actionem apostolicam excitat. Ecclesia magni facit et suo spiritu penetrare et elevare quaerit cetera quoque auxilia, quae ad commune hominum patrimonium pertinent quaeque ad animos excolendos hominesque formandos magnopere conferunt, uti sunt communicationis socialis instrumenta (18), multiplices animi corporisque exercitationum coetus, iuvenum consociationes atque praesertim scholae.

5. Inter omnia educationis instrumenta peculiare momentum habet schola (19), quae vi suae missionis dum facultates intellectuales assidua cura excolit, recte iudicandi capacitatem evolvit, in patrimonium culturae a generationibus praeteritis acquisitum introducit, sensum valorum promovet, vitam professionalem praeparat, inter alumnos diversae indolis et condicionis amicalem consortionem pariens mutuam se comprehendendi dispositionem fovet; insuper velut quoddam centrum constituit cuius operositatem et profectum una participare debent familiae, magistri, varii generis consociationes vitam culturalem, civicam, religiosam promoventes, societas civilis, et tota communitas humana.

Pulchra igitur et gravis quidem ponderis est vocatio illorum omnium qui parentes in eorundem officio implendo iuvantes et communitatis humanae vices gerentes, munus educandi in scholis suscipiunt; quae vocatio peculiares mentis et cordis dotes, diligentissimam praeparationem, continuam renovationis et adaptationis promptitudinem expostulat.

6. Parentes quibus primum et inalienabile officium et ius est filios educandi, in scholis eligendis vera libertate gaudeant oportet. Potestas publica igitur cuius est civium libertates tueri et defendere, iustitiae distributivae consulens curare debet, ut subsidia publica ita erogentur ut parentes pro filiis suis scholas, secundum conscientiam suam, vere libere selegere valeant (20).

Ceterum rei publicae est providere ut omnes cives ad congruam culturae participationem accedere valeant atque ad officia et iura civilia exercenda debite praeparentur. Ipsa igitur res publica ius puerorum ad adaequatam educationem scholarem tutari, magistrorum capacitati studiorumque praestantiae vigilare, alumnorum sanitati consulere atque in genere integrum scholarum opus promovere debet, principio subsidiarii officii prae oculis habito et ideo quovis excluso scholarum monopolio, quod nativis humanae personae iuribus, ipsius quoque culturae profectui et divulgationi, pacificae civium consortioni necnon pluralismo in permultis societatibus hodie vigenti adversatur (21).

Christifideles vero S. Synodus hortatur ut sive ad aptas educationis methodos studiorumque rationem inveniendas, sive ad magistros efformandos qui iuvenes recte educare valeant, auxiliatricem operam ultro praestent atque, parentum praesertim consociationibus, universum scholae munus et praecipue educationem moralem in ea tradendam suis adiumentis prosequantur (22).

7. Gravissimum praeterea officium persentiens moralem et religiosam educationem omnium suorum filiorum sedulo curandi, Ecclesia peculiari suo affectu et adiutorio praesens sit oportet iis plurimis qui in scholis non catholicis instituuntur; tum per testimonium vitae eorum qui eos docent et moderantur, tum per condiscipulorum apostolicam actionem (23), tum maxime per ministerium sacerdotum et laicorum qui eis doctrinam salutis tradunt, ratione aetati et adiunctis accommodata et spirituale auxilium praebent opportunis incoeptis pro rerum temporumque condicione.

Parentibus autem grave recolit officium quod eis competit omnia disponendi vel etiam exigendi ut filii sui illis auxiliis frui possint et formatione christiana harmonico gressu cum profana

progrediantur. Propterea Ecclesia illas auctoritates et societates civiles dilaudat, quae pluralismi hodiernae societatis ratione habita et debitae libertati religiosae consulentes, familias adiuvant ut educatio filiorum in omnibus scholis secundum propria familiarum principia moralia et religiosa impertiri possit (24).

8. Ecclesiae praesentia in scholarum campo ostenditur peculiari ratione per scholam catholicam. Ea quidem non minus quam aliae scholae fines culturales et humanam iuvenum formationem prosequitur. Proprium autem illius est communitatis scholaris ambitum, spiritu evangelico libertatis et caritatis animatum creare, adolescentes adiuvare ut in propria persona evolvenda una simul crescant secundum novam creaturam quae per baptismum effecti sunt, atque universam culturam humanam ad nuntium salutis postremo ordinare ita ut cognitio quam alumni de mundo, vita et homine gradatim acquirunt, fide illuminetur (25). Ita quidem schola catholica, dum progredientis aetatis condicionibus sicut oportet se aperit, suos alumnos ad civitatis terrestris bonum efficaciter provehendum educat et ad servitium pro Regno Dei dilatando praeparat, ut exemplaris et apostolicae vitae exercitio salutare veluti fermentum humanae communitatis efficiantur.

Schola catholica igitur cum ad Populi Dei missionem explendam tantopere conferre et dialogo inter Ecclesiam et hominum communitatem, in ipsorum mutuum beneficium, inservire valeat, nostris quoque rerum adiunctis suum gravissimum retinet momentum. Quare haec S. Synodus ius Ecclesiae scholas cuiusvis ordinis et gradus libere condendi atque regendi, in plurimis Magisterii documentis iam declaratum (26), denuo proclamat, in memoriam revocans huiusmodi iuris exercitium libertati quoque conscientiae et parentum iuribus tuendis necnon ipsius culturae profectui summopere conferre.

Meminerint autem Magistri se quam maxime esse auctores ut schola catholica sua proposita et incoepta ad rem deducere valeat (27). Peculiari ergo iidem praeparentur sollicitudine ut scientia tum profana tum religiosa idoneis titulis comprobata sint praediti et arte educandi progredientis aetatis inventis congruente ditati. Caritate sibi vicissim et discipulis devincti atque spiritu apostolico imbuti, tam vita quam doctrina testimonium exhibeant unico Magistro Christo. Sociam, imprimis cum parentibus praestent operam; una cum ipsis debitam in universa educatione habeant rationem discriminis sexus et finis proprii utrique sexui in familia et in societate a divina providentia praestituti; personalem ipsorum alumnorum actionem excitare satagant eosque, absoluto curriculo scholari, consilio, amicitia, peculiaribus quoque conditis associationibus vero spiritu ecclesiali ditatis prosequi pergant. Horum magistrorum ministerium veri nominis apostolatum, nostris quoque temporibus maxime congruentem et necessarium S. Synodus declarat, simulque verum servitium societati praestitum. Parentibus vero catholicis officium memorat liberos suos concredendi, quando et ubi possunt, scholis catholicis, eas pro viribus sustinendi et cum eis in bonum filiorum suorum collaborandi (28).

9. Huic scholae catholicae imagini omnes scholae ab Ecclesia quavis ratione dependentes pro viribus conformentur oportet, licet schola catholica pro locorum adiunctis varias formas induere possitn (29). Carissimas sane sibi habet Ecclesia etiam scholas catholicas quae in novarum ecclesiarum praesertim territoriis ab alumnis quoque non catholicis frequentantur.

Ceterum in scholis catholicis constituendis et ordinandis progredientis aetatis necessitatibus consulendum est. Propterea, dum fovendae manent scholae quae inferioris et medii ordinis sunt atque educationis fundamentum constituunt, magni quoque faciendae sunt illae quae ab hodiernis condicionibus peculiari ratione requiruntur, ut sunt scholae quae professionales (30) et technicae nuncupantur, instituta erudiendis adultis, socialibus auxiliis provehendis necnon iis, qui

ob naturae defectum peculiari cura indigent, destinata atque scholae in quibus magistri tum pro institutione religiosa tum pro aliis educationis formis praeparantur.

Sancta Synodus Ecclesiae Pastores necnon omnes christifideles vehementer hortatur ut, nullis praetermissis sacrificiis, scholas catholicas adiuvent in earundem munere in dies perfectius explendo et praeprimis in curandis necessitatibus eorum qui bonis temporalibus sunt pauperes vel familiae adiutorio et affectu privantur vel a dono fidei sunt alieni.

10. Altioris ordinis pariter scholas, praesertim Universitates et Facultates Ecclesia sedula prosequitur cura. Quin etiam in iis quae ab ipsa dependent, organica ratione intendit ut singulae disciplinae propriis principiis, propria methodo atque propria inquisitionis scientificae libertate ita excolantur, ut profundior in dies earum intelligentia obtineatur et, novis progredientis aetatis quaestionibus ac investigationibus accuratissime consideratis, altius perspiciatur quomodo fides et ratio in unum verum conspirent, Ecclesiae Doctorum, praesertim S. Thomae Aquinatis vestigia premendo (31). Ita quidem veluti publica, stabilis atque universalis praesentia efficiatur mentis christianae in toto culturae altioris promovendae studio atque horum institutorum alumni formentur homines doctrina vere praestantes, gravioribus officiis in societate obeundis parati atque fidei in mundo testes (32).

In Universitatibus Catholicis in quibus nulla Facultas S. Theologiae exstet, Institutum habeatur vel Cathedra S. Theologiae, in qua lectiones laicis quoque alumnis accommodatae tradantur. Cum scientiae per investigationes peculiares altioris scientifici momenti praecipue proficiant, in Universitatibus et Facultatibus catholicis Instituta maxime foveantur, quae primario investigationi scientificae promovendae inserviant.

Sancta Synodus valde commendat ut Universitates et Facultates catholicae in diversis terrae partibus convenienter distributae, promoveantur, ita tamen ut non numero, sed doctrinae studio eniteant; eorumque aditus facile pateat alumnis maioris spei, etsi tenuioris fortunae, iis praesertim qui e novis adveniant nationibus.

Quandoquidem sors societatis et ipsius Ecclesiae cum iuvenum altiora studia excolentium profectu intime connectitur 833), Ecclesiae Pastores non tantum impensam habeant curam de vita spirituali alumnorum qui Universitates Catholicas frequentant; sed de formatione spirituali omnium filiorum suorum solliciti, inter Episcopos consiliis opportune collatis, provideant ut etiam apud Universitates non catholicas convictus et centra universitaria catholica habeantur, in quibus sacerdotes, religiosi et laici, accurate selecti et praeparati, iuventuti universitariae spirituale et intellectuale adiutorium praebeant permanens. Iuvenes autem melioris ingenii sive catholicarum sive aliarum Universitatum, qui ad docendum et investigandum apti videantur, peculiari cura excolantur et ad magisteria suscipienda promoveantur.

11. A scientiarum sacrarum Facultatum operositate plurimum exspectat Ecclesia (34). Ipsis enim concredit gravissimum officium proprios alumnos praeparandi non solum ad ministerium sacerdotale sed maxime sive ad docendum in superiorum studiorum ecclesiasticorum sedibus sive ad disciplinas propria ope promovendas sive ad magis ardua apostolatus intellectualis munera suscipienda. Ipsarum Facultatum item est varias sacrarum disciplinarum regiones altius pervestigare ita ut profundior in dies Sacrae Revelationis intellectus obtineatur, patrimonium sapientiae christianae a maioribus traditum plenius aperiatur, dialogus cum fratribus seiunctis et cum non christianis promoveatur atque quaestionibus a doctrinarum progressu exortis respondeatur (35).

Quare ecclesiasticae Facultales, propriis ipsarum legibus opportune recognitis, scientias sacras et cum sacris connexas impense promoveant et recentioribus quoque methodis et auxiliis adhibitis, ad altiores investigationes auditores instituant.

12. Cum cooperatio, quae in ordine dioecesano, nationali et internationali altius in dies urgetur et invalescit, etiam in re scholastica maxime sit necessaria, omni ope curandum est ut inter scholas catholicas apta foveatur coordinatio, atque inter easdem ceterasque scholas provehatur collaboratio, quam universae hominum communitatis bonum requirit (36).

Ex maiore coordinatione sociaque opera praecipue in Institutorum academicorum ambitu uberiores fructus percipientur. In omni igitur Universitate variae Facultates mutuam sibi, prout obiectum siverit, praestent operam. Ipsae quoque Universitates mutua inter sese operae coniunctione conspirent, conventus internationales una simul promovendo, scientificas pervestigationes inter sese distribuendo, inventa vicissim communicando ac magistros ad tempus permutando inter se ceteraque quae ad maiorem adiutricem operam conferunt provehendo.

Conclusio

S. Synodus ipsos iuvenes enixe hortatur ut praestantiae muneris educandi conscii, ad illud suscipiendum generoso animo sint parati, in illis praesertim regionibus in quibus ob magistrorum inopiam iuventutis educatio in discrimine est.

Eadem S. Synodus, dum gratissimam se profitetur erga sacerdotes, religiosos, religiosas et laicos, qui evangelica sui deditione in praecellens educationis et scholarum cuiusvis generis et gradus opus incumbunt, eos hortatur ut in suscepto munere generose perseverent atque in alumnis spiritu Christi imbuendis, in paedagogica arte et in scientiarum studio ita excellere nitantur ut non solum internam Ecclesiae renovationem promoveant, sed eius beneficam praesentiam in mundo hodierno praesertim intellectuali servent et augeant.

Haec omnia et singula quae in hac Declaratione edicta sunt, placuerunt Sacrosancti Concilii Patribus. Et Nos, Apostolica a Christo Nobis tradita potestate, illa, una cum Venerabilibus Patribus, in Spiritu Sancto approbamus, decernimus ac statuimus et quae ita synodaliter statuta sunt ad Dei gloriam promulgari iubemus. Romae, apud S. Petrum die XXVIII mensis octobris anno MCMLXV. Ego PAULUS Catholicae Ecclesiae Episcopus. Sequuntur Patrum subsignationes.

07

Prior = Gravissimum educationis , post = Rerum novarum

07 DECLARATIO DE ECCLESIAE HABITUDINE AD RELIGIONES NON-CHRISTIANAS NOSTRA AETATE PAULUS EPISCOPUS

*1. **Nostra aetate, in qua genus humanum in dies arctius unitur** et necessitudines inter varios populos augentur, Ecclesia attentius considerat quae sit sua habitudo ad religiones non-christianas. In suo munere unitatem et caritatem inter homines, immo et inter gentes, fovendi ea imprimis hic considerat quae hominibus sunt communia et ad mutuum consortium ducunt.*

Una enim communitas sunt omnes gentes, unam habent originem, cum Deus omne genus hominum inhabitare fecerit super universam faciem terrae (1), unum etiam habent finem

ultimum, Deum, cuius providentia ac bonitatis testimonium et consilia salutis ad omnes se extendunt (2), donec uniantur electi in Civitate Sancta, quam claritas Dei illuminabit, ubi gentes ambulabunt in lumine eius (3).

Homines a variis religionibus responsum exspectant de reconditis condicionis humanae aenigmatibus, quae sicut olim et hodie corda hominum intime commovent: quid sit homo, quis sensus et finis vitae nostrae, quid bonum et quid peccatum, quem ortum habeant dolores et quem finem, quae sit via ad veram felicitatem obtinendam, quid mors, iudicium et retributio post mortem, quid demum illud ultimum et ineffabile mysterium quod nostram existentiam amplectitur, ex quo ortum sumimus et quo tendimus.

2. Iam ab antiquo usque ad tempus hodiernum apud diversas gentes invenitur quaedam perceptio illius arcanae virtutis, quae cursui rerum et eventibus vitae humanae praesens est, immo aliquando agnitio Summi Numinis vel etiam Patris. Quae perceptio atque agnitio vitam earum intimo sensu religioso penetrant. Religiones vero cum progressu culturae connexae subtilioribus notionibus et lingua magis exculta ad easdem quaestiones respondere satagunt. Ita in Hinduismo homines mysterium divinum scrutantur et exprimunt inexhausta fecunditate mythorum et acutis conatibus philosophiae, atque liberationem quaerunt ab angustiis nostrae condicionis vel per formas vitae asceticae vel per profundam meditationem vel per refugium ad Deum cum amore et confidentia. In Buddhismo secundum varias eius formas radicalis insufficientia mundi huius mutabilis agnoscitur et via docetur qua homines, animo devoto et confidente, sive statum perfectae liberationis acquirere, sive, vel propriis conatibus vel superiore auxilio innixi, ad summam illuminationem pertingere valeant. Sic ceterae quoque religiones, quae per totum mundum inveniuntur, inquietudini cordis hominum variis modis occurrere nituntur proponendo vias, doctrinas scilicet ac praecepta vitae, necnon ritus sacros.

Ecclesia catholica nihil eorum, quae in his religionibus vera et sancta sunt, reicit. Sincera cum observantia considerat illos modos agendi et vivendi, illa praecepta et doctrinas, quae, quamvis ab iis quae ipsa tenet et proponit in multis discrepent, haud raro referunt tamen radium illius Veritatis, quae illuminat omnes homines. Annuntiat vero et annuntiare tenetur indesinenter Christum, qui est "via et veritas et vita" (Io 14,6), in quo homines plenitudinem vitae religiosae inveniunt, in quo Deus omnia Sibi reconciliavit (4).

Filios suos igitur hortatur, ut cum prudentia et caritate per colloquia et collaborationem cum asseclis aliarum religionum, fidem et vitam christianam testantes, illa bona spiritualia et moralia necnon illos valores socio-culturales, quae apud eos inveniuntur, agnoscant, servent et promoveant.

3. Ecclesia cum aestimatione quoque Muslimos respicit qui unicum Deum adorant, viventem et subsistentem, misericordem et omnipotentem, Creatorem caeli et terrae (5), homines allocutum, cuius occultis etiam decretis toto animo se submittere student, sicut Deo se submisit Abraham ad quem fides islamica libenter sese refert. Iesum, quem quidem ut Deum non agnoscunt, ut prophetam tamen venerantur, matremque eius virginalem honorant Mariam et aliquando eam devote etiam invocant. Diem insuper iudicii expectant cum Deus omnes homines resuscitatos remunerabit. Exinde vitam moralem aestimant et Deum maxime in oratione, eleemosynis et ieiunio colunt.

Quodsi in decursu saeculorum inter Christianos et Muslimos non paucae dissensiones et inimicitiae exortae sint, Sacrosancta Synodus omnes exhortatur, ut, praeterita obliviscentes, se ad comprehensionem mutuam sincere exerceant et pro omnibus hominibus iustitiam socialem, bona moralia necnon pacem et libertatem communiter tueantur et promoveant.

4. Mysterium Ecclesiae perscrutans, Sacra haec Synodus meminit vinculi, quo populus Novi Testamenti cum stirpe Abrahae spiritualiter coniunctus est.

Ecclesia enim Christi agnoscit fidei et electionis suae initia iam apud Patriarchas, Moysen et Prophetas, iuxta salutare Dei mysterium, inveniri. Confitetur omnes Christifideles, Abrahae filios secundum fidem (6), in eiusdem Patriarchae vocatione includi et salutem Ecclesiae in populi electi exitu de terra servitutis mystice praesignari. Quare nequit Ecclesia oblivisci se per populum illum, quocum Deus ex ineffabili misericordia sua Antiquum Foedus inire dignatus est, Revelationem Veteris Testamenti accepisse et nutriri radice bonae olivae, in quam inserti sunt rami oleastri Genti (7). Credit enim Ecclesia Christum, Pacem nostram, per crucem Iudaeos et Gentes reconciliasse et utraque in Semetipso fecisse unum (8).

Semper quoque prae oculis habet Ecclesia verba Apostoli Pauli de cognatis eius, "quorum adoptio est filiorum et gloria et testamentum et legislatio et obsequium et promissa, quorum patres et ex quibus est Christus secundum carnem" (Rom 9,4-5), filius Mariae Virginis. Recordatur etiam ex populo iudaico natos esse Apostolos, Ecclesiae fundamenta et columnas, atque plurimos illos primos discipulos, qui Evangelium Christi mundo annuntiaverunt.

Teste Sacra Scriptura, Ierusalem tempus visitationis suae non cognovit (9), atque Iudaei magna parte Evangelium non acceperunt, immo non pauci diffusioni eius se opposuerunt (10). Nihilominus, secundum Apostolum, Iudaei Deo, cuius dona et vocatio sine paenitentia sunt, adhuc carissimi manent propter Patres (11). Una cum Prophetis eodemque Apostolo Ecclesia diem Deo soli notum expectat, quo populi omnes una voce Dominum invocabunt et "servient ei umero uno" (Soph 3,9) (12).

Cum igitur adeo magnum sit patrimonium spirituale Christianis et Iudaeis commune, Sacra haec Synodus mutuam utriusque cognitionem et aestimationem, quae praesertim studiis biblicis et theologicis atque fraternis colloquiis obtinetur, fovere vult et commendare.

Etsi auctoritates Iudaeorum cum suis asseclis mortem Christi urserunt (13), tamen ea quae in passione Eius perpetrata sunt nec omnibus indistincte Iudaeis tunc viventibus, nec Iudaeis hodiernis imputari possunt. Licet autem Ecclesia sit novus populus Dei, Iudaei tamen neque ut a Deo reprobati neque ut maledicti exhibeantur, quasi hoc ex Sacris Litteris sequatur. Ideo curent omnes ne in catechesi et in verbi Dei praedicatione habenda quidquam doceant, quod cum veritate evangelica et spiritu Christi non congruat.

Praeterea, Ecclesia, quae omnes persecutiones in quosvis homines reprobat, memor communis cum Iudaeis patrimonii, nec rationibus politicis sed religiosa caritate evangelica impulsa, odia, persecutiones, antisemitismi manifestationes, quovis tempore et a quibusvis in Iudaeos habita, deplorat.

Ceterum Christus, uti semper tenuit et tenet Ecclesia, propter peccata omnium hominum voluntarie passionem suam et mortem immensa caritate obiit, ut omnes salutem consequantur. Ecclesiae praedicantis ergo est annuntiare crucem Christi tamquam signum universalis Dei amoris et fontem omnis gratiae.

5. Nequimus vero Deum omnium Patrem invocare, si erga quosdam homines, ad imaginem Dei creatos, fraterne nos gerere renuimus. Habitudo hominis ad Deum Patrem et habitudo hominis ad homines fratres adeo connectuntur, ut Scriptura dicat: "qui non diligit, non novit Deum" (1 Io 4,8).

Fundamentum ergo tollitur omni theoriae vel praxi quae inter hominem et hominem, inter gentem et gentem, discrimen quoad humanam dignitatem et iura exinde dimanantia inducit.

Ecclesia igitur quamvis hominum discriminationem aut vexationem stirpis vel coloris, condicionis vel religionis causa factam tamquam a Christi mente alienam, reprobat. Proinde, Christifideles Sacra Synodus, vestigia Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli premens, ardenter obsecrat ut "conversationem... inter gentes habentes bonam" (1 Pt 2,12), si fieri potest, quod in eis est cum omnibus hominibus pacem habeant (14), ita ut vere sint filii Patris qui in caelis est (15).

Haec omnia et singula quae in hac Declaratione edicta sunt, placuerunt Sacrosancti Concilii Patribus. Et Nos, Apostolica a Christo Nobis tradita potestate, illa, una cum Venerabilibus Patribus, in Spiritu Sancto approbamus, decernimus ac statuimus et quae ita synodaliter statuta sunt ad Dei gloriam promulgari iubemus. Romae, apud S. Petrum die XXVIII mensis octobris anno MCMLXV. Ego PAULUS Catholicae Ecclesiae Episcopus. Sequuntur Patrum subsignationes.

08

Prior = Declaratio de ecclesia , post = Vigilanti cura

08 LITTERAE ENCYCLICAE RERUM NOVARUM LEONIS PAPAE XIII DE CONDITIONE OPIFICUM

Rerum novarum semel excitata cupidine, quae diu quidem commovet civitates, illud erat consecuturum ut commutationum studia a rationibus politicis in oeconomicarum cognatum genus aliquando defluerent. - Revera 1) nova industriae incrementa novisque euntes itineribus artes: 2) mutatae dominorum et mercenariorum rationes mutuae: 3) divitiarum in exiguo numero affluentia, in multitudine inopia: 4) opificum cum de se confidentia maior, tum inter se necessitudo coniunctior, praeterea versi in deteriora mores, effecere, ut certamen erumperet. In quo quanta rerum momenta vertantur, ex hoc apparet, quod animos habet acri expectatione suspensos: denique ingenia exercet doctorum, concilia prudentum, conciones populi, legumlatorum iudicium, consilia principum, ut iam caussa nulla reperiatur tanta, quae teneat hominum studia vehementius. - Itaque, proposita Nobis Ecclesiae caussa et salute communi, quod alias consuevimus, Venerabiles Fratres, datis ad vos Litteris de imperio politico, de libertate humana, de civitatum constitutione christiana, aliisque non dissimili genere, quae ad refutandas opinionum fallacias opportuna videbantur, idem nunc faciendum de conditione opificum iisdem de caussis duximus. - Genus hoc argumenti non semel iam per occasionem attigimus: in his tamen Litteris totam data opera tractare quaestionem apostolici muneris conscientia monet, ut principia emineant quorum ope, uti veritas atque aequitas postulant, dimicatio dirimatur.

Caussa est ad expediendum difficilis, nec vacua periculo. Arduum siquidem metiri iura et officia, quibus locupletes et proletarios, eos qui rem, et eos qui operam conferant, inter se oportet contineri. Periculosa vero contentio, quippe quae ab hominibus turbulentis et callidis ad pervertendum iudicium veri concitandamque seditiose multitudinem passim detorquetur.

Utcumque sit, plane videmus, quod consentiunt universi, infimae sortis hominibus celeriter esse atque opportune consulendum, cum pars maxima in misera calamitosaque fortuna indigne versentur.

Nam veteribus artificum collegiis superiore saeculo deletis, nulloque in eorum locum suffecto praesidio, 1) cum ipsa instituta legesque publicae avitam religionem exuissent, sensim factum est ut opifices inhumanitati dominorum effrenataeque competitorum cupiditati solitarios atque

indefensos tempus tradiderit. 2) Malum auxit usura vorax, quae non semel Ecclesiae judicio damnata, tamen ab hominibus avidis et quaestuosis per aliam speciem exercetur eadem; 3) huc accedunt et conductio operum et rerum omnium commercia fere in paucorum redacta potestatem, ita ut opulenti ac praedivites perpauci prope servile jugum infinitae proletariorum multitudini imposuerint.

Ad huius sanationem mali Socialistae quidem, sollicitata egentium in locupletes invidia, evertere privatas bonorum possessiones contendunt oportere, earumque loco communia universis singulorum bona facere, procurantibus viris qui aut municipio praesint, aut totam rempublicam gerant. Eiusmodi translatione bonorum a privatis ad commune, mederi se posse praesenti malo arbitrantur, res et commoda inter cives aequabiliter partiendo. Sed est adeo eorum ratio ad contentionem dirimendam inepta, ut ipsum opificum genus afficiat incommodo : eademque praeterea est valde iniusta, quia vim possessoribus legitimis affert, pervertit officia reipublicae, penitusque miscet civitates.

Sane, quod facile est pervidere, ipsius operae, quam suscipiunt qui in arte aliqua quaestuosa versantur, haec per se caussa est, atque hic finis quo proxime spectat artifex, rem sibi quaerere privatoque jure possidere uti suam ac propriam. Is enim si vires, si industriam suam alteri commodat, hanc ob caussam commodat ut res adipiscatur ad victum cultumque necessarias : ideoque ex opera data ius verum perfectumque sibi quaerit non modo exigendae mercedis, sed et collocandae uti velit. Ergo si tenuitate sumptuum quicquam ipse comparsit, fructumque parcimoniae suae, quo tutior esse custodia possit, in praedio collocavit, profecto praedium istiusmodi nihil est aliud, quam merces ipsa aliam induta spedem : proptereaque coemptus sic opifici fundus tam est in ejus potestate futurus, quam parta labore merces. Sed in hoc plane, ut facile intelligitur, rerum dominium vel moventium vel solidarum consistit. In eo igitur quod bona privatorum transferre Socialistae ad commune nituntur, omnium mercenariorum faciunt conditionem deteriorem, quippe quos, collocandae mercedis libertate sublata, hoc ipso augendae rei familiaris utilitatumque sibi comparandarum spe et facultate despoliant.

Verum, quod maius est, remedium proponunt cum iustitia aperte pugnans, quia possidere res privatim ut suas, ius est homini a nalura datum. - Revera hac etiam in re maxime inter hominem et genus interest animantium ceterarum. Non enim se ipsae regunt belluae, sed reguntur gubernanturque duplici naturae instinctu : qui tum custodiunt experrectam in eis facultatem agendi, viresque opportune evolvunt, tum etiam singulos earum motus exsuscitant iidem et determinant. Altero instinctu ad se vitamque tuendam, altero ad conservationem generis ducuntur sui. Utrumque vero commode assequuntur earum rerum usu quae adsunt, quaeque praesentes sunt : nec sane progredi longius possent, quia solo sensu moventur rebusque singularibus sensu perceptis. - Longe alia hominis natura. Inest in eo tota simul ac perfecta vis naturae animantis, ideoque tributum ex hac parte homini est, certe non minus quam generi animantium omni, ut rerum corporearum fruatur bonis. Sed natura animans quantumvis cumulate possessa, tantum abest ut naturam circumscribat humanam, ut multo sit humana natura inferior, et ad parendum huic obediendumque nata. Quod eminet atque excellit in nobis, quod homini tribuit ut homo sit, et a belluis differat genere toto, mens seu ratio est. Et ob hanc caussam quod solum hoc animal est rationis particeps, bona homini tribuere necesse est non utenda solum, quod est omnium animantium commune, sed stabili perpetuoque jure possidenda, neque ea dumtaxat quae usu consumuntur, sed etiam quae, nobis utentibus, permanent.

Quod magis etiam apparet, si hominum in se natura altius spectetur. Homo enim cum innumerabilia ratione comprehendat, rebusque praesentibus adiungat, atque annectat futuras, cumque actionum suarum sit ipse dominus, propterea sub lege aeterna, sub potestate omnia

providentissime gubernantis Dei, se ipse gubernat providentia consilii sui : quamobrem in eius est potestate res eligere quas ad consulendum sibi non modo in praesens, sed etiam in reliquum tempus, maxime iudicet idoneas. Ex quo consequitur, ut in homine esse non modo terrenorum fructuum, sed ipsius terra dominatum oporteat, quia e terrae fetu sibi res suppeditari videt ad futurum tempus necessarias. Habent cuiusque hominis necessitates velut perpetuos reditus, ita ut hodie expletae, in crastinum nova imperent. Igitur rem quamdam debet homini natura dedisse stabilem perpetuoque mansuram, unde perennitas subsidii expectari posset. Atqui istiusmodi perennitatem nulla res praestare; nisi cum ubertatibus suis terra, potest.

Neque est, cur providentia introducatur reipublicae: est enim homo, quam respublica, senior: quocirca ius ille suum ad vitam corpusque tuendum habere natura ante debuit quam civitas ulla coisset. - Quod vero terram Deus universo generi hominum utendam, fruendam dederit, id quidem non potest ullo pacto privatis possessionibus obesse. Deus enim generi hominum donavisse terram in commune dicitur, non quod eius promiscuum apud omnes dominatum voluerit, sed quia partem nullam cuique assignavit possidendam, industriae hominum institutisque populorum permissa privatarum possessionum descriptione. Ceterum utcumque inter privatos distributa, inservire communi omnium utilitati terra non cessat, quoniam nemo est mortalium, quin alatur eo, quod agri efferunt. Qui re carent, supplent opera; ita ut vere affirmari possit, universam comparandi victus cultusque rationem in labore consistere, quem quis vel in fundo insumat suo, vel in arte aliqua operosa, cuius merces tandem non aliunde, quam a multiplici terrae fetu ducitur, cum eoque permutatur.

Qua ex re rursus efficitur, privatas possessiones plane esse secundum naturam. Res enim eas, quae ad conservandam vitam maximeque ad perficiendam requiruntur, terra quidem cum magna largitate fundit, sed fundere ex se sine hominum cultu et curatione non posset. Iamvero cum in parandis naturae bonis industriam mentis viresque corporis homo insumat, hoc ipso applicat ad sese eam naturae corporeae partem, quam ipse percoluit, in qua velut formam quamdam personae suae impressam reliquit; ut omnino rectum esse oporteat, eam partem ab eo possideri uti suam, nec ullo modo ius ipsius violare cuiquam licere.

Horum tam perspicua vis est argumentorum, ut mirabile videatur, dissentire quosdam exoletarum opinionum restitutores: qui usum quidem soli, variosque praediorum fructus homini privato concedunt: at possideri ab eo ut domino vel solum, in quo aedificavit, vel praedium quod excoluit, plane ius esse negant. Quod cum negant, fraudatum iri partis suo labore rebus hominem, non vident. Ager quippe cultoris manu atque arte subactus habitum longe mutat: e silvestri frugifer, ex infecundo ferax efficitur. Quibus autem rebus est melior factus, illae sic solo inhaerent miscenturque penitus, ut maximam partem nullo pacto sint separabiles a solo. Atqui id quemquam potiri illoque perfrui, in quo alius desudavit, utrumne iustitia pariatur? Quo modo effectae res caussam sequuntur a qua effectae sunt, sic operae fructum ad eos ipsos qui operam dederint, rectum est pertinere.

Merito igitur universitas generis humani, dissentientibus paucorum opinionibus nihil admodum mota, studioseque naturam intuens, in ipsius lege naturae fundamentum reperit partitionis bonorum, possessionesque privatas, ut quae cum hominum natura pacatoque et tranquillo convictu maxime congruant, omnium saeculorum usu consecravit. - Leges autem civiles, quae, cum iustae sunt, virtutem suam ab ipsa naturali lege ducunt, id ius, de quo loquimur, confirmant ac vi etiam adhibenda tuentur. - Idem divinarum legum sanxit auctoritas, quae vel appetere alienum gravissime vetant. Non concupisces uxorem proximi tui: non domum, non agrum, non ancillam, non bovem, non asinum et universa qui illius sunt [Deut. V, 21].

Iura vero istiusmodi, quae in hominibus insunt singulis, multo validiora intelliguntur esse si cum officiis hominum in convictu domestico apta et connexa spectentur. - In diligendo genere vitae non est dubium, quin in potestate sit arbitrioque singulorum alterutrum malle, aut IESU CHRISTI sectari de virginitate consilium, aut maritali se vinclo obligare. Ius coniugii naturale ac primigenum homini adimere, caussamve nuptiarum praecipuam, Dei auctoritate initio constitutam, quoquo modo circumscribere lex hominum nulla potest: Crescite et multiplicammi [Gen. I, 28]. En igitur familia, seu societas domestica, perparva illa quidem, sed vera societas, eademque omni civitate antiquior; cui propterea sua quaedam iura officiaque esse necesse est, quae minime pendeant a republica.

Quod igitur demonstravimus, ius dominii personis singularibus natura tributum, id transferri in hominem, qua caput est familiae, oportet: immo tanto ius est illud validius, quanto persona humana in convictu domestico plura complectitur.

Sanctissima naturae lex est, ut victu omnique cultu paterfamilias tueatur quos ipse procrearit : idemque illud a natura ipsa deducitur, ut velit liberis suis, quippe qui paternam referunt et quodam modo producunt personam, acquirere et parare, unde se honeste possint in ancipiti vitae cursu a misera fortuna defendere. Id vero efficere non alia ratione potest, nisi fructuosarum possessione rerum, quas ad liberos hereditate transmittat. Quemadmodum civitas, eodem modo familia, ut memoravimus, veri nominis societas est, quae potestate propria, hoc est paterna, regitur. Quamobrem, servatis utique finibus quos proxima eius caussa praescripserit, in deligendis adhibendisque rebus incolumitati ac iustae libertati suae necessariis, familia quidem paria saltem cum societate civili iura obtinet. Paria saltem diximus, quia cum convictus domesticus et cogitatione sit et re prior, quam civilis coniunctio, priora quoque esse magisque naturalia iura eius officiaque consequitur. Quod si cives, si familiae, convictus humani societatisque participes factae, pro adiumento offensionem, pro tutela diminutionem iuris sui in republica reperirent, fastidienda citius, quam optanda societas esset.

Velle igitur ut pervadat civile imperium arbitratu suo usque ad intima domorum, magnus ac perniciosus est error. - Certe si qua forte familia in summa rerum difficultate consiliique inopia versetur, ut inde se ipsa expedire nullo pacto possit, rectum est subveniri publice rebus extremis : sunt enim familiae singulae pars quaedam civitatis. Ac pari modo sicubi intra domesticos parietes gravis extiterit perturbatio iurium mutuorum, suum cuique ius potestas publica vindicato; neque enim hoc est ad se rapere iura civium, sed munire atque firmare iusta debitaque tutela. Hic tamen consistant necesse est, qui praesint rebus publicis : hos excedere fines natura non patitur. Patria potestas est eiusmodi, ut nec extingui, neque absorberi a republica possit, quia idem et commune habet cum ipsa hominum vita principium. Filii sunt aliquid patris, et velut paternae amplificatio quaedam personae : proprieque loqui si volumus, non ipsi per se, sed per communitatem domesticam, in qua generati sunt, civilem ineunt ac participant societatem. Atque hac ipsa de caussa, quod filii sunt naturaliter aliquid patris,... antequam usum liberi arbitrii habeant, continentur sub parentum cura [S. Thomas, I-II, Quaest. X, art. XII]. Quod igitur Socialistae, posthabita providentia parentum, introducunt providentiam reipublicae, faciunt contra iustitiam naturalem, ac domorum compaginem dissolvunt.

Ac praeter iniustitiam, nimis etiam apparet qualis esset omnium ordinum commutatio perturbatioque, quam dura et odiosa servitus civium consecutura. Aditus ad invidentiam mutuam, ad obtrectationes et discordias patefieret : ademptis ingenio singulorum sollertiaeque stimulis, ipsi divitiarum fontes necessario exarescerent : eaque, quam fingunt cogitatione, aequabilitas, aliud revera non esset nisi omnium hominum aeque misera atque ignobilis, nullo discrimine, conditio.

Ex quibus omnibus perspicitur, illud Socialismi placitum de possessionibus in commune redigendis omnino repudiari oportere, quia iis ipsis, quibus est opitulandum, nocet, naturalibus singulorum iuribus repugnat, officia reipublicae tranquillitatemque communem perturbat. Maneat ergo, cum plebi sublevatio quaeritur, hoc in primis haberi fundamenti instar oportere, privatas possessiones inviolate servandas. Quo posito, remedium, quod exquiritur, unde petendum sit; explicabimus.

Confidenter ad argumentum aggredimur ac plane iure Nostro; propterea quod caussa agitur ea, cuius exitus probabilis quidem nullus, nisi advocata religione Ecclesiaque, reperiatur. Cum vero et religionis custodia, et earum rerum, quae in Ecclesiae potestate sunt, penes Nos potissimum dispensatio sit, neglexisse officium taciturnitate videremur.

Profecto aliorum quoque operam et contentionem tanta haec caussa desiderat : principum reipublicae intelligimus, dominorum ac locupletium, denique ipsorum, pro quibus contentio est proletariorum : illud tamen sine dubitatione affirmamus, inania conata hominum futura, Ecclesia posthabita. Videlicet Ecclesia est, quae promit ex Evangelio doctrinas, quarum virtute aut plane componi certamen potest, aut certe fieri, detracta asperitate, mollius; eademque est, quae non instruere mentem tantummodo, sed regere vitam et mores singulorum praeceptis suis contendit: quae statum ipsum proletariorum ad meliora promovet pluribus utilissime institutis : quae vult atque expedit omnium ordinum consilia viresque in id consociari, ut opificum rationibus, quam commodissime potest, consulatur : ad eamque rem adhiberi leges ipsas auctoritatemque reipublicae, utique ratione ac modo, putat oportere.

Illud itaque statuatur primo loco, ferendam esse conditionem humanam: ima summis paria fieri in civili societate non posse. Agitant id quidem Socialistiae : sed omnis est contra rerum naturam vana contentio. Sunt enim in hominibus maximae plurimaeque natura dissimilitudines; non omnium paria ingenia sunt, non sollertia, non valetudo, non vires: quarum rerum necessarium discrimen sua sponte sequitur fortuna dispar. Idque plane ad usus cum privatorum tum communitatis accommodate; indiget enim varia ad res regendas facultate diversisque muneribus vita communis; ad quae fungenda munera potissimum impelluntur homines differentia rei cuiusque familiaris. - Et ad corporis laborem quod attinet, in ipso statu innocentiae non iners omnino erat homo futurus : at vero quod ad animi delectationem tunc libere optavisset voluntas, idem postea in expiatione culpae subire non sine molestiae sensu coegit necessitas. Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae [Gen. III, 17]. - Similique modo finis acerbitatum reliquarum in terris nullus est futuras, quia mala peccati consectaria aspera ad tolerandum sunt, dura, difficilia: eaque homini usque ad ultimum vitae comitari est necesse. Itaque pati et perpeti humanum est, et ut homines experiantur ac tentent omnia, istiusmodi incommoda invellere ab humano convictu penitus nulla vi, nulla arte poterunt. Si qui id se profiteantur posse, si miserae plebi vitam polliceantur omni dolore molestiaque vacantem, et refertam quiete ac perpetuis voluptatibus, nae illi populo imponunt, fraudemque struunt, in mala aliquando erupturam maiora praesentibus. Optimum factu res humanas, ut se habent, ita contueri, simulque opportunum incommodis levamentum, uti diximus, aliunde petere.

Est illud in caussa, de qua dicimus, capitale malum, opinione fingere alterum ordinem sua sponte infensum alteri, quasi locupletes et proletarios ad digladiandum inter se pertinaci duello natura comparaverit. Quod adeo a ratione abhorret et a veritate, ut contra verissimum sit quo modo in corpore diversa inter se membra conveniunt, unde illud existit temperamentum habitudinis, quam symmetriam recte dixeris, eodem modo naturam in civitate praecepisse ut geminae illae classes congruant inter se concorditer, sibique convenienter ad aequilibritatem respondeant. Omnino altera alterius indiget : non res sine opera, nec sine re potest opera consistere. Concordia

gignit pulchritudinem rerum atque ordinem : contra ex perpetuitate certaminis oriatur necesse est cum agresti immanitate confusio. Nunc vero ad dirimendum certamen, ipsasque eius radices amputandas, mira vis est institutorum christianorum, eaque multiplex.

Ac primum tota disciplina religionis, cuius est interpres et custos Ecclesia, magnopere potest locupletes et proletarios componere invicem et coniungere, scilicet utroque ordine ad officia mutua revocato, in primisque ad ea quae a iustitia ducuntur. Quibus ex officiis illa proletarium atque opificem attingunt; quod libere et cum aequitate pactum operae sit, id integre et fideliter reddere: non rei ullo modo nocere, non personam violare dominorum: in ipsis tuendis rationibus suis abstinere a vi, nec seditionem induere unquam : nec commisceri cum hominibus flagitiosis, immodicas spes et promissa ingentia artificiose iactantibus, quod fere habet poenitentiam inutilem et fortunarum ruinas consequentes.

Ista vero ad divites spectant ac dominos : non habendos mancipiorum loco opifices : vereri in eis aequum esse dignitatem personae, utique nobilitatam ab eo, character christianus qui dicitur. Quaestuosas artes. si naturae ratio. si christiana philosophia audiatur, non pudori homini esse, sed decori, quia vitae sustentandae praebent honestam potestatem. Illud vere turpe et inhumanum, abuti hominibus pro rebus ad quaestum, nec facere eos pluris, quam quantum nervis polleant viribusque. Similiter praecipitur, religionis et bonorum animi haberi rationem in proletariis oportere. Quare dominorum partes esse, efficere ut idoneo temporis spatio pietati vacet opifex: non hominem dare obvium lenociniis corruptelarum illecebrisque peccandi: neque ullo pacto a cura domestica parcimoniaeque studio abducere. Item non plus imponere operis, quam vires ferre queant, nec id genus, quod cum aetate sexuque dissideat.

In maximis autem officiis dominorum illud eminet, iusta unicuique praebere. Profecto ut mercedis statuatur ex aequitate modus, caussae sunt considerandae plures: sed generatim locupletes atque heri meminerint, premere emolumenti sui caussa indigentes ac miseros, alienaque ex inopia captare quaestum, non divina, non humana iura sinere. Fraudare vero quemquam mercede debita grande piaculum est, quod iras e caelo ultrices clamore devocat. Ecce merces operariorum... quae fraudata est a vobis, clamat; et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit [Jac. V, 4]. - Postremo religiose cavendum locupletibus ne proletariorum compendiis quicquam noceant nec vi, nec dolo, nec fenebribus artibus : idque eo vel magis quod non satis illi sunt contra iniurias atque impotentiam muniti, eorumque res, quo exilior, hoc sanctior habenda. His obtemperatio legibus nonne posset vim caussasque dissidii vel sola restinguere?

Sed Ecclesia tamen, IESU CHRISTO magistro et duce, persequitur maiora : videlicet perfectius quiddam praecipiendo, illuc spectat; ut alterum ordinem vicinitate proxima amicitiaque alteri coniungat. - Intelligere atque aestimare mortalia ex veritate non possumus, nisi dispexerit animus vitam alteram eamque immortalem : qua quidem dempta, continuo forma ac vera notio honesti interiret; immo tota haec rerum universitas in arcanum abiret nulli hominum investigationi pervium. Igitur, quod natura ipsa admonente didicimus, idem dogma est christianum, quo ratio et constitutio tota religionis tamquam fundamento principe nititur, cum ex hac vita excesserimus, tum vere nos esse victuros. Neque enim Deus hominem ad haec fragilia et caduca, sed ad caelestia atque aeterna generavit, terramque nobis ut exulandi locum, non ut sedem habitandi dedit. Divitiis ceterisque rebus, quae appellantur bona, affluas, careas, ad aeternam beatitudinem nihil interest: quemadmodum utare, id vero maxime interest. Acerbitates varias, quibus vita mortalis fere contexitur, IESUS CHRISTUS copiosa redemptione sua nequaquam sustulit, sed in virtutum incitamenta, materiamque bene merendi traduxit ita plane ut nemo mortalium queat praemia sempiterna capessere nisi cruentis IESU CHRISTI

vestigiis ingrediatur. Si sustinebimus, et conregnabimus [II Tim. II,12]. Laboribus ille et cruciatibus sponte susceptis, cruciatuum et laborum mirifice vim delenivit: nec solum exemplo, sed gratia sua perpetuaeque mercedis spe proposita, perpessionem dolorum effecit faciliorem: id enim, quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis [II Cor. IV, 17].

Itaque fortunati monentur, non vacuitatem doloris afferre, nec ad felicitatem aevi sempiterni quicquam prodesse divitias, sed potius obesse; terrori locupletibus esse debere IESU CHRISTI insuetas minas; rationem de usu fortunarum Deo iudici severissime aliquando reddendam.

De ipsis opibus utendis excellens ac maximi momenti doctrina est, quam si philosophia inchoatam at Ecclesia tradidit perfectam plane, eademque efficit ut non cognitione tantum, sed moribus teneatur. Cuius doctrinae in eo est fundamentum positum, quod iusta possessio pecuniarum a iusto pecuniarum usu distinguitur. Bona privatim possidere, quod paulo ante vidimus, ius est homini naturale : eoque uti iure, maxime in societate vitae, non fas modo est, sed plane necessarium. Licitum est quod homo propria possideat. Et est etiam necessarium ad humanam vitam [S. Thomas, II-II, Quaest. LXVI, a II]. At vero si illud quaeratur, qualem esse usum bonorum necesse sit, Ecclesia quidem sine ulla dubitatione respondet: quantum ad hoc, non debet homo habere res exteriores ut proprias, sed ut communes, ut scilicet de facili aliquis eas communicet in necessitate aliorum. Unde Apostolus dicit : divitibus huius saeculi praecipe... facile tribuere, communicare [S. Thomas, II-II, Quaest. LXV, a II].

Nemo certe opitulari aliis de eo iubetur, quod ad usus pertineat cum suos tum suorum necessarios : immo nec tradere aliis quo ipse egeat ad id servandum quod personae conveniat, quodque deceat: nullus enim incmvenienter vivere debet [S. Thomas, II-II, Quaest. XXXII, VI]. Sed ubi necessitati satis et decoro datum, officium est de eo quod superat gratificari indigentibus. Quod superest, date eleemosinam [Luc. XI, 41]. Non iustitiae excepto in rebus extremis, officia ista sunt. sed caritatis christianae, quam profecto lege agendo petere ius non est. Sed legibus iudiciisque hominum lex antecedit iudiciumque Christi Dei, qui multis modis suadet consuetudinem largiendi: beatius est magis dare, quam accipere [Act. XX, 35]: et collatam negatamve pauperibus beneficentiam perinde est ac sibi collatam negatamve iudicaturus. Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fetistis [Matth. XXV, 40].

Quarum rerum haec summa est; quicumque maiorem copiam bonorum Dei munere accepit, sive corporis et externa sint, sive animi, ob hanc caussam accepisse, ut ad perfectionem sui pariterque, velut minister providentiae divinae, ad utilitates adhibeat ceterorum. Habens ergo talentum, curet omnino ne taceat: habens rerum affluentiam, vigilet ne a misericordiae largitate torpescat : habens artem qua regitur, magnopere studeat ut usum atque utilitatem illius cum proximo partiatur [S. Greg. Magn. in Evang. Hom. X, n. 7].

Bonis autem fortunae qui careant, ii ab Ecclesia perdocentur, non probro haberi, Deo iudice, paupertatem, nec eo pudendum, quod victus labore quaeratur. Idque confirmavit re et facto Christus Dominus, qui pro salute hominum egenus jactus est, cum esset dives [II Cor. VIII, 9]: cumque esset Filius Dei ac Deus ipsemet, videri tamen ac putari fabri filius voluit: quin etiam magnam vitae partem in opere fabrili consumere non recusavit. Nonne hic est faber, filius Mariae? [Marc. VI, 3] Huius divinitatem exempli intuentibus, ea facilius intelliguntur: veram hominis dignitatem atque excellentiam in moribus esse, hoc est in virtute, positam : virtutem vero commune mortalibus patrimonium, imis et summis, divitibus et proletariis aeque parabile: nec aliud quippiam quam virtutes et merita, in quocumque reperiantur, mercedem beatitudinis aeternae sequuturam. Immo vero in calamitosorum genus propensior Dei ipsius videtur voluntas:

beatos enim IESUS CHRISTUS nuncupat pauperes: invitat peramanter ad se, solatii caussa, quicumque in labore sint ac luctu: infirmos et iniuria vexatos complectitur caritate pracipua. Quorum cognitione rerum facile in fortunatis deprimitur tumens animus, in aerumnosis demissus extollitur: alteri ad facilitatem, alteri ad modestiam flectuntur. Sic cupitum superbiae intervallum efficitur brevius, nec difficulter impetrabitur ut ordinis utriusque, iunctis amice dextris, copulentur voluntates.

Quos tamen, si christianis praceptis paruerint, parum est amicitia, amor etiam fraternus inter se coniugabit. Sentient enim et intelligent, omnes plane homines a communi parente Deo procreatos : omnes ad eumdem finem bonorum tendere qui Deus est ipse, qui afficere beatitudine perfecta atque absoluta et homines et Angelos unus potest : singulos item pariter esse Iesu Christi beneficio redemptos et in dignitatem filiorum Dei vindicatos, ut plane necessitudine fraterna cum inter se tum etiam cum Christo Domino primogenito in multis fratribus, contineantur. Item naturae bona, munera gratiae divinae pertinere communiter et promiscue ad genus hominum universum, nec quemquam, nisi indignum, bonorum caelestium fieri exheredem. Si autem filii, et heredes : heredes quidem Dei, coheredes autem Christi [Rom. VIII, 17].

Talis est forma officiorum ac iurium. quam christiana philosophia profitetur. Nonne quieturum perbrevi tempore certamen omne videatur, ubi illa in civili convictu valeret?

Denique nec satis habet Ecclesia viam inveniendae curationis ostendere, sed admovet sua manu medicinam. Nam tota in eo est ut ad disciplinam doctrinamque suam excolat homines atque instituat: cuius doctrinae saluberrimos rivos, Episcoporum et Cleri opera, quam latissime potest, curat deducendos. Deinde pervadere in animos nititur flectereque voluntates, ut divinorum disciplina praceptorum regi se gubernarique patiantur. Atque in hac parte, quae princeps est ac permagni momenti, quia summa utilitatum caussaque tota in ipsa consistit Ecclesia quidem una potest maxime. Quibus enim instrumentis ad permovendos animos utitur, ea sibi hanc ipsam ob caussam tradita a IESU CHRISTO sunt, virtutemque habent divinitus insitam. Istiusmodi instrumenta sola sunt, quae cordis attingere penetrales sinus apte queant, hominemque adducere ut obedientem se praebeat officio, motus animi appetentis regat, Deum et proximos caritate diligat singulari ac summa, omniaque animose perrumpat, quae virtutis impediunt cursum.

Satis est in hoc genere exempla veterum paulisper cogitatione repetere. Res et facta commemoramus, quae dubitationem nullam habent : scilicet civilem hominum communitatem funditus esse institutis christianis renovatam : huiusque virtute renovationis ad meliora promotum genus humanum, immo revocatum ab interitu ad vitam, auctumque perfectione tanta; ut nec extiterit ulla antea, nec sit in omnes cbnsequentes aetates futura maior. Denique IESUM CHRISTUM horum esse beneficiorum principium eumdem et finem : ut ab eo profecta, sic ad eum omnia referenda. Nimirum accepta Evangelii luce, cum incarnationis Verbi hominumque redemptionis grande mysterium orbis terrarum didicisset, vita IESU CHRISTI Dei et hominis pervasit civitates, eiusque fide et praeceptis et legibus totas imbuit. Quare si societati generis humani medendum est, revocatio vitae institutorumque christianorum sola medebitur. De societatibus enim dilabentibus illud rectissime praecipitur, revocari ad origines suas, cum restitui volunt, oportere. Haec enim omnium consociationum perfectio est, de eo laborare idque assequi, cuius gratia institutae sunt : ita ut motus actusque sociales eadem caussa pariat, quae peperit societatem. Quamobrem declinare ab instituto, corruptio est : ad institutum redire sanatio. Verissimeque id quemadmodum de toto reipublicae corpore, eodem modo de illo ordine civium dicimus, qui vitam sustentant opere, quae est longe maxima multitudo.

Nec tamen putandum, in colendis animis totas esse Ecclesiae curas ita defixas, ut ea negligat quae ad vitam pertinent mortalem ac terrenam. De proletariis nominatim vult et contendit ut emergant e miserrimo statu fortunamque meliorem adipiscantur. Atque in id confert hoc ipso operam non mediocrem, quod vocat et instituit homines ad virtutem. Mores enim christiani, ubi serventur integri, partem aliquam prosperitatis sua sponte pariunt rebus externis, quia conciliant principium ac fontem omnium bonorum Deum; coercent geminas vitae pestes, quae nimium saepe hominem efficiunt in ipsa opum abundantia miserum, rerum appetentiam nimiam et voluptatum sitim: contenti denique cultu victuque frugi, vectigal parsimonia supplent, procul a vitiis, quae non modo exiguas pecunias, sed maximas etiam copias exhauriunt, et lauta patrimonia dissipant.

Sed praeterea, ut bene habeant proletarii, recta providet, instituendis fovendisque rebus, quas ad sublevandam eorum inopiam intelligat conducibiles.

Quin in hoc etiam genere beneficiorum ita semper excelluit. ut ab ipsis inimicis praedicatione efferatur. Ea vis erat apud vetustissimos christianos caritatis mutuae, ut persaepe sua se re privarent, opitulandi caussa, divitiores: quamobrem neque... quisquam egens erat inter illos [Act. IV, 34]. Diaconis, in id nominatim ordine instituto, datum ab Apostolis negotium, ut quotidianae beneficentiae exercerent munia: ac Paulus Apostolus, etsi sollicitudine districtus omnium Ecclesiarum, nihilominus dare se in laboriosa itinera non dubitavit, quo ad tenuiores christianos stipem praesens afferret. Cuius generis pecunias, a christianis in unoquoque conventu ultro collatas, deposita pietatis nuncupat Tertullianus, quod scilicet insumerentur egenis alendis humandisque, et pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, inque domesticis senibus, item naufragis [Apol. II, 39].

Hinc sensim illud extitit patrimonium, quod religiosa cura tamquam rem familiarem indigentium Ecclesia custodivit. Immo vero subsidia miserae plebi, remissa rogandi verecundia, comparavit. Nam et locupletium et indigentium communis parens, excitata ubique ad excellentem magnitudinem caritate, collegia condidit sodalium religiosorum; aliaque utiliter permulta instituit, quibus opem ferentibus, genus miseriarum prope nullum esset, quod solatio careret.

Hodie quidem multi, quod eodem modo facere olim ethnici, ad arguendam transgrediuntur Ecclesiam huius etiam tam egregiae caritatis : cuius in locum subrogare visum est constitutam legibus publicis beneficentiam. Sed quae christianam caritatem suppleant, totam se ad alienas porrigentem utilitates, artes humanas nullas reperientur. Ecclesiae solius est illa virtus, quia nisi a sacratissimo IESU CHRISTI corde ducitur, nulla est uspiam: vagatur autem a Christo longius, quicumque ab Ecclesia discesserit.

At vero non potest esse dubium quin, ad id quod est propositum, ea quoque, quae in hominum potestate sunt, adiumenta requirantur. Omnino omnes, ad quos caussa pertinet, eodem intendant idemque laborent pro rata parte necesse est. Quod habet quamdam cum moderatrice mundi providentia similitudinem: fere enim videmus rerum exitus a quibus caussis pendent, ex earum omnium conspiratione procedere.

Iamvero quota pars remedii a republica expectanda sit, praestat exquirere. - Rempublicam hoc loco intelligimus non quali populus utitur unus vel alter, sed qualem et vult recta ratio naturae congruens, et probant divinae documenta sapientiae, quae Nos ipsi nominatim in litteris Encyclicis de civitatum constitutione christiana explicavimus.

Itaque per quos civitas regitur, primum conferre operam generatim atque universe debent tota ratione legum atque institutorum, scilicet efficiendo ut ex ipsa conformatione atque

administratione reipublicae ultro prosperitas tam communitatis quam privatorum efflorescat. Id est enim civilis prudentiae munus, propriumque eorum qui praesunt officium. Nunc vero illa maxime efficiunt prosperas civitates, morum probitas, recte atque ordine constitutae familiae, custodia religionis ac iustitiae, onerum publicorum cum moderata irrogatio, tum aequa partitio, incrementa artium et mercatura, florens agrorum cultura, et si qua sunt alia generis eiusdem, quae pro maiore studio provehuntur, eo melius sunt victuri cives et beatius. - Harum igitur virtute rerum in potestate rectorum civitatis est, ut ceteris prodesse ordinibus, sic et proletariorum conditionem iuvare plurimum: idque iure suo optimo, neque ulla cum importunitatis suspicione: debet enim respublica ex lege muneris sui in commune consulere. Quo autem commodorum copia provenerit ex hac generali providentia maior, eo minus oportebit alias ad opificum salutem experiri vias.

Sed illud praeterea considerandum, quod rem altius attingit, unam civitatis esse rationem, communem summorum atque infimorum. Sunt nimirum proletarii pari iure cum locupletibus natura cives, hoc est partes vera vitamque viventes, unde constat, interiectis familiis, corpus reipublicae: ut ne illud adiungatur, in omni urbe eos esse numero longe maximo. Cum igitur illud sit perabsurdum, parti civium consulere, partem negligere, consequitur, in salute commodisque ordinis proletariorum tuendis curas debitas collocari publice oportere: ni fiat, violatum iri iustitiam suum cuique tribuere praecipientem. Qua de re sapienter, S. Thomas: sicut pars et totum quodammodo sunt idem, ita id, quod est totius quodammodo est partis [II-II, Quaest. LXI, a. I ad 2]. Proinde in officiis non paucis neque levibus populo bene consulentium principum, illud in primis eminet, ut unumquemque civium ordinem aequabiliter tueantur, ea nimirum, quae distributiva appellatur iustitia inviolate servanda.

Quamvis autem cives universos, nemine excepto, conferre aliquid in summam bonorum communium necesse sit, quorum aliqua pars virilis sponte recidit in singulos, tamen idem et ex aequo conferre nequaquam possunt. Qualescumque sint in imperii generibus vicissitudines, perpetua futura sunt ea in civium statu discrimina. sine quibus nec esse, nec cogitari societas ulla posset. Omnino necesse est quosdam reperiri, qui se reipublicae dedant, qui leges condant, qui ius dicant, denique quorum consilio atque auctoritate negotia urbana, res bellicae administrentur. Quorum virorum priores esse partes, eosque habendos in omni populo primarios, nemo non videt, propterea quod communi bono dant operam proxime atque excellenti ratione. Contra vero qui in arte aliqua exercentur, non ea, qua illi, ratione nec iisdem muneribus prosunt civitati: sed tamen plurimum et ipsi, quamquam minus directe, utilitati publicae inserviunt. Sane sociale bonum cum debeat esse eiusmodi, ut homines eius fiant adeptione meliores, est profecto in virtute praecipue collocandum.

Nihilominus ad bene constitutam civitatem suppeditatio quoque pertinet bonorum corporis atque externorum, quorum usus est necessarius ad actum virtutis [S. Thom. De reg. Princ. I, c. XV]. Iamvero his pariendis bonis est proletariorum maxime efficax ac necessarius labor, sive in agris artem atque manum, sive in officinis exerceant. Immo eorum in hoc genere vis est atque efficientia tanta, ut illud verissimum sit, non aliunde quam ex opificum labore gigni divitias civitatum. Iubet igitur aequitas, curam de proletario publice geri, ut ex eo, quod in communem affert utilitatem, percipiat ipse aliquid, ut tectus, ut vestitus, ut salvus vitam tolerare minus aegre possit. Unde consequitur, favendum rebus omnibus esse quae conditioni opificum quoquo modo videantur profuturae. Quae cura tantum abest ut noceat cuiquam, ut potius profutura sit universis, quia non esse omnibus modis eos miseros, a quibus tam necessaria bona proficiscuntur, prorsus interest reipublicae.

Non civem, ut diximus, non familiam absorberi a republica rectum est: suam utrique facultatem agendi cum libertate permittere aequum est, quantum incolumi bono communi et sine cuiusquam iniuria potest. Nihilominus eis, qui imperant, videndum ut communitatem eiusque partes tueantur. Communitatem quidem, quippe quam summae potestati conservandam natura commisit usque eo, ut publicae custodia salutis non modo suprema lex, sed tota caussa sit ratioque principatus: partes vero, quia procurationem reipublicae non ad utilitatem eorum, quibus commissa est, sed ad eorum, qui commissi sunt, natura pertinere, philosophia pariter et fides christiana consentiunt. Cumque imperandi facultas proficiscatur a Deo, eiusque sit cornmunicatio quaedam summi principatus, gerenda ad exemplar est potestatis divinae, non minus rebus singulis quam universis cura paterna consulentis. Si quid igitur detrimenti allatum sit aut impendeat rebus communibus, aut singulorum ordinum rationibus, quod sanari aut prohiberi alia ratione non possit, obviam iri auctoritate publica necesse est.

Atqui interest salutis cum publicae, tum privatae pacatas esse res et compositas: item dirigi ad Dei iussa naturaeque principia omnem convictus domestici disciplinam: observari et coli religionem: florere privatim ac publice mores integros: sanctam retineri iustitiam, nec alteros ab alteris impune violari: validos adolescere cives, iuvandae tutandaeque, si res postulet, civitati idoneos. Quamobrem si quando fiat, ut quippiam turbarum impendeat ob secessionem opificum, aut intermissas ex composito operas: ut naturalia familiae nexa apud proletarios relaxentur: ut religio in opificibus violetur non satis impertiendo commodi ad officia pietatis: si periculum in officinis integritati morum ingruat a sexu promiscuo, aliisve perniciosis invitamentis peccandi: aut opificum ordinem herilis ordo iniquis premat oneribus, vel alienis a persona ac dignitate humana conditionibus affligat: si valetudini noceatur opere immodico, nec ad sexum aetatemve accommodato, his in caussis plane adhibenda, certos intra fines, vis et auctoritas legum. Quos fines eadem, quae legum poscit opem, caussa determinat: videlicet non plura suscipienda legibus, nec ultra progrediendum, quam incommodorum sanatio, vel periculi depulsio requirat.

Iura quidem, in quocumque sint, sancte servanda sunt atque ut suum singuli teneant, debet potestas publica providere, propulsandis atque ulciscendis iniuriis. Nisi quod in ipsis protegendis privatorum iuribus, praecipue est infirmorum atque inopum habenda ratio. Siquidem natio divitum, suis septa praesidiis, minus eget tutela publica: miserum vulgus, nullis opibus suis tutum, in patrocinio reipublicae maxime nititur. Quocirca mercenarios, cum in multitudine egena numerentur, debet cura providentiaque singulari complecti respublica.

Sed quaedam maioris momenti praestat nominatim perstringere. - Caput autem est, imperio ac munimento legum tutari privatas possessiones oportere. Potissimumque, in tanto iam cupiditatum ardore, continenda in officio plebs: nam si ad meliora contendere concessum est non repugnante iustitia, at alteri, quod suum est, detrahere, ac per speciem absurdae cuiusdam aequabilitatis in fortunas alienas involare, iustitia vetat, nec ipsa communis utilitatis ratio sinit. Utique pars opificum longe maxima res meliores honesto labore comparare sine cuiusquam iniuria malunt; verumtamen non pauci numerantur pravis imbuti opinionibus rerumque novarum cupidi, quid id agunt omni ratione ut turbas moveant, ac ceteros ad vim impellant. Intersit igitur reipublicae auctoritas, iniectoque concitatoribus freno, ab opificum moribus corruptrices artes, a legitimis dominis periculum rapinarum coerceat.

Longinquior vel operosior labor, atque opinatio curtae mercedis caussam non raro dant artificibus quamobrem opere se solvant ex composito, otioque dedant voluntario. Cui quidem incommodo usitato et gravi medendum publice, quia genus istud cessationis non heros dumtaxat, atque opifices ipsos afficit damno, sed mercaturis obest reique publicae utilitatibus: cumque haud procul esse a vi turbisque soleat, saepenumero tranquillitatem publicam in discrimen

adducit. Qua in re illud magis efficax ac salubre, antevertere auctoritate legum, malumque ne erumpere possit prohibere, amotis mature caussis, unde dominorum atque operariorum conflictus videatur extiturus.

Similique modo plura sunt in opifice, praesidio munienda reipublicae: ac primum animi bona. Siquidem vita mortalis quamtumvis bona et optabilis, non ipsa tamen illud est ultimum, ad quod nati sumus; sed via tantummodo atque instrumentum ad animi vitam perspicientia veri et amore boni complendam. Animus est, qui expressam gerit imaginem similitudinemque divinam, et in quo principatus ille residet, per quem dominari iussus est homo in inferiores naturas, atque efficere utilitati suae terras omnes et maria parentia. Replete terram et subiicite eam: et dominamini piscibus maris et volatilibus caeli et universis animantibus, quae moventur super terram [Gen. I, 28]. Sunt omnes homines hac in re pares, nec quippiam est quod inter divites atque inopes, inter dominos et famulos, inter principes privatosque differat : nam idem dominus omnium [Rom. X, 12]. Nemini licet hominis dignitatem, de qua Deus ipse disponit cum magna reverentia, impune violare, neque ad eam perfectionem impedire cursum, quae sit vitae in caelis sempiternae consentanea. Quin etiam in hoc genere tractari se non convenienter naturae suae, animique servitutem servire velle, ne sua quidem sponte homo potest: neque enim de iuribus agitur, de quibus sit integrum homini, verum de officiis adversus Deum, quae necesse est sancte servari.

Hinc consequitur requies operum et laborum per festos dies necessaria. Id tamen nemo intelligat de maiore quadam inertis otii usura, multoque minus de cessatione, qualem multi expetunt, fautrice vitiorum et ad effusiones pecuniarum adiutrice, sed omnino de requiete operum per religionem consecrata. Coniuncta cum religione quies sevocat hominem a laboribus negotiisque vitae quotidianas ut ad cogitanda revocet bona caelestia, tribuendumque cultum numini aeterno iustum ac debitum. Haec maxime natura atque haec caussa quietis est in dies festos capiendae: quod Deus et in Testamento veteri praecipua lege sanxit: Memento ut diem sabbati sanctifices [Exod. XX, 8]; et facto ipse suo docuit, arcana requiete, statim posteaquam fabricatus hominem erat, sumpta : Requievit die septimo ab universo opere quod patrarat [Gen. II, 2].

Quoad tutelam bonorum corporis et externorum, primum omnium eripere miseros opifices e saevitia oportet hominum cupidorum, personis pro rebus ad quaestum intemperanter abutentium. Scilicet tantum exigi operis, ut hebescat animus labore nimio, unaque corpus defatigationi succumbat, non iustitia, non humanitas patitur. In homine, sicut omnis natura sua, ita et vis efficiens certis est circumscripta finibus, extra quos egredi non potest. Acuitur illa quidem exercitatione atque usu, sed hac tamen lege ut agere intermittat identidem et acquiescat. De quotidiano igitur opere videndum ne in plures extrahatur horas, quam vires sinant. Intervalla vero quiescendi quanta esse oporteat ex vario genere operis, ex adiunctis temporum et locorum, ex ipsa opificum valetudine iudicandum. Quorum est opus lapidem a terra excindere, aut ferrum, aes, aliaque id genus effodere penitus abdita, eorum labor, quia multo maior est idemque valetudini gravis, cum brevitate temporis est compensandus. Anni quoque dispicienda tempora : quia non raro idem operae genus alio tempore facile est ad tolerandum, alio aut tolerari nulla ratione potest, aut sine summa difficultate non potest. - Denique quod facere enitique vir adulta aetate beneque validus potest, id a femina puerove non est aequum postulare. Immo de pueris valde cavendum, ne prius officina capiat, quam corpus, ingenium, animum satis firmaverit aetas. Erumpentes enim in pueritia vires, velut herbescentem viriditatem, agitatio precox elidit: qua ex re omnis est institutio puerilis interitura. Sic certa quaedam artificia minus apte conveniunt in feminas ad opera domestica natas : quae quidem opera et tuentur magnopere in muliebri genere decus, et liberorum institutione prosperitatique familias natura respondent. Universe autem

statuatur, tantum esse opificibus tribuendum otii, quantum cum viribus compensetur labore consumptis; quia detritas usu vires debet cessatio restituere. In omni obligatione, quae dominis atque artificibus invicem contrahatur, haec semper aut adscripta aut tacita conditio inest, utrique generi quiescendi ut cautum sit; neque enim honestum esse convenire secus, quia nec postulare cuiquam fas est, nec spondere neglectum officiorum, quae vel Deo vel sibimetipsi hominem obstringunt.

Rem hoc loco attingimus sat magni momenti : quae recte intelligatur necesse est, in alterutram partem ne peccetur. Videlicet salarii definitur libero consensu modus: itaque dominus rei, pacta mercede persoluta, liberavisse fidem, nec ultra debere quidquam videatur. Tunc solum fieri iniuste, si vel pretium dominus solidum, vel obligatas artifex operas reddere totas recusaret: his caussis rectum esse potestatem politicam intercedere, ut suum cuique ius incolume sit, sed praeterea nullis. - Cui argumentationi aequus rerum iudex non facile, neque in totum assentiatur, quia non est absoluta omnibus partibus: momentum quoddam rationis abest maximi ponderis. Hoc est enim operari, exercere se rerum comparandarum caussa, quae sint ad varios vitae usus, potissimumque ad tuitionem sui necessariae. In sudore vultus tui vesceris pane [Gen. III, 19]. Itaque duas velut notas habet in homine labor natura insitas, nimirum ut personalis sit, quia vis agens adhaeret personae, atque eius omnino est propria, a quo exercetur, et cuius est utilitati nata: deinde ut sit necessarius, ob hanc caussam, quod fructus laborum est homini opus ad vitam tuendam : vitam autern tueri ipsa rerum, cui maxime parendum, natura iubet. Iamvero si ex ea dumtaxat parte spectetur quod personalis est, non est dubium quin integrum opifici sit pactae mercedis augustius finire modum; quemadmodum enim operas dat ille voluntate, sic et operarum mercede vel tenui vel plane nulla contentus esse voluntate potest.

Sed longe aliter iudicandum si cum ratione personalitatis ratio coniungitur necessitatis, cogitationi quidem non re ab illa separabilis. Reapse manere in vita, commune singulis officium est, cui scelus est deesse. Hinc ius reperiendarum rerum, quibus vita sustentatur, necessario nascitur : quarum rerum facultatem infimo cuique non nisi quaesita labore merces suppeditat. Esto igitur, ut opifex atque herus libere in idem placitum, ac nominatim in salarii modum consentiant; subest tamen semper aliquid ex iustitia naturali, idque libera paciscentium voluntate maius et antiquius, scilicet alendo opifici, frugi quidem et bene morato, haud imparem esse mercedem oportere. Quod si necessitate opifex coactus, aut mali peioris metu permotus duriorem conditionem accipiat, quae, etiamsi nolit, accipienda sit, quod a domino vel a redemptore operum imponitur, istud quidem est subire vim, cui iustitia reclamat.

Verumtamen in his similibusque caussis, quales illas sunt in unoquoque genere artifici quota sit elaborandum hora, quibus praesidiis valetudini maxime in officinis cavendum, ne magistratus inferat sese importunius, praesertim cum adiuncta tam varia sint rerum, temporum, locorum, satius erit eas res iudicio reservare collegiorum, de quibus infra dicturi sumus, aut aliam inire viam, qua rationes mercenariorum, uti par est, salvae sint, accedente, si res postulaverit, tutela praesidioque reipublicae.

Mercedem si ferat opifex satis amplam ut ea se uxoremque et liberos tueri commodum queat, facile studebit parsimoniae, si sapit, efficietque, quod ipsa videtur natura monere, ut detractis sumptibus, aliquid etiam redundet, quo sibi liceat ad modicum censum pervenire. Neque enim efficaci ratione dirimi caussam, de qua agitur, posse vidimus, nisi hoc sumpto et constituto, ius privatorum bonorum sanctum esse oportere. Quamobrem favere huic iuri leges debent, et quoad potest, providere ut quamplurimi ex multitudine rem habere malint. - Quo facto, praeclarae utilitates consecuturae sunt; ac primum certe aequior partitio bonorum. Vis enim commutationum civilium in duas civium classes divisit urbes, immenso inter utrumque discrimine

interiecto. Ex una parte factio praepotens, quia praedives : quae, cum operum et mercaturae universum genus sola potiatur, facultatem omnem copiarum effectricem ad sua commoda ac rationes trahit, atque in ipsa administratione reipublicae non parum potest. Ex altera inops atque infirma multitudo, exulcerato animo et ad turbas semper parato. Iamvero si plebis excitetur industria in spem adipiscendi quippiam, quod solo contineatur, sensim fiet ut alter ordo evadat finitimus alteri, sublato inter summas divitias summamque egestatem discrimine. - Praeterea rerum, quas terra gignit, maior est abundantia futura. Homines enim, cum se elaborare sciunt in suo, alacritatem adhibent studiumque longe maius: immo prorsus adamare terram instituunt sua manu percultam, unde non alimenta tantum, sed etiam quamdam copiam et sibi et suis expectant. Ista voluntatis alacritas, nemo non videt quam valde conferat ubertatem fructuum, augendasque divitias civitatis. - Ex quo illud tertio loco manabit commodi, ut qua in civitate homines editi susceptique in lucem sint, ad eam facile retineantur: neque enim patriam cum externa regione commutarent, si vitae degendae tolerabilem daret patria facultatem. - Non tamen ad haec commoda perveniri nisi ea conditione potest, ut privatus census ne exhauriatur immanitate tributorum et vectigalium. Ius enim possidendi privatim bona cum non sit lege hominum sed natura datum, non ipsum abolere, sed tantummodo ipsius usum temperare et cum communi bono componere auctoritas publica potest. Faciat igitur iniuste atque inhumane, si de bonis privatorum plus aequo, tributorum nomine, detraxerit.

Postremo domini ipsique opifices multum hac in caussa possunt, iis videlicet institutis, quorum ope et opportune subveniatur indigentibus, et ordo alter propius accedat ad alteram. Numeranda in hoc genere sodalitia ad suppetias mutuo ferendas: res varias, privatorum providentia constitutas, ad cavendum opifici itemque orbitati uxoris et liberorum, si quid subitum ingruat, si debilitas afflixerit, si quid humanitus accidat: instituti patronatus, pueris, puellis, adolescentibus natuque maioribus tutandis. Sed principem locum obtinent sodalitia artificum, quorum complexu fere cetera continentur. Fabrum corporatorum apud maiores nostros diu bene facta constitere. Revera non modo utilitates praeclaras artificibus, sed artibus ipsis, quod perplura monumenta testantur, decus atque incrementum peperere. Eruditiore nunc aetate, moribus novis, auctis etiam rebus quas vita quotidiana desiderat, profecto sodalitia opificum flecti ad praesentem usum necesse est. Vulgo coiri eius generis societates, sive totas ex opificibus conflatas, sive ex utroque ordine mixtas, gratum est; optandum vero ut numero et actuosa virtute crescant. Etsi vero de iis non semel verba fecimus, placet tamen hoc loco ostendere, eas esse valde opportunas, et iure suo coalescere : item qua illas disciplina uti, et quid agere oporteat.

Virium suarum explorata exiguitas impellit hominem atque hortatur, ut opem sibi alienam velit adiungere acrarum litterarum est illa sententia: Melius est duos esse simul quam unum : habent enim emolumentum societatis suae. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Vae soli: quia cum ceciderit, non habet sublevantem se [Eccl. IV, 9, 12]. Atque illa quoque: Frater, qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma [Prov. XVIII, 19]. Hac homo propensione naturali sicut ad coniunctionem ducitur congregationemque civilem, sic et alias cum civibus inire societates expedit, exiguas illas quidem nec perfectas, sed societates tamen. Inter has et magnam illam societatem ob differentes caussas proximas interest plurimum. Finis enim societati civili propositus pertinet ad universos, quoniam communi continetur bono: cuius omnes et singulos pro portione compotes esse ius est. Quare appellatur publica quia per eam homines sibi invicem communicant in una republica constituenda [S. Thom. Contra impugn. Dei cult. et rel., cap. II]. Contra vero, quae in eius velut sinu iunguntur societates, privatae habentur et sunt, quia videlicet illud,, quo proxime spectant, privata utilitas est, ad solos pertinens consociatos.

Privata autem societas est, quae ad aliquod negotium privatum exercendum coniungitur, sicut quod duo vel tres societatem ineunt, ut simul negotientur [S. Thom. Contra impugn. Dei cult. et rel., cap. II].

Nunc vero quamquam societates privatae existunt in civitate, eiusque sunt velut partes totidem, tamen universa ac per se non est in potestate reipublicae ne existant prohibere. Privatas enim societates inire concessum est homini iure naturae : est autem ad praesidium iuris naturalis instituta civitas, non ad interitum : eaque si civium coetus sociari vetuerit, plane secum pugnantia agat, propterea quod tam ipsi quam coetus privati uno hoc e principio nascuntur, quod homines sunt natura congregabiles.

Incidunt aliquando tempora cum ei generi communitatum rectum sit leges obsistere: scilicet si quidquam ex instituto persequantur quod cum probitate, cum iustitia, cum reipublicae salute aperte dissideat. Quibus in caussis iure quidem potestas publica, quo minus illae coalescant, impediet: iure etiam dissolvet coalitas: summam tamen adhibeat cautionem necesse est, ne iura civium migrare videatur, neu quidquam per speciem utilitatis publicae statuat, quod ratio non probet. Eatenus enim obtemperandum legibus, quoad cum recta ratione, adeoque cum lege Dei sempiterna consentiant.

Sodalitates varias hic reputamus animo et collegia et ordines religiosos, quos Ecclesiae auctoritas et pia christianorum voluntas genuerant : quanta vero cum salute gentis humanae, usque ad nostram memoriam historia loquitur. Societates eiusmodi, si ratio sola diiudicet, cum initae honesta caussa sint, iure naturali initas apparet fuisse. Qua vero parte religionem attingunt, sola est Ecclesia cui iuste pareant. Non igitur in eas quicquam sibi arrogare iuris, nec earum ad se traducere administrationem recte possunt, qui praesint civitati: eas potius officium est reipublicae vereri, conservare, et, ubi res postulaverint, iniuria prohibere. Quod tamen longe aliter fieri hoc praesertim tempore vidimus. Multis locis communitates huius generis respublica violavit, ac multiplici quidem iniuria: cum et civilium legum nexo devinxerit, et legitimo iure personae moralis exuerit, et fortunis suis despoliarit. Quibus in fortunis suum habebat Ecclesia ius, suum singuli sodales, item qui eas certae quidam caussae addixerant et quorum essent commodo ac solatio addictae. Quamobrem temperare animo non possumus, quin spoliationes eiusmodi tam iniustas ac perniciosas conqueramur, eo vel magis quod societatibus catholicorum virorum, pacatis iis quidem et in omnes partes utilibus, iter praecludi videmus, quo tempore edicitur, utique coire in societatem per leges licere: eaque facultas large revera hominibus permittitur consilia agitantibus religioni simul ac reipublicae perniciosa.

Profecto consociationum diversissimarum, maxime ex opificibus, longe nunc maior, quam alias frequentia. Plures unde ortum ducant, quid velint, qua grassentur via, non est huius loci quaerere. Opinio tamen est, multis confirmata rebus, praeesse ut plurimum occultiores auctores, eosdemque disciplinam adhibere non christiano nomini, non saluti civitatum consentaneam: occupataque efficiendorum operum universitate, id agere ut, qui secum consociari recusarint, luere poenas egestate cogantur. - Hoc rerum statu, alterutrum malint artifices christiani oportet, aut nomen collegiis dare, unde periculum religioni extimescendum; aut sua inter se sodalitia condere, viresque hoc pacto coniungere, quo se animose queant ab illa iniusta ac non ferenda oppressione redimere. Omnino optari hoc alterum necesse esse, quam potest dubitationem apud eos habere, qui nolint summum hominis bonum in praesentissimum discrimen coniicere?

Valde quidem laudandi complures ex nostris, qui probe perspecto quid a se tempora postulent. experiuntur ac tentant qua ratione proletarios ad meliora adducere honestis artibus possint. Quorum patrocinio suscepto, prosperitatem augere cum domesticam tum singulorum student :

item moderari cum aequitate vincula. quibus invicem artifices et domini continentur: alere et confirmare in utrisque memoriam officii atque evangelicorum custodiam praeceptorum; quae quidem praecepta, hominem ab intemperantia revocando, excedere modum vetant, personarumque et rerum dissimillimo statu harmoniam in civitate tuentur. Hac de caussa unum in locum saepe convenire videmus viros egregios, quo communicent concilia invicem, viresque iungant, et quid maxime expedire videatur, consultent. Alii varium genus artificum opportuna copulare societate student, consilio ac re iuvant, opus ne desit honestum ac fructuosum, provident. Alacritatem addunt ac patrocinium impertiunt Episcopi: quorum auctoritate auspiciisque plures ex utroque ordine cleri, quae ad excolendum animum pertinent, in consociatis sedulo curant. Denique catholici non desunt copiosis divitiis, sed mercenariorum velut consortes voluntarii, qui constituere lateque fundere grandi pecunia consociationes adnitantur: quibus adiuvantibus facile opifici liceat non modo commoda praesentia, sed etiam honestae quietis futurae fiduciam sibi labore quaerere. Tam multiplex tamque alacris industria quantum attulerit rebus communibus boni plus est cognitum, quam ut attineat dicere. Hinc iam bene de reliquo tempore sperandi auspicia sumimus, modo societates istiusmodi constanter incrementa capiant, ac prudenti temperatione constituantur. Tutetur hos respublica civium coetus iure sociatos: ne trudat tamen sese in eorum intimam rationem ordinemque vitae; vitalis enim motus cietur ab interiore principio, ac facillime sane pulsu eliditur externo.

Est profecto temperatio ac disciplina prudens ad eam rem necessaria ut consensus in agendo fiat conspiratioque voluntatum. Proinde si libera civibus coeundi facultas est, ut profecto est, ius quoque esse oportet eam libere optare disciplinam, easque leges quae maxime conducere ad id, quod propositum est, iudicentur.

Eam, quae memorata est, temperationem disciplinamque collegiorum qualem esse in partibus suis singulis oporteat, decerni certis definitisque regulis non censemus posse, cum id potius statuendum sit ex ingenio cuiusque gentis, ex periclitatione et usu, ex genere atque efficientia operum, ex amplitudine commerciorum, aliisque rerum ac temporum adiunctis, quae sunt prudenter ponderanda. Ad summam rem quod spectat, haec tanquam lex generalis ac perpetua sanciatur, ita constitui itaque gubernari opificum collegia oportere, ut instrumenta suppeditent aptissima maximeque expedita ad id, quod est propositum, quodque in eo consistit ut singuli e societate incrementum bonorum corporis, animi, rei familiaris, quoad potest, assequantur. Perspicuum vero est, ad perfectionem pietatis et morum tamquam ad caussam praecipuam spectari oportere: eaque potissimum caussa disciplinam socialem penitus dirigendam. Secus enim degenerarent in aliam formam, eique generi collegiorum, in quibus nulla ratio religionis haberi solet, haud sane multum praestarent. Ceterum quid prosit opifici rerum copiam societate quaesiisse, si ob inopiam cibi sui de salute periclitetur anima? Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? [Matth. XVI, 26]. Hanc quidem docet Christus Dominus velut notam habendam, qua ab ethnico distinguatur homo christianus : Haec omnia gentes inquirunt... quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis [Matth. VI, 32/33]. Sumptis igitur a Deo principiis, plurimum eruditioni religiosae tribuatur loci, ut sua singuli adversus Deum officia cognoscant: quid credere oporteat, quid sperare atque agere salutis sempiternae caussa, probe sciant: curaque praecipua adversus opinionum errores variasque corruptelas muniantur. Ad Dei cultum studiumque pietatis excitetur opifex, nominatim ad religionem dierum festorum colendam. Vereri diligereque communem omnium parentem Ecclesiam condiscat; itemque eius et obtemperare praeceptis et sacramenta frequentare, quae sunt ad expiandas animi labes sanctitatemque comparandam instrumenta divina.

Socialium legum posito in religione fundamento, pronum est iter ad stabiliendas sociorum rationes mutuas, ut convictus quietus ac res florentes consequantur. Munia sodalitatum dispartienda sunt ad communes rationes accommodate, atque ita quidem ut consensum ne minuat dissimilitudo. Officia partiri intelligenter, perspicueque definiri, plurimum ob hanc caussam interest, ne cui fiat iniuria. Commune administretur integre, ut ex indigentia singulorum praefiniatur opitulandi modus: iura officiaque dominorum cum iuribus officiisque opificum apte conveniant. Si qui ex alterutro ordine violatum se ulla re putarit, nihil optandum magis, quam adesse eiusdem corporis viros prudentes atque integros, quorum arbitrio litem dirimi leges ipsae sociales iubeant. Illud quoque magnopere providendum, ut copia operis nullo tempore deficiat opificem, utque vectigal suppeditet, unde necessitati singulorum subveniatur, nec solum in subitis ac fortuitis industriae casibus, sed etiam cum valetudo, aut senectus, aut infortunium quemquam oppressit.

His legibus, si modo voluntate accipiantur, satis erit tenuiorum commodis ac saluti consultum; consociationes autem catholicorum non minimum ad prosperitatem momenti in civitate sunt habiturae. Ex eventis praeteritis non temere providemus futura. Truditur enim aetas aetate, sed rerum gestarum mirae sunt similitudines, quia reguntur providentia Dei, qui continuationem seriemque rerum ad eam caussam moderatur ac flectit, quam sibi in procreatione generis humani praestituit. - Christianis in prisca Ecclesiae adolescentis aetate probro datum accepimus, quod maxima pars stipe precaria aut opere faciendo victitarent. Sed destituti ab opibus potentiaque, pervicere tamen ut gratiam sibi locupletium, ac patrocinium potentium adiungerent. Cernere licebat impigros, laboriosos, pacificos, iustitiae maximeque caritatis in exemplum retinentes. Ad eiusmodi vitae morumque spectaculum, evanuit omnis praeiudicata opinio, obtrectatio obmutuit malevolorum, atque inveteratae superstitionis commenta veritati christianae paulatim cessere.

De statu opificum certatur in praesens : quae certatio ratione dirimatur an secus, plurimum interest reipublicae in utramque partem. Ratione autem facile dirimetur ab artificibus christianis, si societate coniuncti ac prudentibus auctoribus usi, viam inierint eamdem, quam patres ac maiores singulari cum salute et sua et publica tenuerunt. Etenim quantumvis magna in homine vis opinionum praeiudicatarum cupiditatumque sit, tamen, nisi sensum honesti prava voluntas obstupefecerit, futura est benevolentia civium in eos sponte propensior, quos industrios ac modestos cognoverint, quos aequitatem lucro, religionem officii rebus omnibus constiterit anteponere. Ex quo illud etiam consequetur commodi, quod spes et facultas sanitatis non minima suppeditabitur opificibus iis, qui vel omnino despecta fide christiana, vel alienis a professione moribus vivant. Isti quidem se plerumque intelligunt falsa spe simulataque rerum specie deceptos. Sentiunt enim sese apud cupidos dominos valde inhumane tractari, nec fieri fere pluris quam quantum pariant operando lucri : quibus autem sodalitatibus implicati sunt in iis pro caritate atque amore intestinas discordias existere, petulantis atque incredulae paupertatis perpetuas comites. Fracto animo, extenuato corpore, quam valde se multi vellent e servitute tam humili vindicare: nec tamen audent, seu quod hominum pudor, seu metus inopiae prohibeat. Iamvero his omnibus mirum quantum prodesse ad salutem collegia catholicorum possunt, si haesitantes ad sinum suum, expediendis difficultatibus, invitarint, si resipiscentes in fidem tutelamque suam acceperint.

Habetis, Venerabiles Fratres, quos et qua ratione elaborare in caussa perdifficili necesse sit. - Accingendum ad suas cuique partes, et maturrime quidem, ne tantae iam molis incommodum fiat insanabilius cunctatione medicinae. Adhibeant legum institutorumque providentiam, qui gerunt respublicas: sua meminerint officia locupletes et domini: enitantur ratione, quorum res

agitur, proletarii: cumque religio, ut initio diximus, malum pellere funditus sola possit, illud reputent universi, in primis instaurari mores christianos oportere, sine quibus ea ipsa arma prudentiae, quae maxime putantur idonea, parum sunt ad salutem valitura. - Ad Ecclesiam quod spectat, desiderari operam suam nullo tempore nulloque modo sinet, tanto plus allatura adiumenti, quanto sibi maior in agendo libertas contigerit: idque nominatim intelligant, quorum munus est saluti publicae consulere. Intendant omnes animi industriaeque vires ministri sacrorum: vobisque, Venerabiles Fratres, auctoritate praeeuntibus et exemplo, sumpta ex Evangelio documenta vitae hominibus ex omni ordine inculcare ne desinant: omni qua possunt ope pro salute populorum contendant, potissimumque studeant et tueri in se, et excitare in aliis, summis iuxta atque infimis, omnium dominam ac reginam virtutum, caritatem. Optata quippe salus expectanda praecipue est ex magna effusione caritatis: christianae caritatis intelligimus, quae totius Evangelii compendiaria lex est, quaeque semetipsam pro aliorum commodis semper devovere parata, contra saeculi insolentiam atque immoderatum amorem sui certissima est homini antidotus: cuius virtutis partes ac lineamenta divina Paulus Apostolus iis verbis expressit: Caritas patiens est, benigna est: non quaerit quae sua sunt: omnia suffert: omnia sustinet [I Cor. XIII, 4-7]. Divinorum munerum auspicem ac benevolentiae Nostrae testem vobis singulis, Venerabiles Fratres, et Clero populoque vestro apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus. Datum Romae apud S. Petrum die XV Maii An. MDCCCXCI

09

Prior = Rerum novarum , post = Mater et magistra

09. VIGILANTI CURA EPISTULA ENCYCLICA PIUS PP. XI

Vigilanti cura, ut Nostrum deposcit apostolicum officium, laudabilem omnem sacrorum Antistitum totiusque christiani populi operam prosequimur; atque adeo summo cum animi gaudio certiores facti sumus providum illud inceptum salutiferos iam edidisse fructus, atque ad uberiores usque contendere utilitates, quod vos plus duobus abhinc annis eo consilio instituistis peculiarique modo « Legioni a decentia » efficiendum credidistis, ut, sanctissimum veluti certamen, cinematographicae artis pravitatem compesceret.

Id optatam diu Nobis affert opportunitatem, ut satius mentem Nostram hac de re aperiamus, quae ad totius christianae plebis mores religionemque tam arctissime pertineat. At primum, quod Vobis ducibus ac magistris, et christifidelibus adiutricem vobis navitatem suam praestantibus, Legio ista, hoc in apostolatus campo, tam sollerter allaboraverit, eo vehementius gratulari vobiscum cupimus, quo sollicitiore animo videbamus hanc eamdem artem eiusdemque generis industriam illuc, quasi « per magnos passus extra viam » evasisse, ut prostarent omnibus, luce expressa, vitia, scelera, delicta.

Altissimi officii Nostri partes duximus, quotiescumque Nobis obversabatur occasio, non modo Episcopos compellare ceterosque e clero, sed omnes etiam, quotquot sunt probi volentesque homines, ut gravissimam huiuscemodi causam intento animo considerarent.

Iam scilicet in Encyclicis Litteris « Divini illius Magistri », idcirco conquesti sumus quod « validissima eiusmodi ad quidvis evulgandum subsidia, quae, si ad sana principia apte regantur, eruditioni magnopere atque educationi prodesse queant, saepe — proh dolor — provehendis vitiorum illecebris sordidisque quaestibus serviunt » (1). Atque anno MDCCCCXXXIV, mense

augusto, cum aliquot, coram admissos, e foederatione illa alloqueremur, cuius est in quibusvis Nationibus ephemerides scriptionesque edere, quae ad cinematographea attineant, horum spectaculorum momentum nostra hac aetate ingravescens indicavimus, eorumque gliscentem vim, cum ad virtutem, tum ad vitia suadenda; ac praeterea animadvertebamus omnino necesse esse cinematographicis scaenis ea praescripta tribuere, quae grande ingenuae artis munus regant ac moderentur, ut christiana, quin immo humana ipsa ad naturalem legem composita, morum ratio iniuria probroque non afficiatur. Iamvero ars quaelibet nobilis in id potissimum nitatur oportet, eoque suapte natura spectet, ut debita hominem probitate virtuteque perficiat; atque adeo sit ad moralis disciplinae principia ac praecepta redacta. Exinde vero necessitate consegui monebamus, probantibus equidem lectissimis illis viris, — grata adhuc subit recordatio animum — opus esse prorsus cinematographicos ludos ad rectas normas conformari, ut ad vitae integritatem verique nominis educationem spectatores omnes excitent.

Ac recens quoque, superiore nempe mense aprili, cum grato animo nonnullos coram admisissemus, qui Romam in congressum e variis Nationibus convenerant, ut de cinematographicis scriptionibus vulgo edendis causam agerent, huius negotii momentum gravitatemque iterum proponebamus; itemque, religionis nomine non modo, sed civilis etiam in ordine morum prosperitatis, omnes cordatos homines adhortabamur, ut scriptis prelo excusis omnique ope contenderent, quo cotidie m.agis id genus spectacula ad sanam institutionem educationemque valerent, non vero ad animarum ruinam earumque interitum.

At tanti ponderis res est, perspectis praesertim civilis nostrorum temporum societatis condicionibus, ut opportunum Nobis videatur eam iterum per has Litteras magisque enucleate edisserere, vobis non solum, Venerabiles Fratres, sed universis etiam catholici orbis Episcopis impertientes praecepta, praesentibus necessitatibus consentanea. Siquidem pernecessarium est ac penitus urget id providere atque efficere, ut quidquid ex Dei munere progrediens aetas in humanas disciplinas ac vel in ipsas technicae industriae artes invexerit, ita divinae gloriae, animarum saluti et Iesu Christi propagando regno reapse inserviat, ut omnes, quemadmodum Ecclesia nos precari iubet, « sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus aeterna ».

Iamvero facile omnibus in comperto est cinematographicam rem quo mirabiliora susceperit incrementa, eo evenisse morum integritati, Religioni ac vel ipsi civilis consortionis probitati perniciosiorem.

Quamobrem ii etiam, qui in Foederatis Americae Civitatibus id genus industriae praesunt, huius rei rationem atque periculum in se recepisse professi sunt, non modo ad singulos quod attineret cives, sed ad universam etiam hominum communitatem. Etenim anno MDCCCCXXX, mense martio, sponte sollemniterque sanxerunt ac polliciti sunt — datis in id scriptis communi consensione subsignatis ac typis editis — se esse in posterum eorum, qui cinematographicos ludos celebraturi essent, honestatem tutaturos. Ac nominatim per eiusmodi acta spoponderunt nullam se unquam esse imaginum seriem exhibituros, quae rectos spectatorum mores demitteret, quaeque vel naturalem humanamque legem detrectaret, vel eiusdem violationem suaderet.

Nihilo secius, quam.vis haec laudabili sane consilio statuissent, ii tamen, quorum causa esset, itemque imaginum effectores, vel non posse vel prorsus nolle, ex suscepta ultro obligatione, id exsequi visi sunt. Quamobrem, cum ex paene irrita illorum voluntate vitia ac scelera in cinematographeis exhiberi pergant, probus quisque plerumque prohibetur quominus, honestae oblectationis gratia, hisce spectaculis intersit.

Quibus in gravissimis rerum adiunctis, vos prae primis, Venerabiles Fratres, modis rationibusque studuistis, quibus creditum vobis gregem ah ingruente istiusmodi discrimine tueremini; idque

fecistis, cum « Legionem a decentia » sacram veluti aciem instituistis, cuius opera optima quaeque proposita ac principia, ad naturalis christianaeque probitatis normas conformata, excitata tandem revirescerent. Qua in re tantum abfuit ut vobis mens esset huic industriae detrimenta inferre, ut eam potius ab interitu vindicare pro vestra parte eniteremini, in quem dilabi quaevis ludicra pronum esset, quae in artis dehonestamenta depravationesque corruissent.

Suscepta a vobis consilia christifideles, vestris demandati curis, prompto paratoque animo complexi sunt. Ad decies nempe centena milia Foederatarum Americae Civitatum catholici fidem obligationemque, quam « Legio a decentia » proposuerat, in se libenter recipientes, nullam se polliciti sunt cinematographicam spectationem participaturos, quae christianos mores offenderet, rectaque vitae praecepta. Itaque populum apud vos sacrorumque Antistites — quod vehementi cum animi gaudio profiteri libet — tam concordes vidimus hoc in incepto data opera provehendo, ut nunquam alias, hac recentiore aetate, arctius inter se coniunctos eos cernere potuerimus.

Neque solummodo catholicae Ecclesiae filii, sed e Novatoribus etiam et ex Hebraeis lectissimi viri, aliique non pauci vestra consilia ac proposita exceperunt; vestrisque nisibus idcirco obsecundarunt ut cinematographicae scaenae ad digna ingenuae artis morumque praescripta redigerentur. In praesens autem fateri summo Nobis solacio est, laudabiliter initam contentionem non mediocres iam assecutam esse exitus atque utilitates. Siquidem perlatum Nobis est cinematographicam artem, ob sedulam vigilantiam vestram communisque opinionis vim, non parum iam ad emendatiorem modum processisse. Vitiorum nempe scelerumque imagines non ita crebrius, ut antea, subiectae oculis; prava quaelibet admissa non ita licentius probata, conclamata; neque procaci eadem ratione, falsa ducendae vitae principia mollibus concitatisque iuvenum mentibus exhibita.

Quodsi in nonnullis civium ordinibus in antecessum asseveratum est fore ut, ex sedula eiusdem « Legionis » navitate huius artificii ornamenta ac decora non parum remitterent, res tamen visa est in contrariam evasisse partem.

Siquidem non parum etiam, pro viribus, allaboratum est, ut scaenicae eiusmodi actiones ad nobilissima liberalium artium praecepta conformarentur; atque adeo, ut vel vetera optimorum scriptorum, vel nova humanae mentis opera spectatorum oculis proponerentur, quae haud communi laude eniterent.

At neque ii, qui pecuniam suam in huius industriae inceptis collocaverant, detrimenta hac de causa perpessi sunt, quemadmodum nonnulli, quin consentaneam adderent rationem, praemonuerant; haud paucis enim, qui a cinematographicis ludis, ob inustam per eos rectis moribus iniuriam, abhorruerant, cum facinora luce expressa cernere licuit, quae humanae probitatì christianaeque virtuti non detrimentosa viderentur, iterum haec spectacula celebrare sollemne fuit.

Ubi vero vos, Venerabiles Fratres, hoc veluti sacrum certamen instituistis, non defuerunt qui dicerent, susceptos hoc in genere nisus eorumque, qui exspectabantur, exitus, fluxos fore brevique tempore dilapsuros ; quatenus, remissa pedetemptim vestra vestrorumque vigilantia, harum imaginum auctoribus integrum esset, pro suo cuiusque arbitrio, ad pristinas iterum redire agendi rationes. Facile equidem dispicitur cur iidem non honestas, ideoque prohibitas a vobis, scaenicas actiones repetere excupiant, quae ad ignobiles cupidines instimulare queant. Si enim harum pellicularum series, quae hominum gesta praeferant virtuti consentanea, summo artificio effingere multum profecto ingenii, laboris, peritiae ac vel sumptuum interdum expostulat; at facile plerumque est quosdam homines et quorumdam civium classes ad cinematographica

arcessere theatra, in quibus id genus spectationes habeantur, quae libidines incendant, pravosque exsuscitent in animis latentes motus.

Quamobrem necesse est ut vigilans eademque sedula omnium opera penitus industriae huius artificibus suadeat, hanc « Legionis a decentia » contentionem non idcirco initium sumpsisse, ut brevi temporis spatio excidat ac neglegatur, sed ut potius — foederatarum Americae Civitatum Episcopis moderatoribus — honesta populi oblectatio, quovis tempore ac quibusvis rationibus habita, pro viribus in tuto ponatur.

Corporis animique oblectamenta, in quae nostra haec aetas varias induxit formas rationesque, iis omnibus, quotquot negotiis vitaeque sollicitudinibus distineantur, necessaria prorsus esse nemo est qui non videat; attamen ad hominis dignitatem eadem sunto et ad morum redacta integritatem; atque adeo eo spectent ut reapse nobiles sensus commoveant atque excitent. Graviter procul dubio populorum magnitudo atque potentia periclitantur, qui per requietis tempora ludicris se dedant, quae decoris, dignitatis honestatisque principia laedant, quaeque ad admissa perpetranda, iuventuti praesertim, occasionem praebeant.

Quibus in ludicris, ut omnibus perspectum est, cinematographea maximi momenti sunt, cum nostra hac aetate ad universas gentes pertineant. Dicere vix attinet cives ad decies centena millia bene multa huiuscemodi spectationes cotidie participare; penes quoslibet populos, sive funditus, sive leviter excultos, horum theatrorum numerum magis magisque increbrescere; eademque communem iam se relaxandi oblectandique rationem impertire, locupletium non modo, sed cuivis etiam societatis ordini.

Ceterum, aliud nihil in praesens invenire queas, quod tanta efficacitate in multitudines polleat, cum ob ipsam imaginum naturam, quae versatilis lucis motu eflinguntur, tum ob ludorum facilitatem, qui vel popularibus conceduntur, tum denique ob rerum adiuncta, quae iisdem ludis comitantur.

Quae quidem efficacitas ex eo profluit, quod per vividas illas species ac formas cinematographica ars loquitur, quae magna cum animi delectatione nulloque negotio eorum quoque sensibus obiiciuntur, qui, ut rudes sunt atque inculti, sive e rerum concretione enitendo ratiocinandoque discedere, sive ex causis earum effectus eruere, vel nolunt, vel saltem nequeunt. Legere etiam ac vel aurem dare alicui dicenti, quamdam postulat intentionem mentisque nisum; quod quidem cinematographica visio, per subsequentes continuato ordine oculisque subiectas imagines, summo cum gaudio removet. Atque efficientia eadem per cinematographea illa adaugetur, in quibus spectationes cum congruentibus vocibus copulantur; ita enim facinora luce expressa expeditius intelleguntur, et scaenica actio, magna utique cum fascinatione, musicis concentibus coniungitur.

Per choreas vero ac per interiectas illas ex arbitrio scaenas, quas « varietates » vocant, perturbati animi motus cupidinesque gliscunt citatioreque gradu increscunt.

Quapropter haec theatra veluti rerum scholae sunt, quae, magis quam meraca ratiocinatio, plerosque homines ad virtutem aeque ac ad pravitatem instimulare possunt. Oportet igitur salutaribus provehendis christianae conscientiae propositis eadem inserviant, atque adeo res omnes ab se detrahant, quae integros corrumpant depraventque mores.

In comperto cuique est quantopere improbae id genus scaenae in spectatorum animos influant; ut cupidinum enim libidinumque laudes efferunt, ita vitiorum occasionem praebent; iuvenes e recto itinere transversos agunt; ducendae vitae rationem fucata lucis specie proponunt;

capessendae perfectionis consilia infuscant atque debilitant; castum denique amorem, matrimonii sanctitatem atque intimas domestici convictus necessitudines restinguunt. Praeiudicatas praeterea falsasque opiniones cum singulis hominibus, tum civium classibus, nationibus variisque gentibus ingenerare queunt.

At contra, eiusmodi ludi si ad optimas normas conformentur, vim possunt in spectatores elicere sane saluberrimam. Non tantummodo siquidem delectant, sed etiam ad nobilissima quaeque erigunt atque excitant: valde utilia praecepta impertiunt : itemque suae cuiusque ceterorumque patriae egregie gesta pulchritudinesque demonstrare possunt; virtutem veritatemque grato speciosoque more ostendere; in Civitatis ordinibus, in Nationibus, variisque stirpibus mutuae cognitionis voluntatisque studia gignere vel saltem promovere; iustitiae quoque causam amplecti; ad virtutem advocare omnes; ac denique ad novam magisque aequam humanae societatis ordinationem temperationemque adiutricem operam conferre.

Quae animadversiones Nostrae magis profecto ex eo sumunt gravitatis, quod cinematoghaphica ars non singulis civibus sed hominum stipationibus quodammodo loquitur; idque per temporum, rerum locorumque condiciones, quae, ut ad pravum, ita ad optimum conflandum animorum ardorem perquam apta videntur: quod quidem ardoris studium in communem illam ac prorsus insanam concitationem evadere potest, quam experiendo novimus.

Imaginum nempe series volubili luce spectatoribus proponuntur, qui in subobscuris theatris assidunt, et quorum mentis facultas spiritualesque vires plerumque languent. Atque id genus theatra longe quaerere non est opus; eadem enim domibus, sacris aedibus ac popularibus litterarum ludis ita contigua sunt, ut vim iam habeant in communem omnium vitam maximam maximunque momentum.

Casus praeterea rerumque vicissitudines, quae per cinematographea effinguntur, ab hominibus sustinentur mulieribusque, dotibus natur, datis et artificio auctis, omnique ope tam instructis atque exornatis, ut interdum ad corruptelarum blandimenta adulescentes peculiari modo pellicere possint. Huc accessere musici concentus, sumptuosa loca, res procaciter obiectae oculis, omnisque novitatis varietatisque deliramenta. Qua praesertim ex causa horum ludorum fascinatio puerorum iuvenumque animos afficit ac tenet; ita quidem ut hac ipsa aetate, qua honestatis sensus innascitur atque informatur, qua iustitiae probitatisque principia e mentibus evolvuntur, qua denique officiorum notiones emergunt, et optima perfectionis proposita vitam attingunt atque pervadunt, cinematographica ars vim suam exerceat summamque efficacitatem.

At, proh dolor, huiuscemodi efficientia, praesentibus in rerum adiunctis, nimio saepius in detrimentum vertitur. Quamobrem dum tantam recogitamus iuvenum nominatim ac puerorum ruinam, quorum integritas ac castitas hisce in theatris periclitatur, acerrima illa in tenuiorum corruptores Nobis succurrit Iesu Christi sententia: « Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius et demergatur in profundum maris » (1).

Pernecesse igitur est, nostris hisce temporibus, advigilare omnique ope allaborare ut id genus spectacula non illecebrarum scholae evadant, sed ut potius ad rectam hominum educationem et ad elatiorem morum dignitatem summopere conferant.

Heic vero animadvertere operae pretium est — quod Nos libentissime facimus — nonnullos ex iis, qui Civitatis gubernacula moderantur, idcirco sollicitudine permoti, quod magnam in hominum mores huius artis iznpulsionem cernerent, per probos viros ex patribus praesertim matribusque familias selectos, peculiares instituisse coetus, quibus sit res quae hac in causa

edantur, inspicere, recognoscere ac dirigere. Ac novimus etiam eos saepenumero eamdem artem ad suorum cuiusque Nationis optimorum auctorum poétarumque scripta hisce imaginibus referenda convertere contendisse.

Iamvero, si maxime opportunum est vos, Venerabiles Fratres, vigiles curas cogitationesque in cinematographicam Nationis vestrae industriam conferre, quae tam magna susceperit incrementa, quaeque non mediocri pulsu in ceteras quoque gentes influxerit, at omnibus catholici orbis Episcopis officio est, in communi hac, eademque potentissima, oblectationis institutionisque forma collatis inter se viribus evigilare. Atque ex iniuria ipsa quae probitatis religionisque conscientiae, itemque christianae doctrinae praeceptis inferatur, causam sumere, cur pravos istiusmodi ludos prohibeatis, nihil reliqui facientes, ut omnia pro facultate arceatis, quae decori honestatisque sensus in populo laedere atque restinguere enitantur.

Quod quidem officium non modo Episcopos, sed quoslibet catholicos etiam omnesque cordatos homines tenet, quibus et domestici convictus, et patriae cuiusque suae, et totius humanae consortionis honos atque integritas cordi sit.

In praesens vero, quaenam vigilantiae cura habenda sit, inquiramus atque explanemus.

Causa de cinematographicis pelliculis, quas vocant, efficiendis, ad probos mores quod attinet, funditus oinnino feliciterque componeretur, si facultas esset imagines proferre, quae ad christiana fuissent principia conforinatae.

Quamobrem numquam eos dilaudare desistemus, qui se huic arti devoverunt, vel in posterum devovebunt, hoc tamen enitentes ut haec scaenica spectacula ad sanam hominum educationem et ad christiana proposita reapse spectent. Id vero non leviter, sed technicorum more accuratisque rationibus faciant, ne incassum vires sumptusque effundant.

At quoniam Nobis perspectum est quot quantaeque occurrant, in re praesertim oeconomica, difficultates, quominus haec incepta ordinatim componantur; ac quandoquidem penitus necessarium est res omnes hoc in genere edendas ita moderari, ut — ad religionis, morum civilisque societatis rationes quod pertinet — detrimenta eaedem non pariant, idcirco sacri Pastores oportet ad imagines omnes curam convertant, quae undecumque christianae plebi proferantur.

Universos igitur catholici orbis Episcopos, quorum in Nationibus cinematographicae pelliculae effi.nguntur, ac vos potissimum, Venerabiles Fratres, vehementer adhortamur, ut christifideles illos paterno animo compellatis, qui huius artis industriam quoquo modo participent. Graviter iidem animadvertant et sua ipsorum officia, et eam, qua ut Ecclesiae filii tenentur, obligationem, pro viribus nempe enitendi ut imagines, quas vel ipsimet edant vel edendas adiuvent, saluberrimis principiis sint rectisque normis consentaneae. Haud pauci sane ex catholicis viris numerantur qui exsecutorum, moderatorum, auctorum, actorumve hac in re partes agant; attamen dolendum est non semper eorum operam cum eorum fide eorumque propositis consentire. Quapropter Episcoporum erit eosdem commonere ut sua cuiusque actio proborum hominum conscientiae ac Iesu Christi sectatorum officio omnino respondeat.

Hoc etiam in apostolatus campo, quemadmodum in ceteris omnibus, sacrorum Antistites eos procul dubio optimos experientur laboris socios, qui in Actionis Catholicae agminibus militant; quos Nos contineri non possumus quin per has Litteras iterum atque iterum excitemus ut, hanc etiam in causam, sedulam conferant atque indefatigabilem navitatem suam.

Opportunum equidem est ut identidem sacri Pastores huius artis effectorum in memoriam redigant, sibimetipsis — quemadmodum de ceteris rebus, quae ad ministerium suum pertineant — ita de qualibet etiam honestae oblectationis forma curam esse; cum divino mandato teneantur concrediti sibi populi mores, vel relaxationis tempore, regere atque moderari. Postulat enim sacrum, quo funguntur, munus, ut palam aperteque moneant dehonestamenta ludorum virtutis nervos in ipsis Nationibus elidere. Quamobrem, quod hoc in genere expetunt, non ad catholicos dumtaxat respicit, sed ad quosvis etiam horum theatrorum spectatores.

At vobis peculiari modo fas est, Venerabiles Fratres, id ab cinematographicae artis auctoribus contendere, quod iidem, ut diximus, in Foederatis Americae Civitatibus, ex suscepta ultro obligatione, polliciti sunt, huius rei rationem atque periculum, ad humanam societatem quod attinet, in se recipientes.

Omnes vero, quotquot ubique terrarum episcopali dignitate aucti sunt, summopere curent, ut iis veluti ante oculos ponant, qui huic industriae dant operam, rem tam pollentem iamque in communem usum invectam perutiliter posse ad elatiorem morum perfectionem cum singulos, tum universam hominum consortionem convertere atque dirigere.

Ecquid enim de malis vitandis solummodo causa agatur? Et cur cinematographea inanes tantum otii horas conterant? At eadem possunt ac debent mirifica efficacitate sua spectatorum animos collustrare, ac reapse ad virtutes omnes compellere.

In praesens vero, argumenti huius gravitate perspecta, opportunum ducimus peculiares aliquas animadversiones edere, huic rei consentaneas. Imprimisque singuli curent animarum Pastores, ut — quemadmodum Foederatarum Americae Civitatum catholici — christifideles sibi crediti quotannis spondeant se numquam cinematographica spectacula participaturos, quae veritatem offendant christianaeque doctrinae instituta. Quae quidem pollicitatio dandaque fides in sacris praesertim aedibus et in litterariis ludis haberi poterit; atque in hanc rem Episcopi adiutricem advocent actuosamque operam, cum patrum matrumque familias, qui peculiari hac in causa obstringuntur officio, tum catholicorum etiam scriptorum, quibus erit huius veluti sacrae contentionis momentum diligenter utiliterque explanare.

Ut autem sollemnis eiusmodi sponsio feliciter effecta detur, omnino necesse est, ut populo penitus in comperto sit quaenam imagines libere omnibus ad spectandum pateant, quasnam vero certis dumtaxat positis cautionibus videre liceat, ac denique quaenam perniciosae sint, vel reapse pravae. Quod profecto id exposcit, ut peculiaria ordine conficiantur typisque edantur rationaria seu elenchi, in quibus quam saepissime cinematographicae pelliculae distribute, ut diximus, ita proponantur, ut omnium in notitiam venire possint.

In votis equidem est, unum tantummodo pro universis terrarum orbis partibus harum rerum rationarium statuere, quandoquidem omnes eadem in genere morum lege tenentur.

Attamen, cum de scaenicis actionibus agatur, quae ad quaslibet pertinent societatis classes, ad ineruditos nempe doctrinaque excultos, ad populares aeque ac ad primores civitatis, eadem procul dubio ubique gentium haberi sententia non potest. Dissimilia etenim sunt, pro variis regionibus, rerum adiuncta vitaeque rationes; quapropter unum ubique omnibus elenchum impertiri non consentaneum est. At vero, si in quavis Natione distincto, ut diximus, ordine, rationarium exhibeatur, generalis iam, quae requiritur, habeatur norma.

Quam ad rem prorsus necessarium est Episcopos stabile pro tota Natione inspectionis Officium constituere, cuius sit honestas imaginum series promovere, ceteras autem indicato more

generatim distribuere, ac denique editum abs se iudicium sacerdotibus et christifidelibus significare. Quod quidem Officium Centralibus, ut aiunt, Catholicae Actionis Consiliis peropportune demandari poterit, quae, ut omnes norunt, a sacrorum Antistitibus pendent. Utcumque hoc pro certo habeatur, hanc scilicet inspectionis operam, ut valida in rectamque formam redacta eveniat, unam pro unaquaque Natione efficiendam esse, ab unoque regimine moderandam.

Attamen, si satis graves causae id reapse postulare videbuntur, sacris Pastoribus, in sua cuiusque Dioecesi, integrum erit per suos ad hoc delectos dioecesanos coetus severiore ea sententia uti, quam peculiaris deposcat illius regionis indoles; cinematographicas videlicet pelliculas vetando, quas generale rationarium idcirco permiserit, quod normas tradere teneatur, quae ad universam Nationem respiciant.

Hoc praeterea Officium theatra id genus, quae vel penes paroeciales aedes, vel in catholicarum sodalitatum domibus habeantur, ita ordinanda curet, ut eadem probatis solummodo imaginibus fruantur. Per idoneam enim horum theatrorum disciplinam ordinationemque, quae in facilem saepenumero huius industriae effectorum clientelam transeant, id etiam vindicari poterit, ut nimirum effectores iidem res proferant, quae propositis nostris omnino respondeant, quaeque non modo scaenicis hisce catholicorum spectationibus, sed ceteris etiam inservire queant.

Haud ignoramus equidem Officii huius constitutionem non mediocres a christifidelibus postulare labores, postulare sumptus. Nihilo secius magnum huius causae momentum, itemque necessitas cum christianae plebis integritatem, tum totius Nationis honestatem tutandi, id impensae atque operae satis superque requirunt. Siquidem ob detrimentosum illud pravae cinematographicae artis ulcus, et scholarum nostrarum, et Catholicae Actionis sodalitatum, et sacri ipsius ministerii vis atque efficacia imminuitur atque periclitatur.

Animadvertendum vero est in Officium idem oportere prorsus ut viri coéant, qui tam sint huius rei industriaeque periti, quam christianae doctrinae praeceptis penitus conformati. Ac praeterea sacerdos ab Episcopis delectus eosdem dirigat ac moderetur.

Mutua etiam necessitudinum notitiarumque commercia, quae inter eiusmodi Nationum Officia peropportune habeantur, hanc inspectionis operam efficientiorem procul dubio magisque concordem reddent; qu amquam dissimiles rerum, locorumque condiciones hac in causa diligenter reputandae sunt. Ita enim, omnium catholicorum scriptorum ope, miram sentiendi, iudicandi, agendique unitatem assequi fas erit.

Officia eadem non modo ex experimentis inceptorumque eventibus, in Foederatis Americae Civitatibus habitis, utilitatem opportune percipient, sed ex laboribus etiam, quos in cinematographicae artis campo catholici ceterarum regionum homines susceperint.

Quodsi huius Officii sodales — quamvis optimis consiliis propositisque praestent — pro sua tamen hominum infirmitate, e recto interdum itinere deflexerint, videant sacrorum Antistites, pro sua ipsorum pastorali prudentia, ut, efficaciore quo poterit modo, illapsis erroribus medeantur; utque debitam Officii auctoritatem ac nomen pro viribus tutentur, vel aliquem eidem attribuendo socium ampliore virtute enitentem, vel in locum eorum, qui ad gravissima haec obeunda munera non omnino apti visi fuerint, alios sufficiendo lectissimos viros.

Si igitur catholici orbis Episcopi id in se receperint, ut ad impertitas normas de cinematographicis spectaculis vigilem curam agant — quod Nos, quibus pastorale eorum studium omnino perspectum est, fore non dubitamus — perutilem profecto iidem operam conferre poterunt ad

optimos tuendos, relaxationis oblectationisque tempore, sui populi mores. Omnium pro certo cordatorum hominum, catholicorum non modo, sed eorum etiam qui nostram non profitentur fidem, laudes adipiscentur et adiutricem navitatem; idque pro sua cuiusque parte efficient, ut maxima huiuscemodi vis, quae ad universas Nationes pertinet — cinematographica nempe ars — ad nobilissima quaeque provehenda proposita et ad rectioris vitae rationes commendandas convertatur.

Interea vero, ut haec omina ac vota, quae paterno ex animo fundimus, virtutem sumant, divinae gratiae auxilium imploramus ; cuius sit auspex Apostolica Benedictio, quam vobis, Venerabiles Fratres, cunctoque clero ac populo, unicuique vestrum demandato, perarnanter impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXIX mensis Iunii, in festo Ss. Apostolorum Petri et Pauli, anno MDCCCCXXXVI, Pontificatus Nostri quinto decimo. PIUS PP. XI. VIGILANTI CURA

*,,,

responsionibus, Opportunum iudicavimus, sub exitum anni MCMLXXXVII, Litteras conscribere Encyclicas, quibus argumentis documenti, cui index Populorum Progressio, operam daremus.

3. Hac quidem ratione praecipue bina proposita assequi cupimus haud parvi momenti, primum scilicet laudes Pauli VI eiusdem documenti, historia digni, praedicandi atque eius doctrinae auctoritatem testificandi; deinde autem, vestigia venerabilium in Petri Cathedra Decessorum Nostrorum secuti, in animum induximus doctrinae socialis continuationem iterum confirmare simulque eiusdem constantem renovationem. Continuatio profecto perinde ac renovatio spectata sunt probatio perennis validitatis Ecclesiae doctrinae.

Haec duplex nota peculiaris est Ecclesiae de re sociali doctrinae. Quae quid em illine constans est, cum semper eadem sit in summis principiis considerandis, in « cogitationis rationibus », in « iudicii normis », in « legibus principibus, quae actionem moderantur » (6), inque praesertim vitali cum Domini Evangelio nexu; hinc semper ipsa nova est, cum congruenter ac necessario ad versabiles tempo rum condiciones et perpetuas immutationes eventuum usque accommodetur oporteat, in quibus vita hominum et societatis versatur.

4. Pro comperto quidem habentes Litterarum Encyclicarum, a verbis Populorum Progressio incipientium, doctrinam ad homines societatemque, qui decennium a sexagesimo anno vixerunt, spectantem etiamnunc omnino vim servare coscientiae revocandae, hoc decennio ab octogesimo anno exeunte, dum contendimus ad lineamenta adumbranda praecipua mundi, qui nunc est — idem usque servantes propositum, quod est Populorum Progressio quodque adhuc longe abest ut expleatur — consilium cepimus Ipsi ut illarum Litterarum vocem resonantem longius proferamus earundemque nectentes nuntium cum applicationibus, quae hodiernis possunt fieri temporibus, quae quid em non minus sunt gravia quam viginti abhinc annos illa fuerunt.

Tempus, ut probe scimus, semper fere eundem tenet veluti rhythmum. In praesenti tamen sentimus magis magisque ipsum citius dilabi potissimum propter multiplicationem et implicationem eventuum, quos nos ipsi experimur. Idcirco mundi species, viginti superioribus proximis annis spectatis, quamvis quaedam principalia servaverit, pervarie tamen immutata est et nova inde exhibentur.

Hoc temporis spatium, instante tertio Millennio christiano, perfusa quadam expectatione distinctum, quasi de novo agatur « adventu » (7), qui universos quodammodo attingit homines, dat ansam pernoscendi doctrinam Encyclicarum Litterarum, ut eius etiam perspiciamus prospectum.

Haec quidem consideratio eo potissimum spectat, ut, pervestigationis theologicae auxilio de rebus, quae nunc sunt, uberior habeatur magisque distineat notio progressionis, secundum Litterarum Encyclicarum proposita, utque quaedam rationes afferantur ea ad effectum adducendi.

II

5. Simul atque est promulgatum, Pauli VI documentum in suam novitatem devocavit omnium mentes. Gemina peculiaritas re et liquido sane est comprobata, continuationis scilicet et renovationis, intra Ecclesiae socialem doctrinam. Quapropter harum cogitationum propositum illuc spectabit, ut Litterarum Encyclicarum per iteratam accuratamque lectionem multiplicia eiusdem doctrinae detegamus lineamenta.

Sed antea aliquid temporis insumere placet ut de anno cogitemus ipso, MCMLXVII scilicet, quo eaedem foras sunt datae. Ratio revera, propter quam Summus Pontifex Paulus VI suas de re

sociali Litteras Encyclicas edendas illo ipso anno decrevit, nobis suadet ut documentum cum Concilio Vaticano II coniunctum videamus, quod quidem Concilium die VIII mensis Decembris, anno MCMLXV ad exitum est adductum.

6. Haec res aliquicl potius quam temporis propinquitas est consideranda. Nam Litterae Encyclicae Populorum Progressio quodammodo videntur documentum. esse, quod reapse doctrinam Concilii ad effectum perducit. Hoc quidem non tam ob constantem ad Concilii scripta relationem (8), quam quod eaedem ex ipsa Ecclesiae sollicitudine oriuntur, qua profecto totum Concilii opus perfunditur — nominatim pastoralis Constitutio Gaudium et Spes — cum componuntur ac nonnulla amplificantur argumenta ad doctrinam socialem pertinentia.

Haque congruenter asseverare licet Litteras Encyclicas a verbis Populorum Progressio incipientes quodammodo rogatui respondere, quo init Constitutio Gaudium et Spes; « Gaudium et Spes, luctus et angor hominum huius temporis, pauperum praesertim et quorumvis affiictorum, gaudium sunt et spes, luctus et angor etiam Christi discipulorum, nihilque vere hum anum invenitur, quod in corde eorum non resonet » (9). Haec verba primam ostendunt rationem, quae Concilii magno subiecta est documento, quod ex agnitione egestatis atque extenuatae progressionis sumit exordium, in quibus innumerabiles homines vitam degunt.

Egestas re vera et minor progressio in Concilii scriptis aliter vocantur, scilicet « luctus et angor tot hominum nostrae aetatis, pauperum praesertim »; atque huic sane amplo tot laborum et aerumnarum prospectui Concilium gaudii et spei ostendit prospectum. Idem profecto propositum Pauli VI Litterae Encyclicae assequi intendunt, integram servantes fidem erga conciliarem afflatum.

7. Sed quod etiam ad argumentorum ordinem attinet, Litterae Encyclicae doctrinae socialis Ecclesiae praeclaram traditionem prorsus servantes, expressius novam enarrationem et comprehensionem locupletem rerum, quas Concilium conseruit, praesertim in Constitutione Gaudium et Spes, resumunt.

Sensus et argumenta, quae Litterae Encyclicae recolunt, sunt rursus confirmanda: conscientia scilicet officii Ecclesiae proprii, « rerum humanarum peritissimae », « signa temporum scrutandi eaque sub Evangelii luce interpretandi » (10); conscientia pariter acris muneris « serviendi », quod omnino ab officio seiungitur, quod pertinet ad civitatem, etiam cum re virorum mulierumque prospicit condicionibus (11); animadversio, ex qua permagnae dissimilitudines perquirendae sunt, ipsarum personarum statum afficiunt quasque Constitutio pariter ipsa ostendit (12); doctrinae conciliaris confirmatio, fidelis vetustissimae velut vox traditionis, quae « bonorum universalem destinationem » commemorat (13); aestimatio ingenii culturae et cultus civilis technici, quae ad hominem liberandum conferunt (14), agnitis tamen eorum finibus (15); de progressionis tandem argumento ipso, Litteris Encyclicis peculiari, « gravissimum officium » corroboratur, quod ad excultiores civitates pertinet, scilicet « progredientes populos adiuvandi » (16). Progressionis ipsa ratio Litteris Encyclicis allata directo eruitur ex digestione quidem a Constitutione nempe pastorali de hac re proposita (17).

Ex hac aliisque ad Constitutionem pastoralem relationibus, colligi profecto potest easdem Litteras doctrinam Concilii ad rem socialem pertinentem ad ettectum deducere, nominatim ad populorum progressionem eorundemque progressum deficientem.

8. Rerum nunc brevis haec hic enucleata enodatio adiuvat nos quidem ut novitatem melius Encyclicarum Litterarum aestimemus, quam tribus licet sub titulis perstringi capitibusve.

Primum sane habendum est ipsum factum documenti a maxima Ecclesiae catholicae auctoritate foras emissum ipsique simul inscriptum Ecclesiae necnon « omnibus hominibus bonae voluntatis » (18) ea nominatim super re quae primo videtur intuitu oeconomica dumtaxat ac socialis, populorum id est de progressione sive profectu. Dubii porro nihil quin « profectus » vocabulum deducatur ex verborum thesauro disciplinarum socialium ac nummariarum. Hac proin ratione reponuntur Encyclicae Litterae Populorum Progressio in litterarum Rerum Novarum tramite, videlicet « opificum condiciones» pertractantium (19). Ab exteriore modo respecta parte, illa bina argumenta aliena ab Ecclesia religioso instituto iudicata forsitan videantur, quin immo « progressio » magis quam « opificum condiciones ».

Secundum Encyclicas Leonis XIII Litteras, id haud parvum assignari Pauli VI scriptioni meritum oportet, quod ethicam nempe tum culturalem denotavit huius quaestionis indolem de progressione ideoque ius etiam certum atque interventus necessitatem Ecclesiae eandem in negotiorum provinciam.

Hoc quidem pacto socialis christianorum doctrina rursus sibi genus vindicavit proprium verbi Dei adhibendi ad hominum vitam societatisque necnon ad causas terrestres, quae cum iis iunguntur, dum « principia ... a recta ratione postulata ... orientationesque quasdam» profert (20). Agedum: Pauli VI insunt scripto tria haec elementa singula una cum eorum ordinatione ad vitae cursum cotidianae, mores scilicet humanos.

Quotiens propterea « populorum progressioni » operam dat, Ecclesiam neutiquam accusari par est excedere de sua auctoritatis regione nedum de finibus a Domino ipso percepti mandati.

9. Secundum exsistit caput novitas ipsa, quam prae se « Populorum Progressio » fert quaeque ipsius prospectus extollitur amplitudine ad illud videlicet omne rite patentis, quod sub nomine plerumque agnoscitur « quaestionis socialis ».

Profecto iam antea dilatatum hunc rerum conspectum susceperant Encyclicae Litterae « Mater et Magistra » Ioannis XXIII (21) quibus Concilium in sua pastorali Constitutione Gaudium et Spes (22) quadam respondit quasi reciprocae imagine vocis. Nihilo tam en minus sociale eo usque Ecclesiae non processerat magisterium omni ut cum claritate affirmaret socialem quaestionem nunc ad universam coniunctionem inter homines hominum magnopere pertinere (23), neque sententia ipsaque inquisitione, quam excitat, « orientationem » effecit, quem ad modum molitur Paulus PP. VI in suis Litteris Encyclicis.

Tale tamen ideo explicatum iudicium uberem doctrinarum suppeditat copiam, quam expedit hic commonstrare.

Quae oriri forsan potuerit, in primis necesse est auferre ambiguitatem. Quod « quaestio socialis » extensionem sibi accepisse dicitur illam « universalem », non inde sequitur ut deminutum ipsius sit pondus neque ut momentum suum singulis pro nationibus locisque amiserit. Officinas ex contrario significat atque fabricas vel opificum motum ipsorum eorumque collegia certa aliqua in civitate aut regione non esse dispersas tamquam insulas habendas sine ullis alibi coniunctionibus, verum magis pendere magisque illas ex impulsione rationum iam exstantium extra cuiusque provinciae nationisve fines.

Nunc vero, proh dolor!, status oeconomici respectu ad progressionem nitentes modo Civitates sunt sane multo plures ipsis progressis: hominum proin multitudines, quae bonis carent commodisque progressione illa allatis ipsa, pariter sunt longe frequentiores iis nempe quibus eadem praesto sunt beneficia.

Coram pergravi ideo consistimus quaestione iniquae partitionis modorum subsistendi et instrumentorum, quae universis olim destinata sunt hominibus, sicut etiam inaequalis beneficiorum divisionis inde profluentium. Neque hoc accidit ulla affiictarum culpa multitudinum, nedum profecto ob quandam quasi fatalem necessitatem ex naturae ipsius condicionibus proficiscentem neque ex tota adiunctorum summa, in quibus iidem versantur homines.

Encyclicae Pauli VI Litterae confitentes « socialem quaestionem nunc ad universam coniunctionem inter homines hominum magnopere pertinere » ante omnia factum morale, Silum quod fundamentum habet in aliqua rerum explicatione veris mundi condicionibus respondente, indicare volunt. Ex ipsis litterarum verbis, « illud hodie maxime interest omnes pro certo habere ac veluti sentire » (24) quoniam recta id via conscientiam attingit, fons videlicet, quae moralium consiliorum est.

Hac in rerum definitione novitas Litterarum Encyclicarum « Populorum Progressio » non in eo quidem consistit quod modo quodam historico asseveratur in doles universalis quaestionis ipsius socialis, sed potius quod moralis eiusdem aestimatio additur condicionis. Quapropter rei publicae custodes, immo omnis civis nationum divitum ipse solus consideratus, praesertim si christiani sunt, officio morali tenentur, propriarum quisque secundum obligationum magnitudinem ut, cum consilia privata capiuntur et publica regiminis, ista natura universalis, ista mutua necessitudo eorum inter mores hinc atque illinc tot millenorum hominum egestatem diligenter respiciatur. Accuratius deinde Pauli VI Litterae officium idem morale finiunt tamquam « officium coniunctionis » (25), quae porro locutio, commutatis in orbe terrarum tot condicionibus, idem prorsus pondus obtinet vimque ac scripta quo est die.

Ex altera vero parte, servatis plane huius prospectus moralis limitibus, Encyclicarum Litterarum novitas in eo item reperitur quod ipsa iam funditus conceptio progressuum naturae, si ponderantur illi secundum amplitudinem alicuius universalis mutuaeque coniunctionis inter homines, insigniter immutatur. Sola enim ex opum congerie progressio constare non potest neque promptiore ex bonorum ministeriorumque usurpatione, si haec possidentur omnia pretio ipso tardatae multitudinum progressionis ac neglectis socialibus, culturalibus, spiritalibus personae partibus humanae (26).

10. Tertio dein titulo plurimum afferunt novitatis Litterae Encyclicae Populorum Progressio toti summae socialium Ecclesiae doctrinarum necnon ipsi progressionis notioni. Novitatis enim indicium dispici valet aliqua in dictione intra postremam documenti paragraphum, quam iudicari merito licet velut eius magisterii formulam, non tantum proprietatem quandam illius historicam: « nemo dubitat progressionem idem valere ac pacem » (27).

Etenim si vere constat « socialem quaestionem nunc ad universam coniunctionem inter homines hominum magnopere pertinere », idcirco hoc evenit quod postulatis iustitiae satisfieri dumtaxat potest simili pacto universali. Quae si forte praetermittuntur, incitamentum in animis valet aliquando exoriri ipsarum iniustitiae veluti victimarum violenter ut respondeant, perinde ac plurium accidit bellorum initiis. Hominum enim turmae a bonorum partitione submotae, quae omnibus sunt primitus destinata, se ipsi percontari possunt: « Quin vi iis resistamus cunctis vi qui nos priores omnes conflictant? Ac si rerum inspicitur status pro totius discidio orbis duas ferme in nationum consocia tiones, quod anno iam millesimo nongentesimo sexagesimo septimo vigebat, pro consectariis inde ac subiectionibus tum oeconomicis tum politicis proficiscentibus, augescit sane maio rem in modum periculum ».

Huic autem explanationi animum permoventis sententiae, quae Encyclicarum Pauli VI formulae inest, additur et alia, quam documentum idem leviter significare haud omittit (28): Quomodo id

denique defendi potest, quod nempe cumuli pecuniarum ingentes, quae valent quidem reservari debentque ad populorum progressionem duplicandam, contra derivantur in homines singulos vel eorum numeros locupletandos aut in apparatum militarem augendum profunduntur tam apud iam progress as Civitates quam inter nationes ad progressionem nitentes, unde verus potiorum rerum evertitur principatus? Quod quid em gravius est, ratione habita ipsarum difficultatum maiorum saepius videlicet impedientium quominus destinatae iam pecuniae recta quadam via subsidia nationibus afferant indigentibus. Si porro « progressio novum pacis est nomen », bellum aliunde apparatusque militares maximus sunt inimicus plenae populorum progressionis.

Sic profecto sub locutionis Pontificis Pauli VI lumine incitamur nos ut progressionis ipsius reficiamus conceptum, qui in illo certissime non invenitur, a quo dumtaxat satis fit corporeis necessitatibus per bonorum incrementum neque in miserias intenditur animus maioris hominum partis, et a quo etiam nimium quoddam sui ipsius studium apud singulos homines ac nationes unica evadit et sola eis ratio agendi. Acriter ideo memo rat Epistula Iacobi: « Unde bella et unde lites in vobis? ... ex concupiscentiis vestris, quae militant in membris vestris. Concupiscitis et non habetis » (Iac 4, 1 s.).

In alio contra aliquo orbe, ubi sollicitudo de bono universorum hominum communi, id est prospiciens cura « animorum morumque progressioni» pro cupiditate cuiusque lucrorum dominaretur, contingere quidem pacem liceret veluti fructum quendam ac « perfectiorem iustitiae formam inter homines » (29).

Haec quoque Encyclicarum Litterarum novitas vim perpetuam prae se fert ad resque accommodatam pro huius scilicet temporis mente, quae adeo subtiliter intimum percipit inter iustitiae observantiam et confirmationem pacis vinculum contractum.

III

11. Primarium magisterium Litterarum Populorum Progressio suo iam tempore validam sibi undique peperit responsionem suum ob novitatis gentls. Nihil tamen dubitandum quin socialia ipsa adiuncta, in quibus hisce versamur diebus, proprie eadem dici nequeant ac viginti abhinc annos. Quam ob rem unumquodque caput leviter perstringentes volumus nonnullis insistere nostrorum temporum proprietatibus, quo doctrinam Encyclicarum Pauli VI altius perquiramus, ratione item « populorum progressionis » habita.

12. Et primum quidem denotari oportet ipsas progressionis spes tum temporis adeo vigentes, hodie contra valde profecto sua ab impletione longinquas et exsecutione videri.

Hac de re Encyclicae Litterae nihil prorsus deceptionis praetendebant. Earum enim ponderosus quidem, nonnumquamque etiam sermo terrificus, condicionis tantummodo extollebat gravitatem atque singulorum conscientias obstringens hominum obiciebat simul officium proprias absolvendi partes eadem ut sanaretur condicio. Iis porro annis quidam percrebuerat quasi optimismus opinantium fieri scilicet posse ut non nimiis viribus in id impensis tarditas populo rum pauperum oeconomica expleretur, ut fundamentales illis suppeditarentur structurae atque adiumenta in toto opere transeundi aliquando fabriles ad industrias.

Quibus in historiae humanae condicionibus, praeter operam nationis cuiusque diligentiamque, ipsa Nationum Unitarum Consociatio duo progressuum decennia (30) continuata praestitit. Capta quaedam sunt consilia, inter binas Civitates et plures simul, ut multis sic subveniretur nationibus, quarum aliae iam diutius sui erant iuris, aliae — maximam scilicet partem — paulo ante ex conatu enatae coloniarum priorum demoliendarum. Sua autem ex parte necesse sibi esse

sensit Ecclesia in quaestiones hac nova rerum condicione importatas plenius incumbere, cum amatu religioso suo humanoque eadem illa fovere cogitaret conamina quibus nempe « animam » iniceret ad agendumque impulsionem validam.

13. Varia tamen haec religiosi et humani, oeconomici et technici generis opera dici haudquaquam possunt inania aut vacua fuisse, quoniam quaedam saltem impetrare potuerunt effecta. At in universum quidem, omnibus id est quae adsunt perspectis elementis, infitias ire non par est orbis statum, si sub titulo respiciatur « populorum progressionis », praesentem osten tare speciem potius improbandam.

Quocirca animos continuo revocare volumus ad universalia indicia nonnulla, ut postmodum alia singularia prorsus ac propria illustremus. Posthabitis in praesens numeris ipsis et rationarii computationibus, intueri potius sufficit interminatam virorum mulierumque turmam, infantium et adultorum et senum — paucis verbis verarum atque non iterandarum personarum humanarum — qui intolerando premuntur miseriae pondere. Complura praeterea centena milia hominum sunt qui idcirco de omni deiciuntur Spe quod multis in orbis partibus eorum condicio vehementer est in peius conversa. Hos ergo ante tristes casus egestatis necessitatisque, in qua tot fratres sororesque nostri iacent, ipse nos sollicitat Iesus Dominus (cfr. Mt 25, 31-46).

14. Et id comprobatur primum uti elementum improbandum, quod hiatus regiones inter, qui dicitur, orb is septentrionalis progressi atque australis orbis adhuc progredientis non persistit modo, verum augescit. Haec geographica dictio res indicat tantum, quoniam ignorare nemo potest fines divitiarum ac inopiarum campum transire ipsarum societatum progressarum tum etiam progredientium. Ita profecto, quem ad modum sociales iniquitates usque ad egestatis condicionem pertingentes exsistunt inter ditiores Civitates, sic pari omnino modo apud nationes minus progressas non raro signa deprehenduntur nimii suorum commodorum amoris necnon opum maiorum ostentationes, quae tam animos conturbant quam vere offendunt.

Affiuentiae bonorum ministeriorumque praesto exstantium quibusdam in orbis provinciis, quae potissimum in septentrionali orbe progresso conspiciuntur, respondet in regione australi intolerabilis progressuum tarditas. At in ipsa hac geographica et politica provincia hominum omnino maxima generis degit pars.

Si dein regionum diversarum multiplices ponderantur rationes: effectio alimentorum ac partitio, sanitas publica et habitationes, copiae aquarum potulentarum, operis condiciones praesertim feminarum, quae difficulter quidem a servitutis ipsius distinguuntur formis, vitae diuturnitas aliaque simul oeconomica et socialia documenta —, patescit rerum facies universalis, quae exspectationem fallit omnino, sive in se ipsa respicitur sive cum nationum magis progressarum numeris et aestimationibus confertur. Verbum illud « hiatus » sua sponte animo orique occurrit.

Fortassis non aptissimum istud vocabulum est ut accurate vera ipsa designetur condicio rerum, quandoquidem imaginem prae se potest ferre ordinis cuiusdam perstantis sive stativi. Verum non ita sese habet. In itinere enim nationum progressarum atque in via progredientium ad prosperitatem varia hisce visa est annis velocitas accelerationis, quae nempe efficit ut augeantur et duplicentur ipsae inter eas distantiae. Civitates ad progressionem nitentes, nominatim pauperiores, statu detinentur insanabilis retardationis.

Ad haec dein adiungenda insuper sunt discrimina formarum humani cultus atque aestimationes bonorum diversos inter hominum coetus globosque in societate, quae haud congruunt semper cum oeconomicae progressionis amplitudine; nihilo minus aliquid reapse ad pariendas conducunt distantias istas. Sunt porro hae partes rerumque aspectus totum iam orbem

complectentes, unde multo redditur tota socialis quaestio implicatior, quoniam sic indolem sibi induit causae alicuius universalis.

Diversae si orbis regiones observantur ita crescente talis hiatus distantia seiunctae, si earum proin unamquamque intellegitur proprium sequi debere cursum effectibus cum propriis, ideo etiam comprehenditur cur recentiore in hominum sermone mentio identidem fiat variis de orbibus unicum nostrum intra mundum: de Primo Mundo videlicet, Secundo, Tertio, quin immo de Quarto interdum Mundo (3l). Huius modi quidem dictiones, licet earum manifesto non sit plena quadam ratione omnes recensere orbis nationes, plurimum tam en significant: testimonia enim sunt late diffusi sensus mentisque habitus, quo unitas orbis, aliis id est verbis, generis hominum unitas serio periculo exponi iudicatur. Is autem loquendi modus, extra vim illius plus minusve congruentem cum rebus ipsis, celat sine dubitatione in se sententiam quandam moralem, de qua Ecclesia, quae est « sacramentum seu signum et instrumentum ... totius ... generis humani unitatis » sese indifferentem praebere non potest (32).

15. Supra expositus condicionum status mancus certissime erit et mutilus, nisi ad ea « indicia oeconomica ac socialia » tardatae progressionis aliae accesserint rationes pariter negativae, immo vero animum quae magis conturbant, iam ex ipsa hum ani cultus provincia. Hae quid em sunt: litterarum ignorantia, difficultas aut nulla omnino facultas superiores educationis ordines adeundi, exigua potestas proprias conferendi partes ad nationem suam exstruendam, abusus varii modi et oppressionis oeconomicae, socialis, politicae atque etiam religiosae personarum humanarum iuriumque ipsarum, discrimina omne genus facta, potissimum vera illud maxime odiosum, quod secundum cutis ipsius fit colorem. Quodsi earundem aliqua plagarum in regionibus deprehenditur septentrionis magis progressi, nihil dubitatur quin multo sint crebriores, diuturniores ac difficiliores ad eradicandum apud minus progressas aut instructas minus Civitates.

Asseverari necesse est in huius temporis mundo saepius restingui inter alia iura etiam ius ad propria incepta oeconomica. Atqui agitur de magni momenti iure, non ad singulos modo quod spectat verum ad bonum commune quoque. Ex rerum enim commonstratur experientia talis negation em iuris vel eius circumscriptionem ob assertam quandam « aequalitatem » in omnium societate imminuere vel funditus etiam in re delere ipsum studium singillatim res proprias peragendi, subiectivam videlicet effectricem civis industriam. Hinc eo pacta exoritur non vera solum aequalitas sed potius « aequatio in imo ordine ». In efficientis singulorum operae locum passiva rerum succurrit acceptio necnon obnoxietas et subiectio ipsi apparatui grapheocratico, qui, veluti unicum officium quod « disponit » et « decidit », quamvis non ipsum « possideat », de tota summa bonorum efficiendique instrumentorum, reicit in condicionem omnes obnoxietatis ferme absolutae, quae haud dissimilis traditae est subiectioni opificum ac proletariatus ex ipsis opum et pecuniarum dominis. Id quod sensum excitat frustrationis vel desperationis hominesque comparat ad sese subtrahendos ex ipsa nationis vita, multis interea ad emigrandum in de propulsis atque generato pariter quodam emigrationis « psychologicae » genere.

Consectaria sua secum affert talis rerum condicio, etiam quod ad « iura nationum singularum » attinet. Etenim accidit crebro ut Civitas aliqua suo destituatur subiectivo iure, id est propria « maiestate », quae ei convenit, secundum vim illius oeconomicam atque etiam politicam et socialem certoque quodam modo culturalem, quandoquidem omnes hae vitae rationes apud ipsam nationis communitatem inter se iugantur.

Confirmandum praeterea est nullum socialem coetum, verbi causa faction em politicam, occupare licere partes unius cuiusdam ducis, cum et istud efficiat ut vera subiectiva proprietas ipsius societatis auferatur necnon personarum-civium, perinde atque evenit omni in absoluti

dominatus regimine. Ibi enim homo ipse et populus totus « obiectum » quoddam fiunt, quantumvis publicae affirmationes verborumque confirmationes contrarium indicent.

Hoc autem loco addi decet multas alias exstare in orbe huius temp oris paupertatis formas praeter genus supra commemoratum. Nonne enim quaedam inopiae species vel privationes ipsae hanc merentur appellationem? Negatio iurium humanorum vel coarctatio, qualia sunt exempli gratia ius religiosae libertatis, ius communicandi ipsam societatis aedificationem, ius libere sese congregandi vel opificum collegia excitandi vel propria ineundi coepta rebus in oeconomicis, nonne fortassis reddit personam humanam item egentem, ne dicamus magis omnino, quam bonorum corporeorum privatio? Estne praeterea ipse profectus, qui rationem non habet plenae horum iurium explicationis, rever a progressio secundum hominum indolem?

Aliis autem verbis: minor nostrorum dierum progressio non oeconomica modo est, verum culturalis etiam, politica ac simpliciter humana, perin de ac viginti abhinc annos Litterae praedicaverunt Encyclicae Populorum Progressio, adeo profecto ut loco hoc interrogandum cuique sit haeccine tam tristis rerum condicio effectus partim saltem sit conceptionis nimis arctae, id est dumtaxat oeconomicae, ipsius progression is necne.

16. Quantumvis laudabiles facti conatus sint his duobus anteactis decenniis a nationibus magis progressis ipsisque ad progressionem nitentibus necnon ab institutis omnium gentium communibus ut effugium reperiatur aliquod iisdem e difficultatibus vel afferatur remedium alicui saltem earundem exteriori signo, affirmari tam en rursus oportet condiciones ipsas esse ingravescere visas insigniter.

Onus vero talis rerum conversionis in peius diversis repetitur de causis et originibus. Manifestae notandae sunt gravesque om nino omissiones et neglegentiae in nationibus ipsis viam iam progressionis percurrentibus, praesertim earum in auctoritatibus, penes quas potestas oeconomica est ac politica. Tanto quidem minus dissimulare possumus officia Nos et obligationes non perspicere Civitatum progressarum, quae non semper, consentaneo saltem modo, suum persenserint onus adiumenta inferendi nationibus ab orbe prosperitatis segregatis, ad quem ipsae contra pertineant.

Quidquid demum id est, repudiari omnino opus est rationes sive machinationes oeconomicas nummarias ac sociales, quae licet ab hominibus regantur, suapte tamen fere sponte et ultro agunt, un de divitiae alterorum rigidius defigantur et alterorum simul miseriae. Hae namque machinationes, agitatae via recta aut obliqua a nationibus magis progressis, ex sua ipsarum actione commodis favent administratorum suorum, at tandem aliquando obstringunt vel afficiunt oeconomicas nationum parum progressarum structuras. Decebit proinde easdem has subici machinas accuratiori cuiclam investigationi secundum principia ethica ac moralia.

Litterae iam Populorum Progressio (33) praeviderant talium rationum ac machinationum auxilio divites ipsos ditiores evadere posse pauperioresque pauperes. Quem rerum prospectum comprobavit ortus interea ipse Quarti Mundi.

17. Quamvis mundi societas documenta prae se ferat verae partitionis, quae receptis illis declaratur nominibus Primi, Secundi, Tertii etiamque Quarti Mundi, mutua tamen inter eos persistit obnoxietas ac necessitudo, quae, quotiens non aestimatur sua pro ethica obligatione, ad consectaria exitiosa homines depellit maxime debiles. Immo vero eadem haec mutua obnoxietas ob quandam quasi interiorem dynamicam vim atque impulsionem ex machinationibus, quae non nuncupari possunt nisi perversae, effecta parit vel ipsis in nationibus divitibus adversa. Etenim intra has quoque Civitates, licet minore modo, indicia magis propria

tardatae progressionis offenduntur. Compertum itaque omnibus esse debet profectum ipsum aut communem fieri universis terrarum partibus aut viam inire regressionis iis pariter in provinciis, quae constanti eminuerint profectus: eum aut cunctae orbis communicant nationes aut numquam genuinum reapse experientur.

Inter propria inferioris progressionis indicia, quae magis tangunt magisque etiam progress as nationes, duo potissimum statum immensae necessitatis designant. Primum habitationum discrimen. Hoc vertente Anno Internationali tecto carentium, quem celebrari voluit Nationum Unitarum Consociatio, in turbam animus intenditur multorum milium centenorum hominum congrua domo destitutorum aut nullam prorsus habitationem habentium, ut omnium excitetur conscientia utque huius gravis adeo difficultatis sanatio reperiatur, quae singulis adverso modo nocet hominibus eorumque et familiis et societati ipsi (34).

Habitationum paucitas hominum ubique per terras cernitur atque maximam partem referenda est ad crescentem usque frequentationem et densatum incolatum urbium (35). Quin ipsi magis progressi populi maestum intra se spectaculum exhibent hominum singulorum et familiarum, a quibus maxima datur opera ut superstites modo sint vitae, dempta omnino domo vel aliqua adeo incerta possessa ut nulla plane esse videatur.

Tectorum inopia, quae ex sese iam tam gravis difficultas est, signum et summarium habeatur neeesse est maioris cuiusdam numeri defectuum oeconomicorum, socialium, culturalium vel simpliciter humanorum proindeque, habita ipsius amplitudinis rei ratione, haud difficulter quis sibi persuadet quam longe a vera absimus « populorum progressione n.

18. Aliud proprie improbandum indicium, cuius maxima quidem ex parte nationes sunt participes, veritas est hominum opere carentium aut parum quidem eo fungentium.

Nemo uspiam est sibi quin exploratam habeat tum praesentem necessitatem tum crescentem gravitatem similis apud nationes quaestuosa industria instructas condicionis (36). Si vero haec res iam terret animos apud Civitates ad progressionem nitentes, ubi magna est quota pars natorum magnaque simul civium iuniorum multitudo, inter nationes maioris profectus oecono mici videntur iam operis fontes deminui sicque ipsae facultates laborandi, non modo non augescunt, sed decrescunt necessario.

Hoc item elementum una cum effectuum adverso rum serie tam pro singulis quam pro societate omni - a deiectione usque ad amissionem dignitatis, quam sibi quisque vir debet ac mulier, adducit sane Nos serio animo ut interrogemus quodnam progressionis genus sint homines hos viginti annos persecuti.

Et hac de re in mentem peropportuna illa dicta redeunt quae Litterae Nostrae Encyclicae Laborem Exercens complectuntur: « Necesse autem est moneatur partem constitutivam simulque comprobationem maxime consentaneam illius progressionis in spiritu iustitiae ac pacis, quam profitetur Ecclesia quamque flagitare haud cessat (...), novam esse continuamque laboris humani aestimationem, tum ratione obiectivi eius finis tum causa dignitatis subiecti omnis laboris, quod idem est homo ». Ex contrario autem, « una res immensae magnitudinis mentem funditus conturbat ...: subsistunt hominum turmae invite otiosorum vel partim saltem opere carentium (...): id quod sine dubio commonstrat, tam intra singulas communitates politicas quam in rationibus inter eas per continentes vel per totum mundum ipsum intercedentibus, aliquid perperam geri, quod spec tat ad ordination em laboris et navitatem hominum, et quidem in rebus et locis, quae maximam difficultatem summumque prae se ferunt momentum sociale » (37).

Quem ad modum superior illa condicio, ita haec profecto altera suam ob indolem universalem certoque quodam pacto multiplicantem praebet nobis indicium summopere significans, ex adverso suo effectu, ipsum statum proprietatemque populorum progressionis, coram quibus hodie consistimus.

19. Documentum aliud deinde est etiam recentioris huius aetatis proprium, quamquam idem non deprehenditur ubique, quod sine dubitatione indicat similiter mutuam illam necessitudinem inter progress as nationes ceterasque minus progressas. Tota est quaestio de debitis inter nationes, cui Pontificia Commissio Iustitia et Pax suum dicavit hoc anno scriptum (38).

Silentio hic transiri illud vinculum non potest arctum similem inter difficultatem, cuius augescens gravitas iam in Litteris a verbis Populorum Progressio incipientibus erat plane declarata (39), atque ipsam de populorum progressione quaestionem.

Quae populos iam in progressionis via constitutos impulit ut oblatum pecuniarum magnarum caput susciperent, causa ipsa fuit spes fieri posse ut in profectus operibus collocarentur. Quapropter paratae sic pecuniae necnon earum receptio tamquam opis mutuo datae haberi valent veluti auxilium progressioni ipsi additum, quod in se optatur licetque, quamvis imprudens forsitan fuerit nonnumquamque nimis festinatum.

Mutatis interea tamen. rerum adiunctis, tum in nationibus aere alieno gravatis tum in ipso pecuniarum commercio inter Civitates instrumentum ita electum, quo progressionibus adiumentum ministraretur, conversum denique in machinamentum est quod contraria effecit. Quod idcirco contingit simul quoniam populi ipsi debitores, ut oneribus satis faciant debitorum, se cogi cernunt ut capita exportent pecuniarum, quae ad augendum vel omnino ad sustinendum eorum prosperitatis gradum sunt necessariae, simul quoniam eandem ob causam consequi non possunt alia nummaria subsidia tantundem necessaria.

Hac ex machinatione oeconomica instrumentum illud ad « populorum progressionem » destinatum transiit demum in frenum, quin immo interdum in profectus inferioris exaggerationem.

Incitare hae notiones debent ut, quem ad modum documentum Pontificiae Commissionis a Iustitiae et Pace monet (40), ethica indoles ponderetur mutuae populorum necessitudinis et ut, secundum principia huius Nostrae considerationis, necessitates inspiciantur condicionesque ethicis pariter principiis permeatae ipsius consociatae adiutricis operae ad progressionem efficiendam.

20. Hoc autem si perspicimus loco causas in toto processu populorum progressionis, quae contra ipsas sententias Litterarum Populorum Progressio evenit, quae quidem Litterae tantum excitaverant spei, animus praesertim insistit Noster in hodiernae condicionis causis politicis.

Cum ante nostros observetur oculos summa elementorum sine dubio implexorum, haud itaque hic absolutam perfici licet rerum inquisitionem. Verum tamen taciti non possumus partem praetermittere politicorum adiunctorum singularem quae historicam hanc aetatem post pancosmium bellum alterum denotat quaeque res haud neglegenda est ipso in populorum progressionis cursu.

De veri tate loquimur duorum quasi foederum, inter se oppositorum, quae nominibus plerumque usu acceptis appellantur Oriens et Occidens orbes. Cuius quidem appellationis causa non dumtaxat politica, verum, uti dicitur, geopolitica est. Eorum autem foederum utrumque

adsimilare sibi vel conglobare studet circum sese, variis quidem coniunctionis aut communicationis modis, alias item Civitates earumve consociationes.

Politica in primis est haec oppositio, quatenus unumquodque foedus propriam reperit naturam in complexu quodam institutorum societatis rationumque gubernandi, qui alteri contrarius ferme est et adversus. Eadem vicissim politica oppositio origin em ducit alia ex repugnantia multo altiore, quae in notionibus reponitur philosophicis.

Viget enim in orbe Occidenti institutum, quod historica principia sectatur capitalismi liberalis, qui superiore enucleatus est saeculo precrebrescentibus fabrilibus industriis. Orbe contra in Orienti viget institutum, cui ortum dedit ipse collectivismus Marxianus, enatus videlicet ex ordinum opificum condicione effectusque sub lumine impulsuque peculiaris historiae interpretationis. Harum utraque philosophiarum repetens nempe duas adeo inter se divers as aestimationes hominis eiusque libertatis ac partium socialium proposuit et provehit adhuc in provincia oeconomica form as inter se pugnantes ipsius constitutionis humani operis ac structurarum dominii rerum, quod spectat praesertim ad instrumenta, quae dicuntur, effectionis rerum.

Fieri vero non potuit quin oppositio illa philosophiarum, cum rationes gigneret sedesque adversas ipsius potentiae adhibitis propriis normis praedicandi res hominesque docendi, in augescentem usque progrederetur militarem oppositionem, unde etiam pacta bina exorta sunt armatorum populorum, quorum alteri alterum diffidit metuitque ne alterum alteri praestet.

Necessitudines autem inter Civitates non potuerunt suo vicissim tempore non effectus percipere huius « logicae consecutionis foederum » ac respondentium rei « regionum auctoritatis exercendae ». Contentio vero haec inter opposita pacta, quae profligato altero bello universali emersit, dominata est et pervasit totum quadraginta annorum intervallum subsecutum, cum alias induit speciem sibi « belli frigidi », alias « belli per procurationem » per abusum videlicet pugnarum localium, alias autem suspensos anxiosque hominum tenuit animos bellum minitans apertum atque universum.

Etiamsi in praesentia ipsa temp ora periculum tale longius aliquanto remotum videtur, quamquam non funditus amotum, et tametsi iam ad consensionem est perventum de uno saltem armorum atomicorum delendo genere, ipsa exsistentia et oppositio illorum foederum nihilo cessant minus solid a esse et sollicitudinem generare, unde etiam condicionem pergunt afficere orbis totius.

21. Hoc accidit effectibus cum maxime adversis potissimum in ipsis rationibus ac necessitudinibus inter nationes, quae Civitates ad prosperitatem progredientes respiciunt. Etenim, uti in comperto est, contentio illa Orientem inter et Occidentem ex se iam non tangit aliquam repugnantiam inter diversos duos progressionis gradus verum potius divers os inter duos conceptus ipsius progressionis hominum populorumque, quorum uterque imperfectus est talisque qui planam poscat emendationem. Eadem porro oppositio in illas ipsas nationes transfunditur, unde fit ut dilatetur hiatus iam rebus in oeconomicis constitutus inter Septentrionalem et Australem orbem estque consectarium ipsius longinquitatis inter duos orbes: magis minus que progressum.

Haec una causarum est cur Ecclesiae socialis doctrina notet ac reprehendat tantopere capitalismum liberalem quantum marxisticum collectivismum. Nam, habita ipsius « profectus » ratione, sua sponte se ingerit interrogatio: quo pacto aut quali modo duae illae philosophicae rationes obnoxiae sunt iis mutationibus atque accommodationibus, quibus adiuvetur vel provehatur verus integerque hominis populorumque progressus hodierna in societate? Quippe:

mutationes illae et accommodationes usquequaque necessariae videntur urgentesque ad causam unius cuiusdam progression is omnium plane communis.

Civitates nuperius adeptae sui iuris statum, quae, enitentes magnopere ut peculiarem suam culturalem assequantur politicamque proprietatem, auxiliorum indigent efficacium ac liberalium a nationibus ditioribus ac magis progressis, implicantur, atque identidem etiam labefactantur, dimicationibus ob variam philosophiam, quae inevitabilia dein progignunt intra eas discidia, quin etiam nonnumquam vera inflammant civilia bella. Quod propterea etiam evenit quod pecuniae in nationibus illis collocatae atque adiumenta in progressionem concessa saepius deflectuntur proprio a proposito et adhibentur potius ad ipsas incitandas dissensiones extra omnino et contra commoditatem Civitatum, quae inde beneficia deducere debent. Harum fiunt sibi complures prorsus consciae periculi ne novo obiciantur coloniarum instituendarum generi, unde sese subtrahere contendunt. Quae proin conscientia peperit suo tempore etiam inter difficultates, dubitationes atque etiam contradiotiones, Motum Internationalem Civitatum non consociatarum, qui pro suo positivo proposito efficaciter confirmare intendit cui usque populi ius propriam ad identitatem, suam ad libertatem ac securitatem necnon ad participationem — secundum aequalitatis et solidae coniunctionis principium — fructus bonorum, quae universis destinantur hominibus.

22. Quibus consideratis, expeditius et clarius hos in postremos viginti annos inspici potest necnon dissensiones facilius intelleguntur, quae partis orbis terrarum septentrionalis sunt propriae, inter Orientem scilicet et Occidentem, tamquam causa haud postrema tarditatis ac torporis, quibus meridianae afficiuntur orbis regiones.

Quae Nationes, ad progressionem nitentes, potius quam in Civitates sui iuris vertantur, quibus curae sit iter ad communia omnium bona et commoda iure participanda, partes fiunt machinamenti, ingentis nempe cuiusdam rerum conexionis. Hoc saepe fit ipsa in regione subsidiorum viarumque socialis communicationis, quae cum curentur plerumque a sedibus in septentrionalibus orbis plagis, ipsae haud semper iustam considerationem in priores partes et in quaestiones harum Nationum intendunt neque servant earum humani cultus naturam, sed haud raro distortam vitae hominisque rationem proponunt, ita ut non verae hominum progressionis necessitatibus satisfaciant.

Ambae pariter adversae Nationum Consociationes ad effrenatam Populos subigendi voluntatem, ut dici solet, aut ad formas colonicae novae dominationis abditam propensionem more suo usque habent: neque desunt qui eiusmodi libidini facile succumbant, ut res gestae vel recentiores testantur.

Vitiosus hic est rerum status — consectarium quidem belli necnon cuiusdam sollicitudinis, quae immerito augetur suae cuiusque securitatis causa — quo impeditur ne ullum hominibus sit studium solidae et operosae omnium hominum coniunetionis in commune bonum spectantium, ita ut detrimentum in primis inferatur populis pacis amantibus, qui et ad bona omnibus hominibus destinata aditu intercluduntur.

Qui si ita consideratur, praesens status divisionis in orbe terrarum directe obstat, ne in Nationibus minus progressis aut ad progressionem nitentibus condiciones imminutae ac tardatae progressionis vere immutentur. Populi tamen haud semper in sua sorte quiescunt. Ipsae dein necessitates oeconomicae procurationis impensis bellicis compressae, sicut morositate ac naturali inefficacia, videntur quibusdam cursibus favere, qui contrapositum tenuare possint, necnon facilius reddere initium dialogi fructuosi veraeque mutuae operae pro pace.

23. Quod asseveratur in Litteris Encyclicis a verbis Populorum Progressio (41) incipientibus, opes scilicet et pecuniarum collocationes, quae ad edenda arma fuerint destinatae, usurpandas esse ad populos miseriis fameque levandos, id nunc vel potiorem efficit rogatum, ut discrepatio inter adversas Nationum Consociationes penitus vincatur.

Diebus nostris eiusmodi opes re vera ad aliud non valent, nisi ad alteram Consociationem ita adiuvandam, ut alteri contrariae praestet tutamque suam securitatem reddat ac necessariam. Distorta haec agendi ratio, quae vitium est originis, efficit ut Nationes illae, quae historice, oeconomice, publice munus ducendi exercere possunt, angustiis afficiantur in suo officio implendo, quod consistit in fovenda ac servanda solida coniunctione cum populis studiosis perfectae progressionis sibi comparandae.

Hic oportet asseverare, neque nimium esse videatur, ducis munus inter Nationes accipere non licere, nisi quibus sint tacultas et voluntas longe lateque conferendi ad commune omnium bonum inquirendum.

Si qua Natio, plus minusve sibi conscia, voluptati cedens veluti portis muroque se continendi, responsale officium recusaret e sua emanans praestantia inter Civitates, sane a munere suo graviter discederet sibi ethice imposito. Quod facile agnosci potest in tempore, cum Christifideles consilia Providentiae Dei plus minusve dispiciunt, quae et Nationes adhibere potest tam ad sua exsequenda consilia, quam ad dissipanda « consilia gentium» (cf. Ps 33, 10).

Cum Occidens videtur in quibusdam crescentis solitudinis formis sui commodi causa vivere velle, ipseque Oriens incertis de causis ignorare videtur suum esse communem participare operam ad populos miseriis levandos, tunc in conspectu adest non solum proditio iustarum exspectationum generis humani, quae inopinabilium effectuum est praenuntia, sed etiam omnino certa violatio obligationis ethicae.

24. Si armorum fabricatio gravis est rerum perturbatio vigens in hodierno orbe terrarum, prae veris quidem ac certis hominum necessitatibus usuque instrumentorum ad eas reparandas aptorum, perturbatio haud minoris gravitatis tamen est ipsorum armorum negotiatio.

Quin immo, ad eiusmodi mercaturam quod attinet, huc accedit ut vel severius sit iudicium ethicum. Ut plane constat, loquimur de negotiatione interminata, quae etiam fines utriusque adversae Nationum Consociationis super are potest. Eadem mercatura valet ad division em supergrediendam inter Orientem et Occidentem, necnon praesertim inter Septentriones et Meridiem, adeo ut, quod peius est, se in varias partes insinuet, ex quibus australis constat orbis regio. Insolita igitur res spectatur: cum auxilia oeconomica rationesque progressionis offendant in limites ideologicos insuperabiles, in limites cum taxationibus conexos aut ad emporia pertinentes, ex contrario arma, quae undique proficiscuntur, libertate fere infinita in variis orbis terrarum partibus circumferuntur. Neque est qui nesciat — sicut recentiore in documento de officio ad Nationes pertinenti denotabat Pontificia Commissio a Iustitia et Pace (42) — quibusdam in casibus pecuniarum capita, quae ab excultiore orbe terrarum mutua data essent, ad aliud apud populos nondum progressione excultos non valuisse, nisi ad arm a comparanda.

Quibuscum omnibus si cumulatur tremendum periculum inter omnes notum, quod in armis atomicis incredibilem usque in modum coacervatis consistit, haec, quae sequitur, videtur conclusio: rerum status huius orbis terrarum, una cum rebus oeconomicis, potius quam sollicitudinem exhibeat verae progressionis, qua omnes ad humaniorem vitam adducantur, — ut Litterae Encyclicae Populorum Progressio (43) adumbraverunt, — videtur ad hoc esse, ut in iter ad mortem celerius nos inducat.

Consectaria eiusmodi rerum status apparent in plaga typica ingravescenti, quae index est perturbationum et conflictationum hominum huius temporis: ipsa dicimus multiplicata iam profugorum centena decies milia, qui ob bella et calamitates naturales et persecutiones, omnisque generis discrimina, sunt domo opere familia patria spoliati. Ex virorum, mulierum et puerorum vultibus macie confectis, omnium videlicet, qui in mundo dissociato omnique fere hospitalitate destituto, iam nequeunt domum invenire, funestus tot illarum multitudinum eminet casus.

Neque aliud relinqui potest acerbum huius temporis exitium, tromocratia, quae idem valet ac consilium pariter necandi homines ac delendi bona, ita potissimum ut quidam terror inferatur suspensique animi status, haud raro obsidibus etiam captis. Terroris acta numquam licet probare, ne tum quidem, cum veluti causa inhumani eiusmodi usus quaevis adducitur doetrina aut necessitas constituendae novae societatis. At eoque vel minus licet, ut hodie accidit, ea probare, cum eiusmodi consilia atque eversiones, quae interdum fiunt caedes, quidamque raptus a culpa vacuorum et a conflictationibus alienorum ostentationem intendunt suae causae faventem; aut quod vel peius est, ita nequiquam fiunt, ut ad hoc dumtaxat homicidium fiat, ut mors alicui afferatur. Tanto horrore inspecto atque dolore, vim servant, quae nonnullos abhinc annos diximus, quaeque nunc repetere velimus: « Christiana Doctrina vetat ... odium in alios habere et inermes interficere, pariter ac uti methodis tromocratiae » (44).

25. Hic mentio oportet de quaestione demographica fiat deque ratione, qua hodie exponatur, secundum quae in memoratis Encyclicis (45) Paulus PP. VI edidit ipsique Nos diffuse in Apostolica Exhortatione, quae a verbis Familiaris Consortio incipit, explicavimus (46).

Negari nequit quin, in meridianis praesertim orbis terrarum locis, talis sit quaestio demographica, quae progressioni obstet. Hic merito additur statim in septentrionalibus orbis regionibus contrarias esse notas quaestionis demographicae ac proprietates: sollicitudini hic est enim numerus natorum iam restrictus, una cum effectibus recidentibus in populum senescentem, qui proinde ne aptus quid em iam est ad biologicam sui ipsius renovationem. Quae res per se ipsa valet ad hominis progressioni obstandum. Quemadmodum perperam asseritur progressioni nonnisi e demographico incremento difficultates obvenire, ita ne demonstratum quidem est omne eiusmodi incrementum ab ordinata progressione abhorrere.

Ceteroqui magna videtur cum perturbatione compertum haberi multis in Civitatibus modo et ratione procreationem dissuaderi, auctoribus illarum Nationum Magistratibus, refragante non solum humano ac religioso cultu earum proprio, sed ipsa etiam verae progressionis natura. Saepe etiam accidit, ut eiusmodi dissuasiones aliqua coercitione fiant pecuniisque iuventur exterarum Nationum propriis, eaedemque dissuasiones nonnumquam etiam subsidiis et adiumentis oeconomicis-nummariis subiciantur. Omni in re saepe summa violatio patratur liberi eorum consilii, quorum interest, virorum scilicet et mulierum, qui coercitionibus intolerabilibus, non exceptis oeconomicis, haud raro sollicitantur, ut novae huic succumbant formae oppressionis. Quae indignitates a pauperioribus profecto perferuntur: unde non sine causa suspicio est novam vexationem phyleticam consummari aut certis quibusdam phyleticis « eugenismi » formis faveri.

Hoc quoque facinus, quod oportet firmissime damnetur, indicum est falsae ac perversae notionis hominis progressionis.

26. Eiusmodi prospectus, de vera condicione hominum progressionis hoc in orbe terrarum potissimum improbandus, imperfectus quidem esset, nisi et commoda indicarentur, quae simul sunt cum improbandis.

Primum commodum, plurimorum virorum ac mulierum proprium, idem est ac animus omnino conscius dignitatis suae singulorumque mortalium; qui, v.g., e maiore ubique sollicitudine eminet in observandis hominum iuribus promptioreque etiam celeritate in violationibus eorum respuendis. Id testatur numerus privatarum consociationum, quae, nonnullis etiam annumeratis vim habentibus in universo mundo, recens sunt conditae necnon magna cura ac laudabili aequitate fere omnes ad eventus internationales attendunt in re tantae prudentiae.

Hac in re agnoscamus oportet quantum moti sint animi Declaratione Iurium Hominum, quam quadraginta fere abhinc annos Consociatio Nationum Unitarum promulgavit. Quae cum maneat et adhuc vigeat, necnon gradatim accepta sit a Nationum Communitate, signum est divulgatae conscientiae usque progredientis. In eadem autem regione iurium hominum idem dicendum est de reliquis iuris instrumentis eiusdem Consociationis Nationum Unitarum aliorumve internationalium Institutorum (47).

Conscius, quem diximus, animus non modo singulos, sed etiam Nationes respicit ac populos, qui, quatenus subsistentia genera quodam humano civilique cultu ipsorum proprio conformata, vehementius inducuntur ad pretiosum eiusmodi patrimonium servandum libereque administrandum ac provehendum.

Unoque tempore in orbe terrarum, qui omnium conflictationum genere divisus permovetur, homines, cum mutuae plenaeque inter se coniunctionis certi fiant gradatim, persuasum sibi habent human a necessitudine opus esse, et quidem sibi suscipienda ad morumque regionem transferenda. Praesenti fortasse magis quam praeterito tempore homines intellegunt communi sorte inter se astringi, quae ab omnibus una simul struatur oportet, ut communis vitetur clades. Ex interiore hominis metu et angore, ut ex effugiis ab officii conscientia, v.g. ex medicamentis stupefactivis, quae omnia propria sunt aetatis nostrae, paulatim hoc animadvertitur, neque bonum, ad quod omnes provocamur, neque beatitudinem, ad quam tendimus, acquiri posse, nisi communi omnium conatu ac studio, nimioque igitur reiecto amore sui.

Huc accedit, veluti signum cultus, qui vitae tribui debet haud obstantibus temptationibus comprimendi eius curam (ab abortu ad euthanasiam) —, consequens sollicitudo pacis; ac denuo animus conscius pacis, quae dividi non potest: aut omnium est pax aut nullius. Pacem dicimus, quae magis magisque observantiam iustitiae exactam postulat et aequam, quae consequitur, distributionem fructuum verae progressionis (48).

Inter signa secunda et omnino probanda huius temporis annotari debet tum aucta conscientia exiguarum opum exstantium, tum necessitas servandi integritatem et veluti rhythmos naturae, tum in statuenda humanae progressionis dispositione, illorum habita ratione, potius quam remittatur progressio quibusdam consiliis de ea turbulentis. In hoc consistit ea quae oecologica vocatur sollicitudo.

Aequum est agnoscere etiam studium moderatorum rerum publicarum virorumque in iis exercitatorum et peritorum doctrinae oeconomicae atque addictorum corporatis opificibus moderandis, necnon claro rum scientiarum cultorum publicorumque administrorum ad omnes Nationes pertinentium — quorum multi sunt fide religiosa moti — haud paucis iacturis cuiusque propriis, mala mundi liberaliter dissolvendi et omnibus viribus contendendi quo maior in dies pars virorum ac mulierum dona pacis fruatur vitaeque genere huius nominis digno.

Haud parum ad id conferunt magnae Consociationes internationales nonnullaeque societates regionales, quarum omnium labores simul suscepti sinunt eas efficaciores esse.

Eiusmodi etiam generis opera nonnullae Civitates Tertii Mundi, haud obstantibus iniquis compluribus condicionibus, consecutae sunt ut aliquo modo suis se opibus nutriant vel aliquem habeant artium et artificiorum proventum, qui digne superesse permittat fontesque laboris praestet omnibus actuosam vitam agentibus.

Quare non omnia sunt improbanda in orbe terrarum huius temporis, neque id ita fieri potest, quia caelestis Patris Providentia amanter nostris quoque angoribus prospicit cotidianis (cf. Mt 6,25-32; 10, 23-31; Lc 12,6-7; 22-30); quin immo praestantiores res secundae, quas denotavimus, novam ethicae sollicitudinem testantur, de magnis praesertim hominum quaestionibus, inter quas humana est progressio et pax.

Haec ipsa veritas Nos inducit ad cogitandum de vera natura progressionis populorum, concorditer sane cum Litteris Encyclicis, quarum anniversariam memoriam nunc celebramus quarumque doctrinam in honore esse cupimus.

IV

27. Quod Litterae Encyclicae nobis suaserunt inspiciendum in mundo huius temporis, nobis ostendit progression em hominum non esse rectilineam, seu rem fere automatariam ac per se ipsam sine fine, perinde ac si genus humanum quibusdam sub condicionibus expedite ad aliquam veluti non definitam tendat perfectionem (49).

Haec notio, quae notioni progressionis, illuminismi notis philosophicis potius signatae coniungitur, quam progressionis (50) significatione oeconomica-sociali acceptae, nunc aperte in dubium revocari videtur, praesertim post cognitas calamitates postremi utriusque belli pancosmii, post praestitutam rationem, et partim ad effectum deductam, excidendi integros populos, necnon ipso instante periculo atomico. Stultam bonam spem irrationalem iacta tio animi de ultimo hominis exitu secuta est non sine causa.

28. Eodem tamen tempore in discrimen etiam ratio adducta est, quae « oeconomica » vel « oeconomicistica » nuncupatur et cum verbo « progressionis » conectitur. Hodie re vera melius intellegi potest merum congestum bonorum ac ministeriorum, quamvis plerisque is faveat hominibus, non satis esse ad humanam felicitatem persequendam. Proindeque facultas multiplicium beneficiorum realium, quae his proxime actis temporibus scientia et technica disciplina effecerunt, re addita, quae « informatica » dicitur, non homines ex omni eripit servitute. Ex contrario, postremorum annorum usus docet opes et potestates, quae homini ad nutum praesto sunt, in eum vertere ut opprimant, nisi regantur iudicio morali ac propensione ad verum generis humani bonum.

Trepida cognitio recentissimi temporis perquam idonea ad docendum videtur: prope miserias tardatae progressionis, quae accipi non possunt, nimia quaedam progressio adest, eademque pariter reicienda, quia, sicut prior, ita et altera est bono veraeque felicitati adversa. Nimia enim eiusmodi progressio, quae in supervacanea consistit abundantia omnis generis rerum corporearum pro quibusdam hominum coetibus, facile efficit ut homines et « possessioni » et immediatae voluptati serviant neque alio spectent, nisi ad res multiplicandas aliasve vel perfectiores pro iis, quas iam possederint, substituendas. Is est qui dicitur civilis cultus rerum consumendarum cupidus, qui idem et « reiciendorum » et « purgamentorum » est cultus. Res, quae possidetur, directo seponitur simul atque nova aut perfectiore superatur, neglecta utilitate perenni fortasse illius propria aut in commodum egentioris hominis convertenda.

Nos omnes oculis mala videmus consectaria perversae voluntatis, qua nonnisi rebus consumendis servimus: ante omnia crass urn quemdam « materialismum », quem dicunt, unoque tempore summam insatietatem, quia, nisi omnino praecavemus a multis nuntiis rerum laudativis necnon assidua et corruptrice bonorum oblatione, statim intellegimus eo plures res desiderari quo plures possideantur, neque satiata altiora desideria manere, eademque fortasse ne exsistere quidem.

Litterae Encyclicae Pauli PP. VI iam illustraverunt quid inter « possidere » et « esse» differret (51), quae diversitas hodie tam saepe augetur, ut ante certis accuratisque Concilii Vaticani II verbis est enuntiatum (52). Rerum ac bonorum possessio non per se hominem meliorem reddit, nisi quid ad « eum ipsum » maturatione ac virtute perficiendum confert, seu ad humanam vocation em persequendam ut talem.

Discrepantia sane inter « esse » et « possidere », necnon insitum periculum, ne ampliorum rerum simplex possessio aut studium novas pro iis substituendi pluris ducantur quam ipsum « esse », haud necessario in antinomiam converti debent. Una inter maximas iniustitias orbis terrarum huius temporis in hoc omnino consistit: comparate paucos esse qui multa, multos autem qui fere nihil possideant. Haec est iniquitas ad pravam pertinens bonorum ac ministeriorum distributionem, quae principio sunt omnibus hominibus destinata.

En igitur descriptio: sunt qui — pauci multa habentes —, cum cultus « possidendi» ob eversum praestantium bonorum ordinem sit obex, rever a nesciunt ad « esse » pervenire; illique sunt — multi nempe parum vel nihil possidentes —, qui, cum et simplicibus bonis careant necessariis, praecipuam hominum vocation em persequi nequeant.

Malum non in « rerum possessione » ut tali est positum, sed in modo sibi habendi res, nullo habitu respectu qualitatis et sani ordinis bonorum, quae possidentur; cuiusmodi genus et ordo ex eo procedunt, quod ipsa bona promptusque eorum usus subsunt « essentiae », quae dicitur, hominis eiusque verae certaeque vocationi.

Ita igitur, cum quam plurimis orbis terrarum incolis liber usus bonorum ad « vivendum » necessariorum sit suppeditandus, demonstratum habetur progressionem hominis necessarium modum oeconomicum prae se ferre, attamen non hoc uno terminari modo. Accidit enim ut progressio ita circumscripta in perniciem iis vertat, quibus favere velimus.

Proprietates « progressionis » hominum perfectae seu « humanioris », quae, necessitatibus concedens oeconomicis, se sustentet veraeque par sit substantiae vocationis viri ac mulieris, ab ipso Paulo PP. VI descriptae sunt (53).

29. Progressio non tantummodo oeconomica aestimatur ac dirigitur secundum naturam et vocationem hominis ad omnem rationem perpensi, seu etiam in eius animi partibus. Qui sine dubio bonis indiget creatis rebusque machinali industria perfectis, quae frequenti augetur profectu scientiarum et artium technicarum. Semper autem novus usus bonorum corporeorum, dum necessitatibus subvenit, novos etiam aperit prospectus. Periculum pravi consumendarum rerum usus atque supervenientes artificiosae necessitates haudquaquam obstare debent aestimationi et usui novorum bonorum et opum, quae in promptu nobis sunt; quin etiam habenda sunt tamquam donum Dei, necnon responsum humanae vocationi, quae in Christo plene perficitur.

Ad veram tamen hominis progressionem ut perveniatur, necesse est ne illae animi partes neglegantur, in quibus propria ipsius hominis consistit natura, quem scilicet creavit Deus ad

imaginem et similitudinem suam (cfr. Gen 1, 26). Natura corporea et spiritalis, cuius imago ex altera Genesis narratione (2, 7) duobus efficitur elementis: terra, qua Deus format corpus hominis, atque spiritu vitae, quem ei ipse inhalat.

Ita homo aliquam habet similitudinem cum ceteris creaturis: ipse invitatur ad commoditatem ex iis percipiendam, ad curamque earum agendam atque, sicut ipsa in Genesi narrantur res (ibid., 2, 15), in horto collocatur ut colat atque tueatur, idemque constituitur supra omnia animantia, quae Deus in eius potestate posuit (ibid., 1, 26). Uno vero eodemque tempore homo manere debet Dei voluntati subditus, qui in usu ac potestate rerum limites imponit ei (ibid., 2, 16-17), quemadmodum imrnortalitatem ei promittit (ibid., 2, 9; Sap 2, 23). Homo igitur, cum sit imago Dei, et aliquam cum eo similitudinem habet.

Secundum eiusmodi doctrinae principia progressio hominis nequit tantummodo consistere in usu et in potestate et omnimoda in possessione bonorum creatorum necnon rerum artibus et artificiis hominis perfectarum, sed potius in subicienda possessione, potestate, tractatione rerum sub similitudinem hominis cum Deo et sub eius vocationem ad immortalitatem assequendam. En transcendens veritas hominis, quae videtur inde a principio pariter a viro ac muliere participari (cfr. Gen 1, 27), quae proinde sociale est fundamentum.

30. Itaque secundum Sacram Scripturam notio progressionis non est solum « laica » vel « profana », sed etiam videtur in suo etiam pondere sociali-oeconomico quaedam huius aetatis locutio ad aliquam praecipuam designandam proprietatem vocationis hominis.

Nam neque immobilis neque staticus, ut ita dicatur, creatus est homo. Prima eius descriptio, quae in Libris Divinis continetur, eum ostendit ut animantem et imaginem, qui origine et similitudine definitur, quibus efficitur. Sed haec omnia omni humano, sive viro sive mulieri, utrique sive seorsum sive ambobus simul, germen indunt ac necessitatem nativum munus perficiendi. Munus, quod in « dominio rerum creaturarum » et in « horti cultura» sane consistit et intra fines observandae legis divinae expleri debet, ipsaque proinde ratione habita susceptae « imaginis », quae perspicuum est fundamentum potestatis et dominii sibi traditi, ut suam homo perfectionem curet (cfr. Sap 9, 2-3).

Cum Deo non oboedit homo, eiusque potestati subesse recusat, tum natura ei obsistit, non amplius eum agnoscit « dominum », quod imaginem divinam infuscavit. Evocatio ad creatas res possidendas iisque ad utendum etsi semper valet, post peccatum tamen usus earum fit arduus laborumque plenus (cfr. Gen 3, 17-19).

Subsequens enim Genesis caput progeniem Cain nobis ostendit, quae « urbem » aedificat, rei pecuariae se tradit, ad artes se applicat (ad musicam, ibid., 21) et ad rem technicam (ad metallicam, ibid., 22); cum nomen Domini invocari coeptum sit (cfr. ibid., 26). Historia humani generis, quae in Libris Sacris delineatur, etiam post ipsum hominis lapsum historia est frequentium rerum peractarum, quae, semper in contentionem et in periculum ob peccatum revocatae, iterantur et excutiuntur ac diffunduntur velut responsum divinae datum vocationi principio iam viro ac mulieri traditae (cfr. Gen 1, 26-28), eidem vocationi, quae similitudini a viro ac muliere receptae est insita.

Ex quibus effici cogique potest, saltern ab omnibus, qui credunt in Verbum Dei, hodiernam « hominis progressionem» habendam esse historiae momentum inceptae in creatione orbis terrarum perpetuoque in discrimen adductae ob neglectam quidem Dei voluntatem in primisque ob libidinem idololatriae; sed ea fundamentali ratione cum promissionibus initio factis congruit. Qui, causam interponens durum esse certare vel assidue contendere vires ad assequendam

victoriam, aut, nomine cognitae ipsius iacturae necnon reversionis ad caput, se difficili sed excitante abdicaret munere meliorem reddendi sortem totius hominis omniumque hominum, voluntatem Dei Creatoris is non observaret. Hac in re Ipsi Litteris Encyclicis a verbis « Laborem Exercens » incipientibus (54) respeximus hominis vocationem ad laborem, ut demonstraremus semper hominem praecipuum esse progressionis auctorem.

Quin immo, ipse Dominus Iesus in parabola de talentis exprimit quam severe sit accepturus eum, qui susceptum donum abscondere ausus fuerit: « Serve male et piger, sciebas quia meto ubi non seminavi et congrego ubi non sparsi. .. Tollite itaque ab eo talentum et date ei qui habet decem talenta » (Mt 25, 26-28). Qui dona Dei accipimus ut feneremur, nostrum est « seminare » et « congregare ». Nisi fecerimus, id quoque, quod habemus, a nobis tolletur.

Quorum pervestigatio severorum verborum nos incitare poterit ad promptius insistendum, quod hodie urget omnes, in officium adiuvandi reliquos ad plenam progressionem: maturitatem totius hominis omnium que hominum (55).

31. Fides in Christum Redemptorem, dum naturam progressionis illuminat ex interiore animo, ductrix est hominum ipso in munere alios adiuvandi. In Epistula sancti Pauli ad Colossenses legimus Christum esse primogenitum omnis creaturae, et in ipso universa condita esse (cfr. 1, 15-16). In eo enim omnia constant, quia « in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare et per eum reconciliare omnia in ipsum » (ibid., 1, 19-20).

Huic Dei consilio, quod initium ducit ab aeternitate In Christo — perfecta « imagine » Patris — quodque fastigium in eo habet », qui est principium, primogenitus ex mortuis » (ibid., 1, 15), nostra includitur historia, quae nostro privato et publico denotatur labore, ut hominum condicio melior reddatur, necnon difficultates vincantur in itinere frequenter nobis occurrentes, ita ut ad plenitudinem nos comparemus participandam, quae « habitat in Domino », quamque ipse tradit « Corpori suo, quod est Ecclesia » (ibid., 1, 18; cfr. Eph 1, 22-23), dum peccatum, quod nobis semper insidiatur nostraque laedit opera; vincitur ac redimitur « reconciliatione », quam operatus est Christus (cfr. Col, 20).

Rerum prospectus hic amplior fit. Optatum infinitae cuiusdam « progressionis » recuperatur, in aliud tamen penitus mutatum nova quadam visione christiana fide patefacta, unde accipimus eiusmodi progressionem haberi tantummodo posse, quod Deus Pater inde a principio voluerit suam gloriam cum homine communicare in Christo Iesu a mortuis excitato, « in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum » (cfr. Eph 1, 7), in eoque voluerit peccatum vinci nostrumque maximum in bonum converti (56), quod infinite superat quidquid progressio assequi potest.

Pro certo igitur, — dum in mediis nos tenebris iactamus et lacunis progressionis angustioris et progressionis immoderatae — affirmare possumus diem futurum esse, quo corruptibile hoc induet incorruptelam, et mortale hoc induet immortalitatem (cfr. 1 Cor 15, 54), cum Ipse tradet Regnum Deo et Patri (cfr. ibid., 24), omniaque nostra opera et actiones, homine digna, redimentur.

Notio autem fidei apte causas illustrat, quibus Ecclesia inducitur ad totam rationem curandam de quaestionibus progressionis, ad eam habendam officium sui ministerii pastoralis, ad communem omnium excitandam considerationem de natura ac proprietatibus certae veraeque hominis progressionis. Pro suo munere ipsa cupit illinc divino optato servire eo spectanti ut omnia disponantur ad plenitudinem, quae omnis in Christo habitat (cfr. Col 1, 19), quamque suo Corpori

ipse tradidit, hinc vero suae praecipuae respondere vult vocationi « sacramenti », seu signi et instrumenti intimae cum Deo unionis atque unitatis totius humani generis (57).

Nonnulli Ecclesiae Patres hanc secuti sunt speciem, ut et suam singularibus formis notionem historiae elaborarent sensumque humani laboris, qui contendit ad se transcendentia semperque coniunctione cum opera Christi definita. Aliis verbis in doctrina Patrum tam historia quam hominis labor in optimam partem accipi potest, id est perenne bonum quod rerum ab homine perfectarum est proprium, quippe quae sint a Christo redemptae promissoque Regno destinatae (58).

Pariter proprium est antiquissimae doctrinae actionisque Ecclesiae pro certo hoc habere, sua se vocatione iuberi — seipsam suosque administros et singulos Christifideles — ut miseriis aegros levet, sive proximos sive disiunctos, non modo « supervacaneis » rebus, sed suis etiam bonis. Necessitate urgente, nefas quidem est aliis necessitatibus pulchritudinem templorum divinique cultus splendor em anteponere, quin etiam ex contrario optabile est ut ea omnia abalienentur, ut panis et potus et vestimentum et domus indigentibus tradantur (59). ut iam dictum est, hic quidam « praestantiorum bonorum ordo» nobis exhibetur — idemque in regione iuris possidendi — inter ea, quae « possidentur » et ea, quae « sunt», praesertim cum ipsum « possidere », nonnullorum proprium, ipsum « esse » tot aliorum laedere potest.

Paulus PP. VI, in Litteris Encyclicis, quas diximus, eiusmodi doctrinam sequitur, pastorali sane ductus Constitutione a verbis Gaudium et Spes (60) incipiente. Quod autem ad Nos attinet, denuo de rei gravitate ac necessitate instare cupimus, dum Domini auxilium imploramus, ut omnes Christifideles constanter rem in usu et agitatione vitae ad effectum deducant.

32. Officium insistendi in « populorum progressionem » haud nudum est debitum singulare, nedum sit privatum omnino, perinde ac si seorsum quisquam molimentis suis id consequi possit. Sane vis est necessitatis, quae omnes ac singulos cogit viros ac mulieres, societates ac Nationes; singilla tim cogens Ecclesiam Catholicam necnon reliquas Ecclesias et ceteras Comffiunitates ecclesiales, quibuscum cooperari hac in re plane parati sumus. Hac de re, ut nos Catholici invitamus fratres Christianos ad nostra consilia participanda, ita et paratos nos dicimus ad eorum consilia adiuvanda eorumque invitationes excipimus. Hanc inquirentes progression em totius hominis efficacius una cum studiosis aliarum religionum operari possumus, quem ad modum ceteroqui iam variis in locis accidit.

Progressioni « totius hominis » et « omnis hominis » cooperari est officium omnium hominum erga omnes, quod uno eodemque tempore quattuor partium orbis terrarum commune esse debet: Orientis et Occidentis, Septentrionum et Meridiei; vel, ut hodierna utamur locutione, plurium « Mundorum

Si contra opera datur, ut id una in orbis parte ad effectum adducatur, tunc cum damno perficitur ceterorum magno; ibique, ubi rei fit initium, ceteris neglectis, eo ipso res corrumpitur vel in peius abit.

Populi vel Nationes habent et ipsi ius ad plenam sui progressionem, quae si partes oeconomicas et sociales — ut dictum est — prae se fert, necesse tamen est ut et humano cultu cuiusque proprio constet, utque rebus naturam transcendentibus plane patescat. Ne necessitatem quid em progressionis interponere licet, ut quis suam aliis imponat rationem vivendi vel suae religion is legem.

33. Nec vere dignum homine esset genus progressionis, quod hominis iura, personam, societatem, oeconomiam et artem rei publicae administrandae, simulque Nationum et populorum iura non coleret nec proveheret.

Hodie clari us fortasse quam antea repugnantia agnosci tur intima progressionis terminis circumscriptae solummodo oeconomicis, quandoquidem haec facile personam humanam eiusque maximas necessitates subigit condicionibus praestitutae rerum oeconomicarum ordinationis et unius quaestus.

Conexio intima, quae intercedit inter veram progressionem et iurium hominis observantiam, ostendit etiam eiusmodi progressionis indolem moralem: vera hominis altitudo, vocationi naturali et historicae cuiusque consentanea, non comparatur solo usu copiae bonorum vel ministeriorum vel facultate opum technicarum, quae « substructiones » appellantur.

Cum in societate personae et communitas, quae solet populus vocari, rigide servari non vident morum postulata, culturae et spiritus, quae dignitate nituntur personae humanae et propria cuiusque communitatis natura, imprimis familiae et societatum religiosarum, cetera omnia — bonorum abundantia, technicorum inventorum affiuentia in vitam cotidianam adhibitorum, quidam rerum prosperarum gradus — improbabuntur et, procedente tempore, spernentur. Id clare Dominus in Evangelio confirmat, admonens omnes de bonorum ordine vero: « Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? » (Mt 16, 26).

Vera progressio, secundum necessitates hominum proprias, viri vel mulieris, pueri vel senis, ab omnibus, qui naviter huic progressioni intersunt eiusque sunt fautores, in primis vivam postulat conscientiam momenti iurium omnium et uniuscuiusque, necnon necessitatis iuris tuendi, quod cuique est, ex quo plene uti valeat beneficiis, scientia et technica arte praebitis.

In rebus domesticis omnis nationis magnum pondus habent totius seriei iurium observatio, praesertim iuris ad vitam, omni exsistentiae momenta; iurium familiae, uti communitatis humani generis primae seu « cellulae»; iustitia in laboris rationibus; iura ad vitam communitatis politicae pertinentia qua talis; iura posita in hominis vocatione divina, rerum naturam transcendente.

In ordine internationali, seu rerum publicarum necessitudinum, vel, secundum sermonem, quo utuntur, diversorum « mundorum », necessaria est plena cuiusque populi identitatis et eodem tempore eius historiae et culturae proprietatum observantia. Item necessarium est, sicut iam ominabantur Litterae Encyclicae, quas verba inchoant Populorum Progressio, omni populo facultatem facere sedendi « ad mensam convivii communis » (61), potius quam extra portam iacendi, sicut Lazarus iacebat, dum « canes veniunt et lingunt ulcera eius » (cfr. Lc 16, 20). Tum populi tum singulae personae debent aequatione fundamentali (62) frui, qua nititur, exempli gratia, Charta Societatis Nationum Unitarum: quae aequatio fundamentum est iuris omnium processuum plenae progressionis participandi.

Ut talis sit, progressio facienda est in mutua hominum necessitudine et libertate, nec umquam harum utra ulla causa est excludenda. Progressionis natura moralis et necessaria provectio augentur respectu omnium necessitatum, quae oriuntur ex ordine veritatis et boni, hominis proprii. Christianus insuper, educatus ad videndam in homine Dei imaginem, vocatam ad plenam participandam libertatem plenum que bonum, quod Deus Ipse est, studium progressus eiusque effectionis sensu carens putat sine observantia et obsequio dignitatis unicae huius « imaginis ». Ut alia utamur locutione, verus progressus ponendus est in Dei proximique amore debetque usui

favere personarum cum societate. Ecce « civilis cultus amoris », de quo tam frequenter Paulus PP. VI loquebatur.

34. Progressus indoles moralis discedere ne potest quidem ab obsequio erga entia, quae naturam visibilem efficiunt, quamque Graeci, significantes sane ordinem, quo illud eminet, « cosmum » vocabant. Suo modo etiam hae res observantiam poseunt, ob triplicem considerationem, multis cogitationibus perpendendam. Prima consistit in opportunitate intellegendi magis magisque non posse impune varia entium genera adhiberi, nee vivo rum nec inanimorum — arborum, animalium, elementorum naturalium — proprio arbitrio, pro euiusque necessitatibus oeconomicis. Oportet contra aestimetur uniuscuiusque entis natura et mutua conexio in ordine composito, qui quidem est cosmus.

Secunda consideratio innititur vero in animadversione, urgentiore quidem, opes naturae circumscriptas esse, quarum nonnullae refici, ut dicitur, non possunt. Si dominio adhibentur absoluto, quasi inexhaustae sint, grave periculum est ne non solum aetatibus futuris, sed ne praesenti quidem in promptu sint.

Tertia consideratio apertius pertinet ad exitus cuiusdam generis progressionis pertinentes ad condicionem vitae, quae agitur in regionibus officinis affiuentibus. Omnes novimus invectionis quaestuosae industriae consecutionem esse frequentiorem in dies circumfusi aeris contaminationem, cum valetudinis incolarum detrimento.

Evidens etiam est progressum, voluntatem praestitutae rerum ordinationis, qua ille regitur, opum usum modumque his utendi non posse ex observantia legum moralium eximi. Harum legum una sine dubio naturae visibilis usum circumscribit. Dominium a Creatore homini datum utpote divinae imagini (cfr. Gen 1, 26) non est absolutum, nec licet « utendi et abutendi » arbitrium affirmare, vel ex commodo res disponendi. Modus, quem inde a principio ipse Creator homini imposuit quique symbolica ratione exprimitur per interdictionem « comedendi de ligno » (cfr. Gen 2, 16-17), satis clare ostendit in universitate naturae visibilis et elementorum, ex quibus constat « cosmus », nos legibus esse subiectos, non solum biologicis, verum etiam moralibus, quae impune violari nequeunt.

Recta progressus notio non potest hanc seriem neglegere considerationum - ad usum elementorum naturae pertinentium, ad opum renovationem et ad detrimenta quaestuosae immoderataeque industriae — quae nostrae conscientiae momentum morale proponunt, ex quo dignoscendus est processus (63).

V

35. Quoniam progressus est magna parte indolis moralis, patet idem affirmandum esse de impedimentis, quae ei obstant. Si annis actis post vulgatas Litteras Encyclicas, quae inscribuntur Populorum Progressio, progressus defuit — aut parvus fuit, inconstans, si non omnino contradictorius causae non possunt ex sola origine oeconomica oriri. ut iam antea memoravimus, hac in re causae etiam « politicae » se interponunt. Rationes enim, quae « populorum progressionem » provehunt aut infrenant, nonnisi indolis « politicae » sunt. Ut perversae machinationes superentur, de quibus diximus, et iis novae subiciantur rectiores et bono communitatis communi congruentiores, necessaria est efficax voluntas « politica ». Re indagata, est concludendum hanc non sufficientem fuisse.

In documento pastorali, ut hoc est, indagatio, quae causas oeconomicas et politicas solum expendat minoris prosperitatis et incrementi (et, portione necessaria servata, etiam maioris

prosperitatis et auctus), est imperfecta. Sunt inde causae indolis moralis inveniendae, quae industriae hominum, utpote personarum moraliter officiis astrictarum, intersunt ut progressionis cursum frenent et plenam eiusdem impediant adeptionem.

Pariter, cum praesto sunt opes scientiae et technicae, quae necessariis consiliis politicis intervenientibus, possunt et debent ad populos incitandos tandem in verum progressum prodesse, sola consilia natura sua moralia, quae credentes, praesertim christiani ponunt in fidei principiis, omnia removebunt, quae obstant et impediunt, gratia divina auxiliante.

36. Est inde animadvertendum mundum, in adversarum nationum compages divisum, rigidis fultum doctrinis, in quo, potius quam copulatio inter se, ut talis agnita et consensione roborata, imperii libidinis diversae dominantur formae, esse non posse nisi mundum « structuris peccati» obnoxium.

Iniquarum causarum summa, quae agunt contra veram conscientiam boni communis universalis et necessitatis ei favendi, videtur condicionibus astringere personas et institutiones, victu difficilibus (64).

Si praesens status tribuendus est condicionibus diversae indolis, alienum non est de « structuris peccati » loqui, quae, ut diximus in Adhortatione Apostolica Reconciliatio et Paenitentia, peccato personali inhaerent et ideo actibus personarum definitis annectuntur, quae eas inducunt, confirm ant efficiuntque ut difficile diruantur (65). Hinc corroborantur, diffunduntur atque aliorum peccatorum fons fiunt hominum mores condicionibus astringendo.

« Peccatum » et « structurae peccati » genera sunt, quae non saepe usurpantur in statum mundi huius temporis. Sed res, quas ante oculos habemus, non acriter intelleguntur, nisi malorum origini, quae patimur, nomen imponimus.

Verba fieri possunt de « nimio sui amore » deque « brevi visione »; potest mentio fieri de « consiliis poli ticis mendosis », de « imprudentibus oeconomicis consultis ». Et quaevis harum nominationum vocem resonat ethicam moralem. Hominis condicio talis est, ut difficilem reddat actionum et omissionum personarum acriorem inquisitionem, quae aliquo modo iudicia vel designationes naturae ethicae non comprehendat.

Haec consideratio utilitatem habet, praesertim .si usque ad extrema consequens fit et in fide Dei et in eius lege fundatur, quae bonum iubet et malum prohibet.

In hoc differunt quidam typus inquisitionis socialis-politicae et respectus formalis ad « peccatum » et ad « structuras peccati ». Pro hac visione agunt Dei voluntas ter Sancti, eius de hominibus consilium, eius iustitia eiusque misericordia. Deus dives in misericordia, redemptor kominis, Dominus et auctor vitae, ab hominibus agendi modo; exigit accuratos etiam in actionibus et praetermissionibus erga proximum. Hic « secundue tabulae » decem mandatorum memoria renovatur (cfr. Ex 20, 12-17; Dt 5, 16-21); horum violatione Deus offenditur et proximus laeditur, cum in mundum condiciones introducantur et impedimenta, quae multum actus et brevem hominis vitam transcendunt. Intervenitur etiam cursui progressionis populorum, cuius mora vel tarditas hac luce collustrante iudicandae sunt.

37. Huic inquisitioni vagae indolis religiosae nonnullae addi possunt subtiliores indagationes, ut animadvertatur ex actibus et habitibus, qui Dei voluntati obsistunt et bono proximi, et « structuris », quas ii inducunt, duos praecipue hodie magis proprios videri: hinc solam quaestus cupiditatem et illinc dominii sitim cum proposito ceteris imponendi propriam voluntatem. Horum habituum

cuilibet, quo melius significetur, expressio addi potest: « pretio quantocumque ». Scilicet agitur de dominatu humanarum voluntatum deque exitibus, qui inde sequi possunt.

Quamquam seiungi possunt et altera sine altera exsistere ambae illae agendi rationes — in prospectu, qui patet ante oculos nostros — indissolubili modo sunt coniunctae — etsi utravis plus valet.

Ut par est, huius duplicis rationis veluti peccati victimae non solae personae sunt; possunt esse etiam Nationes et adversae Nationum Consociationes. Rocque magis « structurarum peccati » introductioni favet, de quibus diximus. Si quaedam hodierni studii dominandi formae harum normarum moralium luce considerarentur, aliqua detegerentur consilia, specie solum ob oeconomiam vel rei publicae administrationem capta, vere formas abscondere idololatriae: pecuniae, doctrinae, classium, technologiae.

Hanc indagationis formam inserere voluimus, ut ante omnia indicaremus qualis sit mali vera natura, quod perspicere debemus in « populorum progressionis » quaestione: agitur de malo morali, multorum peccatorum exitu, quae ad « peccati structuras » adducunt. Hoc modo considerationem intendere in malum significat, secundum human am disciplinam, apte viam sequendam cognoscere, ut illud superetur.

38. Est hoc iter longum et implicatum, in quod insuper minae constanter impendent, tum ob intimam propositorum et operum humanorum fragilitatem, tum ob adiunctorum externorum mutabilitatem, quae praevideri non possunt. Eiusmodi tamen iter oportet animose suscipiatur et, ubi aliqui gradus facti sunt vel spatii pars transmissa, ad finem usque perveniatur. In his considerationibus consilium viam ingrediendi vel iter pergendi vim habet praecipue moralem, quam viri et mulieres credentes agnoscunt uti Dei voluntate exaetam, quae unicum verum fundamentum est ethicae omnino obligatoriae.

Optabile est viros quoque et mulieres apertae fidei expertes persuasum sibi habere impedimenta ad plenum progressum opposita non esse solum indolis oeconomicae, sed pendere ex altioribus rationibus, quas homo existimare potest bona absoluta. Qua re sperandum est fore ut quotquot, varia mensura, erga suos similes « humanioris vitae» officio obstringuntur, sive fide religiosa moti, sive non moti, plene conscii fiant necessariam esse mutationem habituum spiritalium, qui indicant cuiusque hominis necessitudines secum ipso, cum proximo, cum humanis communitatibus, vel maxime longinquis, cumque natura; ob bona superiora, uti bonum commune, vel, ut acuta utamur elocutione Litterarum Encyclicarum Populorum Progressio, incrementum plenum « omnis hominis et omnium hominum » (66). Quod ad christianos attinet, sicut et ad omnes, qui vocis « peccati» expressam significationem theologicam agnoscunt, mutatio rationis vivepdi et mentis vel modi, quo quis est, sermone biblico vocatur « conversio » (cfr. Mc 1, 15; Lc 13, 35; Is 30, 15). Haec conversio indicat proprie necessitudinem cum Deo, cum culpa commissa cumque eius exitibus, et ideo cum proximo, tum persona, tum communitate. Deus est, in « cuius manibus sunt corda potentium et omnium corda » (67), is qui potest, iuxta suam promissionem, opera Spiritus Sancti, « corda lapidea » in « corda carnea » mutare (cfr. Ez 36, 26).

In itinere optatae conversionis versus superationem moralium impedimentorum, quae progressioni obstant, iam indicari potest ut bonum definitum et morale maior intellegentia homines et nationes copulari inter se. Quod viri et mulieres, in variis mundi partibus, tamquam proprias sentiunt iniustitias et violationes iurium humanorum longinquis in regionibus aetas, quas numquam fortasse visent, aliud est signum quendam eventum esse mutatum in conscientiam et notam moralem esse consecutum.

Agitur ante omnia de mutua copulatione, quae recipitur uti systema praeponderans rationum in mundo nostri temporis, in eius partibus, seu oeconomia, cultura, res public as administrandi scientia, religione, et ut genus morale assumitur. Cum ita mutua copulatio agnoscitur et assumltur, ei respondet, tamquam habitus moralis et socialis, tamquam « virtus », consensio; quae igitur non simplex est et vagus misericordiae sensus vel levis miseratio tot personarum malis tributa, vicinarum aut longinquarum; sed est contra voluntas firma et cons tans bonum curandi commune, seu bonum uniuscuiusque et omnium, quia omnes vere recipimus in nos.

Haec voluntas innititur radicata persuasione illa lucri cupiditate ac siti dominii, quam memoravimus, plenam coerceri progressionem. Eiusmodi « agendi rationes» et « peccati structurae » solum vincuntur — gratia divina adiuvante — longe alio modo: cura videlicet boni proximi una cum animo se, iuxta evangelicum sensum, pro alio perdendi, potius quam eo abutendi, eique « serviendi » potius quam illum ob sui utilitatem opprimendi (cfr. Mt 10, 40-42; 20, 25; Mc 10, 42-45; Lc 22, 25-27).

39. Consensionis exercitium in omni societate efficax est, cum eius participes se viclssim agnoscunt ut personas. Qui plus pollent, quia maiora habent bona et communes apparatus, sentiant se esse humiliorum cautores et paratos ad ea communicanda cum iis, quae possident; debiliores vero, eandem sequentes consensionem, non desidi agendi modo se gerant vel ordinis societatis destructivo, sed, quamvis legitima sua vindicent iura, id faciant, quod ad eos spectet, pro omnium bono. Coetus autem interpositi ne contend ant solummodo de sua peculiari utilitate, sed aliorum causas observent.

Signa valentia hac aetate sunt acrior conscientia consensionis pauperum inter se, eorum mutui auxilii interventus, pubblici concursus in scaena societatis, quibus non vi utuntur, sed suas necessitates significant suaque iura contra inefficaciam aut corruptelam rei publicae auctoritatum. Ex suo munere evangelico, Ecclesia sentit se vocari ad vigilandum pro pauperum multitudinibus, ad discernendas iustas eorum postulationes, ad conferendum ut eae efficiantur, etsi non sit ei bonum commune coetuum praetermittendum.

Eadem regula per similitudinem adhibetur in consuetudinibus gentium. Mutua copulatio mutanda est. in concordiam, posit am in principio omnia naturae bona esse omnibus destinata. Quae humana industria edit materias primas elaborando, bono omnium debent, labore iuvante, prodesse.

.Declinatis studiis omne genus dominandi et conatibus suum servandi imperium, Nationes fortiores et ditiores officio astringuntur sentiendi sibi moraliter causam ceterarum in se esse transferendam, ut verum systema gentium instituatur, quod consistat in fundamento aequitatis omnium populorum et in necessaria legitimarum diversitatum observantia. Nationes oeconomia tenuiores, vel paene superstites, aliis populis opitulantibus et communitatibus mundanis, possunt et debent ipsae quoque potestatem habere ad bonum commune conferendi suis humanitatis et cultus thesauris, qui secus in perpetuum amitterentur.

.Consensio nos adiuvat ad videndum « alterum » — personam, populum vel Nationem — non tamquam quodlibet instrumentum ut parvo sumptui habeamus eius laborandi facultatem et corporis firmitatem, eumque relinquamus, cum non iam utilis sit, sed tamquam nostrum « similem», tamquam « adiutorem» (cfr. Gen 2, 18. 20), quem participem faciamus, similiter ac nos, vitae convivii, ad quod omnes aeque homines invitantur a Deo. Hinc momentum excitandi conscientiam religiosam et hominum et populorum.

Hoc modo excluduntur abusus, oppressio, ceterorum exitium. Haec facta, in praesenti mundi divisione in adversarum nationum compages, in belli periculum confluunt et in nimiam propriae securitatis sollicitudinem, non sine detrimento, saepe, libertatis, liberae auctoritatis, ipsiusque territorialis integritatis Nationum debiliorum, quae « in finibus aliorum principatuum tenentur » vel in « cincturis securitatis ».

« Structurae peccati » et peccata, quae ad eas ducunt, paci et progressioni tantadem vi se opponunt, quandoquidem progressio, iuxta notam Litterarum Encyclicarum Pauli PP. VI expressionem, est « novum nomen pacis » (68).

Consensio ita, quam Nos proponimus, est simul via ad pacem et ad progressionem. Pax mundi namque ne in cogitationem quid em cadit, nisi ii, qui in haec incumbunt, agnoscunt mutuam copulationem exigere superationem rationis politicae « adversarum nationum compagum », reiectionem cuiuslibet formae dominandi, ad oeconomiam, militiam vel politicam artem pertinentis, et mutation em mutuae diffidentiae in consociatam operam, quae sane actus proprius est consensionis inter homines et Nationes.

Sententiola Pontificatus Decessoris Nostri rec. memo Pii XII fuit Opus iustitiae pax: pax quidem ut iustitiae fructus. Hodie dici potest, eadem cum subtilitate eademque cum vi inspirationis biblicae (cfr. Is 32, 17; Gc 3, 18), Opus hominum coniunctionis pax.

.Pax, quam omnes tam vehementer exoptant, comparabitur sane iustitiae socialis et internationalis effectione, sed etiam exercitatione virtu turn, quae convictioni favent docentque nos coniunctim vivere, ut coniuncti, dantes et accipientes, mundum aedificemus meliorem.

.40. Non est dubium quin solida hominum coniunctio virtus sit christiana. lam in iis quae supra exposuimus, animadverti licebat plures rationes intercedere inter earn et caritatem, quae est proprietas, qua discipuli Christi cognoscuntur (Cfr. Io 13).

Lumine fidei praefulgente, coniunctio illa se ipsam nititur superare, nititur rationes speciali modo christianas plenae donationis gratuitae induere, veniae et reconciliationis Quo fit ut proximus non sit solum ens humanum, praeditum iuribus suis et fundamentali aequalitate coram universis. Fit vero imago viva Dei Patris, sanguine lesu Christi redempta et permanenti actioni Spiritus Sancti subiecta. Proximus ergo amari debet, etsi est inimicus, eodem amore, quo eum Dominus diligit, atque parati simus oportet grave incommodum, etiam supremum, subire, scilicet: « dare animam pro fratribus » (cfr. Io 3, 16).

Tunc conscientia communis paternitatis Dei, fraternitatis omnium hominum in Christo — qui filii in Filio sunt —, praesentiae et actionis vivificantis Spiritus Saneti, faciet ut mundum contueamur nova iudicandi ratione, qua eum intellegamus et explanemus. Praeter vincula humana et naturalia, iam admodum valida et areta, novum ostenditur exemplar unitatis hominum generis, ad quod, ad extremum, revocari debet firma hominum coniunctio. Hoc summum exemplar unitatis, quae est veluti lux repercussa vitae intimae Dei, unius in tribus Personis, est id quod nos christiani nomine « communionis » appellamus.

Quae quidem communio, proprie christiana, quae diligenter observetur, amplificetur, locupletetur Deo opitulante, est quasi anima vocationis Ecclesiae, ex qua sit « sacramentum », sensu supra exposito.

Haque solida hominum coniunctio conferre debet ad efficiendum id consilium divinum turn ad singulos homines quod attinet turn ad societatem nationalem et internationalem. Machinationes perversae et « structurae peccati », de quibus sumus locuti, superari possunt

solummodo per exercitationem solidae coniunctionis humanae et christianae, ad quam Ecclesia hortatur et quam constanter promovet. Sic tantum tot egregiae navitatis copiae totam vim suam effundere possunt ad progressionem et pacem provehendam.

Multi Sancti, ab Ecclesia in Caelitum album relati, mirabilia testimonia exhibent huiusmodi coniunctionis atque exemplo praelucere possunt in difficilibus rerum adiunctis huiusce temporis. Inter cunctos memorare cupimus sanctum Petrum Claver, qui Carthagine Indiarum servis est famulatus, et sanctum Maximilianum Mariam Kolbe, qui vitam suam obtulit pro captivo sibi ignoto in publicae custodiae campo loci Auschwitz-Oswiecim.

VI

41. Ecclesiae praesto non sunt solutiones technicae quaestionis incrementi deficientis ut talis. Quod quidem iam Paulus PP. VI in Encyclicis Litteris, quas commemoramus, affirmavit (69).

Ecclesia enim non systemata vel rationes ordine compositas rerum oeconomicarum et politicarum proponit neque horum alia aliis anteponit, dummodo dignitas hominis recte servetur et promoveatur ac necessarium detur spatium proprio ministerio gerendo in mundo.

Ecclesia vero est « experta in humanitate » (70); quod quidem earn impellit ad missionem suam religiosam necessario dilatandam ad varios campos, in quibus viri mulieresque opus suum exsequuntur, illam in hoc mundo quaerentes felicitatem, etsi angustam, quae dignitati suae ut personarum human arum sit consentanea.

Dicatur oportet iterumque dicatur, exemplo sumpto a decessoribus nostris, nequaquam ad quaestionem « technicam » redigi posse id quod — ut veri nominis progressionem — dignitatem hominis ac populorum tangat. Progressio, si in quaestionem technicam coartetur, vera natura sua nudatur atque actus fit proditionis respectu hominis et populorum, quibus plena cum effectione debet inservire.

En, cur Ecclesiae aliquid sit hodie dicendum, perinde atque ante viginti annos ac tempore futuro, de natura, condicionibus, postulatis, finibus germanae progressionis necnon de impedimentis, quae hic obiciuntur. Ecclesia, id agens, munus evangelizandi adimplet, quoniam primum adiumentum ad progressionis quaestionem, ad praesentia maxime pertinentem, est pronuntiatio veritatis de Christo, de Ecclesia, de homine, ad certam ac definitam aliquam condicionem traductae (71).

Ad hoc assequendum Ecclesia, ut instrumento, sociali sua utitur doctrina. In huius aetatis discrimine ut sive solutio quaestionum propositarum sive recta earum constitutio iuventur, multum valeret accuratior cognitio et latior dittusio « summae principiorum cogitandi, criteriorum iudicandi, normarum agendi, quae eius doctrina exhibentur » (72).

Ita statim animadverteremus quaestiones, nobis aggrediendas, esse imprimis morales et neque enodationem problematum in progressione ut tali vertentium, neque instrumenta ad difficultates huiusce temporis superandas ab hac essentiali ratione posse separari.

Socialis doctrina Ecclesiae non est « tertia via » inter capitalismum liberalem, qui dicitur, et collectivismum Marxianum, ut item aiunt, neque optio, quae fieri possit ut aliae solutiones inveniantur non ita funditus sibi oppositae, sed proprium ac peculiare genus efficit. Neque est ideologia, sed accurata enuntiatio fructuum perdiligentis considerationis, qua perplexae veritates, quae sunt reapse, exsistentiae hominis comprehenduntur, ac quidem in societate et compage internationali, luce fidei ac traditionis ecclesialis affulgente. Eius finis praecipuus eo

pertinet ut hae veritates, re existentes, interpretatione explicentur, quatenus perspiciatur utrum eae congruant an dissimiles sint normis doctrinae evangelicae de homine deque eius vocatione terrena ad pacem human a transcendentem persequendam; ut christianus sese gerendi habitus recte dirigatur. Doctrina igitur illa non ideologiae sed theologiae ac quidem theologiae morali accensetur.

Traditio ac diffusio doctrinae socialis pars sunt missionis evangelizandi, quae est Ecclesiae propria. Quoniam vero de doctrina agitur eo pertinente ut modus se gerendi personarum recte dirigatur, inde consequenter manat « officium pro iustitia suscipiendum » secundum munus, vocationem, condiciones cuiusque.

Ad exercitationem ministerii evangelizationis in re sociali — quod est facies muneris prophetici Ecclesiae — pertinet etiam denuntiatio malorum et iniustitiarum. Oportet tamen declarare annuntiationem semper maioris momenti esse quam denuntiationem et hanc seiungi non posse ab illa quae ei veram firmitatem ac vim summarum causarum exponendarum tribuit.

42. Socialis doctrina Ecclesiae hac aetate, magis quam antea, impellitur ut prospectui internationali patescat, congruenter quidem Concilio Vaticano II (73), pontificiis Litteris Encyclicis recentioribus (74), maxime vero illis, quas commemoramus (75). Haque non est supervacaneum, harum rerum habita ratione, argumenta et normas directorias peculiares, quae Magisterium proxime praeteritis annis denuo pertractavit, iterum perquirere altiusque perspicere.

Volumus autem unum ex his in lumine ponere: optionem pauperum et amorem potiorem erga eos. Est haec sane optio seu singularis forma primarum partium tenendarum in caritatis christianae exercitatione, quam tota Ecclesiae Traditio testatur; quae ad vitam uniuscuiusque christi ani refertur, quatenus hic vitam Christi imitatur. Verumtamen pariter ad otficia nostra socialia traducitur, quibus devincimur, ideoque ad vitae nostrae ducendae rationem, ad decisiones consentanee faciendas circa proprietatem usumque bonorum traducitur.

His vero temporibus, quoniam amor potior pauperum, una cum deliberationibus inde in nos manantibus (76), omittere non potest quin ingentes complectatur multitudines fame laborantium, mendicorum, tecto carentium, quibus curatio medica deest, ac praesertim qui spe aetatis futurae melioris sunt destituti; fieri non potest quin harum rerum veritas agnoscatur. Earn ignorare idem valeret ac « diviti epuloni » assimilari, qui confinxit se Lazarum mendicum non cognoscere, qui « iacebat ad ianuam eius » (cfr. Lc 16, 19-31) (77).

Vita nostra cotidiana hac rerum veri tate notetur oportet; item decisiones nostrae in re politica et oeconomica. Pariter ii qui onus et munus nationum ipsorumque institutorum regendorum gerunt — dum officio obstringuntur in consilia sua, quae potiora sunt, veram rationem humanam inferendi — ne obliviscantur augescentis egestatis phaenomeno primas tribuere partes. Pauperes enim, pro dolor, nedum imminuantur, numero augentur non solum in regionibus minus excultis, sed etiam — quod non minoris scandali est causa — in iis quae maiore progressione pollent.

Oportet meminisse iterum principii typici doctrinae socialis christianae: bona huius mundi primitus omnibus destinantur (78). Ius possessionis privatae est quidem probandum ac necessarium, sed vim principii memorati nullatenus infringit. « Pignori enim sociali » (79) illa subicitur, id est in iis agnoscitur, quasi peculiaris et intima nota, munus sociale, quod in ipso principio addictionis universalis bonorum innititur eoque comprobatur.

Nec neglegenda est, quod attinet ad hoc officium pro pauperibus, peculiaris illa forma paupertatis, quae privatio est iurium fundamentalium personae humanae, praesertim privatio iuris ad libertatem religiosam et iuris etiam in re oeconomica incepta ineundi.

43. Sollicitudo animos exstimulans de pauperibus, qui secundum significantia verba sunt « pauperes Domini » (80), transferatur oportet, in omnibus gradibus, in actus « concretos », adeo ut cum animi firmitate ad continuas reformationes necessarias perveniatur; quarum urgentiores cognoscere atque modi eas ad effectum adducendi e singulis condicionibus 10 corum pendent. Non tamen licet oblivisci earum, quae statu inaequalitatis internationalis, quem descripsimus, postulantur.

Singillatim, ad haec quod spectat, memorare volumus reformationem internationalis systematis commercii, quod quidam nimio favore et synallagmaticis commutationibus sibimet vindicant; reformationem praeterea nummariam et fiscalem per orbem terrarum, quod hodie insufficiens esse agnoscitur; quaestionem permutationum technologicarum earumque aptus usus; necessitatem recognoscendi structuram institutorum internationalium, quae nunc sunt, intra ambitum ordinis iuridici internationalis.

Systema internationale commercii hodie saepe discriminat ea quae in regionibus minus progressis quaestuosa industria inchoata pariuntur, dum effectores materiarum primarum, quae vocantur, affligit. Est praeterea quasi quaedam internationalis partitio operis, ob quam parvi pretii bona effecta alterius partis orbis terrarum, cum legibus efficacibus ad laborem pertinentibus careat aut minus valeat eas in vitae usum traducere, in altera parte insigni lucro venduntur ad utilitatem societatum bonis gignendis, quae huiusmodi rationi bona efficiendi sese dant, quae nullis finibus circumscribitur.

Systemati nummario et fiscali per orbem terrarum vigenti id est proprium et peculiare ut methodi permutationis et quaestus faciendi varientur, quo fit ut generalis ratio creditorum ac debitorum ac status aeris alieni, quibus regiones pauperes conflictantur, inde capiat detrimentum.

Res technologicae earumque permutatio unam e praecipuis quaestionibus reciprocarum commutationum internationalium et, quae inde oriuntur, gravium damnorum efficiunt. Nec raro contingit ut regionibus minus progressis res technologicae necessariae denegentur aut inutiles mittantur.

Instituta vera intemationalia, multorum sententia, in exsistentia sua ad id pervenisse videntur ut rationes munera sua gerendi, pretia laboris eorumque efficientia attente recognoscantur oporteat et fortasse emendationes postulentur. Ut liquet, tantae prudentiae rerum processus peragi nequit nisi socia omniam opera. Postulatur enim in antecessum ut aemulationes politicae superentur et a voluntate discedatur iisdem institutis utendi quasi instrumentis pro proprio emolumento, cum ipsa ratio, cur ea sint, sit bonum commune.

Instituta et corpora eiusmodi, quae sunt, populorum commodo sine ulla dubitatione operando servierunt. Verumtamen hominum genus, coram novo ac difficiliore spatio verae suae progressionis, altiore gradu temperationis intemationalis indiget, quae societati, rei oeconomicae et animorum culturae per totum orbem terrarum consulat.

44. Progressio imprimis animum ad res faciendas promptum a regionibus postulat, quae eo indigent (81). Unusquisque secundum responsale suum officium rem gerere debet nec licet omnia ab opulentioribus exspectare, estque agendum operam cum aliis sociando, qui in eadem versantur condicione. Unusquisque, quantum prorsus fieri potest, detegat oportet et in aliorum

utilitatem convertat proprium libertatis locum. Unusquisque etiam oportet sic instituatur ut incepta valeat inire, apta ad societatis necessitatibus satisfaciendum. Unusquisque demum conscius fieri oportet necessitatum, quae habentur, iurium et officiorum, quibus astringitur, ut necessitates illas expediat. Populorum Progressio ex officio, quo quisque devincitur ad sui ipsius profectum, oritur atque, cum aliis cooperando, aptissime ad effectum deducitur.

Id igitur refert ut ipsae nationes minus progressae, quantum potissimum fieri possit, foveant modum, ex quo quisque civis suo ipsius conatu valescat eo quod ei aditus patet ad ampliorem cultum humanum et ad liberum commercium nuntiationum. Ad veram progressionem proxime confert quidquid alphabeticae institutionis inductioni et educationi elementariae prodest, quae illam perpolit et complet, quemadmodum in Litteris Encyclicis a verbis Populorum Progressio incipientibus proponitur, quae tamen proposita in tot orbis terrarum partibus ab effectione tam longe absunt.

Nationes ipsae ut hanc viam ingrediantur, ea perspiciant oportet quae sibi ut priora sunt agenda, atque perscrutentur suas necessitates, pro peculiaribus suae gentis condicionibus, suo situ finium, suis traditionibus culturalibus.

Quaedam nationes effectionem alimentorum oportet adaugeant, ut necessaria ad victum et vitam semper habeant in promptu. In mundo huius temporis — ubi tot fame pereunt, praesertim inter infantes — non desunt exempla nationum minus progressarum, quae effecerunt ut propriarum rerum esculentarum sufficientiam, quam sibi proposuerunt, consequerentur adeo, ut exportare valerent.

Aliae nationes quasdam structuras suas iniustas reforment oportet praesertim instituta sua politica, eo consilio ut pro regimine corrupto, dictatorio vel imperioso formam democraticam et participalem substituant. Est quidem processus, quem propagari et solidari cupimus, quia prosperitas alicuius communitatis politicae — quatenus cunctorum civium libera participatione et responsali officio circa publicam rem, iuris securitatem, respectum et promotionem iurium humanorum manifestat — necessaria est condicio ac praesidium progressionis « totius hominis et omnium hominum ».

45. Ea qua diximus, ad effectum deduci non possunt nisi omnes sociam operam praestant, praesertim communitatis internationalis, ac quidem intra amplos fines solidae hominum coniunctionis, quae omnes vale at complecti, initio sumpto ab iis qui in extremas societatis partes sunt detrusi. Tamen nationes minus progressae officio tenentur inter ipsas et cum regionibus maxime in extremas partes detrusis solid am illam coniunctionem exsequendi.

Exoptandum est, ut exemplum subiciamus, ut nationes eiusdem plagae rationes cooperandi constituant, quibus effectoribus bonorum validioribus minus sint obnoxiae; bonis in eadem plaga partis fines aperiant; rationes fortasse perpendant, quibus res vicissim compleantur; sese consocient ad ministeria sibi comparanda, quae singulae solae suppeditare non possunt, cooperationem illam ad rem nummariam et fiscalem proferant.

Mutua obnoxietas in compluribus harum regionum reapse iam habetur. Eius agnitio, eo pertinens ut magis actuosa reddatur, optio est adversus illum rerum statum, quo aliqua regionibus ditioribus et potentioribus est nimis obnoxia, in ipso ordine expetitae progressionis; quo non fit ut ulli aliqua opponatur sed ut proprias facultates detegat atque frugiferas reddat. Regiones minus progressae eiusdem plagae, iis non exceptis, quae verba « Meridiei » comprehenduntur, efficere possunt ac debent — quemadmodum fieri iam incipit cum eventibus,

de quibus bene licet sperare — nova corpora regionalia, quae criteriis aequalitatis, libertatis, participationis secundum universorum consensionem ducantur.

Solida hominum coniunctio universalis postulat, ut condicionem pernecessariam, suis legibus vivendi potestatem et liberam ipsius animi promptitudinem, etiam apud consociationes, quas memoravimus; verum etiam promptum animum ad necessaria incommoda accipienda in bonum communitatis totius mundi.

VII

46. Populi et singuli homines suam ipsorum liberationem affectant; quorum plena progressio est signum eorum desiderii eo pertinentis ut multiplices coactiones superentur, quibus impediunturne « vita humaniore » fruantur.

Recens, spatio temporis, quod editas Litteras Encyclicas, e verbis Populorum Progressio nuncupatas, est subsecutum, in quibusdam Ecclesiae catholicae partibus, praesertim in America Latina, quae vocatur, novus modus invaluit quaestiones miseriae ac deficientis progressus aggrediendi, eo quod liberatio facta est genus fundamentale primumque principium actionis.

Praestantia bona, sed etiam errores atque pericula errorum, qui cum huiusmodi rationibus rem considerandi ac theologice enucleandi conectuntur, a Magisterio ecclesiastico congruenter sunt enuntiata (82).

Addere expedit studium liberationis a quovis modo servitutis, ad hominem et societatem quod attinet, esse desiderium praecelsum et maxime probandum, cum eo progressio proprie spectet, vel potius liberatio et progressio, intimi nexus inter utramque rem habita ratione.

Progressio autem solum oeconomica ad hominem liberandum non valet, quin, contra, eum magis in servitutem redigere potest. Progressio enim, quae non complectitur hominis rationem culturalem, naturam transcendentem, religiosam, prout suam exsistentiam agnoscit et proposita sua et ea quae priora habet per eam dirigere, eo minus ad veram confert liberationem. Homo plane liber est solum, cum est suus, plenitudine fruens iurium suorum et officiorum. Idem de societate est dicendum.

Praecipuum impedimentum superandum ut ad veram liberationem perveniatur, est peccatum atque illae quasi structurae peccati, inde exortae, quod id gradatim multiplicatur et propagatur (83).

Liberatio, qua Christ us nos liberavit (cfr. Gal 5, 1) (84), nos excitat ut in omnium servos convertamur. Ita cursus progressionis et liberationis solida hominum coniunctio reapse efficitur seu exercitatio caritatis et servitium proximi, praesertim pauperiorum. « Etenim ubi desunt veritas et amor processus liberationis ducet ad mortem libertatis, cui nullum futurum firmamentum erit » (85).

47. In summa rerum acerbarum, quas proxime praeteritis annis sumus experti, et in conspectu, maximam partem improbando huius temporis, Ecclesia vehementer debet affirmare possibilitatem et certitudinem superationis eorum quae sive nimietate sive defectu interponuntur contra progressionem, atque fiduciam in vera liberatione. Quae fiducia et certitudo postremum in Ecclesiae conscientia promissionis divinae innititur, qua spondetur historiam huius temporis non in se clausam manere sed Regno Dei patescere.

Ecclesia autem fiduciam etiam in homine ponit, quamvis depravationem noverit, cuius est capax, quia probe scitlicet peccatum hereditate acceptum obstet, quod in « structuris peccati » facilius

committitur — in persona humana sufficientes inesse qualitates viresque, « bonitatem » fundamentalem (cfr. Gen 1, 31), cum ipse imago sit Creatoris, influxioni redemptrici Christi expositus, qui « cum omni homine quodammodo se univit » (86), et quoniam effie ax actio Spiritus Santi « replevit orbem terrarum » (Sap 1, 7) (87).

Non licet ergo probare neque desperationem neque mentem omnia in deterius referentem neque inertiam. Est enim hoc dicendum etsi cum animi amaritudine: ut peccari potest nimio studio sui ipsius, nimii quaestus ac dominationis cupiditate, sic peccari potest — pro urgentibus necessitatibus multitudinum hominum in inferiore progressione versantium, — timore, titubatione, atque, ad extremum, ignavia. Omnes vocamur, immo obligatione tenemur ultimae decadis secundi Millennii praegravem provocationem excipiendi, propterea etiam quod impendentia pericula cunctis minantur; quae sunt: condicio oeconomica per orb em terrarum in discrimine posita, bellum nullis finibus terminatum, sine victis et victoribus. His minis perspectis, distinctio inter personas et regiones opulentas, inter personas et regiones pauperes, paulum valet, salvo maiore conscientiae officio, quo is obstringitur, qui plus habet atque plus potest.

Verumtamen huiusmodi rationis expositio non una est neque praecipua. Agitur de dignitate personae humanae, cuius defensio et provectio a Creatore nobis sunt commissae, et cuius proprie debitores sunt viri et mulieres, pro suscepto munere, quovis historiae tempore. Rerum conspectus, qui hodie habetur, cum huiusce dignitatis postulationibus minime congruit, quemadmodum multi iam magis minusve dilucide intellegunt. Unusquisque ad suum tenendum locum vocatur in hac pacifica contentione, pacificis armis facienda, ut progressio in pace obtineatur, ut ipsa natura et mundus circumiacens in tuto collocentur. Ecclesia etiam implicari se sentit, ac funditus quidem, in hac certatione, de cuius ultimo eventu confidit.

Quocirca, exemplo Pauli PP. VI moti, qui per Encyclicas Litteras a verbis Populorum Progressio incipientibus egit, volumus, cum animi simplicitate et humilitate, ad omnes, viros et mulieres, nullo excepto, nos convertere ea mente ut, certi gravitatis temporis praesentis et officii conscien tiae, quo q uisque devinciatur, consilia ineant, ad quae solida hominum coniunctio et amor, potissimum erga egenos, hortentur; quod faciant ratione vitae personali et familiari, usu bonorum qua cives, operam pro sua parte confer en do ad deliberationes de re oeconomica et politica, suaque cura et studio in or dine nationali et internationali, ut hodiernus postulat status rerum et imprimis exigit dignitas humanae personae, indelebilis imaginis Dei Creatoris, quae in unoquoque nostrum vere est eadem.

In hac pacifica contentione Ecclesiae filii exemplo praefulgeant oportet sintque ductores, quippe quorum sit, secundum proposita a Jesu ipso in synagoga Nazarethana enuntiata, « evangelizare pauperibus... praedicare captivis remissionem et caecis visum, dimittere confractos in remissione, praedicare annum Domini acceptum » (Lc 4, 18-19). Expedit in lumine ponere munus praeponderans laicorum, virorum et mulierum, quemadmodum in recenti Coetu Synodi Episcoporum est iterum declaratum. Eorum est cum christiani officii diligentiares temporales veluti animare in iisque ostendere se testes esse et operatores pacis atque iustitiae.

Volumus nos convertere maxime ad eos qui sacramento baptismi et eiusdem symboli professione, licet id diverse interpretentur, veram communionem, quamquam imperfectam, nobiscum participant. Pro certo habemus sive sollicitudinem, quam hae Litterae nuntient, sive exposition em rationum, quibus eae moveantur, sive sermonem, quo exprimantur, sibi esse assueta, quia ex Evangelio Christi sunt hausta. Hic novam invitationem possumus nancisci ad commune testimonium perhibendum communis persuasionis nostrae circa hominis dignitatem, qui a Deo

est creatus, a Christo redemptus, sanctificatus a Spiritu Sancto, et in hoc mundo vocatur ut vitam huic dignitati consentaneam ducat.

Hoc rogatu eos etiam compellamus, qui hereditatem Abrahae, « patris fidei » (88), ac tradition em Veteris Testamenti nobiscum communicant, eos qui, ut nos, in Deum iustum et misericordem credunt, id est ad Iudaeos et Musulmanos. Rogatum hunc etiam ad omnes sectatores magnarum mundi religionum amplius perferimus.

Congressio, die XXVII mensis Octobris anno proxime praeterito Asisii, in urbe Sancti Francisci, habita, quae eo pertinebat ut preces pro pace funderentur et ut circa earn officio nos obstringeremus — cuiusque propria religion is professione stricte servata — universis ostendit quantum pax — eiusque necessaria condicio, progressio scilicet « totius hominis et omnium hominum » — etiam religiosa quaestio esset, atque utriusque consummatam effectionem e fidelitate erga vocationem nostram, ut virorum et mulierum credentium, pendere; pendent autem imprimis e Deo.

48. Ecclesia probe novit nullam temporalem effectionem idem valere ac Regnum Dei; sed omnes effectiones nos impellunt ut rem attentius consideremus et quodammodo antecapiamus gloriam Regni Dei, quam ultra historiae fines affuturam exspectamus, « cum Dominus iterum veniet ». Verum exspectatio numquam causam afferre potest praetextam cur homines in certa definitaque condicione sua personali et vitae socialis, nationalis et internationalis, neglegamus, quatenus haec ipsa — praesertim hac aetate — illam moderatur.

Nihil, quamquam imperfectum est ac temporarium, eorum omnium, quae socio universorum nisu et gratia divina in quodam historiae spatio effici potest aut debet, ut hominum vita « humanior » reddatur, perdetur nec vanum erit. Id Concilium Vaticanum II docet in quodam loco praeclaro Constitutionis a verbis Gaudium et spes appellatae: « Bona ... humanae dignitatis, communion is fraternae et libertatis, hos omnes scilicet bonos naturae ac industriae nostrae fructus, postquam in Spiritu Domini et iuxta Eius mandatum in terris propagaverimus, postea denuo inveniemus, mundata tamen ab omni sorde, illuminata ac trasfigurata, cum Christus Patri reddet regnum aeternum et universale ... His in terris Regnum iam in mysterio adest » (89).

Regnum Dei nunc imprimis celebratione Sacramenti Eucharistiae, quod est Sacrificium Domini, praesens redditur. In celebratione eucharistica fructus terrae et operis hominum — panis et vinum — arcano modo, realiter et substantialiter, opera Spiritus Sancti et ministri verborum, transfigurantur in Corpus et Sanguinem Iesu Christi, Filii Dei et Filii Mariae; per quam Regnum Patris inter nos praesens adest.

Bona huius mundi et opus manuum nostrarum — panis et vinum — adventui Regni postremi et immutabilis inserviunt, quia Dominus, per Spiritum suum, ea in se transsubstantiat, ut Patri nobisque se offerat in renovatione unici sui sacrificii, quo Regnum Dei realiter anticipatur et adventus eius finalis annuntiatur.

Ita Dominus per Eucharistiam, sacramentum et sacrificium, nos secum coniungit atque inter nos colligat necessitudine, quae omnem coniunctionem naturalem exsuperat; sic conexos nos in mundum universum mittit ut per fidem et opera Dei testemur amorem, praeparantes Regni ipsius adventum idque anticipantes in huius temporis umbris.

Quicumque Eucharistiam participamus, adducimur ut per hoc Sacramentum veram significationem actionis nostrae in hoc mundo pro progressione et pace detegamus utque vires capiamus, quibus magnanimiter nos devinciamus officio, Christi moti exemplo, qui in hoc

Sacramento dat vitam pro amicis suis (cfr. Io 15, 13). Officium, quo nosmet ipsos obstringimus — perinde atque officium a Christo susceptum et quatenus nostrum huic iungitur — non erit inutile, sed sine dubitatione fecundum.

49. Hoc Anno Mariali volvente, quem indiximus ut fideles catholici magis magisque oculos ad Mariam converterent, quae « nos praecedit in peregrinatione fidei (90) atque materna sollicitudine pro nobis apud Filium, Redemptorem nostrum, intercedit, cupimus ei necnon eius deprecationi comrnittere grave discrimen temporis nostri, incepta quae ineuntur et suscipientur, saepe magnis cum doloribus, ut opera conferatur ad veri nominis « progression em populorum », quam Decessor Noster Paulus VI proposuit et annuntiavit.

Quemadmodum semper christiana pietas facere consueverat, Beatissimae Virgini Mariae subicimus difficiles condiciones unius cuiusque ut Filio suo eas exponendo, ab eo impetret ut releventur atque mutentur. Verum subicimus etiam condiciones sociales et ipsum discrimen internationale una cum eorum rationibus, anxietatem ingerentibus, miseriae, carentiae operis, privationis cibi, contentionis ad apparatum militarem augendum, neglectionis iurium humanorum, conflictationum, quae ex parte vel ex toto reapse geruntur vel periculorum, ne exardescant: haec, ut filii, eius « misericordibus oculis » proponimus, veterem antiphonam marialem fide et spe moti, iterantes: « Sancta Dei Genetrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris; sed a periculis cunctis lib era nos semper, Virgo gloriosa et benedicta Beatissima Virgo Maria, Mater nostra atque Regina, ea est, quae ad Filium suum conversa, dixit: « Vinum non habent » (Io 2, 3); eadem Deum Patrern dilaudat quia « deposuit potentes de sede et exaltavit humiles; esurientes implevit bonis et divites dimisit inanes» (Lc 1, 52 s.). Pro sollicitudine sua materna rationes curat personales et sociales hominum vitae in terra (91).

Coram Sanctissima Trinitate Ei committimus, quae his Litteris Encyclicis exposuimus ut cunctos impelleremus ad cogitandum et ad actuose perficienda quae veram « progressionem populorum » promoveant; quae tam significanter collecta Missae cognominis exprimuntur:

« Deus, qui unam dedisti cunctis gentibus originem, et un am ex eis in te voluisti familiam congregare, tuae caritatis ardore omnium corda perfunde et fratrum suorum desiderio iustae progressionis accende, ut... humana singulorum perficiatur persona, et aequitas atque iustitia, quavis divisione sublata, in hominum societate firmentur » (92).

Haec, finem Litteris imponentes, rogamus nomine omnium fratrum et sororum, quibus peculiarem Benedictionem impertimus, signum salutationis faustique ominis. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXX mensis Decembris, anno MCMLXXXVII, Pontificatus Nostri decimo. IOANNES PAULUS PP.II.

10

Prior = Vigilanti cura, post = Centesimus annus

10. MATER ET MAGISTRA LITTERAE ENCYCLICAE IOANNIS PP. XXIII SUMMI PONTIFICIS

Mater et magistra gentium a Christo Iesu *ob eam causam catholica Ecclesia constituta est, ut, per saeculorum decursum, omnes, qui in eius sinum et amplexum venturi essent, cum praestantioris vitae plenitudine salutem reperirent. Cui quidem Ecclesiae, «columnae et firmamento veritatis» (cf. 1 Tm 3,15), duplex illud sanctissimus eius Conditor munus detulit, ut sibi pareret filios, et, quos peperisset, doceret et regeret, materna consulens providentia sive*

singulorum hominum sive populorum vitae, cuius excellentem dignitatem ipsa summo semper in honore habuit, vigilanterque tuita est.

Christi enim doctrina terram cum caelo veluti coniungit; quippe quae integrum hominem complectatur, eius videlicet animum et corpus, intellectum et voluntatem, eundemque iubeat mentem ex hac varia humani convictus condicione ad supernae vitae regiones erigere, ubi inoccidua beatitate et pace aliquando fruetur.

Quamvis igitur Ecclesiae sanctae ante omnia sit animos ad sanctitatem adducere et bonorum caelestium facere participes, eadem tamen de cotidianae quoque hominum vitae necessitatibus sollicita est, quae non modo ad eorum pertineant victum cultumque, sed etiam ad commoda et prosperitates, in vario bonorum genere, in variisque temporum momentis.

Quod cum Ecclesia sancta praestat, praecepta Conditoris sui Christi in rem adducit, qui cum alibi dicit: «Ego sum via, et veritas, et vita» (Io 14,6), alibi: «Ego sum lux mundi» (Io 8,12), in primis utique spectat ad aeternam hominum salutem; cum vero, famelicorum circumspiciens multitudinem, veluti gemens clamat: «Misereor super turbam» (Mc 8,2), terrenas etiam populorum necessitates sibi curae esse ostendit. Neque id verbis dumtaxat divinus Redemptor demonstrat, sed etiam suae vitae factis cum, multitudinis famem compescendi causa, non semel panem prodigialiter multiplicat.

Quo pane, corporibus nutriendis dato, simul caeleste illud animorum praesignificare voluit alimentum, quod, «pridie quam pateretur», daturus erat hominibus.

Nihil idcirco mirum si catholica Ecclesia, a Christo capiens documentum, mandatum Christi conficiens, per bis iam mille annos, a priscorum nempe diaconorum ministeriis ad nostros usque dies, continenter altam praetulit facem caritatis, non minus praeceptis quam exemplis latissime editis: caritatem dicimus, quae mutui amoris praecepta et usum concinne copulans, mirifice binum hoc «dandi» iussum tenet, quo Ecclesiae doctrina et actio socialis continetur tota.

Iamvero socialis huius doctrinae pariterque actionis, quam catholica Ecclesia saeculis volventibus explicavit, longe insigne documentum, nemine refragante, sunt existimandae praeclarissimae Encyclicae eae Litterae, quibus Rerum Novarum initium, (2) quas Decessor Noster imm. mem. Leo XIII, abhinc annos septuaginta, in vulgus emisit, praecepta traditurus, quibus quaestio dissolveretur de opificum condicione ad christianae doctrinae normas instauranda.

Haud saepe factum est, ut tanta gentium approbatione Pontificalia admonita acciperentur, quanta hae Leonis XIII Litterae, qua argumentorum pondere et latitudine, qua dicendi vi haud dubie cum paucis exaequandae. Re enim vera normae et adhortationes illae tanti momenti locum obtinuerunt, ut earum memoria nulla posterorum oblivione tegenda videatur. Nam ab iis latius patere visa est catholicae actio Ecclesiae, cuius Supremus Pastor, veluti susceptis tenuiorum vexatorumque hominum incommodis, gemitibus, appetentiis, sese ad eorum iura persequenda et recuperanda tunc potissimum contulit.

Nimirum igitur, quamquam haud breve iam temporis spatium abiit, postquam Litterae illae maxime mirabiles datae sunt, ad hunc tamen diem plurimum earum pollet efficacitas. Pollet nempe in actis Summorum Pontificum, qui in Leonis XIII locum alius ex alio suffecti sunt, quique, cum de re oeconomica et sociali agunt, a Leonianis illis Litteris aliquid semper mutuantur, vel ut illas enucleent atque illustrent, vel ut catholicorum animis novam alacritatem addant. Pollet praeterea in multarum disciplina ac temperatione civitatum. Quibus omnibus in medio apertissime ponitur, sive explorata diligenter principia, sive agendi normas, sive admonitiones

patria caritate traditas, quae in grandibus Decessoris Nostri Litteris insunt, nostris etiam diebus pristinam obtinere auctoritatem; quin etiam ex iis nova eaque salutaria hominibus consilia inici posse, quibus et quanta sit nunc causa de re sociali bene ipsi iudicent, et quae hac in re sint sibi suscipienda deliberent. Quae Pontifex ille sapientissimus dedit universae hominum consociationi praecepta, ea sane illustriore micuisse luce sunt putanda, quod tempora, cum data sunt, non paucis offundebantur obscuritatibus: cum videlicet hinc rerum oeconomicarum atque civilium condicio se in aliam prorsus vertebat, hinc multorum contentiones exardescebant et concitatae seditiones.

Quem ad modum enim est omnibus perspectum, quae tunc longius de rebus oeconomicis pervaserat opinio in rebusque ipsis valebat magis, ea, quippe quae omnino totum necessariis naturae tribueret viribus, statuebat idcirco nulla inter se ratione leges morales et oeconomicas leges coniungi; ideoque eum qui rei oeconomicae operaretur, nihil nisi sua ipsius emolumenta spectare; mutuas negotiosorum hominum rationes summa ea dumtaxat astringi lege, quae in libera immoderataque competitorum aemulatione posita esset; capitum usuras, mercium et ministeriorum pretia, lucri et mercedis modum, veluti machinali ritu, mercatorum lege unice finiri necesse; magnopere esse cavendum, ne se civilis potestas ullo modo negotiis oeconomicis immisceret. Per idem autem tempus, opificum collegia pro nationum varietate aut non admittebantur prorsus, aut tolerabantur, aut iure privato agnoscebantur.

Fiebat nempe eo tempore ut, ad oeconomicus res quod attineret, non modo superbum potentiorum imperium pro legitimo duceretur, verum etiam in mutuis hominum commerciis plane idem dominaretur; atque adeo in universum rerum oeconomicarum funditus perturbaretur ordo.

Nam nimia dum rerum copia pauci potiebantur, magnae interea operariorum multitudines acriore cotidie egestate laborabant. Etenim operarum mercedes neque ad usus vitae necessarios, neque interdum ad ipsam depellendam famem satis erant; in iis plerumque rerum condicionibus proletarii operam cogebantur impendere, in quibus et valetudini suae, et integritati morum, et religiosae fidei insidiae parabantur; in quas autem condiciones pueri et mulieres opus facientes vocabantur, eae saepenumero inhumanae habendae; mercenariorum ante oculos, terriculi instar, cotidie versans intentata operis vacatio; domesticus convictus sensim ad dissociationem pronus.

Ex quo illud natura consequebatur, ut opifices, suam ipsorum iam indignantes fortunam, rerum eiusmodi statum palam recusandum iudicarent; itemque consequebatur, ut ad operarios gliscerent longius seditiosorum hominum commenta, remedia suadentium incommodis leniendis deteriora.

In hunc modum inclinatis temporibus, Leo XIII, Litteris Encyclicis Rerum Novarum in lucem emissis, illud dedit de re sociali nuntium, ex ipsius naturae humanae necessitatibus depromptum, atque ad sacri Evangelii praecepta et rationem conformatum; nuntium dicimus, quo sane, nonnullis in diversum, uti solet, trahentibus, universitas tamen populorum capta est, atque ad summam admirationem excitata. Quamquam non primum tunc Apostolica Sedes, quoad huius vitae negotia, pro egenis sibi suscepit propugnationem; quandoquidem idem Decessor Noster f. r. Leo XIII alia ediderat acta, quibus ad hoc quodammodo patefecerat viam, cuius mentionem movimus. Sed his tamen Litteris ita primum principia deducendo componuntur, unumque sub aspectum veluti subiciuntur res in posterum gerendae, ut easdem, si rerum oeconomicarum etsocialium rationes spectemus, catholicae doctrinae quasi summam habere non immerito existimemus.

Quod profecto haud parum confidentiae ostendisse dicendum est. Etenim dum non verebantur quidam, socialem quaestionem spectantes, Ecclesiam incusare, quasi ea nihil faceret aliud, nisi egenos ad aerumnarum perpessionem, opulentos vero ad liberalitatem cohortaretur, Leo XIII interea non dubitavit apertissime sancta iura statuere ac tueri opificum. Atque expositurus quaenam essent catholicae Ecclesiae de re sociali principia atque praecepta, haec palam edixit: «Confidenter ad argumentum aggredimur ac plane iure Nostro, propterea quod causa agitur ea, cuius exitus probabilis quidem nullus, nisi advocata religione Ecclesiaque, reperietur». (3)

Habetis sane perspecta, Venerabiles Fratres, ultima principia a praestantissimo illo Pontifice tam dilucide tamque graviter tradita, ad quae, oeconomicis atque socialibus rebus aestimatis, humani convictus facies omnino sit restituenda.

Atque initio de labore docet, hunc nullo modo posse pro merce quapiam duci, utpote qui ab humana persona proxime procedat. Nam cum ex eo, veluti ab unico capite, plerique hominum sumant suum victum cultumque, eius idcirco modus, non ex mercatorum more pendendus est, sed verius ex iustitiae et aequitatis legibus; quod nisi fit, conficitur porro ut de locando opere pactionibus, quamvis libere initis utrimque, iustitia prorsus laedatur.

Accedit quod a natura in singulos proficiscitur ius bona privatim possidendi, ne iis quidem deductis quae instrumenti loco sunt; quod ius delere nequaquam integrum est reipublicae. Verum quia in privato bonorum dominio naturaliter sociale inest munus, ob eam causam qui istiusmodi fruatur iure, is necesse est, non solum cum suo ipsius commodo, sed cum aliorum etiam utilitate fruatur.

Quod autem ad rempublicam attinet, cuius finis est, ut, in terrestrium bonorum genere, communi omnium utilitati prospiciat, res civium oeconomicas ea nullo pacto potest neglegere; immo vero opportune curare debet praesens, ut primum ex iisdem ea gignatur bonorum copia, «quorum usus est necessarius ad actum virtutis»; (4) ut deinde iura vindicentur civium universorum, in primis scilicet tenuiorum, cuiusmodi opifices sunt, mulieresque puerique. Neque civitati fas est umquam se ex officio exuere, quo iubetur operariorum rationes in melius data opera mutare.

Ad haec, reipublicae partes sunt prospicere, ut simul de locandis operis pactiones ad iustitiae aequitatisque normam conflentur; utsimul, ubi impendantur operae, ibi ne labefactetur, neque quantum ad corpus, neque quantum ad animum, humanae personae dignitas. Quam ad causam in Leonianis Litteris summa exponuntur iusti verique elementa de humani convictus rationibus, quae nostro hoc tempore civitates aliter atque aliter ad suas traduxerunt leges, quaeque – ut Decessor Noster imm. rec. Pius XI in Encyclicis Litteris Quadragesimo Annos (5) declarat – non parum contulerunt ad condendam atque provehendam novam illam iuris disciplinae partem, quam «Laboris Ius» appellant.

In iisdem praeterea Litteris ius a natura datum esse operariis affirmatur, non tantum ut corporati in societates coëant, sive ex solis opificibus, sive ex opificum et dominorum ordinibus conflatas, easdemque in illam formam redigant quam opinentur magis suae artis rationibus idoneam, sed ut etiam ipsi opifices in societatibus, quas diximus, ita se, nemine praecludente, libere ac sua sponte movere possint, prouti suae utilitates ferant.

Postremum operarii operumque conductores, in mutuis componendis rationibus, sese gerant ad principia humanae coniunctionis, atque ad christianae fraternaeque necessitudinis normam: quandoquidem sive immoderata ea aemulatio, quam

«liberales», qui vocantur, praedicant, sive alterius ordinis in alterum, pro «marxianis» placitis, dimicatio, non minus a christiana doctrina quam ab hominum ipsorum natura sunt sane alienissimae.

Haec videlicet sunt, Venerabiles Fratres, tamquam fundamenta, sive rerum oeconomicarum sive socialium vero ordini subicienda.

Non est igitur mirum, si catholicorum hominum praestantissimi, his incitati adhortationibus, complura susceperunt coepta, ut ad effectum tradita doctrina adduceretur. Neque alii egregie cordati viri in variis orbis terrarum regionibus non sunt reperti, qui, ipsis humanae naturae necessitatibus acti, vias sequerentur easdem.

lure igitur optimo huiusmodi Litteras, quoad novum instaurandum rerum oeconomicarum et socialium ordinem, «Magnam Chartam» (6) ad hunc usque diem nominant.

lamvero, quarto expleto decennio postquam insigne illud praeceptorum quasi corpus in publicam lucem prodierat, Decessor Noster f. r. Pius XI suo loco Litteras Encyclicas foras edendas censuit, quibus initium Quadragesimo Anno. (7)

Quibus actis Summus Pontifex tum catholicae Ecclesiae iuris et officii esse confirmat, in id praecipuam conferre operam ut de re sociali causae gravissimae, ut oportet, expediantur, quae tantopere totam civium coniunctionem sollicitant; tum deinde tradita in Leonianis Litteris principia et praeceptiones temporum condicionibus apta inculcando conservat; tum denique, per huiusmodi occasionem, non tantum aliquot doctrinae capita declarat, in quibus vel catholici homines haerebant, sed docet etiam qua ratione principia praeceptionesque eadem, quoad socialium rerum ordinem, sint ad mutatum temporum statum componenda.

Eo enim tempore subdubitabant nonnulli quid vere de privata possessione, quid de manuum mercede opificibus tribuenda, quid postremo de temperata quadam socialismi ratione catholicis esset sentiendum.

Quod nunc ad primum attinet, iterum pronuntiat Decessor ille Noster privatae possessionis ius ab ipsa oriri natura; quin etiam socialem eiusdem privati dominii rationem et munus enucleat atque illustrat.

De altera autem causa, postquam Augustus Pontifex sententiam eorum movit, qui salarii disciplinam opinarentur esse natura ipsa iniustam, simul queritur quod eadem non semel constituta vel inhumane vel iniuste sit; simul accurate monet quae rationes quaeve condiciones sint servandae, ne a iustitia neve ab aequitate hac in re discedatur.

In quo rerum genere, ut praeclare docet Decessor Noster, in praesenti expedit, pactiones operarum cum pactionibus societatis secundum aliqua temperari; ita nempe, ut «operarii officialesque consortes fiant dominii vel curationis, aut de lucris perceptis aliqua ratione participent». (8)

Grave quoque et ratione et usu illud existimandum est, Pium XI confirmavisse «hominum efficientiam nec iuste aestimari neque ad aequalitatem rependi posse, eius natura sociali et individuali posthabita». (9) Quam ob rem, cum de dimetienda opificum mercede agitur, iustitia nimirum postulat ut, praeter ipsius opificis eiusque familiae necessitates, ex altera parte status respiciatur consociationum opibus gignendis, quibus opifices laborem impendant, ex altera generatim «publici boni oeconomici» (10) ratio habeatur.

Prae se fert praeterea Antistes sacrorum Maximus «communistarum», qui dicuntur, et christianorum placita inter se repugnare vehementer. Neque posse ullo pacto catholicis hominibus praecepta probari «socialistarum», qui leniorem videantur profiteri sententiam; ex horum enim opinione effici primum ut, cum socialis vitae ordo occiduo hoc tempore finiatur, idem ad solius mortalis huius vitae commoda ordinetur; effici deinde ut, cum hominum convictus et societas ad externa bona pa(409)rienda dumtaxat pertineat, humana idcirco libertas nimis imminuatur, vera socialis auctoritatis notione neglecta.

Non fugit tamen Pium XI, post datas, quadraginta ante annos, Leonianas Litteras illas, temporum rationem rerumque faciem esse funditus mutatas, idque, ut ex reliquis rebus, ita ex hoc etiam patere, quod libera competitorum aemulatio, ob insitam sibi ac veluti innatam vim, eo demum evaserit, ut seipsam fere dissolverit, et ingentes divitias ex iisdemque ortam dominandi immoderatam facultatem in paucorum congesserit manus, «qui plerumque non domini, sed depositae rei custodes tantum et administratores sint, eamque nutu suo arbitrioque regant». (11)

Quam ob causam, ut attentius animadvertit Summus Pontifex, «libero mercatui oeconomicus potentatus suffectus erat; lucri cupiditati proinde effrenata potentatus ambitio successerat; tota oeconomia horrendum in modum dura, immitis, atrox erat facta». (12) Ex quo sane fiebat, ut vel reipublicae munera hominum opulentiorum emolumentis inservirent, atque ita congestae divitiae gentibus omnibus quodammodo imperarent.

Cui rerum inclinationi convenienter obsistendi causa, Summus ille Pontifex praecipuas has tradit normas: scilicet rerum oeconomicarum rationem ad moralis vitae rationem esse revocandam, itemque sive singulorum civium sive societatum utilitates cum universorum utilitatibus esse potissime temperandas. Quod quidem, quemadmodum Decessoris Nostri ferunt praecepta, utique poscit, ut primum nempe humanus convictus ordinatim restituatur, societatibus minoribus ad res oeconomicas et ad professiones pertinentibus constitutis, quas respublica pro imperio suo non iniunxerit, sed sui sint iuris; ut deinde civitatum magistratus, suum redintegrantes munus, neutiquam neglegant communibus omnium utilitatibus prospicere; ut postremo, si hominum societatem universam spectemus, respublicae, mutuam inter se operam mutuaque consilia conferentes, bonum etiam populorum oeconomicum consectentur.

Sed doctrinae capita, quae Pianarum Litterarum videntur esse propria, ad duo haec potissimum redigi possunt. Quorum alterum prohibet omnino, ne in re oeconomica, pro suprema lege habeantur aut singulorum consociatorumve hominum commoda, aut effrenata competitorum aemulatio, aut immodica opulentorum potestas, aut reipublicae ambitiosus honor dominandive cupido, aut huius generis alia.

Immo vero quaelibet in rebus oeconomicis incepta necesse est iustitia et caritate, tamquam principibus rei socialis legibus, gubernari.

Alterum vero, quod Litterarum Pii XI esse proprium censemus, praecipit ut, institutis sive publicis sive liberis conditis, tam in singulis civitatibus quam inter nationes, sociali iustitia auspice, is iuris instauretur ordo, in quo, qui rebus oeconomicis operentur, suas ipsorum commoditates cum communibus omnium utilitatibus apte componere possint.

Sed in iuribus officiisque socialibus definiendis haud parum est tribuendum Decessori Nostro imm. mem. Pio XII qui, calendis luniis, anno millesimo nongentesimo quadragesimo primo, sacro Pentecostes die, nuntium ad universam hominum communitatem per radiophonicas undas propterea dedit, «ut omnium catholicorum hominum mentes in memoriam eius eventus

intenderet, quem Ecclesiae sanctae annalibus mandare litteris aureis aequum esset: in quinquagies nempe revolutum annum, postquam Leo XIII eas maximi momenti ac ponderis Encyclicas Litteras in vulgus emiserat, a verbis Rerum Novarum initium faciens»; (13) dedit praeterea, «ut omnipotenti Deo gratias ageret maximas, quod eius in terris Vicarius, istiusmodi editis Litteris, Ecclesiam tanto impertivisset munere, utque in ipsum aeternum Numen immortales laudes conferret, quod iisdem Litteris talem inspiravisset ignem, quo universum genus hominum ad nova atque meliora audenda magis magisque incitaretur». (14)

In quo nuntio magnus ille Pontifex, «ius fasque Ecclesiae esse profitetur, vere decernere utrumnam, quae struantur civili cuidam instituto initia et causae, ea utique cum firmissimo ordine congruant, quem Creator et Redemptor Deus tum iure naturae tum veritatibus divinitus traditis praefinivit»; (15) ait commemoratas Leo XIII Litteras in omne tempus esse valituras, ad perpetuam utilitatis ubertatem; sibique, occasione oblata, «in animo esse explicare enodatius quae catholica Ecclesia praecipiat de tribus vitae socialis reique oeconomicae causis praecipuis: de usu videlicet aspectabilium bonorum, de labore, de familia: quarum profecto rerum alia cum alia copuletur atque conectatur, altera subveniat alteri». (16)

Quod pertinet ad primum, prae se fert Decessor Noster, cuiusvis hominis ius, externa nimirum bona ad victum cultumque suum referendi, pluris quidem faciendum esse quam alia quaecumque iura, quae in re oeconomica versentur, atque adeo pluris etiam quam ius privatim possidendi. Situm est certe quidem, quemadmodum Decessor Noster monet, ius possidendi bona privatim in ipsius iure naturae, sed, Creatore Deo sic volente, ius idem nullo pacto officere potest, «quominus corporea haec bona, a Deo utilitati omnium hominum creata ad omnes aequa parte pertineant, perinde ut iustitia pariter et caritas postulant». (17)

De labore autem, Pius XII ea iterans quae in Leonianis Litteris insunt, docet eum loco officii simul et iuris esse habendum, quoad singulos homines; atque propterea eorundem in primis esse potestatis mutuas statuere rationes, quae laborem contingant; si autem iidem vel nolint vel nequeant hoc praestare, tum tantum «reipublicae esse, laborem partiri et aeque attribuere, modis finibusque servatis, quos communes verique nominis poscant utilitates». (18)

Ad familiae vero causam Summus Pontifex transgressus, in medio ponit privatam bonorum externorum possessionem ad ipsius familiae vitam tuendam ac fovendam plurimum conferre; quippe quae «patrifamilias de ea germana libertate opportune polliceatur, qua is officiis satisfacere possit, a Deo sibi mandatis, cumque commodis ipsius familiae coniunctis, quae vel ad corpus, vel ad animum, vel ad religionem attineant». (19) Ex quo cum ius etiam familiae nascatur de suis in alia demigrandi loca, admonet idem Decessor Noster civitatum moderatores, quae vel suos cives abire sinant, vel alienos venientes accipiant, «ne quid unquam admittant, quo mutua sinceraque earundem civitatum consensio imminuatur, atque labefactetur». (20) Quod si utrimque factum sit, paria sane in populos commoda non transfundi latissime non posse, rerum copia bonarumque artium studiis auctis, provectis.

Sed quae eo tempore rerum condicio longe dissimilis quam superioris temporis condicio iam Pius XII videbatur, ea funditus est viginti hisce annis conversa; non modo quoad singulae cuiusque civitatis statum proprium, sed quoad mutuas etiam civitatum rationes.

Nam si provinciae spectantur vel doctrinarum vel artium vel rerum oeconomicarum, nova haec potissimum nostris diebus inducta esse constat: repertam vim atomicam, ad ususque cum bellicos tum postea civiles in dies magis adhibitam; datam hominibus prope infinitam facultatem res plurimas chemicis artificiis efficiendi; automatarias operationes bonis parandis, latius in provincias artium et communium ministeriorum inductas; agrorum culturam ad recentiorum

temporum rationes accommodatam; praesertim per radiophonicam et televisificam machinam intervalla prope submota, quibus a populis distineantur populi; vehiculorum omne genus auctam maxime celeritatem; denique vias iam initas per quas ad sidera feramur.

6Si vero ad sociales res animos adhibemus, haec nostris hisce diebus evenisse patet: incrementum cepisse sociales civium cautiones; in nonnullis civitatibus rerum oeconomicarum divitioribus provisum quibusvis vitae civium casibus; opifices, consociationum membra, se magis conscios de praecipuis causis oeconomicis et socialibus praestare; exiisse altius plerorumque civium communem institutionem; in cives longius vitae commoditates manavisse; saepius nunc homines ab alio ad alium transmigrare industriae ordinem, atque continuo quamlibet unam alterius classis ab altera disiunctionem imminutam; hominibus communiter doctis maiori nunc quam ante curae esse res, quae in universo terrarum orbe agantur. Eodem autem tempore, si quis animadvertat in crebrioribus usque civitatibus non parum processisse rationes sive rerum oeconomicarum sive socialium institutorum, is facile deprehendat magis in dies perspicuas exstare discrepantias: primum, inter res agriculturae et machinales industrias et communia ministeria; deinde, inter eiusdem civitatis regiones, alias aliter prosperas; postremo, civitatibus spectatis, quae ubique sunt, inter varias civitates, bonis oeconomicis dissimiliter praeditas.

Quodsi ad res politicas adiciantur oculi, multa esse ibidem innovata propterea videmus: quod scilicet in pluribus hodie civitatibus fere cuiusvis fortunae homines publica gerunt munera; quod hodie rerumpublicarum rectores in res sive oeconomicas, sive sociales se cotidie magis interponunt; quod Asiae et Africae populi, depulsa publicae administrationis forma coloniarum propria, suis legibus suisque iuribus utuntur; quod mutuae populorum necessitudines increbruerunt, iidemque hodie magis in dies alii ex aliis aliquatenus pendent; quod in terrarum orbe Coetus et Consilia latius exstiterunt, quae singularum civitatum transgressa fines et rationes, omnium gentium consulunt utilitatibus, in genere vel bonorum oeconomicorum, vel rerum socialium, vel litterarum doctrinarumque, vel denique necessitudinum populorum mutuarum.

Quibus omnibus cum animo reputatis, Nostras esse partes arbitrati sumus, flammam, quam in primis magni Decessores Nostri civerunt, inexstinctam alere, omnibusque esse auctores, ut ex eorum actis lumen et incitamentum sumant, si quaestionem de re sociali iis viis expedire velint, quae sint magis cum praesentium temporum necessitatibus consentaneae. Has igitur Litteras Nostras non modo dandas esse existimamus, ut de Encyclicis Litteris Leonianis merito commemoremus, verum etiam ut, pro mutata rerum facie, pariter quae praecepta Decessores Nostri tradiderint, confirmemus subtiliusque.explicemus, pariter quae sit Ecclesiae doctrina de novis gravibusque huius temporis causis distincte constituamus.

II

Atque initio statuendum est in rerum oeconomicarum provincia priores tribuendas esse partes privatae singularium hominum industriae, qui quidem vel soli agant, vel cum aliis multiplici ratione consocientur, ad communia commoda sibi comparanda.

Verum, ob causas a Decessoribus Nostris explanatas, hac in re praesens etiam accedat civilis potestatis opera necesse est, ut recte bonorum externorum incrementum provehatur, idque conducat ad socialis vitae progressum, atque ideo ad civium omnium utilitatem.

Haec autem reipublicae providentia, quae fovet, excitat, ordinat, supplet atque complet, illo «subsidiarii officii principio» (21) innititur, quod Pius XI in Encyclicis Litteris Quadragesimo Anno ita proponit: «Fixum tamen immotumque manet in philosophia sociali gravissimum illud principium quod neque moveri neque mutari potest sicut quae a singularibus hominibus proprio

marte et propria industria possunt perfici, nefas est eisdem eripere et communitati demandare, ita quae a minoribus et inferioribus communitatibus effici praestarique possunt, ea ad maiorem et altiorem societatem avocare iniuria est simulque grave damnum et recti ordinis perturbatio; cum socialis quaevis opera vi naturaque sua subsidium afferre membris corporis socialis debeat, numquam vero eadem destruere et absorbere». (22)

Sane, quod facile est pervidere, recentiora doctrinarum incrementa opumque augendarum provectiores rationes id efficiunt, ut, multo magis quam antea, in civitatis moderatorum potestate sit, tum discrepantias imminuere, quae inter varios rei oeconomicae campos, vel inter diversas regiones eiusdem nationis, ac vel etiam inter diversos totius orbis terrarum populos intercedant; tum certis finibus perturbationes continere, quae ex ancipiti rerum oeconomicarum cursu oriri solent; tum denique efficacia praebere remedia, ne contingat, ut hominum ingentes multitudines ab opere vacare cogantur. Quare a publicae rei moderatoribus, quorum est communi bono consulere, etiam atque etiam postulatur, ut multiplicem in rem oeconomicam impendant operam, eamque ampliorem quam antea ordinatioremque; utque instituta, officia, instrumenta, agendique rationes huic efficiendo proposito congruenter accommodent.

At semper illud maneat, publicarum auctoritatum providentiam de re oeconomica, etiamsi late pateat atque intimas communitatis partes attingat, eiusmodi tamen esse oportere, ut privatorum libertatem in agendo, non solum non coérceat, sed etiam augeat, modo praecipua cuiusvis humanae personae iura sarta tecta serventur. In quorum numero illud est ponendum, ut ad singulares homines ius et officium ex norma pertineat suam suorumque vitam sustentandi: quo fit, ut quaelibet rerum oeconomicarum disciplina liberam cuique permittat expeditioremque reddat opus fructuosum factitandi facultatem.

Ceterum ex ipso rerum cursu rectius usque intellegitur, prosperam atque bene constitutam hominum consortionem haberi nullo modo posse, nisi ad rem oeconomicam cum privati cives, tum civitatis moderatores sociam conferant operam; quae nempe opera mutuo concordique nisu praestanda est, atque ea ratione, ut partes alterutri concreditae quam optime communis boni necessitatibus, pro mutabilibus temporum morumque condicionibus, respondeant.

6Ex iis enim quae passim eveniunt didicimus, ubi privata singulorum desit navitas, tum in republica tyrannorum potentatum dominari; immo potius in vario rerum oeconomicarum campo multa torpescere, atque adeo desiderari sescenta bona, quae usu consumuntur, desiderari commoda, quae non tantum cum corporis, sed praesertim cum animi necessitatibus coniunguntur. Ad quorum scilicet bonorum atque commodorum adeptionem, mirum in modum singulorum ingenium et industria exercentur atque instimulantur.

Ubi vero in re oeconomica civitatis debita actio aut nulla prorsus aut manca est, tum civitates cernere est in insanabiles rerum perturbationes prono itinere ruere, ac potentiores, minus de honestate sollicitos, aliorum inopia ac lucrum indigne abuti; quorum genus, pro dolor, omni tempore atque ubique locorum, ceu lolium inter frumenta, radices agere manifestum est.

Praecipuis notis, quae nostrorum temporum esse propriae videntur, adicienda profecto sunt socialium rationum incrementa: mutuae scilicet illae auctioresque in dies civium necessitudines, quae in eorum vitam atque actionem multiplices induxerunt socialis consortionis formas, in ius privatum vel publicum plerumque receptas. Huius rei veluti origo et fons esse videntur plura, quae praesens peperit aetas: cuiusmodi sunt, doctrinarum artiumque incrementa, efficaciores opum gignendarum rationes, excultius inter cives vivendi genus.

Qui quidem socialis vitae processus habendi sunt indicium et causa invalescentis illius actionis, qua respublica se magis magisque inserit in materias quae, cum ad intimas personae humanae rationes attineant, haud levis sunt momenti, neque periculo vacant; quaeque, ut exempla supponamus, pertinent ad valetudinis tutelam, ad iuvenum institutionem educationemque, ad exercendae artis delectum, ad vias rationesque redimendi vel in meliorem restituendi statum eos, qui mentis corporisve imminutione utcumque laborant. Id ipsum tamen partim ostendit partim consequitur eam animi inclinationem a natura datam, quae vix cohiberi potest: inclinationem dicimus, qua homines sponte sua ad societatem inter se ineundam feruntur, cum de adipiscendis bonis agitur, quae quisque sibi animo proposuit, quaeque singulorum excedunt facultates. Qua inclinatione movente, praesertim postremo hoc tempore, factum est, ut ubique initi sint passim coetus, consociationes et instituta, spectantia ad res oeconomicas atque sociales, ad animi cultum atque relaxationem, ad res gymnicas, ad variarum artium professionem, ad rationes politicas; quae sive ad unam tantum nationem, sive ad universas attinent gentes.

Nemo sane dubitat, quin ex huiusmodi rationum socialium progressione complura proficiscantur commoda atque utilitates. Ita enimvero iuribus bene multis personae humanae satis fieri potest, maxime in re oeconomica atque sociali; quae potissimum contingunt humanae vitae necessitates, valetudinis curationem, elementariam animi culturam latius altiusque provehendam, aptiorem de artibus exercendis institutionem, domum, laborem, congruentem operum requietem honestumque levamen. Accedit quod recentiorum artium inventa, magis magisque ordinata, quibus hodie homines inter se cogitata sua communicant – cuius generis sunt scripta typis edita, cinematographica spectacula, radiophonicae ac televisificae transmissiones – id commodi parant, ut ubivis terrarum homines possint in rerum eventibus, licet magno intervallo disiunctis, quasi praesentes adesse.

At multiplicatis et cotidie progredientibus variis illarum consociationum formis, hoc simul fit, ut, in pluribus rerum gerendarum provinciis, normae et leges multiplicentur, quae mutuas civium necessitudines regant atque definiant. Ex quo consequitur ut angustioribus finibus libera singularium hominum agendi facultas contineatur; artes enim saepe adhibentur, viae ineuntur, rerumque condiciones tales exsistunt, ut cuivis sane arduum sit suis uti consiliis, externarum rerum impulsionibus neglectis; quidquam sponte sua agere; iura sua et officia, ut oportet, exsequi; animi sui facultates plane exserere atque perficere. Numquid, magis magisque increbrescentibus socialis vitae rationibus, homines continuo stupebunt, suique iuris esse desinent? Est tale quid praecise negandum.

Re enim vera socialis vitae incrementa nequaquam caeca quadam naturalium virium impulsione efficiuntur; siquidem ea homines, ut iam declaravimus, auctores habent, qui libertate fruuntur, quique ita a natura ad agendum feruntur, ut in se tamen actus suos recipiant; quamquam iisdem opus est progredientis humanitatis leges ac rei oeconomicae cursum agnoscere iisque quasi parere; neque est ipsis omnino integrum vi mediarum rerum carere.

Quapropter socialium rationum progressus iis viis effici potest atque ideo debet, quibus quam maxime promoveantur civium commoda, incommoda vero vel usquequaque praecaveantur vel saltem minuantur.

Sed ad hos optatos exitus quo facilius pervehatur, debent qui publicae rei praesunt compertam habere rectam de communi omnium bono notionem, quae summam complectitur earum vitae socialis condicionum, quibus homines suam ipsorum perfectionem possint plenius atque expeditius consequi. Illud quoque necessarium arbitramur, ut collegia seu corpora ceteraque multiplicia incepta, ex quibus potissimum socialium rationum incrementa constent, suis legibus

re ipsa regantur, atque, cum ipsius communis boni profectu, ad id, quod assequi studeant, sincera concordia contendant. Neque necesse non est eiusmodi societates veri cuiusdam convictus speciem ac naturam exhibere; quam tunc tantum exhibebunt, si sodales suos pro humanis personis semper duxerint, eosque in rerum suarum partem vocaverint.

Proficientibus igitur necessitudinibus, quibus aetatis nostrae homines inter se mutuo coniunguntur, eo facilius civitates rectum adipiscentur ordinem, quo magis duo haec temperabuntur invicem: hinc videlicet potestas, qua sive singuli cives sive civium coetus sunt utique praediti suis legibus utendi, mutua servata operum conspiratione; illinc reipublicae actio, quae privatorum incepta opportune ordinat atque fovet.

Quodsi sociales rationes ad huiusmodi normas et ad morum disciplinam reapse efficiantur, earum incrementum nullo pacto in causa suapte natura erit, cur in singulares cives gravia discrimina vel nimia onera proficiscantur; quin etiam est in spe ponendum fore ut id, non solum ad homini insitas dotes excolendas perficiendasque, sed etiam ad congruentem humani convictus compaginem feliciter conducat; quae optata compages, quemadmodum Decessor Noster f. r. Pius XI in Encyclicis Litteris Quadragesimo Anno monet (23) omnino necessaria est, ad socialis vitae iuribus et officiis cumulate satisfaciendum.

Vehementi sane aegrimonia animus afficitur Noster, cum veluti ante oculos Nostros obversantur – pro miserrimum spectaculum – ingentes opificum multitudines, qui in nationibus non paucis atque in latis etiam terrarum continentibus tam parvam laboris mercedem accipiunt, ut ipsis eorumque familiis vitae condicionibus utendum sit, ab hominis dignitate omni ex parte alienis. Quod vel ex eo exsistere putandum est, quod in iis regionibus recentissimae machinalium industriarum rationes aut nuper tantum inductae sunt, aut aequo minus adhuc profecerunt.

Fit tamen apud aliquot ex his nationibus ut, adversus extremam plurimorum inopiam, paucorum conspiciantur opulentia profusique sumptus, aperte insolenterque cum egenorum sorte pugnantes; fit deinde alicubi ut homines immoderatis oneribus propterea graventur, ut civitas ad tale opum incrementum brevi tempore emergat quale, salvis iustitiae aequitatisque legibus, haberi nullo modo possit; fit denique apud alias, ut ingens redituum pars ad nationis dignitatem plus aequo amplificandam destinetur, atque immanes pecuniae in bellicos apparatus impendantur.

Adde eodem, apud populos, in re oeconomica magis progressos, non raro mediocris momenti aut incertae utilitatis officia mercede rependi ampla atque etiam cumulata, opera vero assidua fructuosaque, quae impigrorum proborumque civium classes faciunt, mercede rependi nimis modica, vitae necessitatibus impari, vel utcumque iusto minore, si et beneficii in civitatem collati, et proventuum societatis in qua suam quisque operam ponit, et nationis redituum aequa ratio habeatur.

Qua de re Nostrum esse officium putamus iterum admonere, mercedis modum, sicuti liberae competitorum aemulationi prorsus relinquere fas non esse, ita etiam ad arbitrium potentiorum decerni non licere; sed hac in re iustitiae et aequitatis normas esse omnino servandas. Quod sane postulat, ut opifici merces tanta solvatur, quanta ad vitam degendam homine dignam et ad familiae onera convenienter ferenda par sit. Sed in aequa laboris constituenda remuneratione haec etiam opus est perpendantur: quantum primum singuli ad bona oeconomica gignenda conferant; qui deinde sit fortunae status consociationum, quibus opifices operam suam tribuunt; quid tum poscant cuiusque civitatis utilitates, praesertim ad locandas universas operas quod attinet; quid postremo exigat commune cunctarum gentium bonum, hoc est plurium civitatum inter se consociatarum, natura et latitudine dissimilium.

Quas modo attigimus normas, manifestum est, eas omni tempore et ubique locorum valere; qua vero ratione ad peculiaria rerum adiuncta easdem accommodari oporteat, hoc certe statui nequit, nisi opum, quae praesto sunt, congrua ratio habeatur; quae nimirum opes penes varios populos copia et natura differre possunt ei reapse differunt, atque etiam in eadem saepe natione pro mutatis temporibus immutantur.

Dum nostra hac aetate oeconomicae civitatum res tam prompte procedunt, idque maxime post recens immane bellum, opportunum ducimus de gravissimo iustitiae socialis praecepto omnes admonere, quod nominatim poscit, ut ad rei oeconomicae incrementa semper rei socialis incrementa simul adiungantur simul accommodentur; ita quidem, ut ex aucta divitiarum copia in republica omnes prorsus civium ordines aequa percipiant emolumenta. Ad haec, vigilandum est atque omnibus viribus enitendum, ut quae discrepantiae inter civium classes ob rerum inaequalitatem intercedant, eae adeo non augeantur, ut, quantum fieri potest, imminuantur.

«Civitatum opes – quemadmodum considerate docet Decessor Noster f. r. Pius XI – sicut communi civium industria gignuntur et procreantur, ita ad nihil aliud spectant, nisi ut in tuto ponantur, et quidem sine intermissione, eae externarum rerum condiciones, quibus singuli plenam vitae suae perfectionem consequi valeant. Ubi haec stabiliter in usum deducta sint, tunc populus, qui iis utatur, vere dives opum habendus est; nam ratio, qua sive communis obtinetur prosperitas, sive singuli ius exercent rebus corporalibus fruendi, plane obtemperat normis a Deo Creatore statutis». (24) Ex quo nascitur, ut oeconomica alicuius populi prosperitas magis quam ex bonorum opumve summa, quibus iidem potiantur, ex eorum potius bonorum partitione sit dimetienda, ad iustitiae normas exacta; ita videlicet, ut omnes in civitate sese excolere atque perficere queant; ad quod tota res oeconomica civitatis suapte natura est ordinata.

Quo loco animadvertendum est, hodie in multis civitatibus rerum oeconomicarum rationem eiusmodi esse, ut societates bonis gignendis, quae vel magni vel medii ordinis sint, maximis auctibus propterea crescant, quod sibimetipsis ex reditibus suis numerent pecuniam ad suae industriae instrumenta renovanda ac perficienda. Quod ubi contingat, hoc statui posse putamus, ut hac de causa societates eaedem nomen aliquod a se solvendum opificibus agnoscant, si maxime eam mercedem ipsis persolvant, cuius modus modum salarii infimum non excedat.

In hoc rerum genere praeceptum illud obversetur animo oportet, a Decessore Nostro f. r. Pio XI per Encyclicas Litteras Quadragesimo Anno hisce verbis traditum: «falsum prorsus est sive uni rei sive uni operae quidquid ex earundem collata efficientia obtentum est adscribere; iniustumque omnino, alterutrum, alterius efficacitate negata, quidquid effectum est sibi arrogare». (25)

Cui quidem iustitiae officio non uno modo, ut rerum usus docet, satis fit. Ceteris missis, hodie magnopere optandum est, ut, rationibus quae magis consentaneae videantur, opifices in partem possessionis sensim veniant suae cuiusque societatis; nam hodie magis etiam quam Decessoris Nostri diebus: «omni vi ac contentione enitendum est, ut saltem in posterum partae rerum copiae aequa proportione coacerventur apud eos, qui opibus valent, satisque ample profundantur in eos qui operam conferunt». (26)

At animadvertendum quoque est, aequationem mercedis cum reditibus ita definiri oportere, ut communis boni ratio habeatur sive civitatis, sive consortionis hominum universae.

Quarum rerum si altera spectetur, ad communem civitatis utilitatem haec pertinere putanda sunt: opifices quam plurimos in operas mittere; cavere, ne in civitate atque etiam in ipso opificum ordine coetus coalescant, qui ceteris civibus anteferantur; mercedis modum ad mercium pretium congruenter referre; itemque ad bona et ad cultioris vitae commoda aditum quam plurimis

patefacere; vel omnino depellere vel saltem certis continere finibus inaequalitates, quae inter varias rei oeconomicae provincias intercedunt: id est inter culturam agrorum, machinales industrias et communia ministeria; opum incrementa cum incremento ministeriorum civibus praestandorum, praesertim opera publicae auctoritatis, apte componere; bonorum procreandorum rationes ad doctrinarum artiumque progressus pro facultate accommodare; denique, efficere ut adepta humanioris vitae prosperitas, non modo praesenti inserviat aetati, sed futurarum quoque commodis prospiciat.

Ad alterum vero quod attinet, bonum totius humanae societatis commune poscere videtur, ut aemula populorum studia in opibus augendis mala fide careant; ut de re oeconomica mutua eorum concordia atque amica fructuosaque conspiratio foveatur; ut postremo efficax tribuatur opera progressibus promovendis earum nationum, quae opibus minus valeant, ad rem oeconomicam quod pertinet.

Quae communis boni necessitates sive singularum rerumpublicarum sive cunctarum simul civitatum, tum etiam, ut oportet, aestimandae sunt, cum de emolumentis partiendis agitur, quae sive moderatoribus societatum bonis procreandis nomine fructus redeunt, sive iis, qui pecuniarum capita contulerunt, nomine usurae proveniunt.

Sed ad iustitiae praecepta, non modo conformanda est ratio, qua bona labore quaesita partiuntur, verum etiam earum rerum condiciones, in quibus homines eadem efficiunt bona. Sita enim in ipsius hominis natura necessitas est, ut qui aliquid operando efficiat, eidem liceat et gerendarum rerum praestare rationem, et seipsum operam dando perficere.

Ex quo consequitur, ut, si ad parandas opes tales rerum oeconomicarum disciplina et apparatus adhibeantur, quibus eorum, quotquot impendunt operam, vel dignitas humana in discrimen adducatur, vel praestandae rationis sensus debilitetur, vel sua sponte agendi facultas eripiatur, hunc idcirco oeconomicarum rerum ordinem ab iustitia alienum arbitremur; licet ponatur ingentem ex eo gigni bonorum copiam, eorumque partitionem ad iustitiae aequitatisque conformari normas.

Nequit profecto, in oeconomica disciplina, una comprehensione definiri, quaenam rationes magis cum hominum dignitate congruant, quaeve in iisdem hominibus suscepti officii magis convenienter stimulent conscientiam. Nihilominus Decessor Noster f. r. Pius XII has agendi normas opportune tradit: «Parvae vel mediae bonorum possessiones, quae ad agricolas, ad artifices, ad mercatores et ad operis conductores pertineant, tutandae ac promovendae sunt; iidem praeterea in adiutrices coéant societates, ut commoda utilitatesque maximarum administrationum propria sibi capiant; ad has autem administrationes quod attinet, efficiendum est, ut pactiones operarum cum pactionibus societatis secundum aliqua temperentur». (27)

Quapropter tuendae promovendaeque sunt, convenienter cum communis boni necessitatibus cumque artium progressibus, sive procurationes ab artificibus vel a singulis agricolarum familiis gestae, sive incepta oeconomica consociata, eo etiam spectantia, ut easdem procurationes compleant atque perficiant.

De agricolarum procurationibus infra dicturi sumus. In praesenti quaedam opportunum putamus attingere de artificum procurationibus, deque oeconomicis inceptis consociatis.

Atque primum monendum est, ut huius generis procurationes et incepta reapse vigeant et floreant, continenter ea aptentur oportere – si progignendarum rerum apparatus, si earumque ef ficiendarum modus respiciantur – ad novas temporum condiciones; quae quidem sive ex

doctrinarum artiumque profectibus, sive ex mutabilibus hominum necessitatibus ac propensionibus cotidie exsistunt. Quod praecipue ab ipsis artificibus et a sodalibus consociatis fieri aequum est.

Quam ob causam omnino congruit, non modo ut idonea utrisque institutio impertiatur et quoad artis exercitationem et quoad animi mentisyue culturam, sed etiam ut iidem in societates, ad professiones spectantes, coëant. Neque minus par est, rempublicam idonea providentia uti, ad institutionem, ad vectigalia, ad creditam pecuniam, ad securitatem et cautiones sociales temperanda.

Ceterum eiusmodi civitatis providentia in artifices et in sodales consociatos collata hac etiam de causa probanda suadendaque est, quod iidem veri nominis bonorum auctores sunt, atque ad cultioris humanitatis profectum conferunt.

Quae cum ita sint, paterno animo adhortamur artifices et consociatos sodales, quotquot ubique terrarum carissimos filios habemus, ut de nobilissimo sibi munere in civitate concredito egregie sentiant; utpote quorum operâ in civium ordinibus officiorum conscientia mutuaque adiutrix navitas cotidie magis excitari possint, hominumque studia inardescere, ad nova efficienda opera, eleganti artificio praestantia.

Praeterea, haud secus atque Decessores Nostri, persuasum habemus, opifices merito expetere, ut in partem vocentur vitae societatis bonis procreandis, cui addicti sint et in qua suam ponant operam. Quas partes, quales esse oporteat, decerni certis definitisque regulis non opinamur posse, cum id potius ex singularum societatum bonis gignendis statu sit constituendum; qui nempe tantum abest ut sit idem omnibus, ut saepe in una eademque societate penitus ac repente commutetur. Non dubitamus tamen, quin opificibus actuosae partes sint attribuendae in negotiis societatis, cui navent operam, sive haec privatorum sive reipublicae sit; quod nimirum eo spectare utcumque debet, ut societates bonis gignendis perfectam induant humanae consortionis speciem, cuius afflatu singulorum necessitudines, munerum officiorumque varietates penitus afficiantur.

Hoc vero flagitat, ut mutuae quae operarum conductoribus ac moderatoribus cum eiusdem societatis operariis intercedunt rationes, ad mutuum obsequium, ad existimationem et benevolentiam conformentur; flagitat insuper, ut omnes, tamquam ad commune opus, sincera praesentique virium concordia conspirent, atque operam, quam ponunt, non eo tantum consilio ponant, ut inde lucrum faciant, verum etiam ut munus sibi creditum exsequantur, et officium praestent, quod ad aliorum etiam utilitatem conducat. Quo fit ut, ad negotia expedienda societatisque incrementum quod attinet, opportune admodum audiantur opifzcum optata eo

rumque socia advocetur opera. Haec namque praeclare Decessor Noster f. r. Pius XII monebat: «Partes, quas in rebus oeconomicis atque socialibus unusquisque appetit, vetant quominus singulorum industria alieno arbitrio prorsus regatur». (28) Nemo sane dubitat quin societas, quae hominis dignitati apprime consulat, tueri quidem debeat necessariam efficientemque sui regiminis unitatem; sed exinde nullo modo sequitur, ut qui in eam cotidie suam conferant operam, ii solummodo administrorum loco ducantur, ad iussa tacite exsequenda natorum, quibus optata sua rerumque usum interponere non liceat, sed inertes se gerere debeant, cum de ipsorum locanda moderandaque opera consilia sint capienda.

Commemorandum denique est, quae graviora usque munera in variis societatibus bonis gignendis hodie opificibus deferri optantur, ea non solum cum hominis natura apte componi, sed etiam cum oeconomicis, socialibus ac civilibus progredientis aetatis rationibus omnino congruere.

Quamvis, pro, aetate hac nostra res oeconomica atque socialis haud parvas habeant discrepantias, iustitiae humanitatique inimicas, ac per totam rerum oeconomicarum provinciam errores serpant, eius actionem, fines, conformationem munerumque perfunctionem graviter inficientes, nemo tamen negaverit, recentiores opum gignendarum rationes, artibus doctrinisque proficientibus incitatas, admodum progredi ac renovari, easdemque citius quam antea incrementa suscipere. Quod quidem ab operariis praestantiorem hodie dexteritatem exercendaeque artis peritiam requirit. Inde cogitur, ut iisdem uberior adiumentorum copia longiorisque temporis spatium suppeditanda sint, ad idoneam sibi politioremque institutionem adipiscendam, pariterque ad studia, mores, religionisque officia commodius excolenda.

Fit etiam ut adulescentibus hoc tempore plures anni tribui possint, ad communem sibi comparandam eruditionem, artisque addiscenda praecepta.

Quae si facta erunt, ea rerum condicio nascetur, in qua opifices gravioris momenti munera etiam in sua cuiusque societate suscipere poterunt. Ad rempublicam autem quod spectat, haud parvi interest, ut in eius ordinibus universis se cives cotidie magis sentiant officio obstringi commune bonum tuendi.

Est res omnium ante oculos posita, opificum collegia, nostra hac aetate, late increbruisse, atque communiter in singularum civitatum ac vel etiam in plurium nationum instituta iuridica ascita esse; eaque operarios adducere, non iam ad dimicandum, sed potius ad sociam conferendam operam; quod praesertim fit pactionibus inter opificum et conductorum consociationes initis. Monere etiam praestat, necessarium aut saltem admodum opportunum esse, opificibus quoque copiam dari consilia momentumque suum interponendi extra societatis suae fines, et quidem apud quoslibet civitatis ordines.

Quod ex eo initium capere videtur, quod singulae consociationes opibus gignendis, quantumvis magnitudine, efficientia ac momento in republica praestent, arte tamen cohaerent cum generali rei oeconomicae socialisque statu suae cuiusque nationis, ex quo earum ipsa pendet prosperitas.

At ea decernere, quae generalem illum rei oeconomicae statum magis adiuvent, negotium non est singulae cuiusque societatis bonis gignendis, sed ad reipublicae moderatores spectat, et ad illa instituta quae, aut pro aliqua natione aut pro pluribus civitatibus condita, in variis rerum oeconomicarum provinciis operantur. Ex quo patet opportunum vel necessarium esse, apud civitatis auctoritates et apud eadem instituta, praeter dominos aut eos qui dominorum partes agunt, veluti praesentes etiam opifices haberi aut eos qui pro suo munere opificum iura, necessitates, optata tuentur.

Consentaneum igitur est, ut in primis cogitatio Nostra paternaeque caritatis affectus ad consociationes feratur varias artes complectentes, itemque ad opificum collegia, quae, christianae doctrinae principiis conformata, in pluribus terrarum continentibus operam navant suam. Novimus quot quantisque pressi difficultatibus dilectissimi hi filii Nostri efficaciter conati sint et acriter adhuc conentur, tum intra fines nationis cuiusque suae, tum in terrarum orbe universo, ut operariorum iura vindicent eorumque fortunas et mores ad meliora provehant.

At praeterea horum filiorum Nostrorum operam merita honestare laude cupimus, quae non omnis in proximo atque perspicuo rerum exitu sita est; sed ad universum etiam, qua late patet, humani laboris campum permanat, rectis agendi cogitandique normis almoque christianae religionis afflatu quaquaversus propagatis.

Qua quidem Nostra paterna laude eos etiam ornare carissimos filios volumus, qui christianis praeceptis imbuti eximiam tribuunt operam aliis artificum consociationibus iisque opificum collegiis, quae naturae legibus ducuntur et singulorum de re religiosa ac morali libertatem verentur.

Neque facere hoc loco possumus, quin ex animo gratulemur existimationisque Nostrae sensus patefaciamus «Gentium Consilio labori ordinando» - compendiariis litteris OIL vel ILO vel OIT in vulgus significato - quod plures iam annos sollertem, efficacem magnique pretii ponit industriam in rerum oeconomicarum et socialium ordine ubique terrarum ad iustitiae humanitatisque normas instaurando; in quo quidem ordine operariorum quoque legitima iura agnoscuntur atque servantur.

Quemadmodum fere oculis tenemus, factum est superioribus hisce annis, ut in maximis consociationibus bonis gignendis partes, quae a bona possidentibus agantur, in dies magis a partibus diductae sint, quas societatis moderatores agant. Id magnas sane difficultates facessit reipublicae principibus, quibus sedulo vigilandum est, ne quod sibi proponunt rectores praecipuarum administrationum, earumque potissimum quae maximum habent momentum in rebus oeconomicis totius civitatis, id ullo modo a communis boni rationibus dissideat. Quae porro difficultates, uti rerum usu cognitum habemus, non minores profecto sunt cum privati cives, quam cum publici coetus pecuniarum capita conferunt, ad magnas administrationes necessaria.

Nec minime latet, esse hodie frequentiores, qui ex recentissimis oeconomicis cautionibus ac multiplicibus securitatis socialis rationibus habeant cur tranquillo animo in futurum tempus prospiciant; quae quidem tranquillitas olim in bonorum dominio, etsi modico, posita erat.

Contingit quoque nostris diebus, ut homines potius alicuius artis peritiam quam rerum possessionem excupiant; iidemque pluris faciant reditus, qui ex labore vel ex iuribus cum labore coniunctis oriantur, quam reditus, qui ex pecuniarum capite vel ex íuribus cum hoc coniunctis exsistant.

Quod quidem plane congruit cum nativa laboris indole, qui, cum a persona humana proxime procedat, anteferendus est externorum bonorum copiae, quae suapte natura instrumentorum loco habenda sunt; idque progredientis humanitatis indicium profecto est.

Huius generis rerum oeconomicarum condiciones in causa profecto sunt, cur in vulgus sit ambiguum, utrum in praesentibus rerum adiunctis, vim suam amiserit, aut minoris sit aestimandum principium de re oeconomica et sociali a Decessoribus Nostris firmiter traditum ac propugnatum: principium dicimus, quo statuitur hominibus ius esse a natura datum privatim res possidendi, etiam bonis edendis aptas.

Quod dubium inane prorsus est putandum. Siquidem ius privati dominii, etiam quod ad res attinet gignendis bonis tributas, per omne tempus valet, utpote quod in ipsa contineatur rerum natura, qua docemur singulares homines priores esse civili societate, atque adeo civilem societatem ad hominem tamquam ad terminum dirigi oportere. Ceterum nequiquam privatis hominibus ius agendi cum libertate in re oeconomica agnoscitur, nisi ipsis pariter facultas permittitur libere deligendi adhibendique res ad illud ius exercendum necessarias. Praeterea rerum usus temporumque monumenta testantur, ubi populorum regimina privatis hominibus etiam bonorum fructuosorum possessionem non agnoscant, ibi aut violari aut omnino deleri, in praecipuis rebus, humanae libertatis usum; ex quo utique patet libertatis usum a dominii iure pariter tutelam pariter incitamentum repetere.

Hinc causa est quaerenda, cur coetus et consociationes, in re sociali ac politica versantes, qui libertatem cum iustitia in hominum consortione componere student, quique fere ad hunc diem ius privatim possidendi res gignendis opibus aptas non ponebant, hodie iidem, rerum socialium cursu uberius eruditi, opinionem suam nonnihil emendaverint, atque ita se habeant ut ius illud reapse probent.

Placet igitur Nobis monitis uti, quae de hac re Decessor Noster f r. Pius XII dedit: «Ecclesia ius privati dominii tuendo, ad optimum spectat finem moralem in re sociali; scilicet per se minime contendit praesentem rerum servare ordinem, quasi divinae Voluntatis imperium in eo agnoscat; neque magis data opera opulentorum ac praedivitum patrocinium suscipit, pauperum et egenorum iuribus neglectis … Verum Ecclesiae propositum est, ut privatae possessionis institutum tale habeatur, quale et divinae Sapientiae consilium et naturae lex iubeant». (29) Scilicet privata possessio humanae personae libertatis iura in tuto ponat oportet, simulque necessariam suam conferat operam ad rectum instaurandum societatis ordinem.

Dum recentissimae rei oeconomicae rationes apud non paucas civitates cito, uti iam diximus, progrediuntur, atque ad parienda bona efficientiore usque modo conducunt, iustitia et aequitas requirunt, ut auctarium pariter adiciatur, bono communi incolumi, laboris mercedi. Quod sane efficit, ut opifices facilius parsimoniae studeant, atque adeo sibi aliquem parare valeant censum. Quamobrem mirum est respui a quibusdam indolem iuris dominii naturalem; iuris dominii dicimus, quod ex laboris feracitate perpetuo vim et virtutem suam ducit; quod deinde tam efficaciter ad humanae dignitatem personae tuendam, et ad liberam sui cuiusque muneris perfunctionem in omnibus navitatis campis adiuvat; quod postremo domestici convictus compaginem tranquillitatemque confirmat, non sine pacis et prosperitatis in re publica incremento.

Attamen parum est statuere, ius esse homini a natura datum res ut suas privatim possidendi, easque etiam quae ad bona gignenda valeant, nisi pariter omni contentione elaboretur, ut eiusdem iuris usus per omnes civium ordines propagetur.

Quemadmodum enim praeclare monet Decessor Noster f. r. Pius XII, ex una parte ipsa humanae personae dignitas «ad vivendum secundum rectas naturae normas necessario poscit ius externis bonis utendi; cui quidem iuri officium respondet sane gravissimum, quod requirit ut, quantum fieri potest, omnibus copia detur privata bona possidendi»; (30) ex altera vero parte, ipsi labori insita nobilitas praeter alia postulat: «tuitionem ac perfectionem illius socialis ordinis, qui omnibus cuiusvis classis civibus tutam, etsi modicam, bonorum possessionem permittat». (31)

Privatum bonorum dominium latius obtineat oportere, si alias umquam, hodie est potissimum profitendum, cum, ut commemoravimus, numero augescant nationes, quarum oeconomicae rationes maiora in dies capiant incrementa. Quare, variis prudenter adhibitis artibus, quas usus comprobavit, haud difficile negotium erit civitatibus oeconomicam et socialem rem ita temperare, ut facilior fiat et quam latissime pateat aditus ad privatim possidendas huius exempli res: bona usu haud statim peritura; domum; praedium; supellectilem procurationi, sive ab artificibus sive a singulis agricolarum familiis gestae, necessariam; syngraphas pecuniae in administrationibus medii vel magni ordinis collocatae; quod quidem felici exitu in nonnullas nationes invectum est, provectioribus in re oeconomica et sociali rationibus instructas.

Manifestum omnino est, quae exposuimus, ea minime prohibere, quominus etiam civitates ceteraque publica instituta iure res possideant, quae ad opes parandas pertineant; si praesertim «tam magnum secum ferant potentatum, quantus privatis hominibus, salva re publica, permitti non possit». (32)

Nostrae huius aetatis ea esse indoles videtur, ut ampliores usque bonorum possessiones tum civitati, tum ceteris publicis institutis attribuantur. Cuius rei causa in hoc etiam quaerenda est, quod commune bonum exigit, ut maiora usque munera publicae auctoritati demandentur. Attamen hac etiam in re «subsidiarii officii principium», de quo iam mentionem fecimus, omnino servandum est; scilicet tum tantum licere civitatibus ac publicis institutis dominii sui fines amplificare, cum manifesta ac vera communis boni necessitas id postulat, depulso periculo, ne privatorum possessiones praeter modum extenuentur aut, quod deterius est, plane evertantur.

Neque denique silentio praetereundum est, oeconomica incepta, quae a republica vel a publicis institutis suscipiantur, iis esse civibus deleganda, qui et singulari peritia et spectata honestate praestent, quique officia erga rempublicam summa religione exsequantur. Praeterea in horum virorum operam sedula atque assidua vigilantia inspiciatur oportet, ne, in ipsius reipublicae administratione, rerum oeconomicarum imperiosus dominatus in paucorum concedat manus; quod sane cum supremo civitatis bono pugnet.

Sed Decessores Nostri illud etiam nullo non tempore docuerunt, in privati dominii iure penitus munus inesse sociale. Re enim vera, ex Dei Creatoris consilio, cunctorum bonorum copia omnium hominum vitae honeste degendae in primis attribuitur; quemadmodum praeclare monet Decessor Noster f. r. Leo XIII in Encyclicis Litteris Rerum Novarum; ubi haec legimus: «quarum rerum summa haec est: quicumque maiorem copiam bonorum Dei munere accepit, sive corporis et externa sint, sive animi, ob hanc causam accepisse, ut ad perfectionem sui pariterque, velut minister providentiae divinae, ad utilitates adhibeat ceterorum. ‹Habens ergo talentum, curet omnino ne taceat: habens rerum affluentiam, vigilet ne a misericordiae largitate torpescat: habens artem qua regitur, magnopere studeat, ut usum atque utilitatem illius cum proximo partiatur›». (33)

Quamvis nostro hoc tempore valde processerint atque magis magisque augescant partes civitati publicisque institutis concreditae, ex hoc tamen nullo pacto conficiendum est, obsolevisse socialem privati dominii rationem, ut quorundam ferre videtur opinio; nam hoc sociale munus ex ipso dominii iure suam petit virtutem. Cui rei illud proximum est, omni tempore tum rerum acerbitates innumeras, tum necessitates occultas easque graves ostendi, quas multiplex reipublicae providentia non attingit, quibusque consulere nullo modo potest; qua de causa privatorum humanitati christianaeque caritati late semper patebit campus. Est denique perspicuum, ad conata incitanda, quae ad animi bona spectent, magis valere operam a singulis hominibus aut a privatis civium consiliis susceptam, quam a reipublicae potestatibus.

Attinet demum hoc loco animadvertere, ius bona privatim possidendi certe sacri Evangelii auctoritate probari; quod tamen saepe Christum Iesum inducit magnopere divites iubentem, ut, divitias pauperibus largiendo, eas in superna vertant bona: «Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi aerugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in caelo, ubi neque aerugo neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt nec furantur» (Mt 6,19-20). Atque Divinus Magister profitetur in semet Ipsum id collatum iri, quidquid in egenos collatum fuerit: «Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis» (Mt 25, 40).

III

Rerum temporumque progressio magis magisque illud ostendit, ad iustitiae aequitatisque normas revocandas esse, non solum necessitudines inter opifices et moderatores societatum bonis pariendis, verum etiam rationes, quibus inter se coniungantur oportet simul varia rerum oeconomicarum genera, variaeque regiones aliae aliter ditatae, in una eademque natione; simul,

in universa hominum communitate, plures variaeque nationes, quae in rebus oeconomicis et socialibus non uno modo profecerunt.

Atque initio, ut de agrorum cultura aliquid admoneamus, animadvertimus in primis ruricolarum numerum haud videri in toto imminutum; tamen sine dubitatione agricolas non paucos esse qui, rure natali relicto, vel sedes incolis frequentiores, vel ipsas urbes petant; quod, cum fere in omnibus nationibus intercidat, atque nonnumquam magnam hominum multitudinem contingat, idcirco quoad vitam dignitatemque civium impedimenta infert, ad expediendum sane difficilia.

Cuique sane illud est in promptu, prout res oeconomicae processerint atque increbruerint, ita ruricolarum numerum extenuari, opificum autem amplificari multitudinem, qui vel machinalibus industriis vel quibuslibet ministeriis dant operam.

Atqui censemus, qui ex re rustica se ad alias artes bona gignentes conferant, eos saepe quidem facere causis ductos, quae ex ipsa rerum oeconomicarum progressione oriantur, sed saepius multi generis raptos incitamentis, quorum haec praecipua: animi voluntas angusta loca defugiendi, quae nullam habeant commodioris vitae exspectationem; studium res adeundi novas, casusque varios experiendi, quo tantopere nostra tenetur aetas; cupiditas sibi bona fortunasque repente asciscendi; anhela sitis liberioris vitae degendae, iis adeptis commodis, quae et oppida incolis frequentia et urbes afferre solent. Sed illud quoque in dubio esse non potest, quin ab agris ruricolae propterea abeant, quod res suas fere ubique iacere videant, sive animum referant ad sui laboris efficientiam, sive ad agricolarum victus cultusque statum.

Quocirca in tanta hac re, de qua nunc apud civitates fere omnes quaeritur, illud in primis exploretur oportet, quid sit agendum ne, si efficiendarum rerum modum existimemus, hinc agricultura, hinc machinales industriae, hinc communia ministeria tantopere inter se discrepent; quid item sit curandum, ut vitae rusticanae cultus quam minime a vivendi ratione municipum distet, quorum pecuniae reditus vel ex machinalibus industriis vel e quibuslibet ministeriis nascantur; quid denique sit enitendum, ut qui agriculturae navent operam nullo modo sese ceteris dignitate cedere opinentur; immo sibi persuasum habeant, eos quoque qui ruri vitam traducant, non modo personam suam confirmare et excolere laboribus posse, sed etiam in futuros vitae casus fidenti animo prospicere.

Peropportunum idcirco videtur Nobis de huius generis causa normas nonnullas tradere, in qualibet temporum condicione valituras, dummodo ea ratione, quemadmodum patet, ad effectum adducantur, quam varia temporum locorumque adiuncta vel sinant, vel suadeant, vel prorsus exigant.

In primis, omnes, at praecipue reipublicae moderatores, in eo elaborent necesse est, ut, quae munia ad omnium commoda praecipua sint, ea apte ruri incrementa capiant, quorum haec sunt exempla: viarum munitio; commeatus vehicula; instrumenta, quibus homines cum hominibus commercia exercent; aqua salubri potu; domicilia; medici et medicamenta; scholae et elementis, et artibus, et professionibus addiscendis; quae cum ad religionem colendam tum ad animum relaxandum attinent; denique ea supellex, qua agricolarum domum nostra haec aetas ornari et instrui postulat. Quae instrumenta ad agricolarum vitam cum dignitate exigendam necessaria, ubi ruricolis desunt, ibi res oeconomicae et sociales aut nullo modo aut tardius proficiunt, fitque exinde, ut nihil possit homines ab agris deserendis remorari, atque nemo eorum numerum possit facile habere perspectum.

Oportet praeterea civitatum res oeconomicas gradatim procedere, mutua servata inter varias earundem rerum provincias apta convenientia. Danda est scilicet singulariter opera, ut primum

ad agros colendos illae adhibeantur recentiore hoc tempore rationes inductae, sive in artes bonorum procreandorum, sive in varias agrorum culturas, sive in rusticae procurationis apparatus, quas res oeconomicae in universum aut ferant aut requirant; utque deinde haec omnia, quantum fieri potest, ita perficiantur, ut pariter cum machinalibus industriis, pariter cum cuiusvis generis ministeriis aeque conveniant.

Sequetur inde, ut agricultura non modo maiorem bonorum copiam sibi auferat, quae machinalibus industriis pariuntur, sed etiam magis congruas poscat communium ministeriorum formas; vicissim autem cultura agrorum tum machinalibus industriis, tum ministeriis communibus, tum civitati ipsi eiusmodi reddet fructus, qui et proprietate et modo magis idonei videantur ad usum; effectumque ideo agricolitio dabit, ut firmior nummis tribuatur facultas bonorum emendorum; quod quidem unum est e praecipuis capitibus totius rei oeconomicae ad incrementum ordinandae.

Quibus susceptis consiliis, haec, praeter alia, consequentur commoda: ut primum facilius cognosci possit et unde discedant et quo contendant ruricolae, qui a laboribus vacent, propterea quod ad agrorum culturam nova inventa pedetemptim sint adhibita; ut deinde ita iidem in sui artificiis erudiantur, ut operam curamque suam ad alia quoque laborum genera conferre possint; ut postremo iis neque rerum oeconomicarum auxilia, neque subsidia ad mentem animumque excolendum desint, quae requiruntur, ut aptius in novos sociales coetus inseri possint.

Ut autem in variis rerum oeconomicarum provinciis ordinata progressio habeatur, necesse omnino est rerumpublicarum auctoritates, agrorum cultura spectata, ad haec curam prudentiamque suam intendant: ad tributa aut vectigalia, ad creditam pecuniam, ad civilium praesidiorum cautiones, ad rerum pretium, ad artes provehendas complementi rationem habentes, denique ad rusticarum procurationum apparatus perficiendos.

Quod ad vectigalia spectat, huiusmodi disciplina ad iustitiam aequitatemque ordinata hoc praecipue flagitat, ut tributa pro civium facultate imperentur.

Sed in ruricolarum tributis temperandis communis omnium utilitas ab iis qui rempublicam gubernant poscit, ut animum advertant, in re rustica reditus et tardius confici et in graviorem ire aleam; atque propterea difficilius capita reperiri, ad eos augendos necessaria.

Quibus positis, consequens est, ut pecuniarum possessores, eas libentius in aliis negotiis quam in re rustica collocent. Eadem de causa ruricolae nequeunt usuras graviores pendere; quin etiam plerumque ne usuras quidem pendere possunt a mercatura impositas, ut pecuniarum capita sibi parent, quae rerum suarum administratio et incrementum desiderent. Quam ob causam, ad omnium commoda provehenda opus est, non tantum a publicis auctoritatibus peculiarem quandam rei pecuniariae disciplinam pro agricolis decerni, verum etiam argentarias constitui, e quibus pecuniarum capita, et ea quidem haud gravi usura, iisdem suppeditentur.

Illud praeterea necessarium videtur, ut duabus rationibus constituantur periculorum cautiones: quarum altera ad ea, quae terra gignit, altera ad agricolas ipsos eorumque familias spectet. Quoniamque, ut pro explorato habetur, uniuscuiusque agricolae reditus tenuiores communiter sunt quam operariorum cum in machinalibus industriis, tum in quibuslibet ministeriis versantium, idcirco cum iustitiae socialis et aequitatis normis non omnino congruere videtur, agricolis vel cautionis vel securitatis socialis modum statuere deteriorem, quam ceterorum civium ordinum. Etenim quae cautiones providentiaeque generatim constituuntur, eae parum discrepare aliae ab aliis debent, quaecumque ea est rei oeconomicae provincia, in qua cives exercent opus, vel ex qua iidem reditus percipiunt.

Ceterum vero cum securitates cautionesque sociales magnopere ad illud adiuvare possint, ut totius civitatis reditus pro iustitiae et aequitatis normis inter cives partiantur, easdem propterea quasi viam haberi convenit, qua discrepantiae inter varias civium classes extenuentur.

Cum autem agrorum fruges peculiari sint natura, earum ideo pretium in tuto ponatur oportet, rationibus quidem adhibitis, quas rei oeconomicae periti invenerint. Qua in re, licet plurimum valeat si huiusmodi tutelam iidem gerant, quorum intersit, hoc est opportuna quasi sibi imposita norma, tamen ab hoc temperando negotio abesse omnino civitatum moderatores non possunt.

Neque vero hoc praeteriri potest, rerum rusticarum pretio plerumque magis agricolarum labores compensari, quam pecuniae capita in rem impensa.

Itaque iure optimo Decessor Noster f. r. Pius XI in Encyclicis Litteris Quadragesimo Anno de humanae communitatis bono docet: «apposite ad rem facere inter salaria proportionem»; quibus tamen haec subicit: «quacum arcte cohaerere rectam proportionem pretiorum, quibus illa veneunt, quae a diversis artibus progignuntur: qualia habentur agricultura, ars industrialis, alia». (34)

Quoniam agrorum fruges eo potissimum pertinent, ut satis praecipuis hominum necessitatibus faciant, eam ob causam earundem pretium ita definiatur opus est, ut omnibus eas emere liceat. Ex quo tamen in confesso res est, iniuste sine dubio fieri, si totus civium ordo, agricolarum dicimus, et quoad oeconomicas et quoad sociales rationes, ad deteriorem adducatur statum, quippe qui minore polleant facultate ea emendi, quae necessaria sunt ad honestum vitae cultum; quod nimirum communi civitatis bono aperte repugnat.

Opportunum praeterea est, in locis rusticis simul machinales industrias provehi simul communia parari ministeria, quae ad servandas, ad commutandas, denique ad vectandas fruges usui sint. Ad quae accedant ibidem opus est consilia et coepta, quae provincias sive rerum oeconomicarum sive artium exercendarum attingant. Quibus consiliis adhibitis, agricolarum familiis facultas idonea datur suos supplendi reditus, et hoc quidem in ea rerum hominumque condicione, in qua vivunt operamque impendunt suam.

Extremum nemo unus potest in universum statuere quibus rationibus res rustica sit potissimum componenda, quippe cum de his rebus dispar nimium sit in uniuscuiusque reipublicae locis status, eoque magis dispar in totius orbis terrarum partibus. At vero, qui hominis et familiae dignitatem sive ex natura ipsa sive magis ex christianis praeceptis existimant, ii certe quamlibet rerum agricolarum procurationem eoque magis familiarem animo sibi proponunt, ad effigiem hominum communitatis expressam, in qua videlicet et mutuae membrorum necessitudines, et eiusdem procurationis conformatio ad iustitiae normas et ad christianae doctrinae rationem accommodentur: iidemque summa ope enituntur, ut haec exoptanda rerum rusticarum administratio, pro singulis temporum articulis, detur tandem effecta.

Procuratio tamen familiaris tum solummodo firma stabilisque erit, cum ex ea tantum pecuniae redibit, quantum ad honestum familiae victum et cultum est idoneum. Quod ut obtineatur, opus omnino est, ut agricolae et egregie in suis laboribus generatim erudiantur, et in novis edoceantur inventis, denique a peritis viris in sua efficienda arte iuventur. Atque etiam oportet, agricolae de rebus suis societates adiutrices conflent; consociationes constituant ad suam cuiusque professionem spectantes; itemque in publicis rebus versentur efficienter, hoc est, cum in administrandae civitatis institutis, tum in re politica.

Verumtamen persuasum est Nobis, cum de re rustica agatur, auctores principesque sive rei oeconomicae augendae, sive animi cultus provehendi, sive socialium rationum promovendarum eosdem esse homines, quorum intersit, ipsos videlicet agricolas. Quibus sane perspectum cognitumque esse debet, quem laborem sustineant, eum esse honestissimum; quod in amplissimo quasi mundi templo suscipitur; quod saepius arboribus et animantibus impertitur, quorum vita, veluti infinita quaedam significans, certisque astricta legibus, plurima habet ad Deum Creatorem et Providum invitamenta. Deinceps agrorum labor, non tantum varia gignit nutrimenta, quibus hominum alitur genus, sed copiam etiam cotidie uberiorem parit earum rerum, quibus machinales industriae utuntur.

Idem praeterea labor sua ornatur dignitate, siquidem plurimas res usurpat ad machinalem scientiam, ad chimiam, ad biologiam pertinentes; quae tamen, quoniam doctrinarum artiumque incrementa in rebus rusticis plurimum valere constat, ob eam causam sine ulla temporis intermissione sunt ad volventis temporis necessitates accommodandae. Neque hoc satis; etenim huic laborum generi sua inest nobilitas, quippe quod ab agricolis postulet, ut cursum temporum acrius intellegant, eique sese facilius adiungant; ut sedatius quae futura sunt exspectent; ut momentum et gravitatem officii sui existiment; ut alacritatis voluntatem resumant, et nova semper experiantur.

Neque illud missum est faciendum in regione rerum rusticarum, perinde atque in quavis rerum gignendarum regione, agricolas in societates coire maxime oportere; idque praesertim si rem rusticam ipsa agricolae familia conducat. Utcumque par est rura colentes mutua fide se alios aliis obligatos sentire, atque eo coniunctim contendere, ut adiutrices societates et consociationes ad artes pertinentes condant; quae quidem omnia propterea sunt habenda pernecessaria, quod sive commoda parant ruricolis doctrinarum et artium progredientium, sive pro pretiis propugnant bonorum, quae ex labore efferuntur. Accedit quod, hisce susceptis consiliis, agricolae ad ceteras artificum classes coaequantur, qui plerumque societate sunt coniuncti. Extremum, haec si praestiterint, agricolae momentum et pondus cum sua condicione consentanea consequentur in publica re administranda; quandoquidem nostra hac aetate, si una dumtaxat vox missa sit, eam esse in ventos datam, ut aiunt, iure optimo putandum est.

Sed ruricolae – haud secus atque ceterae opificum classes – si quando suae temperationis pondus et momentum ostendere volunt, id numquam neque morum disciplina neque civitatis legibus spretis faciant opus est; immo vero sua iura suasque utilitates cum ceterarum classium iuribus et utilitatibus componere eademque ad commune civitatis bonum referre studeant. Ad haec, agricolae qui pro virili parte in eo elaborant ut agrorum amplificentur fortunae, iure poscere possunt, ut sua ipsorum incepta a reipublicae moderatoribus iuventur atque compleantur, modo de communibus utilitatibus ipsi bene sentiant, curamque suam ad eas efficiendas item conferant.

Quam ob causam eos filios Nostros merita honestare laude cupimus, qui ubique gentium, sive societatibus adiutricibus sive varii generis consociationibus conditis, provectis, vigilantius enituntur, ut agricolae in omni civium coniunctione, non modo debita rerum oeconomicarum copia, sed iusta etiam vitae dignitate fruantur.

Cumque in agrorum labore omnia contineri videantur, quae ad hominis ipsius dignitatem, perfectionem, cultumque prosunt, ob eam causam oportet, eum homo existimet tamquam mandatum a Deo acceptum et ad excelsa spectans; oportet deinde, homo istiusmodi laborem providentissimo Deo quasi consecret, tempora omnia ad hominum salutem dirigenti; oportet postremo, agricola in se quodammodo onus recipiat sive seipsum sive alios ad humanitatis cultum informandi.

Fit saepius, ut in una eademque civitate alii cives aliter opibus et rei socialis incrementis fruantur, ea praesertim de causa quod in oris commorantur et operantur, quae, si res oeconomicae spectantur, aliae aliis auctibus creverunt. Quod ubi evenit, iustitia itemque aequitas poscunt, ut civitatis principes curent, ut discrepantiae hoc genus vel tollantur penitus, vel saltem imminuantur. Cuius rei gratia, conandum est, ut in oris, quae minus in rebus oeconomicis processerint, praecipua ea publica ministeria suppetant, quorum rationes cum rationibus temporum et locorum congruant, et cum communi vivendi genere, quoad potest, conveniant. Sed ad haec adhibenda est prorsus aptissima rerum administratio atque disciplina, qua diligenter ordinentur: operae locandae; incolarum commigratio; merces constituenda opificibus; tributa civibus imperanda; nomina facienda; pecuniae in iis machinalibus industriis collocandae, quae praesertim ad alias artes incitandas valeant. Quae omnia plane pertinebunt, non tantum ad operarios cum utilitate locandos et ad operum incitandos redemptores, sed ad ubertates etiam e locis ipsis percipiendas.

Attamen quae ad communia civium emolumenta conducibilia visa sint, ea dumtaxat reipublicae moderatores praecipiant necesse est. Quorum scilicet curae, totius civitatis utilitate spectata, in hoc assidue versari debent, ut in materia et agriculturae, et machinalium industriarum, et communium ministeriorum res eodem tempore eademque ratione, quoad fieri potest, provehantur; eo nimirum ducti consilio, ut cives in oris agentes quae minus in opibus profecerunt, ii, si mentem in rationes intendant oeconomicas et sociales, pariterque ad animi culturam, se esse sentiant progressae fortunae suae auctores praecipuos; nam digni cives ipsi videntur, qui ad suarum rerum progressiones praecipuam conferant operam.

Itaque ad aequabiliter res oeconomicas in eadem civitate temperandas, opus est ut ii quoque, qui suis opibus consiliisque nituntur pro virili parte, incumbant. Quin etiam qui praesunt, iuxta «subsidiarii officii principium», sic privatorum hominum inceptis favere et auxiliari debent, ut inchoata opera, ubi res ferant, ipsis privatis civibus perficienda permittant.

Opportunum est hoc loco ad illud etiam mentem intendere, in non paucis nationibus disparia inter se admodum esse hinc agrorum exercendorum spatia, illinc incolarum numerum: cum aliae nationes inopia laborent civium, agris movendis abundent; aliae contra civibus affluant, egeant agris colendis.

Neque desunt rursus nationes, in quibus, licet solum uberrimas possit proferre opes, agricolae tamen sic rudibus atque obsoletis agrorum vertendorum rationibus utuntur, ut tantum fructuum percipere nequeant, quantum sit summis necessitatibus totius populi satis; ex contraria vero parte, in nonnullis civitatibus agricultura eatenus recentiori disciplinae obtemperavit, ut rusticorum fructuum copiam pepererit iusto maiorem, atque ideo universam rempublicam, quoad oeconomicas res, aliquo damno afficiat.

Res igitur in comperto est, tum mutuam omnium hominum coniunctionem, tum eorum fraternae sensum necessitudinis, Christi praeceptis conciliatae, hoc omnino desiderare, ut alii populi aliis adiutricem operam tribuant, actuosam scilicet et multiplicem, quam non modo bonorum, fortunarum, hominumque ipsorum facilius sequatur commercium, sed minores etiam inter varias nationes discrepantiae. Qua de re fusius infra dicturi sumus.

Hic tamen facere non possumus, quin profiteamur valde probari Nobis Instituti incepta, compendiariis litteris FAO appellati, quod pertinet ad alendos populos et ad agriculturam provehendam. Huic enim Instituto id singulariter propositum est, ut mutuis populorum consensionibus obsecundet; ut rura ex nostrorum temporum normis in iis nationibus colantur,

quae sint rebus oeconomicis minus auctae; ut denique populis subveniatur, cibariorum penuria laborantibus.

Verum nostris hisce diebus quaestio una fortasse omnium maxima haec affertur, quae nimirum necessitudines civitatibus in re oeconomica progressis cum civitatibus, quarum oeconomicae progressiones sint in cursu, intercedere debeant; quarum alterae vitae commodis fruantur; alterae vero praedura egestate laborent. Siquidem, cum mutua necessitudine homines, qui ubique sunt, ita hodie consocientur, ut in quandam et quasi unam domum insitos sese sentiant, idcirco quibus nationibus saturitas copiaque sit omnium bonorum, ab iis status non est neglegendus aliarum, quarum cives in tantis versentur domesticis difficultatibus, ut egestate fameque paene conficiantur, neve iuribus praecipuis hominum propriis, ut oportet, frui possint; eo vel magis quod, cum civitates videantur cotidie magis aliae ex aliis quodammodo pendere, fieri non potest ut diu utilem pacem eaedem servent, si earum oeconomicae et sociales condiciones nimiopere ab aliarum discrepent.

Nos igitur, qui homines universos diligimus tamquam filios, Nostrarum esse partium arbitramur, hoc loco illud apertissime in medio ponere, quod alias monuimus: «In nos ad unum omnes cadere, quod populi tenuitate victus omnino vexentur». (35) «[Quapropter] opus esse, ut in singulis, ut generatim in omnibus, praesertim autem in opulentioribus huius conscientia officii incitetur». (36)

Ut facili coniectura prospicitur, utque Ecclesia semper graviterque monuit, officium egenis et miseris opitulandi catholicos homines cum maxime commovere iustum est, utpote qui membra sint mystici corporis Christi. «In hoc cognovimus caritatem Dei – inquit Ioannes Apostolus – quoniam ille animam suam pro nobis posuit: et nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam huius mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?» (1 Io 3,16-17).

Quocirca libenti animo videmus civitates rationibus instructiores, ad res gignendas idoneis, suppetias civitatibus a bonis imparatis ferre, ut ipsis minus arduum sit in melius suas mutare fortunas.

Cum pateat profecto omnibus, alias nationes edulibus bonis ac maxime frugibus redundare, in aliis vero populares multitudines inopia et fame laborare, iustitia et humanitas postulant, ut opulentiores illae civitates subsidio egentibus civitatibus adsint. Quare bona ad hominum vitam necessaria vel omnino atterere vel profundere, tam adversus iustitiae quam adversus humanitatis officia facit.

Non sumus plane nescii, sicubi bona abundantiora quam pro civitatis necessitatibus praesertim ex agris gignantur, inibi posse quibusdam civium ordinibus enasci detrimenta. Attamen ex hoc nequaquam sequitur, ut quae nationes bonis affluant, eae ad ferendam egenis ieiunisque opem, ubi peculiaris quaedam emergat necessitas, non astringantur; quin etiam illud est diligentissime curandum, ut ortae ex bonorum ubertate incommoditates, eaedem et imminuantur et aequa ratione a singulis civibus tolerentur viritim.

Attamen his effectis non continuo e pluribus civitatibus tollentur stabiles egestatis famisque causae, quae in rudi quadam rerum oeconomicarum ratione plerumque ponendae sunt. Quibus ut remedium afferatur, omnes, qui dentur, aditus explorandi sunt, ut partim cives in artibus exercendis, in suisque obeundis muneribus egregie erudiantur, ut partim in possessionem eant pecuniarum, quibus iidem res oeconomicas provehant, viis et rationibus nostrae huic aetati accommodatis.

Nos nulla ex parte praeterit, quam penitus multorum in animis insederit, novissimis hisce annis, ea conscientia officii, suppetias esse ferendas civitatibus inopibus et haud satis idonea etiamnum rei oeconomicae supellectile instructis, ut apud eas res oeconomica itemque socialis expeditius progrediatur.

Ad quos optatos exitus ut pervehatur, videmus Consilia vel plurium nationum vel singulae cuiusque civitatis, videmus privatorum incepta et societates civitatibus eiusmodi operam praebere cotidie liberalius, artibus traditis ad res gignendas magis idoneis. Quare auxilia quam plurimis adulescentibus feruntur, ut in maximis Athenaeis civitatum magis progressarum studiis operam dantes, ad artes et ad disciplinas instituantur, cum nostrae huius aetatis rationibus congruentes. Addendum eodem illud est, quod sive argentariae ad omnes spectantes nationes, sive singulae nationes, sive privati cives iisdem civitatibus pecunias saepe credunt mutuas, quibus, apud civitates opibus inferiores, plurium institutorum initium fiat, ad bona parienda aptorum: quod munificum consilium, hac oblata opportunitate, merita laude libentissimi ornamus. Optandum vero est, ut in posterum civitates opulentiores magis magisque connitantur, ut civitatibus sui profectus viam ingredientibus adiutricem operam navent, ad doctrinas, ad artes, ad res oeconomicas promovendas.

Qua de re Nostri officii munus esse ducimus aliquid hoc loco admonere.

Primum omnium prudenter esse factum videtur, si nationes, quae aut nihil aut paulum in rebus oeconomicis adhuc profecerunt, itineris summam perpenderint a nationibus initi, quae copia affluant bonorum.

Providum quidem consilium multaque necessitas flagitant, simul copiosiora efficere bona, simul aptiore via efficere. Pariter tamen et necessitas et iustitia requirunt, ut progenitae opes inter cives eiusdem reipublicae aeque dispertiantur. Quapropter enitendum est, ut res oeconomicae haud secus progrediantur atque rerum socialium rationes. Qui rursus processus aeque simul in agrorum, in machinalium industriarum, in cuiusvis generis ministeriorum provinciis efficiantur oportet.

Est hoc etiam omnium arcte oculos positum, civitates, quarum oeconomicae progressiones sunt in cursu, certas quasdam easque manifestas saepe prae se ferre notas, quae aut ex propria loci natura, aut ex traditis a maioribus institutis humanitate plenis, aut ex peculiari quadam civium indole nascuntur.

Iamvero cum respublicae florentiores praesto adsunt rebuspublicis a fortunis inopibus, tum non modo vestigia eadem opus est habeant perspecta vereanturque, verum etiam provideant diligentissime ne, dum his nationibus operam ferant, eas velint ad imitandam suae vitae disciplinam adigere.

Praeterea civitates in re oeconomica progressae illud nominatim caveant necesse est, ne civitatibus egentioribus praestantes operam, eo spectent, ut publicarum rerum statum in suam ibi vertant utilitatem, in exsequendumque dominandi consilium.

Ad quod si quando contendatur, in medio est apertissime ponendum, ad illud re vera tum contendi, ut genus quoddam colonicae dicionis instauretur, quae, licet honesto tecta nomine, superiorem illam exoletamque dicionem exprimat, quam civitates multae recens exuerunt; quod quidem, cum necessitudinibus officiat, quibus aliae nationes attingunt alias, in discrimen omnium gentium tranquillitatem vocet.

Magna igitur necessitas itemque iustitia postulant, ut quae civitates cum ad artes tum ad negotia provehenda operam conferant, eaedem, quovis posthabito dominandi consilio, ita nationibus parum in re oeconomica progressis conferant, ut hae possint aliquando in rationibus qua oeconomicis qua socialibus per se ipsae proficere.

Quod si factum erit, non parum certe proderit ad omnium rerumpublicarum veluti communitatem iungendam, quarum singulae, sibi suorum iurium officiorumque consciae, pari ratione ad omnium populorum prosperitatem spectent.

Non est sane dubium quin, si in aliqua natione eodem tempore doctrinae, artes, res oeconomicae, et civium prosperitas processerint, tum ad humanum civilemque cultum eo loci multum utique collatum sit. Sed cuique persuasum esse debet, haec non summa esse bona, sed instrumenta tantummodo ad eadem bona adipiscenda opportuna.

Quam ob rem cum acerbo doloris sensu videmus, in quibus nationibus res oeconomicae profecerint, haud paucos inibi inveniri homines, quibus de iusto bonorum ordine nihil curae est; qui nimirum animi bona vel plane neglegunt, vel oblitterant penitus, vel ulla esse pernegant; interea dum disciplinarum, artium, rationum oeconomicarum progressiones acerrime expetunt, atque tanti externa commoda faciunt, ut ea plerumque pro summo suae vitae bono ducant. Ex quo consequitur ut, perniciosis insidiis opera ipsa non vacet, a florentioribus civitatibus ad inopum progressum collata; in harum enim nationum civibus, ex vetere tradito more, adhuc conscientia praecipuorum bonorum, quibus disciplina morum nititur, plerumque viget, eosdemque ad agendum movet.

Itaque qui integros horum populorum sensus quodammodo labefactare conantur, inhonestum quiddam iidem profecto admittunt. Quin immo hos sensus, praeter quam quod in honore habere dignum est, tum vero perfici et expoliri oportet, quippe in quibus veri nominis nitatur humanitas.

Porro Ecclesia divino iure ad universas pertinet gentes; quod re ipsa confirmatur, cum et ubique terrarum iam adsit, et ad omnes complectendos populos contendat.

Nunc autem, quos populos Christo aggregavit Ecclesia, iis utilitatis exitus non afferre non potest, sive ad res oeconomicas, sive ad sociales rationes quod attinet; quemadmodum et praeteritis temporibus et nostra hac aetate res gestae testantur palam. Nemo enim eorum qui christianum nomen professi sunt, promissum et receptum non habet, se civilia instituta pro virili parte esse perfecturum, summoque opere nisurum, non solum ne humana dignitas ullo modo deformetur, sed etiam ut, repagulis omne genus perfractis, ea omnia promoveantur, quae ad honestatem virtutemque alliciant atque conducant.

Ad hoc Ecclesia, cum in populi alicuius quasi venas vim suam inseruerit, idcirco neque est, neque se existimat institutum quoddam, eidem populo extrinsecus impositum. Id autem ex eo cadit quod, ubi Ecclesia adest praesens, ibi singuli homines in Christo vel renascuntur, vel resurgunt; qui vero vel renati sunt, vel resurrexerunt in Christo, iidem nulla umquam externa vi se sentiunt oppressos; immo potius, cum perfectam libertatem se esse adeptos sentiant, ad Deum libero impetu feruntur; atque ideo quidquid bonum honestumque sibi esse videtur, idem confirmant atque perficiunt.

«Iesu Christi Ecclesia» – quemadmodum Decessor Noster Pius XII dilucide monet – «utpote fidelissima almae divinaeque sapientiae custos, non ea certe nititur deprimere vel parvi facere, quae peculiares cuiusvis nationis notas proprietatesque constituant, quas quidem populi iure meritoque quasi sacram hereditatem religiose acerrimeque tueantur. Ea siquidem ad unitatem

contendit, superno illo amore conformatam et altam, quo omnes actuose exerceantur; non vero ad unam assequendam rerum omnium aequabilitatem, externam tantummodo atque adeo insitas vires debilitantem. Et curas omnes ac normas, quae facultatibus viribusque sapienter explicandis temperateque augendis inserviunt – quae quidem ex occultis cuiusvis stirpis latebris oriuntur – Ecclesia approbat maternisque votis prosequitur, si modo officiis non adversentur, quae communis mortalium omnium origo communisque finis exigant». (37)

Atque magno cum animi Nostri gaudio cernimus catholicos homines, nationum cives opibus inferiorum, maximam partem ceteris civibus haudquaquam in contentione cedere, quam suae cuiusque civitates adhibent, ut in rebus oeconomicis et socialibus pro sua facultate progrediantur.

Ex altera vero parte, catholicos conspicimus, nationum locupletiorum cives, multa suscipere et conari, ut quam suae civitates civitatibus inopia conflictatis operam praebeant, ea ad rationes oeconomicas ac sociales provehendas plus plusque prosit. Qua in re illud valde probandum videtur, varia, multa, et ea quidem maiora in annos auxilia adulescentibus Africanis et Asiaticis mitti, ut in magnis Athenaeis Europae et Americae iidem litteris artibusque operam dent; magnaque cura ad omne officii munus homines instrui, in regiones opibus inferiores contendere paratos, ut illuc in suis artibus in suisque versentur rnuneribus.

Omnibus igitur dilectis filiis Nostris, qui ubicumque terrarum tanta sollertia germanas populorum progressiones incitantes, et civili cultui salutarem vim quasi inspirantes, perennem Ecclesiae sanctae virtutem efficacitatemque manifesto demonstrant, iis nimirum plaudentis gratique animi Nostri sensus declarare placet.

Novissimis hisce temporibus, illud in quaestionem venit saepenumero, quo modo rerum oeconomicarum rationes vitaeque sustentandae commoda componi possint cum aucta cumulatius hominum multitudine; idque sive ad universum terrarum orbem, sive ad nationes egestate laborantes quod attinet.

Itaque, quoad universum terrarum orbem, animadvertunt nonnulli, inita subductaque ratione consequi, ut hominum genus post aliquot decem annos longe frequentissimum futurum sit; cum res oeconomicae multo tardius sint processurae. Ex quo sunt qui colligant, nisi hominum procreationi aliquis statuatur modus, haud multo post, maiorem factum iri discrepantiam inter incolarum numerum et res ad vivendum necessarias.

In comperto autem est, ex rationariis civitatum minus bonis oeconomicis instructarum cogi, quoniam illuc aeque valetudinis tuendae et salutis recuperandae recentiores artes latius invectae sunt, ob eam causam cives, mortis periculis ab infantibus commodius depulsis, longiorem nunc habere vitae cursum; natorum autem hominum numerum ubi iam frequens esse soleat, eundem ibidem esse pergere; saltem ad non breve futuri temporis spatium. Dum autem hominum numerus qui nascuntur numerum excedit eorum qui eodem anno mortem obeunt, interea progignendarum rerum apparatus in huiusmodi civitatibus accessiones non accipiunt, incolarum multitudini congruentes. Ex quo parum est quod in egentioribus hisce rebuspublicis consuetudo victus nullo pacto proficit, ut potius deterior usque fiat. Quocirca, ne res ad extremum deveniat discrimen, sunt qui hominum conceptum ortumque vel subterfugiendum vel quoquo modo refrenandum esse putent.

Nunc si verum fateri volumus, quae in universo terrarum orbe inter natorum hominum numerum et rerum copiam intercedunt rationes, ex iis neque in praesentia parari neque propediem paratum iri graves hac de re difficultates intellegitur. Quae enim de eiusmodi causa componuntur argumenta, tam dubia ea sunt tamque controversa, ut nihil certi ex iis confici liceat.

Accedit, quod Deus, qua bonitate est et sapientia, pariter rerum naturae inexhaustam fere insevit gignendi facultatem, pariter hominem tanta ingenii ditavit acie, ut aptis instrumentis adhibitis is genitas res ad suae vitae usus necessitatesque vertere possit. Nimirum igitur ut quaestio, quae affertur, enodate dissolvatur, non ea profecto via consilii est invenienda, qua, praeter morum disciplinam a Deo statutam, item humanae ipsius vitae procreatio violetur; immo vero est elaborandum homini ut, usus artibus et doctrinis omne genus, naturae vires cognitas penitus habeat, iisque dominetur in dies latius. Ceterum ad hunc diem habiti in provinciis scientiarum artiumque processus, propemodum infinitam hac de re spem de postero tempore iniciunt.

Non latet profecto Nos, in certas oras atque etiam in civitates opibus inferiores, cum huius generis quaestionibus, incommoda etiam ex eo invehi saepius, quod res oeconomicae et sociales ita ordinatae sint, ut cives, in annos singulos frequentiores, domi habere nequeant unde alantur et sustententur; quodque populi non ita concorditer inter se coniunctos ostendant, ut oportet.

Sed ita sint sane res, profitemur tamen apertissime eas quaestiones sic poni atque dissolvi oportere, ut neque vias homo neque rationes sequatur, a sua dignitate aversas; quales ii tradere non verentur, qui hominem ipsum eiusque vitam ad materiam omni ex parte referendos esse opinantur.

Hanc quaestionem sic tantummodo dissolvi posse censemus, si rerum oeconomicarum et socialium progressiones cum singulorum civium tum universae humanae societatis servent et augeant veri nominis bona. Sunt nimirum, cum de huiusmodi agitur causa, in prima commendatione ea omnia ponenda, quae sive ad hominis generatim dignitatem sive ad cuiusvis hominis vitam pertineant, qua nihil sane potest esse praestantius. Est praeterea, in eadem causa, quaerenda mutua universarum gentium opera, eo spectans, ut, praeclara cum omnium utilitate, et rerum notitiae, et pecuniarum capita, et homines ipsi ordinatim possint ab aliis populis ad alios commeare.

Hac de re graviter pronuntiamus, hominis vitam tradi atque propagari operà familiae, in uno eodemque indissolubili nixae matrimonio, quod Sacramenti dignitate, ad christianos quod attinet, auctum est. Quoniamque hominis vita aliis hominibus consulto et cogitate traditur, sequitur idcirco, ut hoc agatur ad Dei praescriptiones, sanctissimas, firmissimas, inviolatas; quas scilicet nemo non agnoscere, non servare debet. Quocirca hac in re nemini omnium licet iis uti viis rationibusque, quibus vel arborum vel animantium vitam prorogare licet.

Etenim hominum vita pro sacra re est omnibus ducenda: quippe quae, inde a suo exordio, Creatoris actionem Dei postulet. Itaque qui ab his Dei constitutis discedit, non solum Dei ipsius laedit maiestatem, et sibi humanoque generi imprimit dedecus, sed etiam civitatis suae vires intimas debilitat.

His de causis permagni interest, ut nova suboles, praeter quam quod disciplina humanitatis religionisque diligentius erudiatur quod quidem ius officiumque est parentum tum etiam in quibuslibet suae vitae factis se officiorum suorum maxime consciam praestet; atque propterea in familia quoque sibi condenda, et in liberis procreandis educandisque. Quibus liberis non solum stabilis fiducia inicienda est in Dei Providentia, verum etiam animus firmissimus paratissimusque ad labores et incommoda perferenda, quae nemini devitare licet, qui dignum et grave illud susceperit munus, suam nempe sociandi cum Deo operam, cum in vita tradenda tum in prole educanda: qua in extrema re nihil certe valet magis quam data ab Ecclesia praecepta supernaque auxilia; Ecclesiam dicimus, cuius, hanc etiam ob causam, ius est agnoscendum, suum libere exercendi munus.

Iamvero, ut in libro Genesis scriptum legimus, Deus, quibus ipse primum naturam tradidit humanam, iis duo dedit mandata, quorum alterum complet alterum: iussit videlicet initio: «Crescite et multiplicamini» (Gn 1,28); iussit subinde: «Replete terram, et subicite eam» (Gn 1,28).

Quorum mandatorum alterum tantum abest ut ad rerum consumptionem spectet, ut eas potius assignet humanae vitae commodis.

Magna propterea cum animi Nostri maestitia in praesenti animadvertimus duo haec inter se concurrere contraria: ut nempe ex hac parte, rerum angustia tam obscure ante oculos exponatur, ut hominum vita miseria inediaque pene esse peritura dicatur; ut ex altera, sive recens invectae doctrinae, sive artium progressiones, sive rerum oeconomicarum ubertates in instrumenta vertantur, quibus ad extremam ruinam ad horribilemque necem adducatur hominum genus.

Providens Deus satis quidem bonorum hominum generi largitus est, quibus adiuti onera cum dignitate subeant, liberorum procreationi coniuncta: sed hoc vel non sine difficultate vel nullo pacto fieri potest, si homines, recto itinere lapsi pravaque affecti mente, instrumenta, de quibus diximus, contra humanam rationem, vel contra socialem eorum naturam, adeoque contra ipsius Dei consilia traducant.

Cum autem quae inter civitates convenerunt rationes, scientiarum et artium causa, in omni humanae communitatis regione artiores novissimo hoc tempore factae sint, ob eam rem oportet populi alii ex aliis magis magisque pendeant.

Quocirca alicuius ponderis quaestiones, quae hodie afferuntur, in provinciis sive doctrinarum et artium, sive rerum oeconomicarum et socialium, sive civitatis administrandae et cultus provehendi humanitatis, eae saepenumero, cum singulae unius reipublicae facultates excedant, plures atque aliquando omnes terrarum nationes ex necessitate quadam contingunt.

Ita fit, ut singulae civitates, etiamsi praestent cultu et humanitate, numero et sollertia civium, rationum oeconomicarum processu, copia bonorum, finiumque amplitudine, nequeant tamen, separatim a reliquis, praecipuas suas quaestiones per se ipsae congruenter dissolvere. Respublicae igitur, cum opus sit alias complere ac perficere alias, suis utilitatibus ea tantum condicione prospicient, si ceterarum utilitatibus simul prospexerint. Quapropter civitates summa admonet necessitas, ut et bene conveniant inter se, et mutuam sibi operam navent.

Quod quamvis singulis hominibus, atque etiam omnibus populis, sit magis magisque in dies persuasum, homines tamen, atque in primis qui in publica re graviore pollent auctoritate, impares plerumque videntur ad binas eas res efficiendas, ad quas spectant populorum animi; idque non ex eo nascitur, quod populi idonea careant vel doctrinarum, vel artium, vel rerum oeconomicarum supellectile; sed quod verius alii aliis diffidunt. Re enim vera homines, atque continuo respublicae, se mutuo timent; nam altera civitas in timore est ne altera consilia ceperit opprimendi, neve eadem, temporis opportunitate oblata, callida huiusmodi exsequatur consilia. Quapropter civitates omnia quae usui sunt ad urbes sedesque suas defendendas parant, hoc est arma, quibus se velle uti confirmant, ut alias civitates ab impetu faciendo deterreant.

Ex quo plane conficitur, ut et hominum vires et naturae opes ad detrimenta potius quam ad utilitates humanae congregationis latissime a gentibus referantur; atque etiam cum singuli homines tum populi tam gravi afficiantur sollicitudine, ut a maiorum laborum susceptione retardentur.

Cuius causa rei ex eo proficisci videtur, quod homines, sed praesertim rerumpublicarum primores, in agendo alii aliter de vita sentiunt. Sunt enim, qui statuere audeant nullam esse veri rectique

legem; quae externas res hominemque ipsum transcendat; quae sit prorsus necessaria, et ad universos pertineat homines; quae postremo sit aequabilis in omnes. Ita fit ut homines, utpote quibus una eademque iustitiae lex omnibus nequaquam probetur, in nulla re possint plene ac tuto consentire.

Quamvis enim vocabulum «iustitia» et coniuncta verba «iustitiae iussa» per omnium ora ferànturr, tamen voces huiusmodi non eandem apud omnes significationem capiunt: immo etiam saepissime contrariam. Quocirca cum sive «iustitiam», sive «iustitiae iussa» illi primores appellant, non modo inter se de his nominibus non congruunt, sed ex iis saepe et multum inveniunt gravium contentionum causam; atque adeo in animum inducunt, nullum iam esse locum ad sua iura, ad suaque commoda obtinenda, nisi vim, gravissimorum semen malorum, experiantur.

Ut mutua inter nationum principes fides constet et in eorum animis haereat magis, veri iustique leges primum agnoscantur et conserventur hinc atque illinc oportet.

At vero quae de moribus deque virtute sunt praecepta, ea nonnisi in Deo consistunt; quo remoto, necesse est eadem dissolvi penitus. Etenim homo non uno corpore constat, sed et animo, qui se rationis libertatisque esse compotem sentit. Atque ita compositus animus moralem legem omnino postulat, in religione innixam, quae longe melius quam alia quaevis externa vis aut utilitas valet ad quaestiones dissolvendas, quae vel ad singulorum vitam, vel ad civium coniunctiones attineant, quaeve aut singulas aut universas simul civitates contingant.

Tamen non desunt hodie qui profiteantur, tantopere doctrinis et artibus florentibus, homines posse, Deo posthabito, suisque unis solis viribus adiutos optimum humanitatis sibi parare cultum. Re tamen vera ob ipsas scientiarum artiumque progressiones delabuntur saepe homines in difficultates, ad omnes populos pertinentes, quas perrumpere solummodo poterunt, si Dei, hominis totiusque naturae auctoris et rectoris, debitam auctoritatem agnoscant.

Quod esse verum ipsi videntur ostendere scientiarum processus, in infinitatem propemodum patentes; ex quibus opinio in multorum inseritur animis, adeo mathematicorum scientias non posse in naturam commutationesque rerum penitus introspicere easque aptis declarare verbis, ut vix eas possint aspicere coniectura. Atque cum suis viderint oculis perterriti homines, ingentes vires, artibus machinisque exprimendas, sicut ad populorum commoda comparanda item ad labefactanda adhiberi posse, iidem coniciant oportet, res ad animum ad moresque attinentes ceteris omnibus esse anteferendas; ut scientiarum artiumque progressiones, non ad humani generis adducant eversionem, sed ad humanitatis cultum, tamquam causae adiuvantes, valeant.

Interea autem evenit, ut in civitatibus opulentioribus homines, bonorum externorum magis magisque inexplebiles, iam fictam imaginem e mente deponant vitae felicissimae hic in aevum degendae; evenit pariter ut homines, non tantum sibi sint conscii cotidie magis se humanae personae iuribus integerrimis et universis frui, verum etiam omni opera et ope enitantur ad rationes mutuo inter se contrahendas, certe aequabiliores, suaeque accommodatiores dignitati. E quibus rebus sequitur, ut in praesens homines suas facultates esse finitas incipiant agnoscere, atque quae sint animi studiosius quam antea expetere. Quae profecto omnia aliquam inicere spem videntur, fore ut non modo singuli homines, sed etiam populi ad multam eandemque perutilem sibi mutuo praebendam operam aliquando consentiant.

IV

Quoniam doctrinarum et artium progressiones, uti praeterito tempore ita hoc nostro, plurimum ad mutuas civium redundant necessitudines, opus esse idcirco videtur, necessitudines easdem, sive de singulis sive de universis civitatibus agatur, ad humaniorem conformari aequilibritatem.

Quam in rem multa cogitando inventa sunt et scriptis in medium prolata: quorum alia iam depulsa perinde ac sole nebula sunt; alia sunt hodie penitus iam immutata; alia minus atque minus hominum in praesentia illiciunt animos. Quod ex eo sane manat, quod vulgata haec opinionum commenta neque totum integrumque hominem contingunt, neque eius contingunt potiorem partem. Ea insuper missas faciunt haud dubias humanae naturae debilitates: ut morbos et dolores; quibus videlicet debilitatibus nulla rerum oeconomicarum et socialium ratione, etsi ficta exquisitissime, omni ex parte remedium afferri posse manifestum est. Ad hoc, homines qui ubicumque sunt intimo quodam invictoque religionis sensu moventur, quem nulla umquam vel vis proteret, vel opprimet calliditas.

Falsissima enim quaedam nostris hisce diebus vulgata opinio illud fert ut, quem hominibus natura inseverit religionis sensum, is veluti commenticium quiddam aut imaginarium sit putandum; atque adeo ex animis evellendum penitus, utpote cum a nostrorum indole dierum et a procedente hominum civili cultu omnino discrepet. Immo vero, illa hominis ad religionem intima proclivitas convincit, hominem ipsum a Deo re vera esse creatum, ad eundemque tendere irrevocabiliter; ut apud Augustinum scriptum legimus: «Fecisti nos ad te, Domine; et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te». (38)

Quapropter, quantumvis artes et res oeconomicae processerint, in terrarum orbe neque iustitia neque pax esse poterunt, quoad homines non sentient quantum in se dignitatis insit, quod a Deo creati sint et eiusdem sint filii; Deum dicimus, qui prima et extrema causa utique est habendus rerum omnium, quas creavit. A Deo discretus homo cum sibi tum aliis fit immanis; siquidem mutuae hominum necessitudines omnino requirunt rectam humanae conscientiae rationem cum Deo, cuiuslibet veritatis, iustitiae et amoris fonte.

Est sane cognitum perspectumque omnibus, in multis civitatibus, quarum nonnullae antiquitus christianorum doctrina excultae sunt, tot Fratres filiosque Nostros, Nobis quidem carissimos, vexari saevissime, plures iam annos. Quod, cum prope ante omnium oculos ponat hinc vexatorum hominum excellentem dignitatem, illinc insectatorum diritatem exquisitam, id, quamvis hos nondum ad sanitatem reduxerit, multos tamen ad recogitandum de hac re movet.

Verumtamen nulla stultitia magis esse nostrae huius aetatis propria videtur, quam velle rerum terrestris huius vitae firmum utilemque ordinem statuere, necessario non subdito fundamento, hoc est, summo Deo posthabito; itemque hominis velle magnitudinem efferre, exsiccato fonte, unde illa emanat aliturque magnitudo: hoc est, retardato atque, si fieri posset, fracto animorum ad Deum impetu. At vero rerum eventus, qui nostro hoc tempore acciderunt, quibus quidem spes multorum sunt praecisae et non pauci sunt in luctum vocati, ii profecto confirmant quam vere scriptum sit: «Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laborant, qui aedificant eam» (Ps 126,1).

Quam catholica Ecclesia doctrinam tradit et pronuntiat de hominum convictu ac societate, ea sine ulla dubitatione perpetua vi pollet.

Cuius doctrinae illud est omnino caput, singulos homines necessarie fundamentum, causam et finem esse omnium socialium institutorum; homines dicimus, quatenus sunt natura congregabiles, et ad ordinem rerum evecti, quae naturam exsuperant et vincunt.

E gravissimo huiusmodi principio, quo sacra humanae personae dignitas affirmatur et defenditur, praesertim superioribus hisce centum annis, Ecclesia sancta, sacerdotibus et laicis hominibus doctissimis operam ferentibus, luculente conclusit de re sociali praecepta, ad quae mutuae hominum necessitudines componantur: spectatis nimirum generalibus normis, congruentibus sive cum natura rerum et variis humani convictus condicionibus, sive cum praecipua huius temporis indole; quae propterea normae omnibus probari possunt.

Attamen hodie, si umquam alias, necesse est, eiusmodi praecepta, non solum cognita perspectaque habeantur, sed etiam ad effectum adducantur iis rationibus et modis, quae varius temporum locorumque status aut ferat, aut exigat. Quod arduum quidem, sed excelsum est munus; ad quod obeundum non solum Fratres filiosque Nostros, qui ubique sunt, hortamur, sed etiam egregie cordatos homines universos.

Primum omnium illud confirmamus doctrinam socialem, quam catholica Ecclesia profitetur, ab ipsa non posse disiungi doctrina, quam de hominum vita tradit.

Hac de causa, ut disciplinae eidem magis ac magis studeatur magnopere cupimus. In primis autem hortamur, ut ea, tamquam exigendum pensum, cum in catholicis scholis cuiusvis ordinis tradatur, tum vero maxime in sacris Seminariis, quamvis Nobis notum sit, in nonnullis huiusce generis ephebeis id iamdiu egregie fieri. Optamus praeterea, ut haec de re sociali disciplina in indicem addatur religiosarum materiarum, quibus vel paroeciae vel consociationes laicorum apostolatui incitando suos erudiunt; modis omnibus in vulgus emanet, quos recentior induxerit aetas: hoc est, tum scriptis quae vel cotidie vel in certos dies in lucem edantur; deinde libris de studiis doctrinae emissis, aut eruditorum aut vulgi captui aptis; denique radiophonicis et televisificis transmissionibus adhibitis.

Ut autem haec catholicae Ecclesiae doctrina de re sociali latius latiusque exeat in vulgus, multum operae curaeque filios Nostros e laicorum ordine conferre posse opinamur, si non modo eam addiscant ipsi ad eamque exaequent actionem suam, verum etiam studiose curent, ut eius vim alii quoque habeant perspectam.

Quibus plane persuasum illud sit, se numquam posse commodius ostendere hanc doctrinam et rectam et efficientem esse, quam si ostenderint eadem posse praesentes hac de re difficultates expediri. Hac enim via ad huiusmodi doctrinam eorum convertent animos, qui ei propterea hodie repugnant, quod illam ignorant; quin hoc etiam forsitan consequentur, ut istiusmodi homines aliquid ex eius luce aliquando hauriant.

Ast praecepta quaevis de re sociali, non tantum sunt in medio ponenda, sed etiam re ipsa usurpanda: quod potissimum valet de Ecclesiae doctrina, quae ad res sociales attineat; quippe cuius lux sit veritas, finis sit iustitia, vis princeps sit amor.

Vehementer igitur interest, ut filii Nostri, praeterquam quod praecepta de re sociali cognitione comprehendant, ad ea insuper educentur.

Cum enim christianorum institutio, ut expleta dici possit, ad cuiusvis ordinis officia pertinere debeat, idcirco necesse est, ut, eâdem christifideles incitati, Ecclesiae praeceptis etiam actionem suam conforment, quae res oeconomicas et sociales contingat.

Nam si difficile per se ipsum est quidvis a ratione ad usum revocare, eo magis arduum est putandum in opere tentare catholicae Ecclesiae doctrinam de re sociali; idque has praesertim ob causas: quod videlicet in homine est insitus penitus amor suarum rerum incontinens; quod nostris

diebus in hominum communitatem late eorum serpit doctrina, qui omnia attribuunt materiae; quod in difficili est interdum perspicere quid in re praesenti iustitia iubeat.

Quae cum ita sint, non satis est, si huiusmodi institutione homines doceantur, iuxta Ecclesiae praecepta, sibi esse christiano more agendum in regione rerum oeconomicarum et socialium, nisi pariter viae ipsis tradantur, quibus officium hoc suum congruenter exsequantur.

Huius vero generis institutionem non sufficere existimamus, nisi ad praeceptoris operam opera ipsius accedat erudiendi hominis, nisique ad traditam doctrinam addatur actio, experimenti causa suscepta.

Quemadmodum, ut proverbio fere increbruit, nemo condiscit libertate recte frui, nisi libertate recte usurpata, haud secus nemo novit iuxta catholicam doctrinam in re oeconomica et sociali agere, nisi reapse in eadem provincia et iuxta eandem doctrinam agendo.

Hanc ob causam in eiusmodi vulganda institutione magnae partes esse dandae videntur consociationibus apostolatui laicorum promovendo, iis praesertim quibus sit propositum, ut quod in re praesenti sit suscipiendum, id vim suam ex lege christiana omnino capiat; utpote quarum sodales e cotidiano harum rerum usu possint prius seipsos, postea iuvenes ad huiusmodi officia exsequenda melius informare.

A qua re non est alienum hoc loco in memoriam omnium, non minus potentiorum quam tenuiorum hominum, redigere, a vitae significatione, quam christiana sapientia tradit, voluntatem non posse ullo modo disiungi et sobrietatem servandi, et dura tolerandi, Dei gratia.

Sed hodie, pro, non paucorum occupavit animos immodicum voluptatum studium; quibus in omni vita nihil videtur esse magis quaerendum, quam inhiare voluptatibus, quam voluptatum explere sitim; ex quo gravia detrimenta, non solum in animos, sed etiam in corpora sine ulla controversia manant. Quam rem qui vel pro solius humanae naturae viribus iudicat, is fateatur oportet, sapientis prudentisque esse, cum in rebus omnibus consilium modumque adhibere, tum libidines refrenare. Qui vero rem ex divina lege existimat, is profecto non ignorat et Christi Evangelium, et catholicam Ecclesiam, et nobis traditam asceseos disciplinam postulare, ut christifideles acriter cupiditates compescant, vitaeque incommoda singulari patientia tolerent. Quae virtutes, praeterquam quod firmam et moderatam comparant animi in corpus dominationem, subsidium etiam valens praebent, quo poenam luamus peccati, a quo, praeter Christum Iesum eiusque Matrem Immaculatam, nemo est vacuus.

Iamvero doctrinae praecepta, quae sunt de rebus socialibus, plerumque per tres hos gradus ad effectum adducuntur: primum quae sit vera rerum condicio circumspicitur; deinde hic rerum status diligenti aestimatione cum praeceptis iisdem confertur; tum demum quid suscipi possit quidve suscipi debeat statuitur, ut normae, quae traditae sunt, pro temporum locorumque habitu, usurpentur. Qui tres procedendi gradus tribus hisce verbis: «aspicere, iudicare, agere», passim significantur.

Ex quo valde oportere videtur, hunc gerendarum rerum ordinem iuvenes, non tantum cum animo reputent, sed etiam, quoad fieri possit, in re praesenti servent; ne, quae didicerint praecepta, ea opinentur esse dumtaxat mente volvenda, et non opere pariter explicanda.

At vero, cum ad effectum haec praecepta sunt adducenda, fieri nonnumquam potest, ut vel ipsi catholici homines, et ii quidem mente sincera, in varias discedant sententias. Quod ubi contingat, sit nihilominus iisdem curae, ut simul mutuam inter se existimationem et observantiam servent atque testentur, simul rimentur ad quod collatis consiliis conspirare possint; ut quod necessitas

flagitet, tempestive praestent. Caveant praeterea studiosissime, ne vires suas crebris extenuent contentionibus, neve per speciem quaerendi id quod sibi videatur optimum, illud interea praetermittant quod re vera efficere possint, atque ideo efficere debeant.

Sed catholici in muneribus exsequendis, ad res oeconomicas socialesve pertinentibus, homines non semel attingunt, qui secus atque ipsi de vita sentiunt. Quod cum evenit, ii qui catholicum profitentur nomen, maximopere prospiciant, ut sibimetipsis semper constent, neve ad ea media consilia descendant, e quibus aut religionis aut morum integritas aliquid detrimenti capiat. Pariter tamen se tales praebeant, qui et aliorum sententiam aequa perpendant benignitate, et omnia ad utilitates suas non referant, et parati sint ad ea cum fide coniunctisque viribus efficienda, quae vel suapte natura sint bona, vel ad bonum conducibilia. At si forte contingat, ut de hac causa sacrae Auctoritatis ordines aliquid praeceperint vel decreverint, palam est huic sententiae esse ab hominibus catholicis proxime parendum. Ecclesiae enim non tantum ius et officium est, tueri principia ad religionem et ad morum integritatem spectantia, sed etiam pro sua auctoritate sententiam suam pronuntiare, cum de principiis iisdem agitur ad effectum adducendis.

Sed quae de institutione tradidimus praecepta, ea profecto in usu haberi necesse est. Quod ad eos filios Nostros potissimum pertinet, qui e laicorum ordine sunt; utpote quorum opera communiter versetur vel in terrestris huius vitae rebus efficiendis, vel in institutis, quae eodem spectent, condendis.

In quo honesto munere sustinendo opus est, ut laici homines, non modo suae cuiusque artis sint periti, suamque industriam ponant ex legibus ad propositum assequendum aptis, verum etiam agitationem suam conforment ad praecepta normasque Ecclesiae de re sociali; cuius sapientiae sincere fidant, cuius monitis more filiorum obtemperent. Cum animis suis iidem considerent, nisi in vitae actione principia illa ac normae de re sociali diligenter ab ipsis serventur, quae Ecclesia dedit, quaeque Nosmetipsi confirmamus, tum et officia debita praetermitti, et saepe aliorum labefactari iura, et eatenus procedi nonnumquam posse, ut huiusmodi doctrinae imminuatur fides, quasi ipsa quidem sit optima, sed vi reapse careat ad dirigendam vitae actionem idonea.

Quemadmodum iam commemoravimus, nostrae huius aetatis homines tum naturae leges altius latiusque perscrutati sunt; tum instrumenta invenerunt, quibus naturae ipsius vires in suam redigant potestatem; tum opera perfecerunt neque perficere intermittunt, ingentia prorsus admirationeque digna. Verumtamen, dum conantur rerum externarum potiri easque in aliam mutare formam, in periculo iidem versantur, ne seipsos neglegentia praetereant, neve animi sui corporisque vires extenuent. Quod cum iam Decessor Noster f. r. Pius XI acerba cum animi sui maestitia animadvertisset, de eadem re ita in Encyclicis Litteris Quadragesimo Anno querebatur: «Atque ita labor corporalis, quem divina Providentia etiam post originale peccatum in humani corporis simul et animi bonum statuerat exercendum, in perversionis instrumentum passim convertitur: iners scilicet materia ex officina nobilitata egreditur, homines vero ibidem corrumpuntur et viliores fiunt». (39)

Atque etiam Decessor Noster f. r. Pius XII iure profitetur, aetatem hanc nostram propterea ab aliis internosci, quod hinc doctrinae artesque ad immensum processerint, illinc homines a suae sensu dignitatis tantopere recesserint. Huius enim aetatis «illud esse absolutissimum, sed taeterrimum opus, hominem scilicet in ordine rerum naturalium in quendam giganta vertisse, in ordine vero rerum, quae supra natura sunt atque aeternae, tamquam in pomilionem mutavisse».(40)

Contingit igitur nostris diebus latissime, quod Psaltes ille de falsorum numinum cultoribus testabatur: hoc est, homines in agendo seipsos saepenumero neglegere, sua autem opera ita admirari, ut ea quasi numina colant: «Idola eorum sunt argentum et aurum, opera manuum hominum» (Ps 113,4).

Quam ob causam, Pastoris studio incitati, quo universos prosequimur homines, filios Nostros vehementer hortamur, ut, dum sua munera traducunt, et ad propositum sibi finem contendunt, interea officiorum conscientiam in semetipsis torpere ne sinant, neve bonorum ordinem praecipuorum oblitterent.

Est sane in clara luce, Ecclesiam docuisse semper et docere, scientiarum artiumque processus atque ex his ortam prosperitatem reipsa esse ducenda in numero bonorum, eademque tamquam indicia existimanda esse humani cultus progredientis. At pariter edocet Ecclesia, de huius generis bonis ex vera ipsorum natura esse iudicandum: esse nimirum illa in instrumentorum loco habenda, quibus utatur homo, ut commodius finem optimum assequatur: ut nempe facilius seipsum possit meliorem facere, in ordine sive rerum naturalium sive rerum, quae supra naturam sunt.

Qua de causa magnopere velimus aures filiorum Nostrorum nullo non tempore vocibus personare Divini Magistri haec admonentis: «Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?» (Mt 16,26).

Quibus admonitionibus ea esse affinis videtur, quae ad requietem attinet, per dies festos capiendam.

Ut catholica Ecclesia dignitatem defenderet, qua homo est praeditus, quod a Deo creatus est, quodque ipsi animum Deus, imaginem sui, ingenuit, nullo non tempore praecepit, ut tertio Decalogi mandato: «Memento ut diem sabbati sanctifices» (Ex 20,8) diligenter ab omnibus satisfieret. Ius enim et potestas Dei est homini imperare, ut, septimo quoque die, diem insumat in numini aeterno iustum debitumque cultum tribuendum; insumat in mentem suam, negotiis vitae cotidianae omissis ad bona caelestia erigendam; insumat in conscientiae suae rimanda secreta, ut cognoscat quo loco sint necessariae inviolabilesque suae cum Deo rationes.

Attamen homini quoque ius est et necessitas ab opere per intervalla cessare, non modo ut corporis sui vires a dura omnium dierum relaxet exercitatione, pariterque sensus honesto levamento avocet, sed etiam ut suae prospiciat unitati familiae; quae quidem ab omnibus membris suis requirit, ut magnam retineant vitae consuetudinem serenumque convictum.

Coniuncte igitur religio, praecepta moralia, valetudinisque curatio flagitant, ut requies certo tempore habeatur. Catholica vero Ecclesia plura iam saecula decernit, ut hanc requietem christifideles die dominico servent, eodemque die Sacrificio Eucharistico intersint, quod divinae Redemptionis simul memoriam renovat, simul fructus hominum animis impertit.

Ast gravi cum animi Nostri dolore conspicamur, neque id improbare non possumus, multos, licet forsitan nolint plerumque sanctam hanc legem consulto conculcare, ab ea tamen discedere saepe saepius. Ex quo tamquam ex necessitate fit, ut carissimi Nobis operarii detrimenta capiant, cum ad animi salutem, tum ad corporis valetudinem quod attinet.

Itaque animorum corporumque utilitates spectantes, omnes homines, sive reipublicae praesunt, sive partes operum conductorum vel opificum agunt, quasi Dei ipsius verbis commonefacimus,

ut hoc aeterni numinis et catholicae Ecclesiae praeceptum teneant, animoque reputent, se de hac re Deo hominumque societati rationem debere.

Sed ex his quae modo breviter tetigimus, ne quis colligat, filios Nostros, e laicorum ordine potissimum, se prudenter agere, si ad res, quae ad fluxam hanc vitam spectent, operam christianorum propriam remissius conferant; quin immo confirmamus huiusmodi operam impensiore in dies studio ponendam atque praestandam esse.

Re quidem vera Christus Dominus, cum sollemnem illam precationem pro Ecclesiae suae unitate peregit, haec a Patre, discipulorum suorum gratia, expoposcit: «Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo» (Io 17,15). Nemo igitur perperam sibi cogitatione fingat haec duo inter se pugnare, quae contra componi apte possunt: scilicet sui cuiusque animi perfectionem et praesentis huius vitae negotia, quasi quis a mortalis vitae operibus se removere necessario debeat, ut ad christianam suam perfectionem contendat, aut hisce negotiis vacare nullo modo possit, quin et hominis et christiani dignitatem propriam in discrimen adducat.

Verumtamen hoc plane congruit cum Providentis Dei consilio, ut homines sese excolant atque perficiant cotidiani eius exercitatione laboris, qui in rebus ad mortalem hanc vitam pertinentibus fere ab omnibus ponitur. Cuius rei causa, nostris diebus arduae hae sunt Ecclesiae partes: ad humanitatis nempe et evangelicae doctrinae normas progredientis huius aetatis cultum componere. Has vero Ecclesiae partes ipsa nostra aetas advocat, quin etiam flagrantissimis expetere videtur votis, non modo ut celsiora assequatur proposita, verum etiam ut adepta in tuto collocare valeat, sine sui detrimento. Quam ad rem, ut iam diximus, Ecclesia praesertim laicorum hominum adiutricem operam poscit, qui hanc ob causam in humanis expediendis negotiis ita industriam suam insumere tenentur, ut, dum in alios conferunt officia, id, cum Deo per Christum animo coniuncti, faciant, ipsiusque Dei gloriae augendae causa faciant: quemadmodum praecipit S. Paulus Apostolus: «Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite» (1 Cor 10,31). Et alibi: «Omne, quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum» (Col 3,17).

Quotiescumque autem humana agitatio atque instituta, quae in huius vitae rebus versantur, etiam ad animi profectum et ad sempiternam hominis beatitatem adiuvant, tum eadem censenda profecto sunt efficaciore vi pollere ad id ipsum obtinendum, ad quod suapte natura proxime spectant. Siquidem per omne tempus valitura est praeclara illa Divini Magistri sententia: «Quaerite ergo primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adicientur vobis» (Mt 6,33). Nam qui veluti «lux in Domino» (Eph 5,8) factus est, atque «ut filius lucis» (cf. Eph 5,8) ambulat, is profecto tutiore iudicio percipit, quid ex iustitiae praeceptis sit agendum in variis humanae navitatis provinciis, atque etiam in iis, quae implicatiores habent difficultates ob immodicum, quo bene multi capiuntur, vel sui ipsorum, vel patriae, vel stirpis amorem. Addendum est quod qui christiana ducitur caritate, cum alios non possit non diligere, aliorum necessitates, aegritudines, gaudia tamquam sua ipsius aestimat; eiusque opera, quocumque in loco ponitur, est firma, est alacris, est humanitatis plena, est aliorum etiam provida utilitatum; quoniam: «Caritas patiens est, benigna est: caritas non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet» (1 Cor 13, 4-7).

Attamen hisce Litteris Nostris ante finem facere nolumus quam in memoriam vestram, Venerabiles Fratres, revocemus gravissimum verissimumque illud catholicae disciplinae caput, quo docemur nos mystici Iesu Christi corporis, quod est Ecclesia, esse viventia membra: «Sicut

enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita et Christus» (I Cor 12,12).

Quamobrem magnopere adhortamur quotquot ubique terrarum numeramus filios, sive e cleri sive e laicorum ordine, ut plane sibi sint conscii quantum nobilitatis dignitatisque ex eo colligant, quod Iesu Christo, sicut viti palmites, coniungantur, secundum illud: «Ego sum vitis, vos palmites» (Io 15,5), et quod sibi liceat divinam ipsius participare vitam. Ex quo fit ut, si christifideles cum sanctissimo Redemptore mente animoque etiam tum coniuncti sint, cum in externas res suam impendunt operam, eorum sane labor Iesu Christi ipsius laborem quodammodo continuare videatur, ab eoque ducere vim et virtutem salutiferam: «Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum» (Io 15,5). Huiusmodi scilicet humanus labor ita evehitur atque nobilitatur, ut ad animi perfectionem homines, qui illum ponant, perducat, itemque ad christianae Redemptionis fructus ceteris impertiendos et quoquoversus propagandos conferre possit. Hinc etiam fit, ut christiana praecepta, quasi quoddam evangelicum fermentum, civilis societatis venas, in qua vivimus et operamur, pervadant.

Quamvis fatendum sit, saeculum hoc nostrum erroribus laborare praegravibus, et perturbationibus agitari vehementibus, contingit tamen aetate hac nostra, ut Ecclesiae operariis immensi pateant apostolici laboris campi, qui eximiam spem animis ostendunt nostris.

Venerabiles Fratres et dilecti filii, e maxime mirabilibus illis Leonianis Litteris exordium capientes, varias easque graves causas una vobiscum hactenus consideravimus, quae ad sociales nostrae huius aetatis rationes attinent; ex iisque normas ac praecepta conclusimus, quae vos enixe adhortamur, ut, non modo magnopere meditemini, sed ut etiam pro vestra cuiusque parte elaboretis ut effecta dentur. Hoc enim si unusquisque vestrum forti animo praestiterit, fieri non poterit, quin non parum adiuverit ad regnum Christi hisce in terris constabiliendum, quod est: «regnum veritatis et vitae; regnum sanctitatis et gratiae; regnum iustitiae, amoris et pacis»; (41) ex quo aliquando ad caelestem illam beatitatem migrabimus, ad quam a Deo conditi sumus, quamque flagrantissimis expetimus votis.

Nam de doctrina agitur catholicae et apostolicae Ecclesiae, gentium omnium matris et magistrae, cuius lux illuminat, incendit, inflammat; cuius monitoria vox, utpote caelesti sapientia referta, ad omnia pertinet tempora; cuius virtus ad augescentes hominum necessitates, ad huiusque mortalis vitae curas et sollicitudines tam efficacia tamque accommoda semper adhibet remedia. Cum hac voce mirum in modum antiquissima concinit vox illa Psaltae, quae nostros non cessat confirmare et erigere animos: «Audiam, quid loquatur Dominus Deus: profecto loquitur pacem. Populo suo et sanctis suis et eis qui corde convertuntur ad eum. Certe propinqua est salus eius timentibus eum, ut habitet gloria in terra nostra. Misericordia et fidelitas obviam venient sibi, iustitia et pax inter se osculabuntur. Fidelitas germinabit ex terra, et iustitia de caelo prospiciet. Dominus quoque dabit bonum, et terra nostra dabit fructum suum. Iustitia ante eum incedet, et salus in via gressuum eius» (Ps 84, 9ss).

Huiusmodi sunt vota, Venerabiles Fratres, quae facimus in harum Litterarum clausula, ad quas Nostras de Ecclesia universa sollicitudines diu intendimus; facimus nimirum, ut divinus hominum Reparator, «qui factus est nobis sapientia a Deo, et iustitia, et sanctificatio, et redemptio» (1 Cor 1,30), in omnibus et super omnia, per saeculorum decursum, dominetur, atque feliciter triumphet; facimus item, ut, recto socialium rerum ordine composito, gentes omnes et prosperitate, et laetitia, et pace tandem fruantur.

Quarum optabilium rerum veluti auspicium, paternaeque voluntatis Nostrae pignus esto Apostolica Benedictio, quam vobis, venerabiles Fratres, et christifidelibus omnibus vigilantiae

vestrae commissis, atque iis nominatim, qui admonitionibus hisce Nostris alacri voluntate respondebunt, peramanter in Domino impertimus. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die 15 mensis Maii, anno 1961, Pontificatus Nostri tertio. IOANNES PP. XXIII

(1) IOANNES PP. XXIII, Litt. enc. Mater et magistra de recentioribus rerum socialium processibus ad christiana praecepta componendis, [Ad venerabiles fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios, pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes, itemque ad universum clerum et christifideles catholici orbis] 15 maii 1961: AAS 53(1961), pp. 401-464.

Prologo. – Parte I: Insegnamenti dell'enc. «Rerum novarum» e tempestivi sviluppi del magistero di Pio XI e Pio XII (i tempi dell'enc. «Rerum novarum»; le vie della ricostruzione; l'enc. «Quadragesimo anno»; il radiomessaggio della Pentecoste 1941; ulteriori mutamenti; motivi della nuova enciclica). – Parte II: Precisazioni e sviluppi degli insegnamenti della «Rerum novarum»: Iniziativa personale e intervento dei poteri pubblici in campo economico; La socializzazione (origine e ampiezza del fenomeno; valutazione); Rimunerazione del lavoro (criteri di giustizia e di equità; processo di adeguazione tra sviluppo economico e progresso sociale); Esigenze della giustizia nei confronti delle strutture produttive (strutture conformi alla dignità dell'uomo; riconferma di una direttiva; impresa artigiana e impresa cooperativistica; presenza attiva dei lavoratori nelle medie e grandi imprese; presenza dei lavoratori a tutti i livelli); La proprietà privata (mutata situazione; riaffermazione del diritto di proprietà; effettiva diffusione; proprietà pubblica; funzione sociale). – Parte III: Nuovi aspetti della questione sociale: Esigenze di giustizia in ordine ai rapporti tra i settori produttivi (l'agricoltura settore depresso; adeguamento dei servizi pubblici essenziali; sviluppo graduale e armonico del sistema economico; appropriata politica economica; imposizione tributaria; capitali a interesse conveniente; assicurazioni sociali e sicurezza sociale; tutela dei prezzi; integrazione dei redditi agricoli; adeguazione delle strutture dell'impresa agricola; i lavoratori della terra protagonisti della loro elevazione; solidarietà e collaborazione; sensibilità ai richiami del bene comune; vocazione e missione; azione di riequilibrio e di propulsione nelle zone in via di sviluppo; eliminazione o riduzione degli squilibri fra terra e popolazione); Esigenze di giustizia nei rapporti tra paesi a sviluppo economico di grado diverso (il problema dell'epoca moderna; aiuti di emergenza; cooperazione scientifico-tecnico finanziaria; evitare gli errori del passato; rispetto delle caratteristiche delle singole comunità; opera disinteressata e nel rispetto della gerarchia dei valori; l'apporto della chiesa); Incrementi demografici e sviluppo economico (squilibrio tra popolazioni e mezzi di sussistenza; i termini del problema; rispetto delle leggi della vita; educazione al senso della responsabilità; a servizio della vita); Collaborazione su piano mondiale (dimensioni mondiali di ogni problema umano di rilievo; sfiducia reciproca; mancato riconoscimento dell'ordine morale; il vero Dio è fondamento dell'ordine morale). Parte IV: La ricomposizione dei rapporti della convivenza nella verità, nella giustizia e nell'amore: L'impegno pastorale (ideologie incomplete ed erronee; perenne attualità della dottrina sociale della chiesa; istruzione; educazione; un compito delle associazioni di apostolato dei laici; suggerimenti pratici; azione molteplice e responsabile; un pericolo grave; riconoscimento e rispetto della gerarchia dei valori; santificazione della festa; rinnovato impegno; maggiore efficienza nelle attività temporali; membri vivi nel corpo mistico di Cristo)

FINIS

,,,

12 LITTERAE ENCYCLICAE PACEM IN TERRIS SUMMI PONTIFICIS IOANNIS PP. XXIII

Pacem in terris, quam homines universi cupidissime quovis tempore appetiverunt, condi confirmarique non posse constat, nisi ordine, quem Deus constituit, sancte servato.

Nam ex doctrinarum processibus ac technicorum inventis plane discimus, simul in animantibus et in naturae viribus dominari ordinem mirificum, simul in homine eiusmodi inesse dignitatem, qua possit sive ordinem ipsum deprehendere sive instrumenta apta sibi parare, ad easdem occupandas vires et ad sua commoda transferendas.

Sed scientiarum progressiones ac technicorum inventa primum omnium infinitam Dei magnitudinem ostendunt, qui et rerum universitatem et hominem ipsum creavit. Rerum, dicimus, universitatem de nihilo fecit, in eamque sapientiae et bonitatis suae copiam profudit; qua de re alicubi sacer Psaltes hisce verbis Deum laudat: «Domine, Domine, quam admirabile est nomen tuum in universa terra» (Ps 8,1), hisce alicubi vocibus: «Quam multa sunt opera tua, Domine! Omnia cum sapientia fecisti» (Ps 103,24). Hominem item Deus «ad imaginem et similitudinem suam» (cf. Gn 1,26) creavit, intellegentia et libertate praeditum, dominumque constituit rerum universarum; uti Psaltes idem hac sententia profitetur: «Et fecisti eum paulo minorem angelis, gloria et honore coronasti eum; dedisti ei potestatem super opera manuum tuarum, omnia subiecisti pedibus eius» (Ps 8,5-6).

Nunc autem cum optimo universitatis ordine mirum quantum pugnat tum singulorum hominum, tum populorum perturbatio; quasi si rationes, quibus inter se continentur, nonnisi vi regi queant.

Attamen in intimo homine mundi Creator ordinem impressit, quem eius conscientia et patefacit et magnopere servari iubet: «Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum» (Rm 2,15). Ceterum quemadmodum potest fieri secus? Etenim quaecumque fecit Deus, haec infinitam eius referunt sapientiam, referuntque eo clarius quo absolutiore eadem perfectione gaudent (cf. Ps 18,8-11).

Verum opinionis error praebet frequenter errorem quod multi censeant rationes, quae singulis hominibus cum sua cuiusque re publica intercedant, iisdem legibus, quibus vires et elementa mentis expertia universitatis, posse gubernari; cum huiusmodi leges, alius quidem generis, illinc dumtaxat petendae sint, ubi Parens rerum omnium inscripsit, hoc est in hominis natura.

His enim legibus praeclare erudiuntur homines, quibus primum modis mutua sua commercia in humano convictu moderentur; quibus deinde modis rationes componendae sint, quae civibus cum publicis suae cuiusque civitatis magistratibus intercedunt; quibus tum modis mutuo contingantur respublicae; quibus postremo modis inter se contineantur hinc singuli homines et civitates, illinc universarum gentium societas; quae, societas, ut tandem condatur, communis omnium utilitas vehementer requirit.

I

Atque primum omnium de ordine disserendum, quem inter homines vigere necesse est.

Porro in quovis humano convictu, quem bene compositum et commodum esse velimus, illud principium pro fundamento ponendum est, omnem hominem personae induere proprietatem; hoc est, naturam esse, intellegentia et voluntatis libertate praeditam; atque adeo, ipsum per se iura et officia habere, a sua ipsius natura directo et una simul profluentia. Quae propterea, ut generalia et inviolabilia sunt, ita mancipari nullo modo possunt (2).

Quodsi humanae personae dignitatem ex veritatibus divinitus traditis intuemur, tunc fieri non potest quin eam longe maiorem aestimemus; quippe homines sanguine Christi Iesu redempti sunt, superna gratia filii et amici Dei sunt facti, aeternae gloriae instituti heredes sunt.

Atque initio de hominis iuribus sermonem instituturi, animadvertimus hominem vitae habere ius, habere integritatis corporis, habere instrumentorum ad honestum vitae cultum aptorum: cuiusmodi praesertim sunt victus, vestimenta, domus, requies, medicorum curationes, necessaria denique ministeria a civitate impendenda in singulos. Ex quo sequitur, eo etiam iure hominem gaudere, ut sibi consulatur, si adversa corripiatur valetudine, si opere et labore debilitetur, si relinquatur in viduitate, si senio conficiatur, si vacare cogatur ab opere, si postremo sine ulla sua noxa rebus deturbetur ad victum utcumque necessariis (3).

Homo praeterea iure naturae postulat, ut in debito habeatur honore; ut bona existimatione afficiatur; ut libere possit verum inquirere, et, morali ordine communique omnium utilitate servatis, opinionem suam declarare, vulgare, et artem qualemcumque colere; ut denique ex veritate de publicis eventibus certior fiat.

Naturae simul iure cum homini in partem scientiarum venire liceat, ei idcirco necesse etiam est liceat sive ad praecipuas communesque disciplinas, sive ad technicorum artes, sive ad professiones institui, pro suae cuiusque civitatis in doctrinis progressibus. Ad haec contendendum est et elaborandum, ut homines possint, si sui ingenii vires id ferant, ad altiores studiorum ordines ascendere; ita quidem ut iidem, quoad fieri possit, in humana societate ad munera et officia emergant, tum suo ingenio consentanea, tum peritiae, quam ipsi sibi pepererint. (4)

In hominis iuribus hoc quoque numerandum est, ut et Deum, ad rectam conscientiae suae normam, venerari possit, et religionem privatim publice profiteri. Etenim, quemadmodum praeclare docet Lactantius, «hac condicione gignimur, ut generanti nos Deo iusta et debita obsequia praebeamus, hunc solum noverimus, hunc sequamur. Hoc vinculo pietatis obstricti Deo et religati sumus, unde ipsa religio nomen accepit». (5) Qua de eadem re Decessor Noster imm. mem. Leo XIII haec asseverat: «Haec quidem vera, haec digna filiis Dei libertas, quae humanae dignitatem personae honestissime tuetur, est omni vi iniuriaque maior: eademque Ecclesiae semper optata ac praecipue cara. Huius generis libertatem sibi constanter vindicavere Apostoli, sanxere scriptis Apologetae, Martyres ingenti numero sanguine suo consecravere». (6)

Insuper hominibus iure integrum est vitae genus eligere, quod praeoptent: adeoque aut sibi condere familiam, in qua condenda vir et mulier paribus fruantur iuribus et officiis, aut sacerdotium vel religiosae vitae disciplinam capessere. (7)

Quod ad familiam attinet, quae in matrimonio nititur, libere nimirum contracto, uno, indissolubili, ipsam existimari opus est tamquam humanae societatis primum et naturale semen. Ex quo oritur, ut eidem sit diligentissime consulendum, cum in re oeconomica et sociali, tum in provincia doctrinarum et morum; quae scilicet omnia eo pertinent, ut familia firmetur et ad munus suum tenendum adiuvetur.

In parentibus vero potissimum ius residet alendi et educandi filios. (8)

Si autem animum ad regionem rerum oeconomicarum referamus, liquet iure naturae datum esse homini, non solum ut operis faciendi sibi copia tribuatur, sed etiam ut opus libere ipse obeat. (9)

Sed cum huius generis iuribus ius certe coniungitur exigendi, ut homo in eiusmodi condicionibus opus navet, quibus neque corporis vires debilitentur, neque morum labefactetur integritas, neque iustis adulescentium auctibus noceatur. Quod vero ad mulieres spectat, concedenda iisdem est facultas peragendi operis in talibus rerum adiunctis, quae sive cum uxorum sive cum matrum necessitatibus et officiis congruant. (10)

Ab humanae personae dignitate ius quoque nascitur oeconomica factitandi negotia, convenienter cum reddendae rationis sensu. (11) Exinde et illud non est tacendum, operario mercedem deberi, ad iustitiae praecepta statutam; quae idcirco, pro administrationis facultatibus, operario eiusque familiae vitae genus permittat, cum hominis dignitate conveniens. Qua de re Decessor Noster fel. rec. Pius XII haec habet: «Cum officio operis faciendi, in natura posito, ius pariter naturale congruit; cuius vi homo poscere potest, ut ex impenso opere sibi suisque filiis necessaria ad vitam proveniant: tam penitus natura iubet hominis conservationem». (12)

Ab hominis natura adhuc ducitur ius privatim bona possidendi, vel gignendis opibus apta; quod videlicet ius, uti alias professi sumus, «efficaciter ad humanae dignitatem personae tuendam, et ad liberam sui cuiusque muneris perfunctionem in omnibus navitatis campis adiuvat; quod postremo domestici convictus compaginem tranquillitatemque confirmat, non sine pacis et prosperitatis in re publica incremento». (13)

Ad ultimum et hoc opportune animadvertendum est, in privati dominii iure munus inesse sociale. (14)

Ex eo autem quod homines sunt natura sociabiles illud oritur, ut iure iidem possint et in unum locum se congregare, et societatem cum aliis inire; ut initas societates ea induant forma, quam existiment ad propositum assequendum magis idoneam; ut in societatibus iisdem sua sponte suoque periculo agant, easque ad optatos exitus pervehant. (15)

Atque, ut Nosmetipsi datis Litteris Encyclicis Mater et Magistra magnopere monuimus, omnino opus est, ut bene multa collegia seu corpora interiecta condantur, ad finem paria, ad quem homo singulus non potest tendere efficienter. Haec enim collegia et corpora veluti instrumenta longe pernecessaria sunt habenda ad tuendam humanae personae dignitatem et libertatem incolumi praestandae rationis sensu. (16)

Tum etiam homini cuilibet iure integrum esse debet in civitatis suae finibus vel tenere vel mutare locum; quin etiam, si iustae id suadeant causae, eidem liceat necesse est, alias civitates petere in iisque domicilium suum collocare. (17) Neque ex eo quod quis certae cuiusdam reipublicae est civis, is ullo modo vetatur esse membrum humanae familiae, neque civis universalis illius societatis et coniunctionis omnium hominum communis.

De reliquo illud accedit, quod cum dignitate humanae personae ius cohaeret in partem publicae rei actuose veniendi, atque ad commune civium bonum conferendi. Nam, quemadmodum Decessor Noster fel. rec. Pius XII ait, «tantum abest ut homo, uti talis, sit habendus tamquam vitae socialis obiectum vel iners quoddam elementum, ut magis eiusdem sit existimandus subiectum, fundamentum, finis». (I8)

Ad humanam personam quoque pertinet legitima suorum iurium tuitio: eademque ad effectum valens, aequalis, ad veras iustitiae normas conformata; uti Decessor Noster fel. rec. Pius XII

monet hisce dictis: «Ordinem iuridicialem, quem Deus voluit, ius illud hominis proprium et perpetuum consequitur, quo cuique iuridicialis securitas asseritur, atque certa definitaque iuris provincia eidem assignatur, ab omni precaria impugnatione tuta». (19)

Quae hactenus commemoravimus iura, a natura profecta, in eodem homine, cui competunt, cum totidem coniunguntur officiis; eademque iura et officia a lege naturae, qua vel tribuuntur vel imperantur, et originem, et alimentum, et firmissimam vim ducunt.

Itaque, ut nonnullis utamur exemplis, hominis ius in vitam, cum illius cohaeret officio suae vitae conservandae; ius in dignum vitae genus, cum officio decore vivendi; ius veritatem libere vestigandi, cum officio veritatem altius latiusque in dies quaerendi.

Quibus probatis, consequens est etiam, ut in hominum consortione unius hominis naturali cuidam iuri officium aliorum hominum respondeat: officium videlicet ius illud agnoscendi et colendi. Nam quodvis praecipuum hominis ius vim auctoritatemque suam a naturali lege repetit, quae illud tribuit, et conveniens iniungit officium. Qui igitur, dum iura sua vindicant, officia sua vel omnino obliviscuntur, vel aequo minus praestant, iidem sunt cum iis veluti comparandi, qui altera manu aedem exstruunt, altera evertunt.

Cum homines sint natura congregabiles, ii oportet alii cum aliis vivant, atque alii aliorum quaerant bonum. Hanc ob causam recte compositus hominum convictus postulat, ut iidem pariter iura pariter officia mutuo fateantur et faciant. Ex quo etiam nascitur, ut quisque magno animo sociam praebeat operam ad eiusmodi civium consuetudinem parandam, in qua iura et officia diligentius usque et fructuosius colantur.

Cuius rei ut ponamus exemplum, non satis est homini ius in necessaria vitae tribuere, nisi pro viribus elaboremus, ut eidem quae ad victum pertinent satis suppetant.

Huc accedit quod hominum societas, non modo ordinata esse debet, sed multos etiam ipsis utilitatis fructus afferre. Quod flagitat, ut ii quidem iura et officia mutuo agnoscant et exsequantur, at vero etiam ut coniunctim omnes in plurimis inceptis intersint, quae huius aetatis civilis cultus vel sinat, vel suadeat, vel poscat.

Illud praeterea humanae dignitas personae exigit, ut in agendo homo proprio consilio et libertate fruatur. Quocirca, si de civium coniunctione agitur, est profecto cur ipse iura colat, officia servet, atque, in innumeris operibus exercendis, aliis sociam tribuat operam, suo praesertim impulsu et consulto; ita scilicet ut suo quisque instituto, iudicio, officiique conscientia agat, iam non commotus coërcitione vel sollicitatione extrinsecus plerumque adductis; quandoquidem, si qua hominum societas una ratione virium est instituta, ea nihil humani in se habere dicenda est, utpote in qua homines a libertate cohibeantur, qui contra ad vitae progressus, ad perfectionemque assequendam apte ipsi incitandi sunt.

Quam ob rem civium coniunctio bene composita, fructuosa, humanaeque dignitati conveniens est exsistimanda, si veritate continetur; ita monente Paulo Apostolo: «deponentes mendacium loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra» (Eph 4,25). Quod sane eveniet, si recte quae sint cum sua iura, tum sua erga alios officia quisque fatetur. Talis insuper erit hominum communitas, qualem modo adumbravimus, si cives, iustitia duce, et in aliorum iura colenda et in sua officia obeunda incumbunt; si iidem tali amoris studio sunt ducti, ut aliorum necessitates tamquam suas sentiant, bonorum suorum alios faciant participes, eoque contendant, ut in terrarum orbe optima animi mentisque sensa inter omnes communicentur. Neque haec satis; nam hominum societas libertate coalescit, modis nempe ad civium dignitatem

idoneis, qui cum ex natura rationis compotes sint, actionum idcirco suarum periculum in se recipiunt.

Hominum igitur societas, Venerabiles Fratres et dilecti filii, primum omnium tamquam res quaedam ad animum praesertim pertinens est habenda: per quam homines, veritatis lumine collustrante, rerum cognitiones inter se communicent; iura sua vindicare et officia exsequi possint; ad bona animi appetenda incitentur; e qualibet re decora, cuicuimodi ipsa est, iustam voluptatem mutuo capiant; perpetua voluntate inclinent ad optima ipsorum quaeque in alios transfundenda; studiose spectent ad aliorum animi bona in animum suum convertenda. Quae quidem bona simul afficiunt, simul omnia dirigunt, quae ad doctrinas, ad rem oeconomicam, ad civium coniunctionem, ad rei publicae progressus et disciplinam, ad legum praecepta, ad reliquas denique partes pertinent, quae exstrinsecus hominum communitatem constituunt continenterque explicant.

Ordo autem, qui in hominum consortione viget, totus incorporali est natura; siquidem in veritate idem nititur, secundum iustitiae praecepta ad effectum perducendus est, mutuo amore animari perficique poscit, postremo, libertate integra, ad aequabilitatem cotidie humaniorem est componendus.

At huius generis ordo – cuius principia cum ad omnes attinent, tum absoluta atque immutabilia sunt – a Deo vero, et eo quidem personali atque humanam naturam transcendente, initium omnino repetit. Deus enim, cum sit veritas omnium prima, summumque bonum, tum vero fons est praealtus, unde vitam vere haurire hominum coniunctio potest, quae nimirum recte constituta sit et frugifera, ad hominumque dignitatem apta. (20) Quam ad rem illud S. Thomae Aquinatis pertinet: «Quod autem ratio humana sit regula voluntatis humanae, ex qua eius bonitas mensuretur, habet ex lege aeterna, quae est ratio divina. … Unde manifestum est, quod multo magis dependet bonitas voluntatis humanae a lege aeterna, quam a ratione humana». (21)

Aetas haec nostra tribus huiusmodi tamquam notis distinguitur.

Ante omnia opificum classes videmus in re oeconomica et sociali gradatim profecisse. Initium enim iidem capientes a suorum iurium vindicatione maxime in ordine rerum oeconomicarum et socialium, deinde ad vindicationem gradum fecerunt rerum politicarum, tum demum ad politioris humanitatis commoda adipiscenda animum intenderunt. Quam ob rem in praesentia opifices, qui ubique sunt, illud vehementer exquirunt, ne umquam ducantur quasi quaedam res rationis et libertatis expers, qua alii arbitrio suo utantur, sed tamquam homines in quibuslibet humanae societatis partibus: hoc est in regione oeconomica et sociali, in re publica, in campo denique doctrinarum et disciplinarum.

Quod deinde mulieres in re publica intersunt, nemo profecto est, cui non pateat; quod fortasse celerius apud populos fit christianam fidem profitentes, et tardius quidem, sed late apud gentes aliarum memoriarum heredes alioque vitae cultu imbutas. Mulieres enim, cum cotidie magis sint suae humanae dignitatis consciae, tantum abest ut patiantur se vel pro re quadam inanima vel pro instrumento quodam haberi, ut potius sive intra domesticos parietes, sive in civitate iura et officia humana persona digna postulent.

Animadvertimus denique nostris hisce diebus, hominum coniunctionem in novam prorsus rei et socialis et publicae transisse conformationem. Etenim, cum omnes populi sese in libertatem vel vindicaverint, vel sint vindicaturi, ob eam causam futurum est, ut brevi neque iam populi exstent, qui in alteros dominentur, neque qui alienae pareant potestati.

Homines enim, qui ubique sunt gentium, vel in civium ordine liberae cuiusdam civitatis iam censentur, vel in eo est ut censeantur; neque ullius stirpis communitas alienae dicioni iam esse vult obnoxia. Nam nostro hoc tempore opiniones consenuerunt, tot saecula inhaerentes, ex quibus scilicet hinc aliae hominum classes inferiorem sibi locum accipiebant, illinc primas partes aliae postulabant, sive ob statum rerum oeconomicarum etsocialium, sive ob sexum, sive ob suum cuiusque in civitate gradum.

Latissime e contrario ea opinio pervasit et obtinuit, omnes homines esse naturae dignitate inter se aequales. Quam ob rem, saltem in ratione disciplinaque, nullo modo probatur hominum discrimen, generis causa; quod quidem maximi momenti est et ponderis ad humanum convictum conflandum ex principiis, quae memoravimus. Quod si in hornine aliquo conscientia nascitur suorum iurium, in eo etiam conscientia officiorum suorum necesse est nascatur: ita ut qui iura quaedam habeat, in eo pariter officium insit sua iura, tamquam suae dignitatis significationes, reposcendi; in reliquis vero officium insit iura eadem agnoscendi et colendi.

Atque cum civium disciplina ad iura officiaque informatur, tunc homines continuo res ad animum mentemque pertinentes deprehendunt, plane quid veritas sit, quid iustitia, quid caritas, quid libertas intellegunt, iidemque conscii fiunt se huiusmodi societatis esse membra. Neque id satis; nam huius generis causis commoti homines ad verum Deum melius cognoscendum feruntur, nempe supra humanam naturam positum personaque praeditum. Quam ob rem rationes, quae iis cum Deo intercedunt, quasi fundamentum suae vitae existimant: id est vitae, quam vel intus in animo suo vivunt, vel cum reliquis hominibus consociaverunt.

II

Hominum societas neque bene composita, neque bonorum fecunda esse potest, nisi ei adsint qui, auctoritate legitima decorati, instituta servent et, quantum est satis, in omnium commoda operam curamque impendant suam. lidem vero auctoritatem omnem a Deo ducunt, uti S. Paulus hisce docet verbis: «Non est enim potestas, nisi a Deo» (Rm 13,1-6). Quam Apostoli sententiam S. loannes Chrysostomus explanans haec scribit: «Quid dicis? Omnisne princeps a Deo ordinatus est? Non hoc dico, inquit: neque enim de singulis principibus mihi nunc sermo est, sed de re ipsa. Nam quod principatus sint, et quod alii imperent, alii subiecti sint, neque omni casu ac temere ferantur, divinae esse sapientiae dico».(22) Enimvero, quoniam Deus homines sua natura sociabiles creavit, quoniamque nulla societas potest «consistere, nisi si aliquis omnibus praesit, efficaci similique movens singulos ad commune propositum impulsione, efficitur, civili hominum communitati necessariarn esse auctoritatem, qua regatur: quae, non secus ac societas, a natura proptereaque a Deo ipso oriatur auctore». (23)

Haud tamen auctoritas a cuiuslibet imperio vacua putanda est; immo cum eadem ex facultate imperandi ad rectam rationem proficiscatur, illud sane cogitur, ut vim obligandi ex ordine morum ipsa repetat, qui vicissim Deum tamquam principium et finem habet. Qua de causa Decessor Noster fel. rec. Pius XII haec monet: «Absolutus animantium ordo, et finis ipse hominis (hominem dicimus liberum, officiis obstrictum, iuribus inviolabilibus instructum, societatisque humanae originem et finem) civitatem quoque, quasi quandam communitatem necessariam, auctoritateque ornatam attingunt, qua sublata, neque esse neque vivere ipsa posset. … Qui rerum omnium ordo quoniam iuxta rectam rationem et maxime iuxta christianam fidem initium non potest quin ducat a Deo, omnium nostrum Creatore, eodemque persona praedito, idcirco magistratus ex eo dignitatem accipiunt, quod Dei ipsius auctoritatem quodammodo participant». (24)

Quocirca quae imperandi facultas sive in minis metuque poenarum, sive in praemiorum pollicitationibus posita unice vel praecipue est, nullo pacto ad commune omnium bonum quaerendum efficienter incitat; quod si forte fiat, id profecto cum hominum dignitate, qui libertatis rationisque sunt compotes et participes, haudquaquam sit consentaneum. Auctoritas enim cum maxime vi contineatur incorporali, propterea reipublicae curatores sese ad cuiusvis civis agendi conscientiam referre debent, hoc est ad officium, quo quisque obstringitur, in communes omnium utilitates promptam impendendi operam. Sed quoniam omnes homines in naturali dignitate sunt inter se pares, tum nemo valet alium ad aliquid intimis animi sensibus efficiendum cogere: quod quidem unus Deus potest, utpote qui unus arcana pectoris consilia scrutetur ac iudicet.

Qui igitur personam civitatis gerunt, tunc tantum homines ex animi conscientia obligare possunt, si eorum auctoritas cum Dei auctoritate coniungitur eiusque est particeps. (25)

Quo principio posito, civium quoque dignitati consulitur: siquidem qui magistratibus parent, neutiquam iis uti hominibus parent, sed re ipsa Deum, providum omnium rerum Creatorem, colunt, qui mutuas hominum rationes, iuxta ordinem a semetipso statutum, administrari iussit; neque vero, quod debitam Deo reverentiam adhibemus, eapropter animos comprimimus nostros, sed magis erigimus et nobilitamus; quoniam servire Deo regnare est. (26)

Quandoquidem imperii facultas ex ordine rerum incorporalium exigitur atque a Deo manat, si forte rei publicae moderatores contra eundem ordinem atque adeo contra Dei voluntatem vel leges ferunt, vel aliquid praecipiunt, tunc neque latae leges, neque datae facultates civium animos obstringere possunt; cum «oboedire oporteat Deo magis quam hominibus» (Act 5,29); immo vero tunc auctoritas ipsa plane corruit, et foeda sequitur iniuria; docente S. Thoma Aquinate: «Ad secundum dicendum, quod lex humana in tantum habet rationem legis, in quantum est secundum rationem rectam; et secundum hoc manifestum est quod a lege aeterna derivatur. In quantum vero a ratione recedit, sic dicitur lex iniqua, et sic non habet rationem legis, sed magis violentiae cuiusdam». (27)

Atqui ex eo quod auctoritas a Deo nascitur, inde haudquaquam concluditur, nullam in hominibus inesse facultatem eos eligendi qui civitati praesint, et rerum publicarum formam statuendi, et describendi auctoritatis exercendae rationes et terminos. Ex quo est ut, quam doctrinam exposuimus, ea cum quolibet veri nominis populari civitatis regimine congruere possit. (28)

Propterea autem quod singuli homines interiectique coetus suam quisque operam ad omnium commoda conferre tenentur, exinde praecipue id consequitur, ut ipsi et suas utilitates ad aliorum necessitates accommodent, et sua bona ministeriaque eo vertant, quo civitatis rectores praescripserunt, normis iustitiae, praecipiendique modis et terminis servatis. Qui potestatem videlicet in civitate gerunt, iis actis praecipiant oportet, quae non tantum rite ipsa sint perfecta, sed etiam vel ad civitatis bonum prorsus spectent, vel eodem adducere possint.

Verumtamen cum in communi omnium bono ratio tota sit posita civitatis rectorum, inde plane cogitur, ut hi bonum idem ita quaerant, ut simul eius naturam observent, simul sua praecepta cum praesenti rerum statu componant. (29)

Sine dubio in bono communi insita ducenda sunt, quae sunt propria cuiusvis gentis singulatim; (30) sed haec bonum commune omni ex parte minime definiunt. Nam commune bonum, propterea quod cum humana natura penitus cohaeret, idcirco totum et in integro nequit consistere nisi, spectatis boni communis intima natura et effectione, semper humanae personae ratio habeatur. (31)

Quin et illud accedit, quod hoc bonum, ex sua ipsius natura, omnia membra civitatis participent necesse est, quamquam diversa ratione, pro cuiusque nimirum civis muneribus, meritis et condicionibus. Quam ob causam cunctis rei publicae principibus eo est contendendum, ut nullo quidem cive nullove civium ordine praeposito, huius generis bonum ad omnium utilitatem provehant; quemadmodum confirmat Decessor Noster imm. mem. Leo XIII hisce verbis: «Neque ullo pacto committendum, unius ut vel paucorum commodo serviat civilis auctoritas, cum ad commune omnium bonum constituta sit». (32) At vero iustitiae aequitatisque rationes illud aliquando poscere possunt, ut qui res publicas gerunt plus studii civibus humilioribus navent, quippe qui ad sua vindicanda iura et ad legitima commoda sua asserenda minus ipsi valeant. (33)

Sed hoc loco filios Nostros admonendos esse opinamur, bonum commune ad integrum hominem attinere, hoc est ad eius tam corporis quam animi necessitates. Ex quo consequens est, ut rei publicae rectores ad bonum illud idoneis viis gradibusque assequendum spectent: ita scilicet ut, recto rerum ordine servato, cum bonis corporis bona pariter animi civibus suppeditent. (34)

Quae sane principia definite concludere haec sententia videtur Nostrarum Litterarum Encyclicarum, Mater et Magistra, qua in medio posuimus, commune omnium bonum «summam complecti earum vitae socialis condicionum, quibus homines suam ipsorum perfectionem possent plenius atque expeditius consequi». (35)

Itaque homines, utpote qui ex corpore et animo immortali constent, intra mortalem hanc vitam neque suas explere necessitates, neque perfectam adipisci felicitatem possunt. Quocirca commune bonum eiusmodi viis atque rationibus parandum est, quibus non modo aeternae hominum saluti non officiatur, sed eidem etiam serviatur. (36)

Verum cum nostra hac aetate commune bonum maxime in humanae personae servatis iuribus et officiis consistere putetur, tum praecipue in eo sint oportet curatorum rei publicae partes, ut hinc iura agnoscantur, colantur, inter se componantur, defendantur, provehantur, illinc suis quisque officiis facilius fungi possit. Etenim «inviolabilia iura tueri, hominum propria, atque curare, ut facilius quisque suis muneribus defungatur, hoc cuiusvis publicae potestatis officium est praecipuum». (37)

Quam ob causam, si qui magistratus iura hominis vel non agnoscant vel violent, non tantum ab officio ipsi suo discedant, sed etiam quae ab ipsis sint imperata, omni obligandi vi careant. (38)

Praeterea ii qui reipublicae gubernacula tractant in praecipuo officio sunt apte convenienterque iura, quibus homines alii cum aliis societate coniunguntur, ita componere et moderari, ne primum cives iura sua persequentes, alteros in suis iuribus interpellent; ne deinde alius sua servans iura, alios officia sua obeuntes retardet; ut postremo omnium iura cum efficaciter sarta tecta conserventur, tum in integrum, si quae violata sint, restituantur. (39)

Accedit etiam quod ii, qui civitatis sunt capita, in eo collocare operam re ipsa debent, ut is rerum status exsistat, in quo singuli cives et possint et facile possint sive sua iura tueri, sive sua officia praestare; cum illud nos usus docuerit, nisi circa rem oeconomicam, circa rem publicam, circa doctrinarum cultum magistratus convenienter egerint, maxime nostris hisce temporibus inaequalitates latius latiusque inter cives permanare, fierique idcirco, ut hominis iura et officia qualibet effectione careant.

Quapropter qui publicam rem administrant, studium curamque in eo defigant necesse est, ut cives sicut in re oeconomica ita in re sociali progrediantur, atque pro explicato rerum

gignendarum apparatu, praecipua etiam ministeria explicentur; cuius sunt generis: viarum munitiones, res vectoriae, mutui commercii rationes, aqua ad bibendum apta, domicilia, cauta ad valetudinem adiumenta, expedita subsidia ad religiosae professionem fidei, denique auxilia ad animi relaxationem. In eo etiam civitatis proceres enitantur opus est, ut de pecuniae subsidio civibus caveant, ne ipsis, si quando aut calamitas inciderit, aut recepti familiaris officii ratio gravior intervenerit, necessaria ad dignum vitae cultum desint. Neque minus iis, qui reipublicae imperium obtinent, contendendum et efficiendum est, ut operariis ad laborem idoneis facultas praebeatur opera suscipiendi cum suis viribus consentanea; ut cuique merces ex iustitiae aequitatisque legibus persolvatur; ut in societatibus ad bona gignenda fundatis liceat opificibus se impensi operis sentire auctores; ut commode possint interiecta corpora condi, quibus civium convictus et fructuosior fiat et expeditior; ut denique omnes, modis quidem et gradibus opportunis, doctrinarum bona participare queant.

At enim communis omnium utilitas hoc etiam profecto flagitat, ut rei publicae rectores in civium iuribus tum componendis et tutandis, tum provehendis summae serviant aequilibritati; ne videlicet quorundam hominum vel societatum antepositis iuribus, praecipua iisdem commoda in re publica oriantur; neve dum ad iura civium servanda spectant, quominus his ipsi plane fungantur, impedimento absurde sint. Nam «semper illud maneat, publicarum auctoritatum providentiam de re oeconomica, etiamsi late pateat atque intimas communitatis partes attingat, eiusmodi tamen esse oportere, ut privatorum libertatem in agendo, non solum non coerceat, sed etiam augeat, modo praecipua cuiusvis humanae personae iura sarta tecta serventur». (40)

Atque eodem pertinere debent varii generis conatus a civitatis rectoribus ideo suscepti, ut cives facilius possint tam sua vindicare iura, quam officia sua in quibuslibet vitae socialis provinciis explere.

Ceteroquin nequit in universum decerni, quae aptior sit reipublicae forma, quibusve accommodatioribus modis civitatis moderatores sua sustineant munera, qua leges ferendas contingentia, qua publicam rem administrandam, qua iudicia exercenda.

Re enim vera ad constituendum qua forma civitas regatur, quave ratione sua exsequatur munera, non potest quin praesens cuiusque populi status et condicio plurimum valeant: quae scilicet pro locis et temporibus mutantur. At illud hominum naturae consentaneum esse opinamur, si civium convictus ita conformetur, ut ex triplici eo magistratuum ordine constet, qui tribus praecipuis publicae auctoritatis muneribus apte respondeat; quandoquidem in eiusmodi civitate, non modo magistratuum munera, sed mutuae etiam civium et publicorum ministrorum rationes sunt ad iuris normam descripta. Quod sane civibus, hinc sua iura tuentibus inde sua colentibus officia, certum affert praesidium.

At vero ut huiusmodi iuridicialis et politica civitatis compositio suas pariat utilitates, res ipsa poscit, ut magistratus operam suam ponant oblatasque difficultates explicent idoneis rationibus atque instrumentis, iisque cum suis ipsorum muneribus, cumque praesenti civitatis statu congruentibus. Idem praeterea postulat ut, rerum condicione se perpetuo vertente, reipublicae legumlatores in agendo numquam debeant neque morum normas, neque civitatis instituta, neque boni communis necessitates neglegere. Deinde sicut a reipublicae administratoribus, qui iam leges plane cognoverint resque adiunctas diligenter perpenderint, omnia ex iure componenda sunt, ita a iudicibus, humana quidem integritate sed nulla partium sollicitatione ductis, ius cuique suum est reddendum. Tum etiam rerum ordo exigit, non minus singulos cives quam interiecta corpora, si qua ipsis iura sint asserenda et officia obeunda, ex lege opportunis munimentis ditari; sive civibus sit inter se agendum, sive cum publicis ministris. (41)

Neque dubium esse potest, quin iuridicialis reipublicae ordinatio, pariter cum iusti rectique normis, pariter cum progressa civitatis disciplina consentanea, summopere ad communes omnium utilitates conducat.

Sed tamen hac nostra aetate vita socialis tam varia, tam multiformis, tam alacris est, ut iuridicialis dispositio, quamvis magna prudentia providentique consilio constituta, saepenumero necessitatibus impar videatur.

Addendum eodem et illud quod rationes, quae primum civibus cum aliis civibus, deinde civibus et interiectis corporibus cum magistratibus, postremo magistratibus cum magistratibus eiusdem civitatis intercedunt, quandoque videmus tam ancipites tamque periculi plenas fieri, ut eas in certos concludere iuris fines nequeamus. Quibus in casibus res ipsa postulat, ut reipublicae moderatores, si velint iuridicialem civitatis disciplinam, iam pro re ipsa, iam pro causis, servare incolumem; si velint praecipuis socialis vitae servire requisitis; si velint ad hodiernae vitae usus et leges ipsas accommodare et novas expedire quaestiones, tum vero iidem recte sentiant, cuius generis sint sua munera quibusve terminis circumscribantur; atque tanta animi aequitate et integritate, tantoque ingenii acumine voluntatisque constantia polleant, ut praeterquam quae facto opus sint sine cunctatione videarct, ea etiam tempestive et valenter efficiant. (42)

Quod autem hominibus ad reipublicae administrationem se conferre licet, id est certe suae dignitatis proprium, etiamsi administrationem ipsam modis tantum participare possunt cum civitatis statu convenientibus, cuius sunt membra.

De cetero ex eo quod hominibus fas est ad reipublicae administrationem accedere, novae propterea iisdem amplissimaeque praebentur utilitatis facultates. Quoniamque in hac rerum condicione ii qui civitati praesunt frequentius in civium congressum et colloquium veniunt, ideo aptius quae ad commune bonum valeant ipsi cognoscere queunt; atque etiam, cum alii publici ministri in aliorum locum certis temporibus subeant, eorum idcirco auctoritas tantum abest ut senescat, ut potius pro humanae societatis progressionibus quodammodo revirescat. (43)

Quibus ex propositis rebus plane nascitur, nostra hac aetate in iuridiciali civitatum compositione postulari primum, ut iurium praecipuorum, quae hominum sint propria, summa quaedam, sententiis nimirum concisis et perspicuis conclusa, exaretur, inque universa reipublicae disciplina intexatur.

Postulatur deinde, ut, verbis adhibitis ad iuris doctrinam accommodatis, uniuscuiusque civitatis publica constitutio adornetur; qua scilicet definiatur quibus modis reipublicae rectores designentur, quo vinculo hi coniungi alii cum aliis debeant, quaenam eorum sint singulae diciones, denique qua via rationeque ad agendum ipsi obstringantur.

Postulatur denique, ut in specie iuris et officii rationes describantur, quibus cives cum reipublicae moderatoribus contineantur; utque distincte decernatur praecipuum eorumdem esse munus, civium iura et munera agnoscere, colere, invicem componere, tueri, ad processus provehere.

Probari tamen eorum placitum nequit, qui profitentur, sive e singulorum hominum, sive e quarundam societatum voluntate, tamquam a primo et unico fonte, cum civium iura et officia oriri, tum publicae constitutionis obligandi vim manare, tum postremo civitatis principum imperandi potestatem proficisci. (44)

At hae, de quibus diximus, animorum appetitiones illud etiam manifesto testantur, nostro hoc tempore homines magis magisque fieri suae dignitatis conscios, atque adeo incitari cum ad reipublicae administrationem participandam, tum ad poscendum, ut propria, inviolabiliaque iura

in publica civitatis disciplina serventur. Neque haec satis; nam homines nunc illud insuper poscunt, ut nempe civitatis auctoritates et ad normam publicae constitutionis creentur, et sua munera intra eiusdem terminos obeant.

III

Quod de civitatibus Decessores Nostri saepe docuerunt, idem placet nunc auctoritate Nostra confirmare: mutua scilicet inter nationes iura et officia intercedere; ac propterea earum necessitudines ad normam veritatis, iustitiae, alacris animorum coniunctionis, libertatisque componendas esse. Quae enim naturae lex singulorum civium vivendi disciplinam regit, eadem mutuas etiam rerum publicarum rationes moderetur oportet.

Quae sententia cuique facile patet, si consideret, moderatores civitatum nullo modo posse naturali sua excidere dignitate, dum suae communitatis partes agunt eiusque bono prospiciunt; atque adeo nullo pacto iisdem licere naturae legem, qua obstringuntur, deserere, quae est ipsa regula morum.

Ceterum animo ne fingi quidem potest, homines, idcirco quod publicae rei regimini praeponuntur, necessitate cogi suam exuere humanitatem. Contra iidem ob eam causam amplissimae huiusmodi dignitatis gradum obtinuerunt, quod, spectatis egregiis animi dotibus atque ornamentis, partes reipublicae praestantissimae habiti sunt.

Quin etiam ex ipso morali ordine consequitur, ut civili hominum communitati necessaria sit auctoritas, qua regatur; utque auctoritas in ipsum ordinem torqueri non possit, quin ilico corruat, fundamento suo destituta. Scilicet, quae est Dei ipsius admonitio: «Audite ergo, reges, et intelligite; discite, iudices finium terrae. Praebete aures, vos qui continetis multitudines, et placetis vobis in turbis nationum. Quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur» (Sap 6,2-4).

Ad extremum tenendum est, etiam quod attinet ad mutuas ordinandas civitatum rationes, auctoritatem ita esse gerendam, ut commune omnium bonum promoveat, utpote quae ad id in primis sit constituta.

In maximis autem communis boni praeceptis illud ponendum est, ut moralis ordo agnoscatur eiusque iussa inviolate serventur. «Bene constitutus civitatum ordo in honestatis norma tamquam in rupe immota atque immutabili inniti debet, quam mundi Auctor in ipsa rerum natura manifestam voluit, in animisque hominum notis indelebilibus insculpsit. … Eadem, clarissimi luminis instar, praeceptorum suorum luce rectum iter necessario ostendit cum singulis hominibus, tum nationibus; qui quidem ex eius monitoriis, salutaribus providisque signis normas semper ductumque sumere debent, ne quidquid laboris atque industriae ad novum rerum ordinem instaurandum ab ipsis susceptum sit, saevis veluti procellis tradatur ac naufragio intereat». (45)

Atque principio statuendum est, mutua civitatum vincula veritate gubernari oportere. Veritas autem postulat, ut hac in re nulla prorsus ratio habeatur stirpium discriminis; ac propterea sanctum firmumque censeatur, civitates omnes naturae dignitate inter se pares esse. Ad unamquamque earum igitur iure pertinet ut sit, ut proficiat, ut adiumenta ad id necessaria possideat, ut denique in hoc obtinendo adipiscendoque primum in se periculum recipiat; itemque legitimo iure postulare potest, ut bona fruatur opinione, utque sibi debiti honores tribuantur.

Hoc nos docuit usus, homines saepissime inter se discrepare, et quidem valde, scientia, virtute, ingenii vi, bonorumque externorum copia. Exinde tamen numquam iusta causa nascitur, cur ii,

qui ceteris praestent, alios sibi obnoxios quoquo modo faciant; quin potius iidem graviore obligantur officio, ad singulos universos pertinente, alios iuvandi ad perfectionem mutua opera adipiscendam.

Similiter contingere potest, ut inter nationes aliae aliis praestent scientiarum incrementis, humanitatis cultu ac rationum oeconomicarum progressu. At tantum abest ut ob hanc excellentiam iis liceat iniuste dominari in alias, ut eaedem maiorem conferre operam debeant ad communem populorum profectum.

Ac re vera nequeunt homines natura aliis superiores esse, cum omnes pari excellant naturali dignitate. Ex quo consequitur, civiles quoque communitates nihil inter se differre, si ipsarum dignitas a natura orta spectetur; singulae enim respublicae cuiusdam corporis similitudinem gerunt, cuius membra sunt homines. Ceterum, ut usu cognitum habemus, iis omnibus rebus, quae ad sui nominis dignitatem quoquo modo attinent, populi tangi solent, nec immerito sane, quam maxime.

Tum veritas iubet, in plurimis illis inceptis, quae post recentiora technicorum inventa in usum inducta sunt, et quorum ope populorum mutua cognitio fovetur ac propagatur, serenas aequitatis normas omnino servari. Quod minime prohibet, quominus populi suas ipsi virtutes in praecipua luce collocent. Sed reiciendae sunt prorsus eae pervulgandi nuntios rationes, quibus alicuius populi fama laedatur, veritatis et iustitiae praeceptis violatis. (46)

Iam porro mutuae civitatum necessitudines ad normam iustitiae componendae sunt; quod requirit, ut simul iura mutua agnoscantur, simul mutua officia persolvantur.

Quoniam vero civitates ius habent et vivendi, et progrediendi, et adiumentorum copiam adipiscendi suo profectui necessariam, et primarias partes in hac re gerendi, et bonam famam suam honoresque sibi debitos tuendi, ex eo efficitur, ut civitates pariter obstringantur officio efficaciter tuendi singula huiusmodi iura, et eos actus praetermittendi, qui eadem laedere possint. Sicut enim in suis privatis negotiis homines nequeunt sua persequi commoda, cum iniusto aliorum detrimento, eodem modo civitates non possunt, citra scelus, illud rerum suarum incrementum appetere, quo aliae nationes iniuriam accipiant vel inique opprimantur. In quam rem apte cadere videtur haec S. Augustini sententia: «Remota iustitia, quid sunt regna nisi magna latrocinia?». (47)

Scilicet contingere potest, ac revera contingit, ut commoda utilitatesque, quae civitates sibi quaerere contendant, inter se pugnent; discidia tamen inde orta non armorum vi, nec fraude vel dolo sunt dirimenda, sed, ut homines addecet, mutua rationum animorumque aestimatione, rebus mature atque ex veritate perpensis, et contrariis sententiis ad aequitatem compositis.

Quam ad rem peculiari modo pertinet ille publicarum rerum cursus, qui inde a saeculo XIX ubique terrarum increbruit passim atque invaluit, quo fit ut homines eiusdem stirpis sui iuris esse velint atque in unam nationem coire. Quod cum pluribus de causis non semper effici possit, illud exinde oritur, ut gentes pauciores numero intra fines nationis alius stirpis saepe contineantur, atque ex hoc quaestiones magnae gravitatis exsistant.

Hac in re aperte profitendum est, quidquid contra has gentes agatur ad coërcendum stirpis vigorem atque incrementum, iustitiae officiis graviter adversari; idque multo magis, si prava huiusmodi molimina ad ipsam gentis internecionem spectent.

Immo vero iustitiae praeceptis apprime respondet, a reipublicae moderatoribus efficacem dari operam provehendis humanis condicionibus civium stirpis numero inferioris, nominatim quod

attinet ad eorum linguam, ingenii cultum, avitas consuetudines, opera et incepta in re oeconomica. (48)

Nihilo minus animadvertendum est, hos cives numero pauciores, sive ob rerum statum, quem aegre ferre cogantur, sive ob praeteritorum temporum eventus, haud raro proclives esse ad ea, quae suae gentis sunt propria, plus aequo efferenda; adeo quidem, ut vel ipsa bona posthabeant, quae omnium hominum sunt propria, quasi humanae familiae bonum bono suae ipsorum gentis servire oporteat. Rationi vero consentaneum est, ut iidem cives commoda quoque agnoscant, sibi ex peculiaribus hisce rerum adiunctis orta: ad ingenii sui nempe atque animi perfectionem non parum conferre cotidianam cum civibus alio civili cultu imbutis consuetudinem; cum ex hac paulatim ipsi virtutes, quae ad aliam gentem pertineant, in sucum et sanguinem suum convertere possint. Hoc tamen tantum eveniet, si cives numero pauciores, cum circumiectis populis societate quadam inita, horum usus et instituta participare studeant; non autem, si iidem contentiones serant, quae iacturas pariant innumeras, ac civilem nationum progressionem cohibeant.

Quoniam mutuae civitatum necessitudines ad normam veritatis atque iustitiae componi oportet, tum ex actuosa virium animorumque coníunctione eae incrementum capere debent. Id autem effici potest hine atque illine sociata multiformiter opera; quod nostra aetate non sine salutaribus fructibus evenit, quod attinet ad rationes oeconomicas, ad rem socialem et politicam, ad ingenii cultum, ad civium valetudinem et ad gymnicos ludos. Qua de re ante oculos habeamus necesse est, publicam potestatem suapte natura non ad id constitutam esse, ut homines intra fines dumtaxat suae cuiusque nationis coërceat, sed ut tueatur in primis commune civitatis bonum, quod quidem a bono totius humanae familiae secerni certo nequit.

Ita fit ut civiles communitates, in suis consectandis utilitatibus, non solum aliis nocere non debeant, verum etiam inter se consilia viresque coniungere, ubi singularum civitatum nisus ad optatos exitus pervenire non valeant; qua in re maximopere cavendum est, ne quod quibusdam civitatibus prosit, aliis potius incommodum, quam utilitatem afferat.

Tum etiam commune universale bonum requirit, ut in unaquaque natione inter cives et interiectas societates commercium omne genus foveatur. Cum enim in multis terrarum orbis partibus exstent hominum coniunctiones stirpe plus minusve inter se dissimiles, prospiciendum est, ne alius stirpis homines impediantur, quominus cum alius stirpis hominibus commercium habeant; quod aperte a nostrae aetatis rationibus dissidet, qua intervalla prope submota sunt, quibus a populis populi seiunguntur. Neque praetereundum est homines cuiusvis stirpis, praeter proprias peculiaresque dotes, quibus a reliquis distinguuntur hominibus, alias habere cum iisdem communes, easque magni momenti, quibus possunt magis magisque progredi et sese perficere, praesertim in iis, quae ad bona animi pertinent. Iis igitur ius et officium est vitam degere cum ceteris societate coniunctis.

Res est omnibus plane perspecta, alicubi terrarum distantiam esse inter agrorum exercendorum spatia et incolarum numerum; alicubi inter soli divitias et prompta agrorum vertendorum instrumenta; atque adeo necessitatem a populis sociam operam postulare, quam sequatur facilior sive bonorum, sive fortunarum, sive hominum ipsorum commeatus. (49)

In huiusmodi causis peropportune fieri censemus, ut, quoad possit, res operam, non autem opera rem quaerat. Tunc enim plurimis civibus facultas praebetur rei familiaris amplificandae, quin, patrio relicto loco, magna cum animi aegritudine et aliam petere sedem, et novum amplecti rerum statum, et cum aliis civibus novas inire rationum consuetudines cogantur.

Utpote qui paternae caritatis sensibus Deo movente universos diligamus homines, acerbo cum animi maerore eorum casus reputamus, qui politicarum rerum causa depulsi patria sunt; horum enim profugorum multitudinem, nostra aetate sane innumeram, plurimi incredibilesque dolores semper comitantur.

Id profecto ostendit, quarundam nationum principes plus nimio circumscribere iustae libertatis fines, intra quos singulis civibus liceat vitam agere homine dignam; immo in huius exempli civitatibus quandoque vel ipsum libertatis ius aut in dubium vocatur, aut etiam plane tollitur. Quod cum accidit, rectus civilis societatis ordo penitus evertitur; nam potestas publica suapte natura ad tutandum communitatis bonum spectat, cuius princeps officium est agnoscere honestos libertatis fines eiusque iura sarta tecta servare.

Propter hanc causam abs re non erit hoc loco homines ad illud revocare, huiusmodi profugos personae dignitate ornatos esse, iisque personae iura esse agnoscenda. Quae iura profugi amittere non potuerunt, propterea quod nationis suae civitate sint destituti.

Iamvero inter humanae personae iura illud etiam recensendum est, licere cuique se in eam nationem conferre, ubi aptius se posse speret sibi atque suis necessariis prospicere. Quare rei publicae moderatorum officium est alienos venientes excipere, et, quantum suae communitatis sinit non fucatum bonum, eorum proposito favere, qui forte novae societati sese velint aggregare.

Quas ob causas, publice probamus laudamusque, hac data opportunitate, ea omnia incepta, quae fraternae coniunctionis vel christianae caritatis principiis conformata, eo pertinent, ut aerumnae eorum releventur, qui a suis locis ad alia semigrare adigantur.

Ac facere non possumus, quin omnibus cordatis hominibus ad laudandum proponamus illa ex variis nationibus instituta Consilia, quae in hac gravissimi ponderis re omnes curas collocant.

In contrariam vero partem non sine magno doloris sensu videmus, in quibus civitatibus res oeconomicae magis profecerint, inibi immania parata esse bellica arma atque adhuc parari, in id maximis sive animi sive corporis bonis collatis. Quo fit, ut, dum harum nationum civibus haud levia onera tolerare est opus, aliae civitates subsidiis indigeant, quibus in re oeconomica et sociali progrediantur.

Cuius quidem militaris apparatus probabilis causa ex eo peti solet, quod pax – ita aiunt – in hisce rerum adiunctis tuta esse non potest, nisi pari armorum apparatu innitatur. Quare si militaris res alicubi incrementum capit, fit continuo ut aliis etiam locis studia augendorum armorum certatim ingravescant. Ac si qua natio in atomicis belli instrumentis parata est, hoc aliis nationibus causam praebet, cur id genus arma, pari delendi vi praedita, sibi parare contendant.

Inde consequitur, ut populi perpetuo in metu sint, quasi in eos procella impendeat, quae quovis temporis momento horrifico impetu commoveri possit. Nec immerito, cum revera arma non desint. Quodsi vix credibile est, homines esse, qui neces immanesque ruinas e bello orituras in se recipere audeant, infitiandum tamen non est, necopinato incertoque facto posse belli incendium exciri. Ac praeterea, quamvis immanis militaris apparatus potentia hodie homines a bello suscipiendo deterreat, nihilominus tamen est cur timeatur, ne ipsa atomicorum instrumentorum experimenta belli causa suscepta, nisi cessent, varia vitae genera in terris grave in discrimen possint adducere.

Quare iustitia, recta ratio, humanaeque dignitatis sensus instanter requirunt, ut desinant aemula rei militaris augendae studia; ut bellica instrumenta, quae variis civitatibus praesto sunt, hinc inde, per idemque tempus minuantur; ut atomica arma interdicantur; ut tandem ad

congruentem ab armis discessum omnes ex condicto deveniant, mutua efficacique cautione adhibita. «Omnibus viribus prohibendum est – admonebat Decessor Noster fel. rec. Pius XII – quominus generale omnium gentium bellum, quod tot pariat iacturas in re oeconomica et sociali, totque flagitia ac morum perturbationes habeat coniuncta, tertium saeviat in humanam familiam». (50)

Omnibus tamen persuasum esse debet, non posse neque rei militaris augendae intermitti studia, neque arma imminui, neque – quod caput est – usquequaque armamenta de medio tolli, nisi huiusmodi ab armis discessus plenus expletusque sit atque ipsos attingat animos; nisi scilicet omnes concordem sinceramque dent operam, ut ex animis metus atque anxia belli exspectatio pellantur. Id autem poscit, ut pro suprema lege, qua hodie pax continetur, alia prorsus subiciatur, qua statuatur, non in pari rei militaris apparatu, sed in mutua tantummodo fide, veri nominis pacem inter populos firmam posse consistere. Quod Nos fieri posse confidimus, cum de causa agatur, non tantum rectae rationis normis imperata, sed etiam summopere optabili et bonorum uberrima.

Agitur in primis de causa, ratione imperata. Ac revera, quemadmodum inter omnes constat, aut saltem constare debet, mutuae civitatum necessitudines, haud secus ac singulorum hominum rationes, non armorum vi, sed ad rectae rationis normam, hoc est ad normam veritatis, iustitiae, actuosaeque animorum coniunctionis, sunt componendae.

Deinde huiusmodi causam vehementer dicimus expetendam. Quis enim flagrantissimis non exoptet votis, ut belli discrimina arceantur, pax vero incolumis servetur, firmioribusque in dies muniatur praesidiis?

Postremo haec causa est bonorum uberrima, cum eius commoditates in omnes prorsus recidant: scilicet in singulos homines, in domesticos convictus, in populos, in universam demum humanae gentis familiam. Qua de re haec Decessoris Nostri Pii XII monitoria vox sonat adhuc ac vibrat in auribus nostris: «Pace nihil perire; bellum omnia perdere posse». (51)

Quae cum ita sint, Nos qui vices in terris gerimus Servatoris mundi pacisque auctoris, Christi Iesu, incensissima totius humanae familiae optata interpretati paternaque erga universos homines caritate permoti, officii Nostri partes esse existimamus, homines rogare et obsecrare, eos in primis qui publicam rem moderantur, ut nullis curis nullisque laboribus parcant, donec humanarum rerum cursus cum hominis ratione dignitateque congruat.

In virorum consiliis, qui prudentia auctoritateque praestant, penitus investigetur, qua potissimum ratione in universo terrarum orbe mutuae civitatum necessitudines ad humaniorem aequilibritatem conformentur; aequilibritatem dicimus, quae in mutua fide, in pactionum sinceritate, in condicionibus inviolate servatis posita sit. Haec autem quaestio ita omni ex parte perpendatur, ut caput emergat, unde amica, firma ac perutilia foedera initium capiant.

Ad Nos quod attinet, supplices Deo preces admovere non intermittemus, ut superna ope sua hos labores prosperet atque fecundet.

Quin et illud accedit quod mutuae rerum publicarum rationes ad libertatis normam sunt ordinandae. Cuius sententiae vis haec est, ut nulli nationi quidquam facere liceat, quo alias iniuste opprimat, aut earum negotiis se immerito interponat. Omnes contra aliis opitulentur necesse est, ut hae magis magisque sibi sint officiorum suorum consciae, ut nova et utilia conentur, ut in quolibet alacritatis genere per se ipsae proficiant.

Quandoquidem omnes homines communi consortio et originis, et christianae Redemptionis, et superni finis inter se copulantur et ad unam coniungendam christianam familiam vocantur, idcirco in Encyclicis Litteris Mater et Magistra, civitates opulentiores hortati sumus ad opem multimodis ferendam civitatibus, quarum oeconomicae progressiones essent in cursu. (52)

Atque nunc, non sine magno animi Nostri solacio fatemur, huiusmodi monita late excepta esse; ac fore confidimus, ut eadem in posterum adhuc latius excipiantur; ut scilicet civitates egentiores quam primum ita in re oeconomica progrediantur, ut cives vitam ducere valeant humanae dignitati magis parem.

At in promptu illud est iterum iterumque ponendum, ita populis subveniatur opus esse, ut hi incolumem libertatem suam servare queant, atque, in hoc rei oeconomicae et socialis progressu, sive praecipuas partes sibi esse tribuendas sentiant, sive in se huius efficiendae rei onus potissimum recidere.

Qua de re Decessor Noster fel. rec. Pius XII sapienter haec docuit: «Novus rerum ordo, honestatis normis innixus, prorsus prohibet quominus libertas, integritas atque incolumitas laedantur aliarum nationum, quaecumque sunt earum amplitudo ac tuendi se facultas. Quodsi fere necessario contingit, ut maiores civitates, utpote quae uberioribus opibus floreant ac potentia praestent, in societatibus de re oeconomica cum minoribus civitatibus coniungendis normas ipsae statuant, nihilominus tamen his minoribus civitatibus aeque ac ceteris praecidi nequit, salvo communi omnium bono, ius rem publicam libere administrandi nullique se addicendi parti in nationum contentionibus, ut praecipit ipsum ius naturale et ius gentium; itemque ad has minores civitates ius pertinet suum tuendi rei oeconomicae incrementum. Etenim, tantummodo hisce iuribus in tuto positis, fieri potest, ut hae minores nationes congruenter promovere queant commune omnium bonum ac simul suorum civium prosperitatem, sive in bonis externis, sive in rebus, quae ad animi cultum et profectum attinent». (53)

Florentiores igitur respublicae, dum egentioribus multis modis succurrunt, summopere vereantur necesse est peculiares cuiusque gentis notas earumque civilia instituta a maioribus tradita, itemque cavere debent a quovis dominandi consilio. Quod si factum erit, «non parum certe proderit ad omnium rerumpublicarum veluti communitatem iungendam, quarum singulae, sibi suorum iurium officiorumque consciae, pari ratione ad omnium populorum prosperitatem spectent». (54)

Magis magisque nostris temporibus hominum animos persuasio pervasit, controversias, quae forte inter populos oriantur, non armis, sed pactis et conventis dirimendas esse.

Persuasio haec, fatemur quidem, plerumque a terrifica delendi vi, quae cum hodiernis bellicis instrumentis coniuncta est, atque a timore calamitatum et horrendarum ruinarum, quas arma id genus ederent, initium ducit. Quare aetate hac nostra, quae vi atomica gloriatur, alienum est a ratione, bellum iam aptum esse ad violata iura sarcienda.

Attamen saepe pro dolor populos videmus timori, tamquam supremae legi, esse obnoxios, atque idcirco in rem militarem pecuniam impendere amplissimam. Quod se facere affirmant - nec est cur iisdem fidem non adiungamus - consilio ductos non opprimendi, sed deterrendi alios ab impetu faciendo.

Nihilo secius fore sperandum est, ut populi, mutuis institutis necessitudinibus et negotiis, melius agnoscant humanae naturae vincula, quibus invicem consocientur; intellegantque pulchrius, in praecipuis communis naturae officiis hoc esse collocandum, ut singulorum hominum

populorumque consuetudines amori obtemperent, non timori; nam in primis amoris est homines adducere ad sinceram ac multiformem rerum animorumque coniunctionem, unde tot bona in ipsos manare possunt.

IV

Recentiora scientiarum artiumque incrementa, cum plurimum humanos mores affecerint, homines, quotquot ubique terrarum sunt, commovent, ut magis magisque mutuam coniungant operam interque seipsos consocientur. Hodie enim rerum, doctrinarum hominumque commeatus valde sunt adaucti. Quare summopere increbruerunt mutuae necessitudines civium, familiarum, interpositarumque societatum ad varias nationes pertinentium, frequentioresque ineuntur inter moderatores variarum civitatum rationes. Per idem tempus aliarum civitatum res oeconomicae magis in dies rebus oeconomicis aliarum continentur; rationes oeconomicae nationum adeo inter se gradatim cohaerescunt, ut ex singulis simul iunctis quaedam quasi ordinatio rerum oeconomicarum totius orbis exsistat; denique progressus socialis, ordo, securitas ac tranquillitas cuiusvis civitatis necessario cum ceterarum conectuntur.

Hisce positis, patet, singulas civitates, separatim a reliquis, suis utilitatibus congruenter consulere, seseque, ut oportet, perficere prorsus non posse. Prosperitas enim ac processus alicuius civitatis iam omnium aliarum prosperitatem ac progressum partim consequitur, partim efficit.

Humanae unitatem consortionis nulla delebit aetas, cum ex hominibus eadem constet, naturalem dignitatem aequo iure participantibus. Hac de causa flagitabit semper necessitas, ex ipsa hominis natura orta, ut convenienter bono universali studeatur, quod scilicet cunctae hominum familiae interest.

Praeteritis temporibus rerum publicarum rectores visi sunt satis posse bono communi universali consulere; qui quidem ad id contendebant sive per suae nationis legatos, sive per conventus et colloquia hominum in civitate praestantissimorum, sive per pacta et conventa: viis nempe instrumentisque adhibitis, quae vel iure naturali, vel iure gentium, vel iure omnibus nationibus communi describebantur.

Nostris vero diebus mutuae civitatum consuetudines magnas habuerunt mutationes. Ex altera namque parte bonum omnium gentium commune quaestiones proponit summae gravitatis, arduas et quam primum solvendas quod praesertim attinet ad totius orbis securitatem pacemque tuendam; ex altera, singularum nationum moderatores, utpote qui inter se eodem sint iure, quantumvis conventus studiaque multiplicent ad aptiora iuris instrumenta reperienda, id tamen satis non assequuntur; non quo sincera voluntate et alacritate ipsi careant, sed quia ipsorum auctoritas idonea caret potestate.

In hodiernis igitur humanae societatis adiunctis, tum rerum publicarum constitutio ac forma, tum vis, qua in universis terrarum orbis nationibus pollet publica auctoritas, bono omnium populorum communi provehendo sunt impares habendae.

Iamvero, si diligenter perpendantur hinc intima boni communis ratio, illinc publicae auctoritatis natura atque perfunctio, nemo est quin videat inter utramque rem necessariam intercedere convenientiam. Etenim moralis ordo, quemadmodum publicam auctoritatem postulat ad bonum

commune in civili societate promovendum, similiter requirit, ut eadem auctoritas id reapse efficere possit. Ex quo fit, ut civilia instituta – in quibus publica auctoritas vertitur, operatur suumque finem consequitur – tali forma ac tali efficacitate sint praedita, ut ad commune bonum conducere valeant viis ac rationibus, quae variis rerum momentis apte respondeant.

Cum autem hodie commune omnium gentium bonum quaestiones proponat, omnes contingentes populos; cumque huiusmodi quaestiones nonnisi publica quaedam auctoritas explicare possit, cuius et potestas, et forma, et instrumenta aequa sint amplitudine, cuiusque actio tam late pateat quantum terrarum orbis; tum exinde sequitur, ut, ipso morali ordine cogente, publica quaedam generalis auctoritas constituenda sit.

Haec autem generalis auctoritas, cuius imperium ubique terrarum vim habeat, idoneisque instrumentis ad commune bonum universale conducat, omnium utique populorum consensione condenda est, non vero vi imponenda. Quod ex eo nascitur, quod, cum huiusmodi auctoritas efficaciter munere suo perfungi debeat, idcirco aequabilis in omnes, a studio partium prorsus aliena, atque ad commune omnium gentium bonum intenta sit oportet. Nam si a potentioribus nationibus haec universalis auctoritas vi imponeretur, timendum sane esset, ne ea vel paucorum commodis serviret, vel ab aliqua staret natione; atque propterea ipsius actionis vis et efficacia in discrimine versaretur. Licet enim nationes valde inter se discrepent bonorum externorum incremento armorumque apparatu, tamen summo studio tuentur iuris aequalitatem suaeque vivendi disciplinae praestantiam. Quare non immerito civitates aegre potestati subsunt, aut quae ipsis vi iniungatur, aut a qua condenda afuerint, aut quam sua sponte non sint amplexae.

Ut de singularum civitatum communi bono, ita de generalibus omnium civitatum utilitatibus iudicari non potest, nisi ratione habita humanae personae; quapropter publica universalisque auctoritas eo maxime spectare debet, ut humanae personae iura agnoscantur, in debito habeantur honore, innoxia serventur, in re augeantur; quod efficere potest vel ipsa per se, si res ferat, vel in universo terrarum orbe rerum condicionibus institutis, quibus iuvantibus singularum civitatum principes sua possint commodius munera sustinere.

Ad haec, sicut in singulis civitatibus rationes, quae publicae auctoritati sunt cum civibus, familiis, interpositisque societatibus, regi ac temperari opus est subsidiarii officii principio: eodem aequum est necessitudines componi, quibus publica auctoritas universalis cum publicis auctoritatibus singularum nationum continetur. Nempe proprium huius auctoritatis universalis est quaestiones perpendere ac dirimere, quae boni communis universalisque causa exsistant, et vel res oeconomicas, sociales, politicas attingant, vel ingenii cultum; quaestiones, dicimus, quae, cum summae sint gravitatis, latissime pateant, atque acriter urgeant, difficiliores sunt habendae quam ut a moderatoribus singularum civitatum feliciter expediantur.

Scilicet eiusdem auctoritatis universalis non est neque coércere, neque ad se revocare acta, quae sunt publicae potestatis propria aliarum civitatum. Ex contrario ea contendat opus est, ut in toto terrarum orbe eiusmodi rerum status condatur, in quo non solum publica cuiusque nationis potestas, sed etiam singuli homines et interpositi coetus possint tutius sua munera obire, sua praestare officia, sua iura vindicare. (55)

Ut sciunt omnes, die 26 mensis lunii anno 1945 conditum est Foederatarum Nationum Consilium – compendiariis litteris ONU distinctum – cui subinde adiecta sunt minora Consilia, ex membris constantia publica variarum nationum auctoritate nominatis, quibus magni momenti munera delata sunt, ubique terrarum in provinciis explenda, quae ad rem oeconomicam et socialem, ad ingenii cultum, ad educationem et ad publicam valetudinem pertinent. At Foederatarum Nationum Consilio id maxime propositum est, ut populorum pacem tueatur atque confirmet,

utque inter eos amicitiae necessitudines iuvet ac foveat, in principiis sitas aequalitatis, mutuae observantiae ac multiplicis conspirationis in omnibus humanae industriae campis.

Cuius Consilii providentiae perspicuo est argumento Professio Universalis iurium humanorum, die 10 mensis Decembris anno 1948 a Foederatarum Nationum Coetu generali rata habita. In cuius exordio Professionis asseveratur, illud potissimum populis ac nationibus universis esse expetendum, ut iura omnia libertatisque formae, in Professione descripta, reapse agnoscantur et innoxia serventur.

Nos sane non praeterit, quaedam Professionis huius capita minus probanda nonnullis visa esse; neque id immerito. Nihilominus Professionem eandem habendam esse censemus quendam quasi gradum atque aditum ad iuridicialem politicamque ordinationem constituendam omnium populorum, qui in mundo sunt. Siquidem ea universis prorsus hominibus sollemniter agnoscitur humanae dignitas personae, atque iura cuivis homini asseruntur veritatem libere exquirendi, honesta tis sequendi normas, iustitiae officia usurpandi, vitam exigendi homine dignam, alia deinceps cum hisce coniuncta.

Illud igitur expetimus vehementer, ut Foederatarum Nationum Consilium magis atque magis valeat formam atque idonea instrumenta sua ad munerum suorum amplitudinem nobilitatemque accommodare. Utinam quam primum tempus adveniat, quo Consilium hoc humanae personae iura efficienter tueri possit: iura dicimus, quae, cum ab humanae personae dignitate proxime oriantur, hanc ob causam universalia, inviolabilia atque incommutabilia sunt; eo vel magis, quod, cum hodie homines in sua cuiusque natione publicae rei magis in dies participes sint, actuosiore usque studio res omnium populorum prosequuntur, atque plus plusque sibi sunt conscii, ad universam hominum familiam se, ut membra viva, pertinere.

V

Hoc loco filios Nostros iterum adhortamur, ut in partem rei publicae administrandae alacriter veniant, utque sociam navent operam ad totius humani generis et suae cuiusque civitatis commoda provehenda. Neque minus iidem, christiana luce collustrati caritateque ducti, contendant opus est, ut instituta sive ad res oeconomicas, sive ad res sociales sive ad doctrinas civilemque cultum pertinentia adeo homines non impediant, ut etiam adiuvent ad se meliores faciendos, in ordine cum rerum naturalium, tum rerum, quae supra naturam sunt.

Tamen nihilo minus ad civilem cultum rectis normis christianisque principiis imbuendum, satis non est filios Nostros caelesti fidei lumine frui atque boni provehendi ardore permoveri; quin etiam requiritur, ut ipsius civilis cultus institutis se interserant efficacique actione eadem intus attingant.

Verum, cum praesens humanae civilisque vitae cultus maxime doctrinis et technicorum inventis conspicuus sit, nemo sane potest se publicis institutis insinuare, nisi sit scientia ac doctrina peritus, sit ad technicorum artes idoneus, sit denique professionis suae exercendae expertus.

Quae tamen omnia nullo pacto sufficere existimanda sunt, ut cotidianae vitae necessitudines ad humaniorem usum conformentur; qui utique veritate innitatur necesse est, iustitia temperetur, vim suam a mutua hominum caritate capiat, libertatis consuetudinem teneat.

Ad quorum consiliorum effectum ut re vera homines perveniant, iisdem diligentissime elaborandum est, ut primum in huius vitae rebus efficiendis leges servent, uniuscuiusque rei proprias, normasque retineant, uniuscuiusque naturae convenientes; ut deinde suas ipsorum actiones ad morum praecepta conforment, atque idcirco ita se gerant, perinde ac si vel ius suum

exerceant vel officium praestent. Quin et illud ratio flagitat, ut homines quasi Dei providis consiliis mandatisque, ad nostram salutem spectantibus, obtemperantes, animique conscientiam non praetermittentes, ita in vitae actione se habeant, ut res ad scientias, ad technicorum artes, atque ad professiones suas attinentes, cum praecipuis animi bonis omnino coniungant.

Est hoc etiam in confesso, in civitatibus nempe, christiana doctrina antiquitus excultis, civilia instituta in praesenti florere quidem scientiarum artiumque progressionibus, et instrumentis abundare ad quaelibet proposita assequenda idoneis, sed saepe christianis veluti incitamentis et afflatu tenuiter imbui.

Quomodo autem id fieri potuerit iure merito quaeritur, cum ad illiusmodi leges instituendas operam haud exiguam contulerint et conferre pergant, qui christianum profiteantur nomen ac re vera vitam suam saltem ex parte ad evangelicas normas conforment. Cuius rei causam ex eo proficisci putamus, quod ipsorum agendi ratio cum sua fide non cohaereat. Par ergo est ut mentis animique unitas ita in iis reficiatur, ut in eorum actionibus fidei lumen amorisque vis simul dominentur.

Quod in christifidelibus religiosa fides ab agendi ratione saepe saepius dissidet, id ex hoc etiam oriri censemus, quod iidem christianis moribus christianaeque doctrinae institutione haud satis sunt exculti. Contingit enim nimium saepe plurimisque locis, ut non aeque religiosis rebus cognoscendis atque externis iidem operam dent, atque, cum studia scientiarum ad summum perducant, circa vero religiosam institutionem, elementa communiter non excedant. Cogit igitur necessitas, ut adulescentium institutio sit plena, sit continua, sit talibus modis tradita ut religiosarum rerum cultus animique probitas aequis passibus procedant una cum scientiarum cognitione et cum cotidie progredientibus technicorum artibus. Praeterea adulescentes instituantur oportet ad sua cuiusque munera apte sustinenda. (56)

Sed tamen hac in re opportune monere iuvat, quantopere sit arduum satis recte intellegere quid re ipsa inter humanos eventus et iustitiae rationes intersit, hoc est probe circumscribere, quibus gradibus quibusve formis principia doctrinae et monita sint ad praesentem humani convictus statum componenda.

Atque eo difficilius est gradus et formas huius generis definire, quo aetas haec nostra, in qua quisque debet operam suam ad commune bonum universale ponere, celeriore agendi impetu incitatur. Quam ob causam, cum cotidie videndum sit quemadmodum res sociales ad iustitiae rationes sint congruentius accommodandae, tum vero est cur filii Nostri non opinentur, se cessatione posse consistere, et in habito acquiescere itinere.

Immo enimvero omnes homines decet iudicare ea, quae ad hoc usque tempus a se facta sint, non esse ad necessitatem satis, atque adeo sibi esse in dies maiora et aptiora incepta suscipienda, quod attinet ad societates bonis gignendis, ad corporatorum hominum collegia, ad coetus civium artes profitentium, ad publicas rationes civium securitati procurandae, ad instituta ingenii cultui provehendo, ad iuris disciplinam, ad rei publicae formam, ad valetudinis auxilia, ad exercitationes ludicras, postremo ad huius generis cetera. Haec namque omnia aetas nostra desiderat, qua homines, post individua corpora inventa, caelique spatia perrupta, vias rimantur novas ad infinita prope spectantes.

Quae ad hunc locum principia in medio posuimus, tum ex ipsa rerum natura, tum persaepe ex ordine iurium naturalium initium capiunt. Qua de re in huiusmodi principiis efficiendis contingit crebro, ut catholici homines operam multimodis socient vel cum christianis ab hac Apostolica

Sede seiunctis, vel cum hominibus christianae quidem fidei omnino expertibus, sed rationis participibus et naturali morum integritate ornatis. «Quod cum evenit, ii qui catholicum profitentur nomen, maximopere prospiciant, ut sibimetipsis semper constent, neve ad ea media consilia descendant, e quibus aut religionis aut morum integritas aliquid detrimenti capiat. Pariter tamen se tales praebeant, qui et aliorum sententiam aequa perpendant benignitate, et omnia ad utilitates suas non referant, et parati sint ad ea cum fide coniunctisque viribus efficienda, quae vel suapte natura sint bona vel ad bonum conducibilia». (57)

Omnino errores ab iis qui opinione labuntur semper distinguere aequum est, quamvis de hominibus agatur, qui aut errore veritatis, aut impari rerum cognitione capti sint, vel ad sacra, vel ad optimam vitae actionem attinentium. Nam homo ad errorem lapsus iam non humanitate instructus esse desinit, neque suam umquam personae dignitatem amittit, cuius nempe ratio est semper habenda. Praeterea in hominis natura numquam facultas perit et refragandi erroribus, et viam ad veritatem quaerendi. Neque umquam hac in re providentissimi Dei auxilia hominem deficiunt. Ex quo fieri potest, ut, si quis hodie vel fidei perspicuitate egeat, vel in falsas discesserit sententias, possit postmodum, Dei collustratus lumine, veritatem amplecti. Etenim si catholici homines, rerum externarum causa, cum hominibus consuetudinem iungant, qui vel nullo modo vel non recte in Christum credant, quia in errore versantur, tum vero illi sive occasionem sive incitamentum his dare possunt, ut ad veritatem traducantur.

Inde deinceps par omnino est, a falsis philosophorum placitis de natura, de origine, de fine mundi et hominis plane incepta distinguere, quae sive res oeconomicas et sociales, sive ingenii cultum, sive civitatis temperationem contingunt, etiamsi incepta hoc genus ab illis placitis originem et incitamentum ducant; quoniam, dum formula disciplinae, postquam definite descripta est, iam non mutatur, incepta illa utpote quae in mutabilibus rerum condicionibus versentur, his non possunt quin sint admodum sane obnoxia. De reliquo quis eat infitias, in hisce inceptis, quatenus videlicet cum rectae rationis praeceptis congruant, et iustas hominis appetitiones referant, posse aliquid boni et probandi inesse?

Has ob causas cadere aliquando potest, ut quae congressiones de rerum usu antehac ad nullam partem utiles visae sint, nunc vero fructuosae aut iam re vera sint, aut futurae prospiciantur. Sed diiudicare utrum eo perventum sit necne, praetereaque statuere quibus modis quibusve gradibus sint coniunctim quaerendae veri nominis utilitates in regione vel rerum oeconomicarum et socialium, vel doctrinarum vel publicae administrationis, haec omnia una docere potest prudentia, virtutum cunctarum moderatrix, quibus cum singulorum, tum consociatorum hominum vita regitur. Quare si res catholicorum hominum agitur, de huius exempli causis decernere ad eos viros potissimum pertinet, qui in civium communitate inque harum rerum provincia primas agunt; dummodo tamen praeterquam principia iuris naturalis servent, doctrinae etiam de rebus socialibus, quam tradit Ecclesia, obsequantur, auctoritatumque ecclesiasticarum monitis pareant. Neminem enim praetereat oportet, Ecclesiae ius itemque officium esse, non solum fidei morumque doctrinam tutari, sed etiam auctoritatem suam apud filios suos in regione rerum externarum interponere, cum diiudicare opus est quomodo doctrina eadem sit ad effectum adducenda. (58)

Re ipsa non desunt qui, utpote magnitudine animi ornati, cum sibi rerum adiuncta occurrant vel parum vel nullo modo cum iustitiae rationibus convenientia, tum et omnia instaurandi studio flagrent, et ad id tali ferantur impetu, qui rerum publicarum quaedam quasi conversio videatur.

Quibus illud esse in promptu velimus, ex naturae necessitate omnia crescere gradatim, atque idcirco in humanis institutis nihil posse ad melius perduci, nisi pedetemptim ab interiore parte

agatur. Quod idem Decessor Noster fel. rec. Pius XII monet his verbis usurpatis: «Iamnon in veteris disciplinae perturbatione, sed in bene constituta rerum progressione salus atque iustitia sitae sunt. Etenim animi effrenatio omnia semper destruxit, nihil aedificavit; cupiditates incendit, numquam sedavit. Ea denique, cum nonnisi odia ruinasque serat, tantum abest ut altercatores inter se conciliet, ut magis homines politicasque factiones cogat supra parietinas, discordia partas, pristinum opus summo labore restituere». (59)

Cum gravissimis igitur magnanimorum virorum muneribus illud maxime coniungi putandum est, ut, veritate, iustitia, caritate, libertate magistris ac ducibus, novas iidem necessitudinum rationes in hominum societate constituant: hoc est tum singulorum civium inter sese; deinde inter cives et civitates suas; tum civitatum inter se; tum denique hinc inter singulares homines, familias, interposita corpora, singulas civitates, illinc universorum hominum communitatem. Quod profecto munus nemo praeclarissimum non censuerit, quippe quo vera pax, iuxta ordinem a Deo statutum, coalescere possit.

Ad hos ergo viros, nimis certe pro necessitate paucos, sed de hominum consortione mirifice meritos, dignum est a Nobis pertinere publicam laudem, simul invitationem ad urgendum propositum salutiferum. At per idem tempus in spem inducimur, fore ut ad hos viros alii multi, praesertim e christifidelibus, officii conscientia et caritate incitantibus, accedant. Quicumque enim Christo nomen dederunt, eos admodum decet in hac hominum congregatione, et lucis veluti scintillas, et amoris quasi alimenta, et totius tamquam fermentum multitudinis fieri; quod eo magis eveniet, quo cuiusque animus artius cum Deo coniungetur.

Nam nulla sane pax, in hominum universitate insidet, nisi in uniuscuiusque hominis animo ea insederit: nisi videlicet quisque in semetipso ordinem servaverit, quem Deus servari iussit. Qua de re ita S. Augustinus hominem rogat: «Vult autem mens tua idonea esse vincere libidines tuas? Subdatur maiori et vincet inferiorem: et erit pax in te: vera, certa, ordinatissima. Qui est ordo pacis huius? Deus imperat menti: mens carni: nihil ordinatius». (60)

Nimirum igitur quae hactenus de quaestionibus docuimus, hominum societatem tantopere in praesentia sollicitantibus, cumque humanae communitatis profectibus quam maxime coniunctis, ea utique in animum Nostrum acerrima illa desideratio iniecit, qua omnes homines flagrare constat, quotquot bona voluntate ornantur: pacem nempe hisce in terris confirmari.

Quippe qui - licet muneri impares eius vicaria potestate fungamur, quem nuntius ille, praesagientis animi divinatione, «Principem pacis» appellavit (cf. Is 9,6), Nostrarum esse partium ducimus cogitationes, curas, viresque Nostras huic communi omnium bono provehendo dicare. Attamen pax inane verbum est, nisi in ea rerum compositione vertitur, quam omni quidem spe commoti Nostris hisce Litteris Encyclicis quasi primis lineis adumbravimus: compositionem dicimus in veritate positam, ad iustitiae praecepta constitutam, caritate altam et expletam, libertate postremo auspice effectam.

Quae quidem res tam magnifica tamque excelsa est existimanda, ut eam homo, etsi bona laudeque digna voluntate praeditus, si suis dumtaxat viribus elaboret, ad exitum ullo modo perducere nequeat. Scilicet ut hominum societas regnum Dei quanta maxima potest similitudine referat, ipsius caelestis Numinis auxilio vehementer est opus.

Rerum igitur ordo ipse poscit, ut per sacros hos dies, supplices illi admoveamus preces, qui suis acerbissimis cruciatibus suaque morte non modo peccata diluit, fontem et caput discidiorum, miseriarum, inaequalitatum, verum etiam suo profuso sanguine hominum genus cum caelesti Patre suo in gratiam reduxit, pacis muneribus impertitis: «Ipse enim est pax nostra, qui fecit

utraque unum. … Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, et pacem iis qui prope» (Eph 2,14-17).

Atque in sacris horum dierum ritibus idem resonat nuntius: «Surgens Iesus Dominus Noster, stans in medio discipulorum suorum dixit: «Pax vobis, alleluia›: gavisi sunt discipuli viso Domino». (61) Itaque pacem nobis Christus attulit pacem reliquit: «Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis» (Io 14,27).

Hanc ergo pacem a divino Redemptore nobis allatam, ab ipso summis precibus petamus. Abstergeat ille ab hominum animis quidquid pacem labefactare potest, omnesque in veritatis, iustitiae fraternaeque caritatis testes fingat. Suo praeterea lumine eorum qui populis praesunt mentes collustret, ut una cum dignis prosperitatibus, civibus pulcherrimum pacis donum tutum praestent. Ad ultimum, omnium hominum voluntates Christus incendat ad repagula perfringenda, quibus alii distineantur ab aliis, ad caritatis mutuae confirmanda vincula, ad alios intellegendos, ad ignoscendum denique iis qui iniuriam intulerint. Ita nimirum ut, eo auctore et auspice, populi omnes inter se fraterno more complectantur, in iisque semper floreat semperque dominetur optatissima pax.

Extremum id ominantes, Venerabiles Fratres, ut eiusmodi pax ad greges prorepat vobis commissos, per commodum maxime tenuissimorum hominum, qui peculiari egeant adiumento et tutela, Apostolicam Benedictionem vobismetipsis, sacerdotibus ex utroque clero, religiosis viris virginibusque Deo devotis, et christifidelibus omnibus, sed iis nominatim, qui Nostris hisce hortationibus magno animo parebunt, peramanter in Domino impertimus. Universis vero bonae voluntatis hominibus, ad quos etiam hae Litterae Nostrae Encyclicae pertinent, salutem et prosperitatem a summo Deo imploramus. Datum Romae, apud S. Petrum, in Cena D.N.I.C., die 11 mensis Aprilis anno 1963, Pontificatus Nostri quinto. IOANNES PP. XXIII

(1) IOANNES PP. XXIII, Litt. enc. Pacem in terris de pace omnium gentium in veritate, iustitia, caritate, libertate constituenda, [Venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis aliisque locorum Ordinariis pacem et communionem cum Apostolica Sede habentibus, clero et christifidelibus totius orbis itemque universis bonae voluntatis hominibus], 11 Aprilis 1963: AAS 55(1963), pp. 257-304. Versione italiana: L'Osservatore romano, 11 aprile 1963; La Civiltà cattolica, 114(1963), II, 105ss.

Introduzione: L'ordine nell'universo; l'ordine negli esseri umani. – Parte I: L'ordine tra gli esseri umani: Ogni essere umano è persona, soggetto di diritti e di doveri (1. Diritti: diritto all'esistenza e a un tenore di vita dignitoso; diritti riguardanti i valori morali e culturali; diritto di onorare Dio secondo il dettame della retta coscienza; diritto alla libertà nella scelta dello stato di vita; diritti attinenti il mondo economico; diritti di riunione e di associazione, di emigrazione e immigrazione; diritti a contenuto politico. 2. Doveri: indissolubile rapporto fra diritti e doveri nella stessa persona; reciprocità di diritti e di doveri fra persone diverse, nella mutua collaborazione, in atteggiamento di responsabilità; convivenza nella verità, nella giustizia, nell'amore, nella libertà; ordine morale che ha per fondamento oggettivo il vero Dio). Segni dei tempi. – Parte II: Rapporti tra gli esseri umani e i poteri pubblici all'interno delle singole comunità politiche (necessità dell'autorità e sua origine divina; l'attuazione del bene comune e la ragion d'essere dei poteri pubblici; aspetti fondamentali del bene comune; compiti dei poteri pubblici e diritti e doveri della persona; armonica composizione ed efficace tutela dei diritti e dei doveri della persona; dovere di promuovere i diritti della persona; equilibrio fra le due forme d'intervento dei poteri pubblici; struttura e funzionamento dei poteri pubblici; ordinamento giuridico e coscienza morale; la partecipazione dei cittadini alla vita pubblica). Segni dei tempi. – Parte III: Rapporti fra le

comunità politiche (soggetti di diritti e doveri, nella verità, secondo giustizia; il trattamento delle minoranze; solidarietà operante; equilibrio tra popolazione, terra e capitali; il problema dei profughi politici; disarmo; nella libertà; l'ascesa delle comunità politiche in fase di sviluppo economico). Segni dei tempi. – Parte IV: Rapporti degli esseri umani e delle comunità politiche con la comunità mondiale (interdipendenza tra le comunità politiche; insufficienza dell'attuale organizzazione dell'autorità pubblica nei confronti del bene comune universale; rapporto fra contenuti storici del bene comune e struttura e funzionamenti dei poteri pubblici; poteri pubblici istituiti di comune accordo e non imposti con la forza; il bene comune universale e i diritti della persona; il principio di sussidiarietà). Segni dei tempi. – Parte V: Richiami pastorali (dovere di partecipazione alla vita pubblica; competenza scientifica, capacità tecnica, esperienza professionale; l'azione come sintesi di elementi scientifico-tecnico-professionali e di valori spirituali; ricomposizione unitaria nei credenti tra fede religiosa e attività a contenuto temporale; sviluppo integrale degli esseri umani in formazione; impegno costante; rapporti fra cattolici e non cattolici in campo economico-sociale-politico; gradualità; compito immenso; il Principe della pace). FINIS

,,,

aegerrime id tolerabant durissimoque iugo diutius colla supponere detrectabant opifices, quorum alii, malorum consiliorum aestu abrepti, omnium rerum perturbationem appetebant, alii, quos christiana institutio a pravis huiusmodi conatibus absterreret, in ea tamen sententia perstabant, plurima hac in re prorsus et quam cito esse reformanda.

Nec aliter sentiebant complures illi catholici viri, sive sacerdotes sive laici, quos miranda sane caritas ad immeritam proletariorum inopiam sublevandam iam diu concitaverat, quique sibi persuadere nullatenus poterant tam ingens tamque iniquum in temporalium bonorum distributione discrimen cum Sapientissimi Creatoris consiliis revera congruere.

Profecto ad lugendam hanc rerum publicarum deordinationem praesens hi remedium, firmumque contra peiora pericula munimen sincere quaerebant; sed, quae est humanarum mentium vel optimarum imbecillitas, hinc ut perniciosi novatores repulsi, illinc ab ipsis boni operis sociis aliorum consiliorum fautoribus impediti, inter varias opiniones incerti, quo se verterent ancipites haerebant.

In tanta igitur animorum conflictione. cum ultro citroque, nec semper pacifice exerceretur lis, ut saepe alias, omnium oculi ad Petri Cathedram adiiciebantur, ad sacrum hoc totius veritatis depositum, unde verba salutis in universum orbem effunduntur; atque ad pedes Christi in terris Vicarii insueta quadam frequentia confluentes, et rerum socialium periti, et operum conductores, et opifices ipsi, uno ore efflagitabant ut tandem sibi tutum indicaretur iter.

Dia haec omnia secum coram Deo perpendit prudentissimus Pontifex, peritissimos quosque in consilium accivit, rerum momenta hinc inde attente pensitavit; ac tandem, « Apostolici muneris conscientia » monente (7), ne officium taciturnitate neglexisse videretur (8), universam Christi Ecclesiam atque adeo humanum genus universum pro divino magisterio sibi credito alloqui statuit.

Intonuit ergo die XV Maii anni MDCCCXCI vox illa diu expetita, eaque neque rei difficultate deterrita neque senio debilitata, sed experrecta virtute humanam familiam novas in re sociali docuit aggredi vias.

Summa Capita.

Nostis, Venerabiles Fratres dilectique Filii, et optime calletis mirabilem doctrinam, quae Litteras Encyclicas Rerum novarum ad temporum memoriam insignes fecit. In his optimus Pastor, tam magnam hominum partem dolens « in misera calamitosaque fortuna indigne versari, opificum causam, quos inhumanitati dominorum effrenataeque competitorum cupiditati solitarios atque indefensos tempus tradiderat » (9), magno animo per se ipse tuendam suscepit, nihil auxilii petens neque a liberalismo neque a socialismo, quorum alter ad causarli socialem legitime dirimendam prorsus impotentem sese probaverat, alter remedium proponens, quod malum ipsum longe superaret, humanam societatem in peiora pericula coniecisset.

Pontifex vero, iure suo plane usus atque probe tenens religionis custodiam dispensationemque earum rerum, quae cum illa arcto vinculo sociantur, sibi potissimum commissas fuisse, cum causa ageretur, « cuius exitus probabilis quidem nullus, nisi advocata religione Ecclesiaque », reperiretur (10), immutabilibus principiis ex rectae rationis ac divinae revelationis thesauro depromptis tantum innixus, « iura et officia, quibus locupletes et proletarios, eos qui rem et eos qui operam conferant, inter se oportet contineri » (11), atque etiam quid Ecclesia, quid rei publicae principes, quid ii ipsi quorum interest praestare debeant, confidenter et « sicut potestatem habens » (12) indicavit atque proclamavit.

Nec frustra intonuit Apostolica vox; quin immo, stupentes eam audivere, maximoque prosecuti sunt favore non modo oboedientes Ecclesiae fili, sed etiam complures a veritate aut ab unitate fidei longe aberrantes, et vix non omnes quotquot de re sociali et oeconomica sive privato studio sive legibus ferendis solliciti deinceps fuere.

Sed maxime laetabundi Litteras illas exceperunt christiani opifices, qui se a suprema in terris Auctoritate vindicatos et defensos senserunt, iique omnes generosi viri qui, de opificum levanda condicione iam diu solliciti, nihil fere adhuc invenerant nisi multorum incuriam atque ideo odiosas plurium suspiciones sin minus apertas hostilitates. Iure igitur hi omnes Apostolicas Litteras tantis deinceps honoribus semper honestarunt, ut passim soleant varia pro variis locis grati animi significatione illarum memoriam quotannis recolere.

In tanto animorum concentu non defuerunt tamen qui nonnihil commoverentur; quo factum est, ut tam nobilis et alta Leonis XIII doctrina mundanis auribus prorsus nova, a quibusdam vel inter catholicos in suspicionem vocaretur, quosdam vero etiam offenderet. Per eam enim liberalismi idola audacter impetita evertebantur, inveterata praeiudicia nihili fiebant, tempora praeter spem praevertebantur, ita ut et tardi corde novam hanc philosophiam socialem ediscere aspernarentur, et animo pavidi fastigium illud ascendere pertimescerent. Fuerunt etiam qui hanc lucem quidem admirarentur, sed fictam quandam perfectionis speciem optandam magis quam expectandam reputarent.

Scopus praesentium Litterarum.

Opportunum ergo ducimus, Venerabiles Fratres et dilecti Filii dum sollemnis commemoratio quadragesimi anniversarii Litterarum Rerum novarum tanto animi fervore ab omnibus ubique, maxime vero ab opificibus catholicis undique in hanc Almam Urbem confluentibus, celebratur, hac uti occasione ut, quae magna ex iis in Ecclesiam catholicam atque adeo in humanani societatem universam redundarunt bona recolamus; tanti Magistri doctrinam de re sociali et oeconomica, a dubitationibus quibusdam vindicatam, enucleatius quoad quaedam capita evolvamus; denique oeconomia hodierna in iudicium vocata et socialismi cognita causa, radicem praesentis socialis turbationis detegamus simulque unam salutiferae instaurationis viam ostendamus, christianam nempe morum reformationem. Haec omnia, quae tractanda suscipimus, tria constituent capita, in quibus exponendis praesentes hae Litterae totae versabuntur.

IQuae ex R. N. profluxerint beneficia.

Atque, ut ab eo initium capiamus, quod primo loco dicendum proposuimus, temperare Nobis non possumus quin, monitum secuti S. Ambrosii dicentis: « Nullum referenda gratia maius esse officium » (13), amplissimas Deo O. M. referamus grates ob ingentia quae ex Leonianis Litteris Ecclesiae et societati humanae beneficia obvenerunt. Quae quidem beneficia si vel cursim commemorare velimus, vix non solida horum quadraginta annorum historia, ad rem socialem quod attinet. esset in memoriam revocanda. Ea tamen ad tria potissimum capita commode redigi possunt, secundum tria auxiliorum genera, quae Decessor Noster ad magnum suum instaurationis opus perficiendum exoptabat.

1. - Quid egerit Ecclesia.

Et primum quidem, quid ab Ecclesia expectandum esset ipse Leo luculenter edixerat: « Videlicet Ecclesia est, quae promit ex Evangelio doctrinas quarum virtute aut plane componi certamen potest, aut certe fieri, detracta asperitate, mollius ; eademque est, quae non instruere mentem

tantummodo, sed regere vitam et mores singulorum praeceptis suis contenda ; quae statum ipsum proletariorum ad meliora promovet pluribus utilissime institutis » (14).

In re doctrinali.

Iamvero pretiosos hos latices Ecclesia inertes in sinu suo haerere nullatenus est passa, sed ad commune exoptatae pacis bonum copiose inde hausit. Quam enim doctrinam de re sociali et oeconomica Litterae Rerum novarum tradiderant, eam ipse Leo XIII eiusque Successores iterum iterumque qua voce qua scriptis proclamare et urgere ac rerum temporumque rationibus convenienter aptare pro re nata non destiterunt, paternam semper prae se ferentes caritatem et pastoralem constantiam, in pauperum maxime ac debilium defensione (15); nec aliter se gesserunt tot Sacrorum Antistites, qui eandem doctrinam assidue ac scite interpretati, commentationibus illustrarunt atque ad diversarum regionum condiciones secundum Sanctae Sedis mentem et institutiones accommodandam curarunt (16).

Nil igitur mirum quod, Ecclesia duce et magistra. complures docti viri, sive ecclesiastici sive laici, socialem et oecononomicam disciplinam secundum nostrae aetatis rationes evolvendam sint naviter aggressi, eo studio praecipue ducti, ut immutata prorsus atque immutabilis Ecclesiae doctrina novis necessitatibus efficacius occurreret.

Atque ita, Leonianis illis Litteris viam demonstrantibus et lumen afferentibus, vera quaedam disciplina socialis catholica exorta est, quam cotidie impigra opera fovent ac ditant lecti illi viri, quos Ecclesiae adiutores appellavimus. Qui quidem non in eruditis umbraculis delitescere sinunt, sed in solem atque pulverem eam producunt, quemadmodum scholae apprime utiles atque celebratae, in Catholicis Universitatibus, Academiis, Seminariis institutae; sociales conventus, seu « hebdomadae », saepius habiti laetisque cumulati fructibus, studiorum excitata coenacula; opportuna denique et sana scripta quaquaversus et quacumque ratione vulgata, luculenter ostendunt.

Neque his tantum limitibus utilitas circumscribitur, quae ex Leoniano documento promanavit; siquidem doctrina Litteris Rerum novarum tradita sensim sine sensu in eos quoque irrepsit, qui catholicae unitatis exsortes, Ecclesiae potestatem non agnoscunt; quo factum, ut catholica de re sociali principia paulatim in totius humanae societatis patrimonium transierint, aeternasque veritates quas cl. mem. Decessor Noster tam alte proclamarat, non modo in acatholicis quoque ephemeridibus et libris, verum etiam in legumlatorum curiis aut tribunalium rostris crebro adductas atque vindicatas gratulemur.

Quid vero, quod post immane bellum potiorum nationum rectores pacem, renovatis ex integro socialibus condicionibus, redintegrantes, inter statutas normas quae opificum laborem ad ius et aequum moderarentur, plurima sanxerunt quae cum Leonianis principiis et monitis tam mirifice congruunt, ut ex iis data opera deducta videantur Litterae nimirum Rerum novarum documentum exstiterunt memorandum, in easque iure converti possunt verba Isaiae: « Levabit signum in nationes ! » (17).

In doctrina applicanda.

Interea, dum scientificis investigationibus praeeuntibus, late in hominum mentes Leoniana praecepta diffunduntur, ad eorundem usum ventum est. Atque in primis actuosa cum benevolentia sedulae curae collatae sunt ad eorum hominum classem erigendam, quae ob recentiora artium incrementa in immensum quidem aucta, aequum in humana consortione locum seu gradum nondum obtinuerat, proptereaque neglecta paene et despecta iacebat :

opifices dicimus, quibus excolendis impigram statim ex utroque clero sacerdotes, quamvis aliis pastoralibus curis distenti, Episcopis praeeuntibus, manum admoverunt magno cum illarum animarum fructu. Qui quidem constans labor in opificum animos christiano spiritu imbuendos susceptus, plurimum quoque iuvit, ad eos de sua vera dignitate conscios efficiendos habilesque reddendos, qui iuribus et officiis suae classis clare propositis, legitime et prospere progrederentur atque adeo reliquorum duces fierent.

Exinde uberiora vitae adiumenta tutius sunt comparata; nam non modo beneficentiae et caritatis opera, secundum Pontificis hortationes, multiplicari sunt coepta; sed pra eterea ubique novae quoque et copiosiores in dies institutae consociationes, quibus Ecclesiae consilio ac plerumque Sacerdotum ductu, opifices, artifices, agricolae, mercenarii denique cuiusque generis mutuum auxilium mutuamque opem et praestant simul et accipiunt.

2. - Quid egerit potestas civilis.

Ad civilem vero potestatem quod attinet, Leo XIII, fines a liberalismo impositos audacter transiliens, intrepide docet eam non meram esse habendam iurium rectique ordinis custodem, sed potius omni ope ei enitendunl esse, ut « tota ratione legum atque institutorum... ex ipsa conformatione atque institutione rei publicae ultro prosperitas tam communitatis quam privatorum efflorescat » (18). Singulis sane cum civibus tum familiis iustam agendi libertatem permittendam; id tamen servato bono communi et remota cuiusquam iniuria. Rei publicae autem moderatorum esse communitatem eiusque partes tueri; sed in ipsis protegendis privatorum iuribus, praecipue infirmorum atque inopum rationem esse habendam. « Siquidem natio divitum, suis saepta praesidiis, minus eget tutela publica; iniserum vulgus. nullis opibus suis tutum, in patrocinio reipublicae maxime innititur. Quocirca mercenarios, cum in multitudine egena numerentur, debet cura providentiaque singulari complecti respublica » (19).

Non equidem negamus quosdam populorum moderatores iam ante Leonianas Litteras urgentioribus quibusdam opificum necessitatibus consuluisse atrocioresque iniurias contra eos illatas repressisse. Postquam vero a Petri Cathedra vox Apostolica in orbem universum personuit, gentium moderatores, tandem muneris plenius conscii, ad uberiorem politicam socialem promovendam animum cogitationemque adiecerunt.

Reapse Encyclicae Litterae Rerum novarum, labantibus liberalismi placitis. quae iam diu efficacem gubernantium operam impediebant, populos ipsos ad politicam quandam socialem verius impensiusque fovendam impulerunt, et optimos quosque catholicos viros ad utilem reipublicae rectoribus operam hac in re praestandam tantopere concitarunt, ut crebro novae huius politicae etiam in publicorum legatorum coetibus perillustres fautores exstiterint; quin et ipsae recens conditae sociales leges haud raro a sacris Ecclesiae ministris Leoniana doctrina penitus imbutis popularium oratorum suffragiis propositae sunt earumque exsecutio vehementer exacta ac promota.

Ex hoc autem continenti atque indefesso labore nova iuris disciplinae sectio superiori aetati prorsus ignota orta est, quae sacra opificum iura ab hominis christianique dignitate profluentia fortiter tuetur: animam, sanitatem, vires, familiam, domos, officinas, mercedem, laboris pericula, omnia demum quae ad mercenariorum condicionem pertinent, hae leges protegenda suscipiunt,.maxime quod ad mulieres puerosque attinet. Quod si huiusmodi statuta cum Leonianis monitis non ubique nec in omnibus examussim conveniunt, negari tamen nequit in iis multa deprehendi quae Litteras Rerum novarum redolent, quibus plurimum est referendum si opificum condicio in melius fuit mutata.

3. - Quid egerint ii quorum intererat.

Postremo providentissimus Pontifex ostendit dominos ipsosque opifices multa hac in causa posse, « iis videlicet institutis, quorum ope et opportune subveniatur indigentibus, et ordo alter propius accedat ad alterum » (20). Principem vero locum inter haec instituta tribuendum affirmat sodalitiis, quae sive solos opifices sive opifices simul et heros complecterentur; in quibus illustrandis et commendandis multus est, eorum natura, muti causa, opportunitate, iuribus, officiis, legibus mira prorsus sapientia declaratis.

Quae quidem documenta opportune prorsus edita sunt: ea quippe tempestate in nonnullis nationibus qui rei publicae gubernacula tractabant, liberalismo plane addicti, sodalitiis huiusmodi qui, operariorum parum favebant, immo aperte adversabantur; similesque aliarum hominum classium consociationes ultro agnoscentes patrocinioque sospitantes, nefaria iniuria nativum in societatem coeundi ius iis denegabant, quibus maxime opus erat, ut a potentiorum vexationibus sese defenderent; neque inter ipsos catholicos deerant, qui operariorum conatus ad huiusmodi sodalitia ineunda obliquis oculis aspicerent, ac si quendam socialisticum aut seditiosum spiritum saperent.

Sodalitia opificunt

Maxima igitur commendatione normae a Leone XIII pro sua auctoritate traditae dignae habentur, quae has oppositiones infringere et suspiciones disiicere potuerint; sed praestantiores quoque sunt factae, quod christianos opifices ad mutuas secundum varia artium genera consociationes instituendas hortatae sunt modumque id praestandi eos docuerunt, eorumque bene multos in officii via valde confirmarunt, quos socialistarum consociationes, seipsas ut unicum humilium ac oppressorum praesidium et vindices venditantes, vehementer alliciebant.

Peropportune autem declarabant Encyclicae Litterae Rerum novarum in condendis hisce consociationibus « ita constitui dissitaque gubernari opificum collegia oportere, ut instrumenta suppeditent aptissima maximeque expedita ad id, quod est propositum, quodque in eo consistit ut singuli e societate incrementum bonorum corporis, animi, rei familiaris, quoad potest, assequantur »; perspicuum vero esse, « ad perfectionem pietatis et morum tanquam ad causam praecipuam spectari oportere: eaque potissimum causa disciplinam socialem penitus dirigendam » (21). Etenim « socialium legum posito in religione fundamento, pronum est iter ad stabilienda sociorum rationes mutuas, ut convictus quietus ac res florentes consequantur » (22).

His autem sodalitiis instituendis laudabili sane sedulitate sese devoverunt ubique cum clerus tum laici complures, integrum Leonis XIII propositum exsequi revera cupientes. Atque ita huiusmodi consociationes finxerunt opifices vere christianos, qui, diligens suae artis exercitium cum salutaribus religionis praeceptis amice sociantes, propria temporalia negotia ac iura efficaciter ac firmiter defenderent, servato debito iustitiae obsequio et sincero cum aliis societatis classibus collaborandi studio, ad christianam totius vitae socialis renovationem.

Quae Leonis XIII consilia ac monita alii aliter secundum varias locorum rationes ad effectum adduxerunt. Etenim in quibusdam regionibus una eademque consociatio omnes a Pontifice praestitutos fines persequendos suscepit; in aliis vero, rerum adiunctis id suadentibus vel postulantibus, ad quandam operae divisionem deventum est, distinctaeque sunt conditae consociationes, quarum aliae ad sodalium iura atque legitima commoda in operae mercatu defendenda incumberent, aliae mutuum in rebus oeconomicis adiutorium praestandum curarent. aliae denique religiosis ac moralibus officiis aliisque id genus muneribus adimplendis omnem operam conferrent suam.

Altera haec via ibi potissimum inita est, ubi sive patriae leges, sive certa quaedam oeconomica instituta, sive lugenda illa in hodierna societate tam late patens animorum et cordium dissensio atque urgens contra conferta novarum rerum molitorum agmina studiis viribusque coniunctis resistendi necessitas, impedimento erat, quominus catholici catholicos syndicatus condere possent. In ea enim rerum condicione vix non cogi videntur syndicatibus neutris se adscribere, qui tamen semper iustitiam et aequitatem profiteantur et sociis catholicis plenam suae conscientiae providendi atque Ecclesiae mandatis obtemperandi libertatem faciant. Episcoporum sane est, ubi has consociationes ex rerum adiunctis necessarias neque religioni periculosas noverint, approbare ut eis adhaereant catholici opifices, habitis tamen prae oculis principiis et cautionibus, quas sanctae memoriae Decessor Noster Pius X commendabat (23); quarum quidem cautionum prima et praecipua haec est, ut simul cum illis syndicatibus semper adsint sodalitia, quae religionis ac morum disciplina socios imbuere et formare studiose satagant, ut hi deinde syndicales consortiones eo bono spiritu permeare valeant, quo in tota sua agendi ratione dirigi debent; quo fiet ut sodalitia haec etiam altra suorum asseclarum ambitum fructus conferant optimos.

Itaque, Leonianis Litteris id acceptum referendum est, quod hae opificum consociationes ubique ita effloruerint, ut iam nunc, quamquam socialistarum et communistarum sodalitiis adhuc — proh dolor — superantur numero, permagnam cogant opificum multitudinem, et valide possint tam intra cuiusque nationis fines quam in conventibus amplioribus iura et legitima catholicorum opificum postulata vindicare atque adeo salutifera christiana de societate principia urgere.

Sodalitia in aliis classibus

Accedit praeterea quod, quae de nativo sese consociandi iure Leo XIII tam scite disseruit ac valide propugnavit, ea ad alia quoque, eaque non tantum operariorum, sodalitia facile applicari coepta sunt; quare, iisdem Leonianis Litteris haud exigua ex parte tribuendum videtur, quod etiam inter agricolas aliosque mediae condicionis homines tantopere florere et augeri in dies cernuntur utilissimae huiusmodi consociationes, aliaque id genus instituta, quibus cum oeconomico emolumento animorum cultus feliciter copulatur.

Sodalitia herorum

Quod si idem affirmari nequit de sodalitiis, quae inter operum conductores et industriae rectores ab eodem Decessore Nostro vehementer instituenda exoptabantur, quaeque profecto sat pauca esse dolemus, id non penitus hominum voluntati tribuendum est, sed difficultatibus longe gravioribus quae huiusmodi sodalitiis obsistunt, quasque Nos optime scimus et debita ratione pensamus. Firma autem affulget spes brevi fore ut haec quoque impedimenta dirimantur, atque intimo animi Nostri gaudio iam nunc salutamus quaedam nec inania hac in re tentamina, quorum uberes fructus uberiores in futurum colligendos promittunt (24).

Conclusio: R. N. Magna socialis ordinis Charta.

Haec autem omnia, Venerabiles Fratres dilectique Filii, Leonianarum Litterarum beneficia, quae delibando potius quam describendo commemoravimus, tot tantaque sunt, ut plane ostendant immortali illo documento non commenticiam utut pulcherrimam humanae societatis speciem exhiberi; at potius Decessorem Nostrum ex Evangelio, ideoque ex fonte semper vivo et vitali, hausisse doctrinas, quae exitiale illud et intestinum humanam familiam dilacerans certamen, sin minus statim componere, valde tamen mitigare queat. Huius vero boni seminis, ante quadraginta annos tam copiose sati, partem in terram bonam cecidisse laetae testantur fruges, quae Christi Ecclesia atque humanum genus universum, Deo favente, inde collega ad salutem.

Nec temere dici potest Leonianas Litteras, longinqui temporis usu, Magnam Chartam sese probasse, in qua tota christiana in re sociali activitas tanquam fundamento nitatur oporteat. Qui autem easdem Pontificias Litteras earumque commemorationem parvipendere videntur, ii vel quod ignorant blasphemant, vel de iis, quae utcumque norunt, nihil intellegunt, vel, si intellegunt, iniuriae et ingratitudinis sollemniter redarguuntur.

Verum, cum, hoc eodem annorum fluxu, et dubia quaedam, de nonnullis Leonianarum Litterarum partibus recte interpretandis aut de consectariis inde deducendis prodierint, quae inter ipsos catholicos non semper quietis controversiis ansam dederunt; et ex altera parte novae nostrae aetatis necessitates mutataeque rerum condiciones accuratiorem Leonianae doctrinae applicationem vel etiam additamenta quaedam necessaria reddiderint, opportunam perlibenter arripimus occasionem, his dubiis hisque hodiernae aetatis postulationibus pro munere Nostro Apostolico, quo omnibus debitores sumus (25), quantum in Nobis est, faciendi satis.

II

11. - Ecclesiae auctoritas in re sociali et oeconomica.

Sed ante quam ad haec explananda accedamus, illud praestituendum est, quod iampridem Leo XIII luculenter confirmavit, ius officiumque Nobis inesse de rebus istis socialibus et oeconomicis suprema auctoritate iudicandi (26). Profecto Ecclesiae non haec fuit demandata provincia, homines ad fluxam solum et caducam felicitatem dirigendi, sed ad aeternam; immo « terrenis hisce negotiis sine ratione se immiscere nefas putat Ecclesia » (27). Ast renuntiare nullatenus potest muneri sibi a Deo concredito, ut auctoritatem interponat suam non iis quidem, quae artis sunt, ad quae neque mediis aptis est instructa nec officio praedita sed in iis omnibus quae ad regulam morum referuntur. Quantum enim ad haec attinet, depositum veritatis Nobis a Deo commissum gravissimumque munus legis moralis universae divulgandae, interpretandae atque etiam opportune importune urgendae, supremo Nostro iudicio cum socialium ordinem rerum, tum res ipsas oeconomicas subiicit et subdit.

Nam, etsi oeconomica res et moralis disciplina in suo quaeque ambitu suis utuntur principiis, error tamen est oeconomicum ordinem et moralem ita dissitos ac inter se alienos dicere, ut ex hoc ille nulla ratione pendeat. Sane oeconomicae quae dicuntur leges, ex ipsis rerum naturis et humani corporis animique indole profectae, statuunt quidem quosnam fines hominis efficientia non possit, quosnam possit quibusque adhibitis mediis in campo oeconomico persequi; ipsa vero ratio ex rerum et hominis individua socialique natura finem rei oeconomicae universae a Deo Creatore praescriptum aperte manifestat.

Una autem est lex moralis, qua iubemur, quemadmodum in omni nostra agendi ratione finem nostrum supremum et ultimum, ita in singulis quoque generibus eos fines recta quaerere, quos a natura seu potius ab auctore naturae Deo huic rerum agendarum ordini propositos esse intelligimus, ordinataque colligatione hos illi substernere. Cui legi si fideliter obtemperabimus, fiet ut peculiares fines, cum individuales tum sociales, in re oeconomica quaesiti, in universum finium ordinem apte inserantur nosque per eos, quasi per gradus, ascendentes finem omnium rerum ultimum assequamur, Deum scilicet, Sibi et nobis summum et inexhaustum bonum.

1. - De dominio seu iure proprietatis.

Iam ut ad singula descendamus, initium facimus a dominio seu iure proprietatis. Nostis, Venerabiles Fratres dilectique Filii, felicis recordationis Praedecessorem Nostrum contra socialistarum suae aetatis placita fortiter ius proprietatis defendisse, cum ostenderet privati

dominii eversionem non in commodum sed in extremam opificum classis perniciem esse cessuram. Cum vero sint qui Summum Pontificem atque ipsam Ecclesiam, quasi locupletium partes contra proletarios egisset et adhuc agat, calumnientur, quo nihil sane est iniuriosius, dissideantque catholici inter se de vera germanaque Leonis sententia, visum est eam, id est catholicam de hac re doctrinam, et a calumniis vindicare et a falsis interpretationibus tueri.

Indoles et individualis et socialis.

Primo igitur pro comperto et explorato habeatur neque Leonem neque eos qui, Ecclesia duce et magistra, docuere theologos, negasse unquam vel in dubium vocasse duplicem dominii rationem, quam individualem vocant et socialem, prout singulos respicit vel ad bonum spectat commune; sed semper uno ore affirmasse a natura seu a Creatore ipso ius dominii privati hominibus esse tributum, cum ut sibi familiaeque singuli providere possint, tum ut, huius instituti ope, bona, quae Creator universae hominum familiae destinavit, huic fini vere inserviant, quae omnia obtineri nullo modo possuut nisi certo et determinato ordine servato.

Itaque duplex in quem impingi potest scopulus naviter cavendus est. Nam, sicut ex negata vel extenuata iuris proprietatis indole sociali et publica, in « individualismum » quem dicunt ruitur aut ad eum acceditur; ita privata ac individuali eiusdem iuris indole repulsa vel attenuata, in « collectivismum » properetur vel saltem eiusdem placita attingantur necesse est. Nisi haec prae oculis habeantur, prono itinere in modernismi moralis, iuridici ac socialis syrtes abrumpendum est, quas Litteris initio Pontificatus Nostri datis (28) denuntiavimus; idque potissimum noverint ii, qui novis rebus studentes, probrosis calumniis Ecclesiam criminari non verentur. quasi permiserit in theologorum doctrinam dominii conceptum ethnicum irrepere, cui alius sit prorsus sufficiendus, quem mira inscitia « christianum » appellant.

Obligationes dominio inaherentes.

Ut autem controversiis, quae de dominio officiisque eidem inhaerentibus agitari coeperunt, certos limites ponamus, fundamenti instar praemittendum est, quod Leo XIII constituit, ius nempe proprietatis ab eius usu distingui (29). Etenim possessionum divisionem sancte servare neque, proprii dominii limites excedendo, alienum ius invadere iustitia illa iubet, quae commutativa audit; dominos autem re sua non uti nisi poneste, non huius est iustitiae, sed aliarum virtutum, quarum officia « lege agendo petere ius non est » (30). Quare immerito pronuntiant quidam dominium honestumque eius usum iisdem contineri limitibus; multoque magis a veritate abhorret, ipso abusu vel nonusu ius proprietatis perimi aut amitti.

Quapropter, ut salutare et omni laude dignum opus agunt quicumque, salva animorum concordia et doctrinae integritate, quam semper tradidit Ecclesia, intimam horum officiorum naturam atque limites definire conantur, quibus vel ipsum ius proprietatis vel usus seu exercitium dominiorum sint a socialis convictus necessitatibus circumscripta; sic contra falluntur et errant, qui indolem dominii individualem adeo extenuare contendunt, ut eam de facto destruant.

Quid res publica possit.

Re vera hominibus hac in re non solum sui proprii commodi, sed etiam communis boni esse rationem habendam, ex ipsa dominii quam diximus indole individuali simul et sociali deducitur. Officia vero haec singillatim definire, ubi id necessitas postulaverit neque ipsa lex naturalis praestiterit, eorum est qui rei publicae praesunt. Quapropter quid, considerata boni communis vera necessitate, eis qui possident liceat, quid illicitum sit in suorum bonorum usu, publica auctoritas, lege naturali et divina semper praelucente, sciscere potest accuratius. Immo vero Leo

XIII sapienter docuerat « industriae hominum institutisque populorum esse a Deo permissam privatarum possessionum descriptionem » (31). Etenim, ut cetera socialis vitae elementa, ita dominium non esse plane immobile historia teste comprobari, Nos ipsi aliquando hisce verbis declaravimus: « Quam diversas formas induit proprietas a primaeva illa, rudium et agrestium gentium, quam etiam nostro tempore alicubi est cernere, ad possessionis formam aevi patriarchalis, atque ita deinceps ad varias tyrannicas (quod vocabulum vi sua classica adhibemus), deinde per feudales, per monarchicas usque ad varias a etatis recentioris species » (32). Reipublicae tamen suo munere pro arbitrio fungi non licere in aperto est. Semper enim ipsum naturale ius et possidendi privatim et hereditate transmittendi bona intactum inviolatumque maneat oportet, quippe quod respublica auferre nequeat; « est enim homo quam res publica senior » (33), atque etiam « convictus domesticus et cogitatione et re prior quam civilis coniunctio » (34). Unde iam sapientissimus Pontifex edixerat nefas esse reipublicae privatos census immanitate tributorum et vectigalium exhaurire. « Ius enim possidendi privatim bona cum non sit lege hominum sed natura datum, non ipsum abolere, sed tantummodo ipsius usum temperare et cum communi bono componere auctoritas publica potest » (35). Cum vero res publica dominia cum boni communis necessitatibus componit, non heris privatis inimicam sed amicam operam praestat; etenim hac ratione valide obstat, quominus privata bonorum possessio, quam ad vitae humanae subsidium providentissimus naturae Auctor decrevit, intolerabilia gignat incommoda, atque ita in exitium ruat: neque possessiones privatas elidit, sed tuetur; privataque dominia non debilitat, sed roborat.

Obligationes circa reditus liberos.

Neque omnimodo hominis arbitrio reditus eius liberi relinquuntur; ii scilicet quibus ad vitam convenienter atque decore sustentandam non eget: quin immo gravissimo divites teneri praecepto eleemosynae, beneficentiae, magnificentiae exercendae, Sacra Scriptura Sanctique Ecclesiae Patres apertissimis verbis assidue denuntiant.

Largiores autem impendere proventus, ut quaestuosae operae commoditas abunde fiat, modo ea opera ad bona vere utilia comparanda insumatur, illustre ac temporum necessitatibus apprime aptum opus virtutis magnificentiae esse censendum, ex Angelici Doctoris principiis argumentando colligimus (36).

Tituli dominii acquirendi.

Acquiri autem dominium primitus et occupatione rei nullius et industria seu specificatione quam vocant, cum omnium temporum traditio, tum Leonis Decessoris Nostri doctrina luculenter testantur. Neque enim ulla fit cuiquam iniuria, quidquid in contrarium nonnulli effutiunt, cum res in medio posita, seu quae nullius sit, occupatur; industria vero quae ab homine proprio nomine exerceatur, cuiusque ope nova species aut augmentum rei accesserit, ea una est quae hos fructus laboranti addicit.

2. - Res (« capitale ») et opera.

Longe alia est ratio operae, quae aliis locata in re aliena exercetur. Cui quidem id maxime congruit, quod « verissimum » esse Leo XIII inquit, « non aliunde nisi ex opificum labore gigni divitias civitatum » (37). Nonne enim oculis cernimus ingentia illa borsa, quibus hominum opes constant, procreari et prodire ex operariorum manibus, quae vel solae operantur, vel instrumentis sive machinis instructae efficientiam suam mirum in modum producunt ? Immo vero nemo est qui ignoret nullum umquam populum ex inopia et egestate meliorem celsioremque fortunam attigisse, nisi ingenti collato labore omnium popularium — et eorum qui opera dirigunt

et eorum qui iussa exsequuntur. Sed non minus patet summos illos conatus irritos futuros fuisse vanosque, immo vero ne tentari quidem potuisse, nisi Creator omnium Deus pro sua bonitate divitias et supellectilem naturalem, opes ac vires naturae, prius fuisset largitus. Quid enim aliud est operari quam animorum corporumque vires in his ipsis aut per haec ipsa adhibere vel exercere? Postulat autem lex naturae seu Dei voluntas per eam promulgata, ut rectus ordo servetur in naturali supellectili humanis usibus applicanda; hic autem ordo in eo stat, ut suum quaeque res habeat dominum. Hinc fit, ut nisi quis in re sua laborem exerceat, cum opera alterius tum res alterius consociari debeant: neutra enim sine altera quidquam efficit. Quod sane respexit Leo XIII scribens:

Neutra sine altera altera quidquam efficit.

« Non res sine opera nec sine re potest opera consistere » (38). Quocirca falsum prorsus est sive uni rei sive uni operae quidquid ex earundem collata efficientia obtentum est, adscribere; iniustumque omnino, alterutrum, alterius efficacitate negata, quidquid effectum est sibi arrogare.

Iniustae vindicationes « capitalis ».

Diu profecto res seu « capitale » praeripere sibi nimium potuit. Quaecumque procreata erant, quicumque redibant fructus, capitale sibi vindicabat, vix operario relictis, quae viribus reficiendis atque recreandis sufficerent. Nam lege quadam oeconomica plane invincibili coacervationem omnum capitalis fortunatis cedere, eademque lege operarios perpetuae inopiae seu tenuissimae vitae addictos et obstrictos praedicabant. Verum quidem est cum eiusmodi placito liberalium, qui a Manchester vulgo dicuntur, actionem rerum non semper et ubique consensisse: negari tamen nequit ad id constanti conatu instituta oeconomico—socialia inclinasse. Has falsas sententias, haec fallacia postulata vehementer impugnata fuisse, nec ab eis solum, qui per ea nativo iure melioris adipiscendae fortunae privabantur, profecto nemo mirabitur.

Iniustae vindicationes operae.

Ideo operariis lacessitis accessere, qui « intellectuales » appellati sunt, commentitiae legi morale principium aeque commentitium opponentes : quaecumque scilicet aut progignuntur aut redeunt, iis tantum demptis, quae capitali reficiendo et recreando sint satis, ea omnia iure ipso opificibus cedere. Qui error, quo fucatior quam socialistarum quorundam affirmantium quaecumque bonis conficiendis inserviunt, ea in reni publicam transferenda seu, ut aiunt, « socializanda » esse, eo periculosior est et ad incautos fallendos aptior: blandum venenum, quod multi avide hausere, quos apertus socialismus decipere non potuerat.

Principium directivum iustae attributionis.

Dubio procul, ne falsis hisce placitis aditum ad iustitiam et ad pacem sibi intercluderent, utrique praemoneri debuerunt Decessoris Nostri sapientissimis verbis: « Utcumque inter privatos distributa, inservire omnium utilitati terra non cessat » (39). Idem et Nos ipsi docuimus paulo ante, cum ediximus, ut eam utilitatem res creatae certo firmoque ordine parere possint hominibus, bonorum partitionem, quae per dominia privata fiat, ab ipsa natura esse stabilitam. Id quod, ne a recto veritatis tramite aberretur, continenter prae oculis habeatur oportet.

Iam vero non omnis rerum opumve distributio inter homines apta est, per quam finis a Deo intentus aut omnino aut ea qua par est perfectione obtineatur. Quamobrem divitiae, quae per

incrementa oeconomico-socialia iugiter amplificantur, singulis personis et hominum classibus ita attribuantur oportet, ut salva sit illa, quam Leo XIII laudat communis omnium utilitas seu, aliis verbis, ut immune servetur societatis universae commune bonum. Hac iustitiae socialis lege, altera classis alteram ab emolumentorum participatione excludere vetatur. Non minus igitur illam violat locupletium classis, cum veluti curarum expers in suis fortunis aequum rerum ordinem illum putat, quo sibi totum, operario nihil obveniat; quam proletaria classis, cum propter laesam iustitiam vehementer incensa et in unum suum ius, cuius est conscia, male vindicandum nimis prona, omnia utpote suis manibus effecta sibi flagitat, ideoque dominium ac reditus seu proventus, qui labore non sint quaesiti, cuiuscumque generis ii sunt, aut cuiuscumque muneris in humano convictu vicem praestant, non aliam ob causam, nisi quia talia sunt, impugnat et abolere contendit. Nec praetereundum est hac in re inepte aeque ac immerito a quibusdam Apostolum appellari dicentem : « Si quis non vult operari, nec manducet » (40); sententiam enim Apostolus fert in eos, qui ab opere abstinent, etsi laborare possunt et debent, monetque, tempore ac viribus sive corporis sive animi sedulo utendum neque alios gravandos, cum ipsi nobis providere possimus. Laborem autem unicum esse titulum recipiendi victum aut proventus haudquaquam Apostolus docet (41).

Sua igitur cuique pars bonorum attribuenda est: efficiendumque, ut ad boni communis seu socialis iustitiae normas revocetur et conformetur partitio bonorum creatorum, quam hodie ob ingens discrimen inter paucos praedivites et innumeros rerum inopes gravissimo laborare incommodo cordatus quisque novit.

3. - Redemptio proletariorum.

Est autem hic ille, quem Decessor Noster necessario quaerendum finem edixit: redemptionem proletariorum. Idque ideo asserendum pressius et repetendum instantius, quod non raro tam salutaria Pontificis iussa oblivioni data fuerunt, sive quod de industria silentio premebantur, sive quia factu nefas putabantur, cum tamen fieri et possint et debeant. Neque, quia minus late grassetur « pauperismus » ille, quem Leo XIII tam horrendum conspiciebat, pro nostra hac aetate vim et sapientiam amisere suam. In melius sane restituta est atque aequior facta operariorum condicio, praesertim in cultioribus et amplioribus civitatibus, in quibus opifices iam non possunt omnes ad unum pro miseria afflictis et inopia vitae laborantibus haberi. Sed postquam artes mechanicae humanaeque industriae quam celerrime innumeras regiones, cum novas quas vocamus terras, tum ab antiquo exculta Orientis remoti regna pervasere et occupavere, in immensum excrevit proletariorum inopum numerus, quorum gemitus clamant ad Deum de terra: hisque accedit ingens ruralium mercenariorum exercitus ad infimam vitae condicionem depressus omnique spe destitutus « quippiam quod solo contineatur » (42) umquam obtinendi; proindeque, nisi consentanea atque efficacia remedia adhibeantur, proletariae condicioni perpetuo obnoxius.

At licet verissimum sit proletariam condicionem a pauperismo esse probe discernendam, ipsa tamen immanis multitudo proletariorum ex altera parte, ex altera vero quorundam praedivitum ingentissimae opes argumento sunt omni exceptione maiori, divitias hac nostra, quam vocant « industrialismi », aetate tam copiose partas, haud recte esse distributas diversisque hominum classibus haud aeque applicatas.

Proletaria conditio superanda eo, quod ad rem familiarem proletarii perveniant.

Quare omni vi ac contentione enitendum est, ut saltem in posterum partae rerum copiae acqua proportione coacerventur apud eos, qui opibus valent, satisque ample profundantur in eos, qui operam conferunt, non ut in labore remissi fiant, — natus est enim homo ad laborem sicut avis

ad volatum, — sed ut rem familiarem parsimonia augeant; auctam sapienter administrando facilius ac securius familiae onera sustineant; atque emersi ex incerta vitae sorte, cuius varietate iactantur proletarii, non solum vicissitudinibus vitae perferendis sint pares, sed etiam post huius vitae exitum iis, quos post se relinquunt, quodammodo provisum fore confidant.

Haec omnia a Decessore Nostro non solum insinuata, sed clare et aperte proclamata, hisce Nostris Litteris etiam atque etiam inculcamus; quae nisi pro virili ac nulla interposita mora suscipiantur ad effectum deducenda, ordinem publicum, pacem et tranquillitatem societatis humanae contra novarum rerum concitatores efficaciter defendi posse nemo sibi persuadeat.

I. - Iustum salarium.

Deduci autem ad effectum non poterunt, nisi sollertia et parsimonia ad modicum aliquem censum proletarii provehantur, quemadmodum iam, Decessoris Nostri vestigiis insistentes, innuimus. Unde vero nisi ex operae mercede poterit, parce vivendo, quidquam sibi seponere, qui nihil aliud habeat nisi operam, qua sibi victum et vitae necessaria comparet? Hanc igitur de salario, quam Leo XIII « sat magni momenti » (43) dixit, quaestionem ineamus, illius doctrinam et praecepta, ubi opus fuerit, declarando et evolvendo.

Salariatus non vi sua iniustus.

Ac primum quidem, qui operae conducendae locandaeque contractum, vi sua iniustum ac proinde in eius locum societatis contractum sufficiendum esse pronuntiant, absona profecto dicunt et prave calumniantur Decessorem Nostrum. cuius Litterae Encyclicae « salariatum » non solum recipiunt, sed in eo ad normas iustitiae regendo diutius versantur.

Hodiernis tamen humanae consortionis condicionibus consultius fore reputamus si, quoad eius fieri possit, contractus operae per societatis contractum aliquantum temperetur, quemadmodum diversis modis fieri iam coepit, haud exiguo operariorum et possessorum emolumento. Ita operarii officialesque consortes fiunt dominii vel curationis, aut de lucris perceptis aliqua ratione participant.

Mercedis vero iustam portionem non ex uno, sed ex pluribus nominibus esse aestimandam iam sapienter Leo XIII edixerat illis verbis: « Ut mercedis statuatur ex aequitate modus, causae sunt considerandae plures ». (44).

Qua sententia plane refellit levitatem eorum, qui facili negotio, unica regula seu mensura adhibita, eaque a vero longe aliena, gravissimam hanc rem expediri arbitrantur.

Namque egregie falluntur, qui illud principium vulgare non dubitant, tanti operam valere et tantidem esse remunerandam, quanti fructus aestimantur ex ea parti, ideoque ius inesse operam locanti totum id reposcendi, quod ex eius labore sit effectum; quod quantum a veritate absit, vel ex his patet, quae de re et opera agentes exposuimus.

Operae indoles et individualis et socialis.

Iam vero, sicut dominii, ita operae, eius praecipue quae alteri locatur, praeter personalem seu individualem, socialem quoque rationem esse considerandam liquido deprehenditur: nisi enim

corpus vere sociale et organicum constet, nisi socialis et iuridicus ordo operae exercitium tueatur, nisi variae artes, quarum aliae ab aliis dependent, inter se conspirent ac mutuo compleant, nisi, quod maius est, consocientur ac quasi in unum conveniant intellectus, res, opera, nequit fructus suos gignere efficientia hominum. Haec ergo nec iuste aestimari neque ad aequalitatem rependi poterit, eius natura sociali et individuali posthabita.

Tria capita respicienda:

Ex hac autem duplici nota, quae operae humanae insita natura est, gravissima emanant consectaria, quibus salarium regi et determinari debet.

a) Operariieiusque familiae sustentatio.

Ac primum quidem merces operario suppeditanda est, quae ad illius eiusque familiae sustentationem par sit (45). Aequum sane est reliquam quoque familiam pro viribus suis ad communem omnium sustentationem conferre, ut videre est in agricolarum praesertim, sed etiam in multis artificum et minorum mercatorum fuerit familiis ; ast nefas est infantili aetate feminaeque debilitate abuti. Domi potissimum vel in iis, quae domui adiacent, matresfamilias operam navent suam, in domesticas curas incombendo. Pessimus vero est abusus et omni conatu auferendus, quod matresfamilias ob patris salarii tenuitatem extra domesticos parietes quaestuosam artem exercere coguntur, curis officiisque peculiaribus ac praesertim infantium institutione neglectis. Omni igitur ope enitendum est, ut mercedem patresfamilias percipiant sat amplam, quae communibus domesticis necessitatibus convenienter subveniat. Quod si in praesentibus rerum adiunctis non semper id praestari poterit, postulat iustitia socialis, ut eae mutationes quamprimum inducantur, quibus cuivis adulto operario eiusmodi salaria firmentur. — Non abs re erit hic merita laude prosegui eos omnes, qui sapientissimo utilissimoque consilio varias experti sunt atque tentaverunt vias, quibus merces laboris ita oneribus familiae accommodetur, ut his auctis, amplior illo numeretur; immo, si id obtingat, extraordinariis necessitatibus fiat satis.

b) Officinae condicio.

Officinae etiam eiusque susceptoris ratio habenda est in mercedis magnitudine statuenda; iniuste enim immodica salaria exquirerentur, quae absque sui exitio atque ex eo consecutura operariorum calamitate, officina tolerare non potest. Quamquam si ob segnitiem vel ignaviam, aut technici et oeconomici progressus incuriam minus lucrum facit, non haec iusta reputanda est causa mercedis operariis minuendae. Quod si ipsi officinae non tanta vis pecuniae redit, quanta aequae mercedi operariis solvendae sit satis, quia aut oneribus iniustis opprimitur aut opus artificio partum minoris quam iustum est cogitur vendere, qui eam sic vexant, gravis piaculi rei sunt; iusta enim mercede hi privant operarios, qui necessitate adstricti, aequa minorem accipere compelluntur.

Coniunctis igitur viribus et consiliis enitantur omnes, et opifices et moderatore, rerum difficultates et obstacula superare, eisque in tam salutifero opere auctoritatis publicae sapiens opituletur providentia. Si vero res ad summas angustias deducta fuerit, tunc demum deliberandum erit, utrum officina in incepto perstare possit an alia aliqua ratione operariis sit consulendum. Quo in negotio, sane gravissimo, necessitudo quaedam et christiana animorum concordia inter moderatores et operarios vigeat atque efficaciter operetur oportet.

c) Communis boni necessitas.

Denique publico bono oeconomico mercedis magnitudo attemperanda est. Quantopere ad hoc commune bonum conferat, operarios officialesque, mercedis aliqua parte, quae necessariis sumptibus supersit, seposita. ad modicum censum paulatim pervenire, superius iam exposuimus; sed aliud praetereundum non est vix minoris momenti, nostrisque temporibus apprime necessarium. ut iis nempe, qui laborare et valent et volunt, laborandi opportunitas praebeatur. Hoc autem a salarii determinatione haud parum pendet; quae, sicut iuvare, ubi rectis finibus contineatur, vicissim, si hos excedat, obsistere potest. Quis enim nesciat salaria nimis extenuata vel praeter modum aucta, in causa fuisse, cur operarii ab opera locanda arcerentur? Quod quidem incommodum, cum praesertim Pontificatus Nostri temporibus productum videamus plurimosque vexaverit, operarios in miseriam et tentationes coniecit, prosperitatem civitatum pessum dedit, ac publicum ordinem, pacem et tranquillitatem totius orbis terrarum in discrimen adduxit. Alienum est igitur a iustitia sociali, ut proprii emolumenti gratia et posthabita boni communis ratione opificum salaria nimis deprimantur aut extollantur: eademque postulat, ut consiliorum et voluntatum consensione, quantum fieri potest, salaria ita regantur, ut quam plurimi operam locare convenientesque fructus ad vitae sustentationem percipere possint.

Apposite etiam ad rem facit recta inter salaria proportio: quacum arcte cohaeret recta proportio pretiorum, quibus illa veneunt, quae a diversis artibus progignuntur, qualia habentur agricultura, ars industrialis, alia. Haec omnia si congruenter serventur, diversae artes in unum veluti corpus coagmentabuntur et coalescent, membrorumque instar, mutuam sibi opem perfectionemque afferent. Etenim tum demum res oeconomico-socialis et vere constabit et suos fines obtinebit, si omnibus et singulis bona omnia suppeditata fuerint, quae opibus et subsidiis naturae, arte technica, sociali rei oeconomicae constitutione praestari possunt; quae quidem bona tot esse debent, quot necessaria sunt et ad necessitatibus honestisque commodis satisfaciendum, et ad homines provehendos ad feliciorem illum vitae cultum, qui, modo prudenter res geratur, virtuti non solum non obest, sed magnopere prodest (46).

5. - Societatis ordo instaurandus

Quae de partitione acqua bonorum et de iustis salariis hucusque enuntiavimus, singulares personas respiciunt nec nisi oblique socialem ordinem attingunt, in quem ad sanae philosophiae

principia instaurandum atque ad Evangelicae legis altissima praecepta perficiendum, Decessor Noster Leo XIII omnem curam cogitationemque contulit suam.

Attamen ut eius feliciter incepta stabiliantur, perficianturque reliqua, atque uberiora adhuc et laetiora in humanam familiam redundent emolumenta, duo necessaria maxime sunt: institutionum reformatio atque emendatio morum.

Ac reformationem quidem institutionum cum commemoramus, res publica praecipue menti obversatur, non quasi ab eius opera universa sales sit exspectanda, sed quia ob « individualismi » quem diximus vitium eo res sunt redactae, ut prostrata ac paene exstincta locuplete illa et quondam per diversi generis consociationes composite evoluta vita sociali, fere soli remanserint singulares homines et res publica, haud parvo ipsius rei publicae detrimento, quae, amissa forma regiminis socialis susceptisque oneribus omnibus, quae deletae illae consociationes antea perferebant, negotiis et officiis propemodum infinitis obruta est atque oppressa.

Nam etsi verum est, idque historia luculenter ostendit, ob mutatas rerum condiciones multa nunc non nisi a magnis consociationibus posse praestari, quae superiore aetate a parvis etiam praebebantur, fixum tamen immotumque manet in philosophia sociali gravissimum illud principium quod neque moveri neque mutari potest : sicut quae a singularibus hominibus proprio marte et propria industria possunt perfici, nefas est eisdem eripere et communitati demandare, ita quae a minoribus et inferioribus communitatibus effici praestarique possunt, ea ad maiorem et altiorem societatem avocare iniuria est simulque grave damnum ac recti ordinis perturbatio ; cum socialis quaevis opera vi naturaque sua subsidium afferre membris corporis socialis debeat, numquam vero eadem destruere et absorbere.

Minoris igitur momenti negotia et curas, quibus alioquin maxime distineretur, inferioribus coetibus expedienda permittat suprema rei publicae auctoritas oportet; quo fiet, ut liberius, fortius et efficacius ea omnia exsequatur, quae ad ipsam solam spectant, utpote quae sola ipsa praestare possit: dirigendo, vigilando, urgendo, coercendo, prout casus fert et necessitas postulat. Quare sibi animo persuasum habeant, qui rerum potiuntur: quo perfectius, servato hoc « subsidiarii » officii principio, hierarchicus inter diversas consociationes ordo viguerit, eo praestantiorem fore socialem et auctoritatem et efficientiam, eoque feliciorem laetioremque rei publicae statum.

«Ordinum» mutua conspiratio.

Id autem in primis spectare, in id intendere et res publica et optimus quisque civis debent, ut « classium » oppositarum disceptatione superata, concors « ordinum » conspiratio excitetur et provehatur.

In reficiendos igitur « ordines » ars politica socialis incumbat necesse est. Reapse violenta adhuc perseverat et hac de causa instabilis ac nutans humanae societatis condicio, quippe quae « classibus » innitatur diversa appetentibus et ideo oppositis, proptereaque ad inimicitias dimicationesque pronis.

Etenim, quamquam opera, ut luculenter explanat Decessor Noster in suis Litteris (47), non est vilis merx, sed operarii dignitas humana in ea agnoscatur oportet, ac proinde nequit mercis cuiuslibet instar emi vendique, tamen, quae nunc est rerum condicio, operae conductio ac locatio homines in mercatu quem dicunt laboris in duas partes ceu acies dispescit; harum autem partium disceptatio ipsum operae mercatum quasi in campum vertit, ubi adversis frontibus acriter illae acies dimicant. Huic pessimo malo, quo tota humana societas in exitium abripitur, quam citissime esse medendum nemo est qui non intellegat. Ast perfecta sanatio tum tantum efforescet, cum, oppositione illa e medio sublata, socialis corporis membra bene instructa constituentur: « ordines » nimirum, quibus inserantur homines non pro munere, quod quis in mercatu laboris habeat, sed pro diversis partibus socialibus, quas singuli exerceant. Natura enim duce fit, ut, sicut qui loci vicinitate coniuncti sunt municipia constituunt, ita qui in eandem artem vel professionem incumbunt,. — sive oeconomica est sive alterius generis, — collegia seu corpora quaedam efficiant, adeo ut haec consortia iure proprio utentia a multis, sin minus essentialia societati civili, at saltem naturalia dici consueverint.

Cum vero ordo, ut egregie disserit S. Thomas (48), unum sit ex plurium accommodata dispositione oriens, verus ac genuinus socialis ordo postulat, ut varia societatis membra firmo aliquo vinculo in unum copulentur. Adest autem haec coniungendi vis cum in ipsis bonis producendis aut officiis praestandis, in quae eiusdem « ordinis » conductores et locatores sociato studio adlaborant, tum in bono illo communi, in quod omnes simul « ordines », pro sua quisque parte, amice conspirare debent. Quae quidem unio eo erit validior et efficacior, quo fidelius singuli homines ipsique « ordines » professionem suam exercere in eaque excellere sategerint.

Ex quo facile deducitur, in illis collegiis ea, quae totius « ordinis » sunt communia, longe primas ferre, inter quae eminet uniuscuiusque artis ad bonum commune civitatis conspiratio quam maxime fovenda. De negotiis autem, in quibus peculiaria commoda vel incommoda herorum opificumve speciali indigeant cura et tutela si quando occurrunt, seorsim utrique deliberare vel, prout res fert, decernere poterunt.

Vix est necesse commemorare, quod Leo XIII de politici regiminis forma docuit, idem, servata proportione, professionum quoque collegiis seu corporibus aeque applicari: nimirum integrum esse hominibus quam maluerint formam eligere, dummodo et iustitiae et boni communis necessitatibus sit consultum (49).

Iam vero, quemadmodum municipii incolae ad fines maxime varios consociationes condere solent, quibus nomen dandi aut secus unicuique est ampla potestas, ita qui in eadem arte versantur, consociationes pariter liberas alii cum aliis inibunt ad fines aliqua ratione cum ipsa arte exercenda connexos. Cum liberae hae consociationes a cl. mem. Decessore Nostro distincte ac dilucide explanentur, satis habemus, id unum inculcare: liberam esse homini facultatem, non solum has consociationes condendi, quae iuris et ordinis sunt privati, sed etiam eam in iis « libere optandi disciplinam, easque leges, quae maxime conducere ad id, quod propositum est, iudicentur » (50). Eadem affirmanda est libertas consociationes instituendi, quae singularum artium limites excedant. Quae autem iam fiorent ac salutaribus laetantur fructibus liberae associationes, collegiis iis praestantioribus seu « ordinibus », de quibus supra mentionem facimus, ad mentem doctrinae socialis christianae viam parare sibi praestituant et pro virili parte exsequantur !

Directivum oeconomiae principium instaurandum.

Aliud propterea est curandum, valde cum priore cohaerens. Quemadmodum unitas societatis humanae inniti non potest oppositione « classium », ita rei oeconomicae rectus ordo non potest permitti libero virium certamini. Ex hoc enim capite, tamquam ex inquinato fonte omnes errores disciplinae oeconomiae « individualisticae » dimanarunt ; quae, oblivione aut inscitia socialem ac moralem indolem rei oeconomicae delens, hanc existimavit ab auctoritate publica ut solutam prorsus ac liberam iudicandam esse et tractandam, propterea quod in mercato seu libero competitorum certamine principium sui ipsius directivum haberet, quo multo perfectius quam ullo intellectu creato interveniente regeretur. At liberum certamen, quamquam dum certis finibus contineatur, aequum sit et sane utile, reni oeconomicam dirigere plane nequit; id quod eventus satis superque comprobavit, postquam pravi individualistici spiritus placita exsecutioni sunt mandata. Perquam necessarium igitur est rem oeconomicam vero atque efficaci principio directivo iterum subdi et subiici. Cuius quidem muneris vices oeconomicus potentatus, qui liberum certamen nuper excepit, multo minus gerere potest, cum hic praeceps quaedam vis et potentia vehemens sit, quae ut salutaris hominibus evadat, frenari debet fortiter et regi sapienter; frenari autem et regi non potest a se ipso. Altiora igitur et nobiliora exquirenda sunt, quibus hic potentatus severe integreque gubernetur: socialis nimirum iustitia et caritas socialis. Quapropter ipsa populorum atque adeo socialis vitae totius instituta ea iustitia imbuantur oportet maximeque necessarium est, ut vere efficiens evadat seu ordinem iuridicum et socialem constituat, quo oeconomia tota veluti informetur. Caritas vero socialis quasi anima esse debet huius ordinis; ad quem efficienter tuendum et vindicandum auctoritas publica incumbat oportet; id quod minus difficulter praestare poterit, si ea onera a se excusserit, quae ei non esse propria ante declaravimus.

Immo vero consociatis studiis laboribusque variae nationes id enitantur decet, ut, quoniam in genere oeconomico plurium inter se pendent ac mutua ope indigent, faustam quandam et felicem in re oeconomica populorum conspirationem sapientibus pactionibus atque institutis promoveant.

Membra igitur socialis corporis, si, ut dictum est, reficiantur, atque rei oeconomico-socialis directivum principium si restituatur, etiam de hoc corpore aliqua ratione dici poterit, quod de Christi corpore mystico ait Apostolus: « Totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate » (51).

Recens, ut omnes norunt, singularis inita est syndicatuum atque artium collegiorum ratio, quae, pro harum Litterarum argumento, breviter videtur hic adumbranda, opportunis quibusdam adiectis animadversionibus.

Ipsa civilis potestas syndicatum ita constituit in personam iuridicam, ut simul quoddam monopolii privilegium ei conferat, cum ille solus, sic approbatus, opificum herorumve (pro syndicatus specie) iura vindicare, ille solus de opera locanda et conducenda pacisci atque laboris foedera, quae dicuntur, firmare possit. Syndicatui nomen dare necne integrum cuique est, atque inter hos tantum limites huiusmodi syndicatus liber dici potest; nani et syndicalis collecta et peculiaria quaedam tributa ab omnibus prorsus certae cuiusque artis seu professionis membris, sive opifices hi sunt sive heri, exiguntur, quemadmodum operum pactionibus a iuridico syndicatu initis omnes ligantur. Verum tamen est ex officio esse declaratum hunc iuridicum syndicatum non officere, quominus exsistant aliae eiusdem professionis asseclarum consociationes, non tamen iure agnitae.

Collegia seu corpora constituuntur ex delegatis utriusque syndicatus (operariorum nimirum et herorum) eiusdem artis seu professionis et, tamquam vera ac propria Status instrumenta atque instituta, syndicatus ipsos dirigunt eosque in rebus communibus ad unum idemque coordinant.

Cessationes operae vetantur; si partes litem componere nequeant, adest magistratus.

Iamvero, huius, quam summatim descripsimus, institutionis quaenam sint commoda, quicumque vel parum rem perpenderit, facile perspiciet: diversarum classium opera pacifice sociata, socialistarum repressa sodalitia, molimina cohibita, peculiaris magistratus moderatricem auctoritatem exercens. Ne tamen in re tanti momenti quidpiam neglegamus, utque omnia, quae sive cum principiis generalioribus, quae supra in memoriam redegimus, sive cum iis, quae mox sumus addituri, apte colligentur, fateri cogimur compertum Nos habere non deesse qui vereantur ne res publica, cui satis esse deberet ut necessarium et sufficiens auxilium praestaret, liberae activitati se substituat, neve syndicalis ille et corporativus novus ordo complexam administrationem et politicam nimis sapiat, neve (generalioribus illis commodis ultro equidem admissis) particularibus politicis scopis potius inserviat quam ad meliorem socialem ordinem instaurandum promovendumque conducat.

Ad hunc alterum autem nobilissimum finem assequendum et commune bonum vera ac stabili ratione maxime iuvandum, id in primis et ante omnia prorsus necessarium putamus, ut Deus propitius adsit, utque dein omnes qui bonam gerunt voluntatem sociata opera ad illum scopum adlaborent. Persuasum praeterea habemus, id quod ex priore colligimus, illum finem eo certius obtentum iri quo copiosior sit corani numerus, qui technicam et professionalem et socialem peritiam suam ad id conferre sint parati, atque etiam (quod pluris est) quo copiosius erit tributum ex principiis catholicis eorumque usu ad id collatum, non quidem ab Actione Catholica (quae activam vini proprie syndicalem vel politicam sibi interdicit), sed ab iis filiis Nostris, quos ipsa Actio Catholica illis principiis imbuit quosque instituit ad apostolatum exercendum, Ecclesia duce ac magistra; Ecclesiam dicimus, quae etiam in hoc, quem adumbravimus, campo, sicut ubicumque de rebus moralibus quaestio est ac disceptatio, vigilantiae et magisterii mandatum sibi divinitus impositum oblivioni dare vel incuria praeterire non potest unquam.

Quae autem de sociali ordine instaurando et perficiendo docuimus, ea profecto effici nullatenus posse sine morum reformatione vel ipsa rerum gestarum documenta aperte demonstrant. Fuit enim aliquando ordo quidam socialis, qui etsi perfectus quidem et omnibus numeris absolutus non erat, pro temporum tamen condicione et necessitatibus rectae rationi quadantenus congruebat. Quod si periit ille ordo iam dudum, sane non id accidit, quia mutatis rerum condicionibus et necessitatibus ipse accommodari se evolvendo et quodammodo dilatari non potuit; sed ideo potius, quia homines aut nimio sui amore obdurati eius ordinis gremium pandere, ut oportuisset, crescenti numero multitudinis renuerunt, aut quia falsae libertatis specie aliisque erroribus illecti cuiusvis potestatis impatientes, omne detrectare imperium conati sunt.

Reliquum igitur est ut, ea quae nunc viget rei oeconomicae ratione, et socialismo, acerrimo eius accusatore, iterum in iudicium vocatis atque aperta de illis iustaque lata sententia, tot malorum, radicem penitius investigemus et primum maximeque necessarium remedium in moribus reformandis indicemus.

III. - Res inde a Leoniana aetate plurimum mutatae.

Graves sane mutationes cum rei oeconomicae ratio tum socialismus inde a Leonis XIII aetate subiere.

Ac primum quidem oeconomiae speciem vehementer commutatam esse, in oculis est omnium. Nostis, Venerabiles Fratres dilectique Filii, fel. rec. Decessorem Nostrum suis Litteris eam vel maxime oeconomiae rationem spectasse, qua generatim ad commune rei oeconomicae exercitium ab aliis res, ab aliis opera praestaretur, quemadmodum, felici verborum complexu usus, eam definiebat: « Non res sine opera nec sine re potest opera consistere » (52).

1. - Rei oeconomiae species mutata.

Hanc autem oeconomiae rationem ad recti ordinis normam componere Leo XIII totis viribus contendit: unde patet per se ipsam non esse damnandam. Et sane suapte natura vitiosa non est; sed tunc rectum ordinem violat, quando res operarios seu proletariam classem eo fine, eaque condicione conducit, ut negotia atque adeo res oeconomica tota ad sui ipsius nutum et commodum vertantur, humana operariorum dignitate, sociali oeconomiae indole ipsaque iustitia sociali ac bono communi contemptis.

Verum est ne hodie quidem solam hanc oeconomiae rationem ubique vigere: est enim et alia ratio, cui addicta est adhuc ingens et numero et pondero valens hominum multitudo, ut v. gr. ordo agricolarum, in quo maior generis humani pars honeste ac probe, quae ad victum cultumque pertinent, sibi comparat. Suis etiam haec angustiis premitur et difficultatibus, quas et respicit Decessor Noster non paucis Litterarum suarum locis, et Nos hisce Nostris non semel attigimus.

Ast « capitalisticum » oeconomiae regimen, cum industriae usus toto orbe terrarum dilatatus sit, plurimum et ipsum post Leonis XIII Encyclicas Litteras datas quaquaversus est dilapsum adeo, ut etiam eorum, qui extra eius ambitum vertantur, oeconomicam et socialem condicionem invaserit et pervaserit, eamque suis sive commodis sive incommodis et vitiis, vere afficiat et quodammodo informet.

Itaque non eorum solum, qui regiones incolunt « capitali » et industriae addictas, sed omnium prorsus hominum bono consulimus, cum ad mutationes praesertim, quas capitalistica oeconomiae ratio inde a Leonis tempore passa est, animos convertimus.

Potentatus successit liberae competitioni.

Atque in primis omnium oculos percellit, nostris temporibus non modo coacervari opes, sed immanem accumulari potentiam et despoticum potentatum oeconomicum penes paucos, qui plerumque non domini, sed depositae rei custodes tantum et administratores sunt eamque nutu suo arbitrioque regunt.

Qui potentatus ab iis vehementissime exercetur, qui, cum pecunias teneant et in eis dominentur, potiuntur etiam fenebris fidei et in credenda pecunia regnant, eamque ob causam veluti sanguinem administrant, quo vivit tota res oeconomica, et manibus suis quasi animam rei oeconomicae ita versant, ut contra eorum nutum respirare nemo possit.

Haec potentiae et virium accumulatio, recentissimae oeconomiae quasi nativa nota, fructus est quem natura sua protulit infinita competitorum certandi libertas quae eos tantum superstites relinquit qui plurimum valeant, quod saepe idem est ac dicere, qui omnium violentissime dimicant, qui minime animi conscientiam curant.

Ea vicissim virium et potentiae acervatio tria gignit concertationum genera : contenditur enim primum de ipso oeconomico potentatu, tum acriter decertatur de potentatu in rempublicam capessendo, ut eius viribus atque potestate ad oeconomicas congressiones liceat abuti ; inter

ipsas denique respublicas dimicatur, cum quod nationes, ad suorum quaeque civium oeconomica commoda promovenda, vim et politicam suam adhibent, tum quod potentatu et viribus suis oeconomicis adhibitis, politicas controversias inter nationes ortas dirimere contendunt.

Funestae sequelae.

Individualistici profecto in re oeconomica spiritus ultima consectaria sunt ea, quae vos ipsi, Venerabiles Fratres dilectique et perspicitis et doletis: liberum virium certamen ipsum se interemit; libero mercatui oeconomicus potentatus suffectus est; lucri cupiditati proinde effrenata potentatus ambitio successit ; tota oeconomia horrendum in modum dura, immitis, atrox est facta. Huc accedunt quae ex publicae potestatis et ipsius oeconomiae muneribus officiisque permixtis et foede confusis orta sunt gravissima damna: quale, unum ex smmis, abiectio quaedam reipublicae maiestatis, quae cum ab omni studio partium libera et uni bono communi iustitiaeque intenta, veluti regina et suprema arbitra rerum, alte sedere deberet, serva fit, hominum libidini et cupiditatibus tradita et mancipata. Quod autem ad nationes attinet inter se agentes, ex uno capite duplex effluxit diversum flumen : hinc « nationalismus » emanat aut etiam « imperialismus » oeconomicus, illinc vero non minus funestus et exsecrandus rei nummariae « internationalismus » seu « imperialismus internationalis » cui, ubi bene, ibi patria est.

Remedia.

Quae tantis his malis mederi possint, ea in parte altera harum Litterarum exposuimus ubi doctrinam data opera tradidimus, ita ut hoc loco breviter illa in memoriam redigere satis habeamus. Quandoquidem re et opera maxime innititur praesens oeconomiae ratio, rectae rationis seu christianae philosophiae socialis principia circa rem, operam earumque consociationem et mente agnoscantur et opere ad effectum deducantur necesse est. Duplex imprimis et rei seu dominii et operae seu laboris ratio, id est individualis et socialis, aeque et rite pensanda est, ut et individualismi et collettivismi scopuli vitentur. Mutuae utrorumque relationes ad strictissimae iustitiae leges, quam commutativam vocant, exigi debent, christiana caritate adminiculante. Liberum certamen certis ac debitis limitibus saeptum, magis etiam oeconomicus potentatus publicae auctoritati in iis, quae ad eius munus spectant, efficaciter subdantur oportet. Ipsa vero populorum publica instituta ad boni communis necessitates seu ad iustitiae socialis humanam consortionem conformare debent; quo etiam gravissima illa vitae socialis pars, quae est res oeconomica, ad rectum et sanum ordinem redeat.

2. - Socialismus mutatus.

Haud minus profunde quam oeconomiae specie inde a Leonis aetate mutatus est ipse socialismus, quocum fuit maxime Decessori Nostro certandum. Qui enim tunc unus fere dici poterat et doctrinae capita propugnabat definita eaque in unum corpus compacta, hi exinde in duas praecipue partes invicem plerumque adversantes atque adeo infensissimas discissus est, ita tamen ut a fundamento fieri christianae contrario, quod socialismo proprium erat, neutra discesserit.

a) Pars violentior seu communismus

Altera enim socialismi pars eandem fere subiit mutationem, quam oeconomiam capitalisticam subiisse supra explicuimus, et in « communismum » ruit, qui bina docet ac persequitur, neque id occulte aut per cuniculos, sed palam, aperte, omnibus mediis etiam violentissimis quibusque adhibitis: acerrimam inter classes luctationem, plenamque dominii privati exstinctionem. In

quibus persequendis, nihil est quod non audeat, nihil quod vereatur; rerum vero potitus, incredibile ac portento simile est quam se atrocem, quam inhumanum ostendat. Testantur id exitiosae illae strages et ruinae, quibus vastissimas Europae orientalis atque Asiae ditiones constravit; Sanctae vero Ecclesiae ipsique Deo quam sit inimicus et apertus hostis, nimis, proh dolor! nimis est factis comprobatum et omnibus opprime notum. Ideo, quamquam probos quidem ac fideles Ecclesiae filios de impia et iniqua communismi natura monere supervacaneum existimamus, tamen sine profundo dolore contemplari non possumus incuriam eorum, qui imminentia haec pericula contemnere videntur, et inerti quadam desidia patiuntur propagari quaquaversus ea, quibus per vim, per caedem, tota societas contrucidetur; eoque gravius condemnanda est socordia eorum, qui auferre aut mutare neglegunt eas rerum conditiones, quibus populorum animi exasperantur atque via munitur ad societatem subvertendam et profligandam.

b) Pars mitior quae socialismi nomen retinuit.

Mitior sane est altera pars, quae « socialismi » nomea retinuit, qui non solum a vi adhibenda abstinendum profitetur, sed ipsam classium pugnam et privatae possessionis exstinctionem, si minus abiicit, aliqua ratione mitigat et temperat. Suis principiis et consectariis inde a communismo deductis exterritum, socialismum ad veritates, quas christiana traditio semper sollemnes habuit, vergere et quodammodo accedere diceres: negari enim nequit ad ea quae christiani societatis reformatores iure postulant, horum placita interdum valde appropinquare.

c) A pugna classium dominiique exstintione aliquantum recedit.

Classium enim pugna, modo ab inimicitiis mutuoque odio abstineat, paulatim transit in honestam quandam disceptationem, iustitiae studio fundatam, quae, etsi non est illa beata pax socialis quam omnes appetimus, principium esse potest et debet unde ad mutuam « ordinum » cooperationem deveniatur. Bellum etiam dominiis privatis indictum, magis magisque sedatum, restringitur ita, ut tandem aliquando non ipsa possessio impetatur earum rerum, quae producendis bonis inserviant, sed imperium quoddam sociale, quod contra omne ius dominium arripuit et usurpavit. Re enim vera tale imperium non ipsis dominis, sed publicae potestati est proprium. Quod si fiat, eo perveniri potest, ut sensim sine sensu haec mitioris socialismi placita a votis et postulatis eorum qui, christianis principiis innixi, humanam societatem reformare student, iam non dissideant. Etenim certa quaedam bonorum genera rei publicae reservanda merito contenditur, cum tam magnum secum ferant potentatum, quantus privatis hominibus, salva re publica, permitti non possit.

Huiusmodi iusta postulata et desideria iam nil habent, quod a christiana veritate abhorreat, multoque nminus socialismo sunt propria. Quapropter, qui haec tantummodo persequuntur, non habent cur socialismo se aggregent.

Num media via iniri possit?

Neque tamen existimet quisquam eas sectas seu factiones socialisticas, quae non sunt communisticae, ad unam omnes sive re sive nomine eo usque resipuisse. Ut plurimum sive classium pugnam sive dominii exstinctionem non abiiciunt, sed solummodo aliqua ratione temperant. Iamvero, si ita falsa principia mitigantur et aliqua ratione oblitterantur, oritur, seu potius immerito a quibusdam movetur quaestio, num forte etiam christianae veritatis principia aliqua ratione aut mitigari aut temperari possint ita, ut socialismo eatur obviam et media quasi via cum eo conveniatur. Sunt, qui inani spe illiciantur fore, ut hac ratione socialistae ad nos pertrahantur. Vana tamen spes ! Qui enim apostoli esse volant inter socialistas, christianam

veritatem plenam atque integram aperte et sincere profiteantur oportet, neque ulla ratione erroribus conniveant. Id imprimis satagant, si vere Evangelii praecones esse velint, ut socialistis ostendant eorum postulata, quatenus iusta sint, ex principiis christianae fidei multo validius defendi et ex viribus christianae caritatis multo efficacius provehi.

Sed quid, si ad pugnam classium et dominia privata quod attinet, socialismus re vera ita sit temperatus atque emendatus, ut circa haec iam nihil in eo sit reprehendendum? Numquid illico natura sua religioni christianae contraria abdicavit? Est haec quaestio, quae multorum animos suspensos tenet. Et plurimi sunt catholici homines, qui, cum plane perspectum habeant christiana principia nec missa fieri nec abradi unquam posse, oculos in hanc Sanctam Sedem intendere et enixe efflagitare videntur, ut decernamus, num hic socialismus a doctrinis falsis adeo resipuerit, ut sine cuiusquam principii christiani iactura admitti et quodammodo baptizari possit. Quibus ut pro paterna Nostra sollicitudine faciamus satis, haec edicimus: sive ut doctrina, sive ut factum historicum, sive ut « actio » consideretur socialismus, si vere manet socialismus, etiam postquam veritati et iustitiae in his, quae diximus, concessa, componi cum Ecclesiae catholicae dogmatibus non potest: siquidem ipsam societatem fingit a christiana veritate quam maxime alienam.

Societatem atque hominis indolem socialem fingit alienissima a christiana veritate.

Nam secundum christianam doctrinam homo, sociali natura praeditus, in his terris collocatur, ut in societate et sub auctoritate a Deo ordinata (53), vitam ducens, omnes suas facultates in laudem et gloriam Creatoris sui plene excolat evolvatque, atque artis aliusve vocationis suae munere fideliter fungendo temporalem simul et aeternam cibi comparet felicitatem. Socialismus autem, sublimis huius, cum hominis tum societatis, finis penitus ignarus et incuriosus, solius commodi causa humanam consortionem autumat esse institutam.

Ex eo enim, quod apta operum divisione efficacius quam dispertitis singulorum conatibus bona progignantur, socialistae inferunt oeconomicam efficientiam, cuius sola materialia obiecta mentibus observantur, socialiter ex necessitate procedere debere. Qua necessitate, ut totos societati se dedant subdantque, ad bonorum effectionem quod attinet, homines adstringi existimant. Immo quam amplissimam possidere copiam rerum, quae huius vitae commodis inserviant, tanti fit, ut altiora homines bona, ipsa libertate minime excepta, sint posthabenda atque etiam immolanda exigentiis efficacissime bonorum effectionis. Hanc vero humanae dignitatis iacturam in « socializato » productionis processu subeundam, facile repensum iri autumant abundantia bonorum socialiter procreatorum, quae ad singulos profundantur, ut pro suo beneplacito commodis et cultui vitae libere ea applicare valeant. Societas ergo qualem socialismus fingit, altera ex parte absque vi plane nimia nec esse nec concipi potest, ex altera parte haud minus falsae libertati indulget, vera sociali auctoritate ab ea exsulante, quippe quae non in temporalibus e ac materialibus commodis innitatur, sed a solo Deo, rerum omnium Creatore atque ultimo fine descendat (54).

Catholicus et socialista pugnantia dicunt.

Quodsi socialismus, ut omnes errores, aliquid in se veritatis admisit (quod quidem Summi Pontifices numquam sunt inficiati), nititur tamen doctrina de humana societate, ipsi propria, a vero christianismo absona. Socialismus religiosus, socialismus christianus pugnantia dicunt: nemo potest simul catholicus probus esse et veri nominis socialista.

Socialismus mores cultumque pervadens.

Quae quidem omnia, a Nobis sollemni auctoritate innovata et confirmata, pari modo applicanda sunt novo cuidam socialistico procedendi modo, hactenus quidem minus noto, nunc vero ad plures socialismi sectas propagato. In animos moresque instituendos imprimis incumbit; praecipue quidem infantes ipsos teneros amicitiae specie sibi allicit secumque trahit, sed totam etiam hominum multitudinem complectitur, ut homines tandem socialistici formentur, qui humanum convictum ad socialismi placita conforment.

Cum in Nostris Encyclicis Litteris Divini illius Magistri, quibus principiis insistat, quos fines persequatur paedagogia christiana docuerimus abunde (55), quam eis repugnent quae facit et quaerit hic socialismus mores cultumque pervadens, tam perspicuum est et evidens, ut declaratione non indigeat. Gravissima vero quae secum fert pericula videntur ii aut ignorare aut minus ponderare, qui nihil pensi habent eis pro rerum gravitate fortiter naviterque resistere. Hos de imminenti gravissimo damno commonefacere Nostri pastoralis officii est: meminerint omnes, huius socialismi mores cultumque pervadentis parentem quidem liberalismum fuisse, heredem vero « bolscevismum » futurum.

Catholici transfugae in castris socialismi.

Quae cum ita sint, Venerabiles Fratres, intelligere potestis quanto cum dolore cernamus, in quibusdam praesertim regionibus, filios Nostros non paucos, quos veram fidem rectamque voluntatem deposuisse persuadere Nobis non possumus, ab Ecclesiae castris transfugisse et ad socialismi acies convolasse: quorum alii ut aperte socialistarum nomine glorientur et dogmata ipsa socialistica profiteantur, alii vel socordes vel etiam quasi inviti ut consociationibus adhaereant, quae professione aut factis sunt socialisticae.

Nos autem, paterna sollicitudine anxii, animo revolvimus et perscrutari conamur, qui fieri potuerit ut eo usque aberraverint, et audire Nobis videmur, quae multi ex eis respondent et causantur: ab Ecclesia et eis qui Ecclesiae addictos se proclamant, locupletibus faveri, operarios neglegi, curam horum haberi nullam; eam ob causam se, ut sibi consulerent, in acies socialismi instrui et inseri debuisse.

Deflendum sane est, Venerabiles Fratres, fuisse, immo etiam nunc esse, qui cum catholicos se profiteantur, sublimis illius iustitiae et caritatis legis, qua non solum, quod suum est cuique reddere, sed fratribus egentibus ut ipsi Christo Domino succurrere tenemur (56), fere immemores sunt, quodque gravius, ob lucri cupiditatem operarios vexare non verentur. Immo vero, non desunt qui religione ipsa abutantur, eiusque nomine iniustas exactiones velare conentur, ut a iustis plane operariorum expostulationibus se tutentur. Quorum agendi rationem graviter arguere nunquam desistemus. Ipsi enim in causa sunt, cur Ecclesia, etsi immerito, videri potuerit et insimularetur partes agere locupletium, eorum autem, qui quasi naturali sua hereditate privati erant, necessitatibus et angustiis minime commoveri. Immerito et iniuria haec videri et dici, totius Ecclesiae historia dare demonstrat; ipsaeque Encyclicae Litterae, quarum anniversarium festum

celebramus, luculentissimum testimonium sunt in Ecclesiam eiusque doctrinam nonnisi iniustissime has calumnias et contumelias coniici.

Ut redeant invitantur.

Verumtamen tantum abest ut, iniuria lacessiti aut paterno dolore deiecti, filios misere deceptos et tam longe a vero et salute digressos repellamus aut reiiciamus, ut effici non possit, quin omni qua possunmus sollicitudine, ad maternum Ecclesiae sinum, ut revertantur, invitemus. Utinam voci Nostrae pronas praebeant aures! Utinam unde exiere, eo redeant, domum nimirum paternam, ibique consistant, ubi proprius eorum locus est, in eorum videlicet ordinibus, qui monita a Leone promulgata et a Nobis sollemniter innovata studiose secuti, societatem ad mentem Ecclesiae, sociali iustitia socialique caritate firmatis, instaurare nituntur. Sibique persuadeant nullibi se posse etiam in terris pleniorem invenire beatitudinem, nisi apud Eum, qui propter nos egenus est factus, cum esset dives, ut Illius inopia nos divites essemus (57), qui pauper fuit et in laboribus a iuventute sua, qui omnes laborantes et oneratos ad Se invitat ut eos in caritate Cordis Sui plene reficiat (58), qui denique sine ulla personarum acceptione, plus exiget ab iis quibus plus datum est (59), et « reddet unicuique secundum opera eius » (60).

3.- Morum renovatio.

Verum, si rem diligentius penitiusque inspiciamus, liquido deprehendemus, hanc optatissimam instaurationem socialem spiritus christiani renovatio, a quo misere passim defecerunt tot homines rei oeconomicae addicti, praecedat oportere, ne tot conatus incassum cadant, aedificiumque struatur non super petram sed super mobilem arenam (61).

Et sane, hodiernam oeconomiam conspeximus, Venerabiles Fratres dilectique Filii, eamque gravissimis vitiis laborantem agnovimus. Communismum quoque et socialismum rursus in iudicium vocavimus, eorumque omnes vel mitigatas species ab Evangelii praeceptis longe aberrare deprehendimus.

« Quare — ut Decessoris Nostri verbis utamur, — si societati generis humani medendum est, revocatio vitae institutorumque christianorum sola medebitur » (62). Nam haec una nimiae de caducis rebus sollicitudini, quae omnium est vitiorum origo, efficax remedium afferre, haec una fascinatos hominum oculos, in fluxis huius mundi rebus plane defixos, inde avellere et ad caelum attollere potest. Quo quidem remedio nunc humanam consortionem maxime indigere quis neget?

Praecipua hodierni regiminis deordinatio: damnum animarum.

Etenim omnium animi temporalibus perturbationibus, cladibus, ruinis fere unite afficiuntur. Sed quid, si christianis oculis, prout decet, res perpendimus, haec omnia sunt, si cum animarum ruina conferantur? Nihilominus haud temere dici potest eas nunc esse socialis atque oeconomicae

vitae rationes, ut ingenti hominum numero maxima impedimenta creent quominus unum illud necessarium, aeternam nempe salutem, curent.

Innumerabilium equidem harum ovium Pastor et Tutor a Pastorum Principe, qui eas Sanguine Suo redemit, constituti, hoc maximum earum periculum siccis oculis contemplari non possumus; quin potius, pastoralis officii memores, paterna sollicitudine et quomodo eis opitulari possimus continenter meditamur, aliorum quoque, quorum ex iustitia aut caritate interest, indefesso studio advocato. Quid enim proderit hominibus sapientiore divitiarum usu vel ad universum mundum lucrandum aptiores fieri, si inde animae suae detrimentum patiantur? (63). Quid, eos tuta de re oeconomica principia docere, si effrena cupiditate et sordida. suarum rerum studio ita abripi se sinant, ut, « audientes mandata Domini, omnia faciant contraria? » (64).

Huius damni causae.

Huius vero a christiana lege in re sociali et oeconomica defectionis, et inde profluentis plurimorum opificum a fide catholica apostasiae radix et fons sunt inordinatae animi affectiones, triste consectarium primaevae labis, quae miram humanarum facultatum concordiam ita disiunxit, ut homo pravis cupiditatibus facile abstractus ad caduca huius mundi bona caelestibus et firmis anteponenda vehementer incitetur. Hinc inexplebilis illa divitiarum et temporalium bonorum sitis, quae homines ad Dei leges infringendas et proximorum iura conculcanda omnibus quidem temporibus impulit, sed per hodiernam rei oeconomicae rationem humanae fragilitati longe plures parat laqueos. Etenim cum incertus status rei oeconomicae ac praesertim eiusdem complexionis, summam assiduamque postulet eorum qui illi se dedunt virium contentionem, nonnulli conscientiae stimulis ita obduruerunt, ut in eam devenerint sententiam sibi licitum esse et lucra sua quoquo modo augere, et opes magno conatu studioque partas per fas et nefas contra repentinos fortunae casus tueri. Facilia emolumenta, quae cuilibet in mercatu omni lege soluto obveniunt, permultos ad merces permutandas distrahendasque alliciunt, qui, id unum inhiantes, ut minimo interiecto labore expedita sibi lucra comparent, effrena negotiatione, mercium pretia pro arbitrio et aviditate tam crebro augent vel minuunt, ut prudentes fabricatorum provisiones pessum dent. Quae lege sunt statuta ad foederatos quaestus provehendos, dum rerum agendarum periculum dividunt ac finiunt, foedissimae licentiae ansam praebuerunt. Cernimus enim ab hac extenuata rationum reddendarum obligatione animos modice tangi; insuper in tutamine communis cuiusdam nominis delitescendo, pessimas perpetrari iniurias et circumscriptiones; tandem oeconomicarum consociationum curatores, muneris sui oblitos, eorum prodere iura, quorum compendia administranda susceperant. Neque postremo omittendi sunt callidi illi viri, qui de honesta artificii sui utilitate minime solliciti, hominum cupiditatibus stimulos subiicere haud verentur, eisque excitatis ad proprium lucrum utuntur.

Gravissima haec incommoda propulsare, vel etiam antevertere, potuisset severa ac tuta morum disciplina a rei publicae moderatoribus strenue exacta: haec tamen nimis saepe misere defecit. Nam, cum novae oeconomiae rationis germina tunc primum erumperent, quando rationalismi placita in plurium mentibus insederant radicesque egerant, brevi oeconomica quaedam doctrina

a vera lege morali remota est orta, quo factum est ut humanis cupiditatibus habenae prorsus laxarentur.

Itaque evenit, ut multo quam antea plures nihil nisi de divitiis quacumque ratione augendis solliciti essent; seque super omnia et prae omnibus quaerentes, nihil, ne maxima quidem in alios delicta, sibi religioni verterent. Qui primi vero hanc spatiosam viam, quae ducit ad perditionem (65), sunt ingressi, ii facile sive apparentis sui successus exemplo, sive insolenti suarum divitiarum pompa, sive aliorum conscientiam quasi inanibus anxietatibus exagitatam deridendo, sive demum timoratiores competitores conculcando, plurimos iniquitatis suae imitatores nacti sunt.

Pronum vero fuit, ut rei oeconomicae moderatoribus a recto tramite deviis euntibus, operariorum quoque vulgus in idem barathrum passim rueret praeceps; idque eo magis quod plurimi ex praefectis artificum suis operariis ut meris instrumentis usi sunt, nihil prorsus de eorum anima solliciti, immo de supernis rebus ne cogitantes quidem. Et sane, horrescit animus, si gravissima perpendantur pericula, quibus in modernis officinis obiiciuntur operariorum (iuniorum praesertim) mores et puellarum aliarumque mulierum pudicitia; si mente recolamus quam saepe hodiernum rei oeconomicae genus et praesertim absona habitandi ratio familiari vinculo familiarique vitae consuetudini obstacula creet; si memoria repetamus quot quantaque festis diebus rite sanctificandis inferuntur impedimenta; si universalem consideremus extenuationem sensus illius vere christiani, quo vel rudes et indocti homines tam alta sapere consueverant, eius loco suffecta de quotidiano victu utcumque comparando unica sollicitudine. Atque ita labor corporalis, quem divina Providentia etiam post originale peccatum in humani corporis simul et animi bonum statuerat exercendum, in perversionis instrumentum passim convertitur: iners scilicet materia ex officina nobilitata egreditur, homines vero ibidem corrumpuntur et viliores fiunt.

Remedia.

a) Christiana ratione informetur vita oeconomica.

Huic tam lugendae animarum cladi, qua perdurante omne societatis regenerandae studium irritum erit, nullum validum remedium afferri potest nisi ad evangelicam doctrinam aperte et sincere redeant homines, ad Illius nimirum praecepta, qui unus verba vitae aeternae habet (66), talia videlicet verba. quae caelis et terra transeuntibus, nunquam praeteribunt (67). Siquidem, quotquot sunt in re sociali vere periti, enixe expetunt compositionem ad normas rationis exactam, quae vitam oeconomicam ad sanum rectumque ordinem reducat. Sed hic ordo, quem Nos ipsi vehementer exoptamus impensoque fovemus studio, mancus omnino et imperfectus erit, nisi omnes humanae efficientiae ad miram divini consilii unitatem imitandam et, quantum humanis viribus datum est, assequendam amice conspirent: perfectum dicimus illusi ordinem, quem magna vi et contentione proclamat Ecclesia, quem recta ipsa expostulat humana ratio: ut nimirum ad Deum tamquam ad primum ac supremum totius creatae efficientiae terminum omnia dirigantur, et sub Deo creata quaelibet bona ut mera instrumenta habeantur, quibus

tantum utendum sit quantum ad supremum finem attingendum ducant. Neque putandum est per hoc minoris fieri aut minus dignitati humanae consonas aestimari quaestuosas artes ; quin immo in iis apertam divini Conditoris voluntatem venerabundi agnoscere docemur, qui posuit hominem in terra ut operaretur illam, eaque ad suas necessitates multifariam uteretur. Fortunam autem suam rite et iuste amplificare non prohibentur quicumque ad bona progignenda dant operam, immo aequum est, ut qui communitati deservit eamque reddit ditiorem, ex auctis communitatis bonis ipse quoque pro sua condicione ditior fiat, dummodo haec omnia cum debito erga Dei leges obsequio et illaesis aliorum iuribus quaerantur et secundum fidei et rectae rationis ordinem adhibeantur. Quae si ab omnibus, si ubique, si semper serventur, non modo rerum confectio et acquisitio, sed divitiarum quoque usus, qui nunc saepe tam inordinatus cernitur, brevi intra aequitatis et iustae distributionis limites revocabitur: acque sordido propriarum dumtaxat rerum studio, quod nostrae aetatis est dedecus et grande peccatum, re et factis opponetur soavissima at simul validissima christianae moderationis lex, qua homo iubetur quaerere primum regnum Dei et iustitiam eius, certo sciens bona quoque temporalia ex divina liberalitate certaque promissione sibi quantum opus fuerit adiectum iri (68).

b) Caritatis partes.

Verum, in his omnibus praestandis, potiores partes semper lex caritatis teneat oportet, « quod est vinculum perfectionis » (69). Quam ergo falluntur incauti illi reformatores, qui solam iustitiam eamque commutativam servandam curantes, caritatis auxilium superbe reiiciunt! Profecto iustitiae ex officio debitae et inique denegatae caritas vicaria succedere nequit. At, etsi omnia sibi debita quisque hominum supponatur tandem adepturus, amplissimus caritati semper patebit campus : sola enim iustitia, vel fidelissime exhibita, socialium certaminum causas quidem removere, nunquam tamen corda unire animosque copulare poterit. Iam vero quaecumque ad pacem firmandam mutuumque inter homines auxilium promovendum sunt instituta, quantumvis perfecta videantur, in mutuo animorum vinculo, quo sodales invicem uniantur, potissimum habent suae firmitatis fundamentum, quo deficiente, ut saepius experiendo didicimus, optima quaeque praescripta irrita evadunt. Itaque tunc solam vera omnium in unum commune bonum conspiratio haberi poterit, cum societatis partes intime sentiant se unius esse magnae familiae membra eiusdemque caelestis Patris filios, immo se unum corpus in Christo, « singuli autem alter alterius membra » (70), ita ut « si quid patitur unum membrum. compatiantur omnia membra » (71). Tunc enim divites aliique proceres, pristinam suam erga pauperiores fratres incuriam in sollicitam et operosam dilectionem mutabunt, eorum insta postulata aperto corde excipient, eorumque forte culpis et erroribus libenter parcent. Operarii vero, quovis odii invidiaeque sensu, quo socialis certaminis fautores tam callide abutuntur, sincere restincto, locum sibi a divina Providentia in humana societate assignatum non solum non fastidient, sed magni facient, utpote bene sibi consoli, ad commune bonum pro suo quemque munere et officio vere utiliter et honorifice adlaborare eiusque vestigia pressius sequi, qui cum in forma Dei esset, faber inter homines esse et fabri filius haberi voluit.

Opus adstat sane arduum.

Ex hac igitur nova in mundum diffusione Evangelici spiritus, qui christianae moderationis et universalis caritatis spiritus est, optatissimam illam ac plenam humanae societatis instaurationem in Christo illamque « Pacem Christi in Regno Christi futuram confidimus, in quam ab ipso Pontificatus Nostri exordio, omnes curas Nostras omnemque pastoralem sollicitudinem

intendere decrevimus firmiterque apud Nos statuimus (72); Vosque, Venerabiles Fratres, qui Ecclesiam Dei, Spiritu Sancto mandante, Nobiscum regitis (73), ad eundem hunc praecipuum et in praesens maxime necessarium finem, in omnibus orbis partibus, etiam in regionibus sacrarum ad infideles Missionum. laudabili admodum zelo impense adlaboratis. Vobis sint merita laudationum praeconia, simulque iis omnibus sive clericis sive laicis, quos eiusdem magni operis cotidianos participes atque validos adiutores laeti conspicimus, dilectos Filios Nostros Actioni Catholicae addictos, qui peculiari studio de re sociali coram, quatenus haec Ecclesiae ex ipsa sua divina institutione competit et incumbit, Nobiscum suscipiunt. Hos. omnes etiam atque etiam in Domino hortamur, ut nullis parcant laboribus, nullis vincantur difficultatibus, sed magis magisque in dies confortentur et sint robusti (74). Arduum sane ipsis aggrediendum proponimus opus: probe enim novimus utrinque, sive inter superiores, sive inter inferiores societatis classes, obstacula et impedimenta, quae vinci debeant, exstare plurima. Ne tamen animos despondeant: asperis certaminibus .se obiicere christianorum est graves autem exantlare labores, eorum qui ut boni Christi milites (75) eum propius sequuntur.

Omnipotenti ergo auxilio unice confisi Illius, qui « omnes homines vult salvos fieri » (76), miseras illas animas a Deo aversas totis viribus iuvare contendamus easque a temporalibus curis abstrahentes, quibus nimis implicantur, ad aeterna fidenter aspirare doceamus. Id autem quandoque facilius obtinebitur, quam prima fronte sperandum forte videbatur. Etenim, si etiam in latebris vel perditissimi hominis latent, ceu igniculi sub cinere. mirae spirituales vires, testimonia haud dubia illius animae naturaliter christianae, quanto magis in cordibus eorum quam plurimorum, qui potius per ignorantiam vel externa rerum adiuncta in errorem inducti sunt!

Ceterum, laeta quaedam socialis restaurationis signa ipsa opificum agmina iam portendunt, in quibus magno animi Nostri gaudio confertos cernimus etiam globos iuniorum operariorum, qui et secundis auribus divinae gratiae consilia excipiunt et miro zelo socios suos Christo lucrifacere student. Nec minori lande prosequendi sunt opificum coetuum duces qui, propriis commodis posthabitis et unice de sodaliuni suorum bono solliciti. aequas eorum expostulationes cum totius artificii prosperitate prudenter componere et promovere satagunt, neque ab eximio hoc munere se deterrere sinunt ullis sive impedimentis sive suspicionibus. Quin et complures iuvenes, mox inter societatis proceres sive ob ingenium sive ob divitias clarum locum habituros, intensiore studio sociales res excolentes est cernere, qui sociali instaurationi totos se reapse dedituros laetam spem faciunt.

Qua via procedeadum.

Itaque praesentes rerum rationes qua via, Venerabiles Fratres, incedendum sit clare demonstrant. Nobis enim nunc, ut alias non semel in Ecclesiae historia, mundus obiicitur magna ex parte in paganismum fere relapsus. Ut integrae hae hominum classes ad Christum, quem negarunt. reducantur, ex iis ipsis seligendi sunt et formandi auxiliares Ecclesiae milites, qui illos illorumque mentes et optata: bene norint, qui in eorum corda suavi quadam fraterna cantate penetrare possint. Primi et proximi nimirum opificum apostoli, opifices sint oportet; apostoli vero inter artificii commerciique asseclas, ex iisdem hominibus esse debent.

Hos laicos cum opificum tum herorum apostolos studiose quaerere, prudenter eligere, apte excolere et instituere Vestrum, Venerabiles Fratres, vestrique cleri potissimum est. Difficilis sane provincia sacerdotibus imponitur, ad quam obeundam acri de re sociali studio vite parandi sunt quicumque in spem Ecclesiae adolescunt; sed maxime necesse est ut, quos peculiari ratione ad hoc munus deputaturi estis, tales se exhibeant, qui exquisitissimo iustitiae sensu praediti,

cuiuscumque iniqua expostulanti aut iniuste agenti, virili prorsus constantia obsistant; qui prudentia et discretione a quovis extremo aliena excellant; quos praesertim caritas Christi intime pervaserit, quae una valet hominum corda et voluntates iustitiae aequitatisque legibus fortiter simul et suaviter subigere. Hac via, quam felix rerum usus non semel comprobavit, omni alacritate incedendum esse non est cnr ambigamus.

Hos autem dilectos Filios Nostros ad tantum opus electos enixe in Domino hortamur, ut excolendis viris sibi commissis totos se dedant, in eoque officio apprime sacerdotali et apostolico adimplendo christianae institutionis vi opportune utantur, iuvenes docendo, christiana sodalitia instituendo, studiorum coenacula condendo ad normam fidei excolendorum. In primis autem magni faciant et in bonum suorum alumnorum assidue adhibeant pretiosissimum cum privatae tum socialis instaurationis instrumentum, quod Litteris Nostris Encyclicis Mens Nostra (77) in Exercitiis spiritualibus positum esse edocuimus ; quibus Litteris cum Exercitia pro laicis quibuscumque, tum etiam utilissimos opificum Secessus aperte commemoravimus vehementerque commendavimus: in illa enim spiritus schola non modo optimi excoluntur christiani, sed veri quoque apostoli pro quavis vitae condicione instituuntur, et igne Cordis Christi inflammantur. Ex hac schola, ut Apostoli e Coenaculo Hierosolymitano, prodibunt in fide fortissimi, invitta in insectationibus coustantia firmati, zelo flagrantes, de Regno Christi quaquaversus propagando solum solliciti.

Et sane, talibus nane maxime opus est robustis Christi militibus, qui totis viribus adlaborent ad humanam familiam incolumem servandam ab immani prorsus exitio, in quod rueret si, spretis evangelicis doctrinis, ille rerum ordo praevalere permitteretur, qui non minus leges naturae quam divinas conculcat. Ecclesia Christi super inconcussam petram constituta nihil habet cur sibi timeat, cum pro certo sciat nunquam fore ut portae inferi contra ipsam praevaleant (78): quin immo tot saeculorum usu compertum habet se e maximis procellis fortiorem egredi solere novisque ornatam triumphis. Sed materna eius viscera nequeunt non commoveri ob innumera mala, quibus inter huiusmodi procellas tot hominum milia vexarentur, atque potissimum ob gravissima spiritualia damna inde secutura, quae tot animas Christi Sanguine redemptas ad aeternam agerent ruinam.

Nihil igitur intentatum relinqui debet ad tanta mala ab humana societate avertenda: huc labores, huc industriae omnes, huc assiduae fervidaeque ad Deum preces vergant. Etenim, divina adiuvante gratia, humanae familiae sortes in manibus nostris sunt.

Ne sinamus. Venerabiles Fratres dilectique Filii, ut filii hnius saeculi in generatione sua nobis prudentiores videantur, qui ex divina bonitate filii lucis sumus (79). Illos siquidem deprehendimus summa sagacitate strenuos asseclas sibi seligere et instituere, qui errores suos peromnes hominum ordines totiusque orbis terrarum plagas in dies latius diffundant. Quandocumque autem Ecclesiam Christi vehementius impugnare suscipiunt, videmus eos intestinis dissentionibus sepositis in unam aciem magna concordia cogi et ad communem finem assequendum viribus prorsus unitis adlaborare.

Arcta commendatur unio :et conspiratio.

Iam vero, quot quantaque indefessus catholicorum zelus, cum ad bonum sociale et oeconomicum, tum in re scholari et religiosa ubique moliatur, nemo profecto est qui ignoret. Sed mira haec et laboriosa actio haud raro minus efficax evadit ob vires nimis in diversa distractas. Uniantur igitur omnes bonae voluntatis viri, quotquot sub Ecclesiae Pastoribus hoc bonum ac pacificum Christi certamen certare volunt; omnesque. Ecclesia duce ac magistra, in christianam humanae consortionis restaurationem, quam Leo XIII per immortales Litteras Rerum novarum auspicatus

est; pro cuiusque ingenio, viribus, condicione, aliquid conferre nitantur ; non se nec sua quaerentes, sed quae sunt Iesu Christi (80); non propria consilia omnino urgere contendentes, sed ea vel optima remittere parati, si maius commune bonum id requirere videatur: ut in omnibus et super omnia Christus regnet, Christus imperet, cui « honor et gloria et potestas in saecula » (81).

Quod ut fiat feliciter, Vobis omnibus, Venerabiles Fratres dilectique Filii, quotquot permagnae Catholicae familiae Nobis commissae estis membra, at peculiari quadam cordis Nostri dilectione opificibus aliisque manualium artium operariis a divina Providentia vehementius Nobis commendatis necnon christianis heris operumque curatoribus, paterno ex animo Apostolicam Benedictionem impertimus. Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XV mensis Maii, anno MDCCCCXXXI Pontificatus Nostri anno decimo. PIUS PP. XI.

11

Prior = Mater et magistra, post Sollicitudo rei socialis

11. CENTESIMUS ANNUS LITTERAE ENCYCLICAE IOANNIS PAULI PP. II. SUMMI PONTIFICIS SAECULO IPSO ENCYCLICIS AB EDITIS LITTERIS RERUM NOVARUM TRANSACTO

*1. **Centesimus Annus a promulgatione** Litterarum Encyclicarum Decessoris Nostri v.m. Leonis XIII, quae verbis Rerum novarum incipiunt (1), multum habet in praesenti Ecclesiae et Nostri etiam Pontificatus historia momentum. Singulariter enim illae praestant, quod sollemnibus Summorum Pontificum Documentis commemoratae sunt, a quadragesimo anno postquam foras elatae erant ad nonagesimum usque. Encyclicarum Rerum novarum iter historicum aliis scriptionibus esse notatum dici potest quae de illis monebant easque simul exsequebantur (2).*

Centesimo anno ex quo eaedem sunt editae idem facere statuentes plurium Episcoporum rogatu, Institutorum ecclesialium, Sedium studiorum, conductorum et opificum, tum uti privatorum tum uti consociationum participum, ante omnia cupimus gratiam ref erre quam tota Ecclesia debet Pontifici Maximo propter eius « immortales Litteras » (3). Cupimus etiam ostendere copiosum umorem qui ex ea scaturit radice non exhaustum esse procedentibus annis, quin immo esse abundantiorem factum. Id testantur varia incepta quae hanc celebrationem antecesserunt prosequuntur et sequentur, quaeque Conferentiae Episcopales paraverunt, Corpora internationalia, Studiorum Universitates et academicae Institutiones, Consociationes professoriae multaque alia Instituta et personae in tot mundi partibus.

2. Hae Litterae Encyclicae huiusmodi celebrationes participant, ut gratiae Deo agantur a quo descendit « omne datum optimum et omne donum perfectum » (Iac 1, 17), quia hoc usus est Documento abhinc centum annos prodito a Petri Sede, tantum operans bonum in Ecclesia et in mundo tantamque diffundens lucem. Commemoratio, quae hic fit, ad Litteras Encyclicas Papae Leonis pertinet et simul ad Encyclicas et cetera scripta Nostrorum Decessorum quae multum contulerunt ad eas reddendas praesentes et efficientes volventibus temporibus, illud constituendo quod est postea vocatum « doctrina socialis » vel « disciplina socialis » vel etiam « Ecclesiae Magisterium sociale ».

Ad huius doctrinae auctoritatem respiciunt iam binae Litterae Encyclicae quas de re sociali edidimus Nostri Pontificatus annis: nempe Laborem exercens de hominum labore, et Sollicitudo rei socialis de progressus hominum populorumque praesentibus quaestionibus (4).

3. Volumus nunc ut Encyclicae Papae Leonis relegantur invitantes ad « respectandum » in ipsius textum, ut rursus divitiae reperiantur principiorum fundamentalium, quae illae de enodatione quaestionis artificum enuntiant. Sed hortamur etiam ad « circumspectandum », in « res novas » quae nos circumsistunt et in quibus nos sumus demersi, ut ita dicamus; quae saepe longe dissimiles sunt earum « rerum novarum » quae superioris saeculi ultimum decennium distinxerunt. Adhortamur denique ad « futura inspectanda », cum iam aetatis christianae tertium imminet millennium, rerum incognitarum sed etiam promissionum plenum. Quae res et promissiones nostram mentem lacessunt vimque creatricem, nostrique tamquam 'unici magistri' Christi (cf. Mt 23, 8) discipulorum officii conscientiam excitant ut `viam' monstremus, `veritatem' profiteamur et `vitam' quae Ipse est (cf. Io 14, 6) nuntiemus.

Ita, non solum iterum affirmabitur perpetua huius modi doctrinae vis, sed se indicabit etiam verus sensus Traditionis Ecclesiae, quae semper viva et vitalis super fundamentum aedificat a nostris in fide patribus actum et praecipue super fundamentum quod Apostoli Ecclesiae tradiderunt (5) Iesu Christi nomine, fundamentum praeter quod « aliud nemo potest ponere » (1 Cor 3, 11).

Sui ut successoris Petri muneris conscientia monitus Leo XIII quaestionem tractavit et eadem conscientia eius movetur hodie successor. Sicut is, et ante eum ac post eum Pontifices, evangelicam imaginem repetimus scribae facti discipuli Regni caelorum, quem Dominus dicit similem esse « homini patri familias, qui profert de thesauro suo nova et vetera » (Mt 13, 52). Thesaurus magna est Ecclesiae Traditio quae « vetera » continet, accepta et tradita sine ulla intermissione, et simul sinit ut « nova » legantur, inter quae Ecclesiae et mundi vita procedit.

Ad haec nova quae Traditioni inserta fiunt vetera atque opportunitates et materiam suppeditant, qua et ipsa ditior evadat et vita fidei, pertinet etiam fecunda innumerabilium hominum industria qui Magisterii Socialis institutione impulsi hanc segui nisi sunt pro suo officio in mundo. Vel privatim agentes vel multipliciter in coetus consociationes et in corpora glomerati magnum ii generaverunt motum pro fiumana persona tuenda eiusque dignitate: qui quidem in alternis historiae eventibus multum profuit iustiori societati constituendae vel saltem iniustitiis coercendis et minuendis.

Hae Litterae Encyclicae eo spectant ut in lucem proferant fecunditatem principiorum quae Leo XIII enuntiavit quaeque ad doctrinae Ecclesiae patrimonium pertinent indeque eius magisterii auctoritatem obstringunt. Sed pastoralis sollicitudo Nos induxit etiam ad nonnullorum eventuum recentioris historiae inquisitionem proponendam. Supervacaneum est animadvertere muneris Pastorum partem esse attente considerare eventorum cursum ut cognoscantur novae evangelizationis necessitates. Non est tamen huius inquisitionis iudicia decretoria proferre, quandoquidem ex sese ad propriam magisterii provinciam non illud pertinet.

CAPUT I

ENCYCLICARUM « RERUM NOVARUM » NOTAE PROPRIAE

4. Superiore saeculo exeunte cursui historico occurrit Ecclesia, qui iamdudum in effectu erat sed tunc in magnum erat adductus discrimen. Huius cursus causa praecipua summa fuit mutationum maximi momenti, quae in politica oeconomica et sociali regione sed etiam in regione scientiae et technicae disciplinae factae erant, et insuper multiformis praeponderantium ideologiarum efficacitas. Earum mutationum exitus in provincia politica nova notio societatis et reipublicae fuerat ideoque auctoritatis. Translaticia societas dissolvebatur et alia formari coepta erat spe novorum libertatum conferta sed periculis etiam novorum iniustitiae et servitutis generum.

In campo oeconomico, quo inventa confluebant et scientiarum usus, gradatim perventum erat ad novas rationes pariendi bona hominibus consumenda. Novum apparuerat possessionis genus, id est pecuniae caput et novum genus laboris, nimirum mercede repensi ac duris rationibus conf ectionis signati, sine debita sexus aetatis vel condicionis familiaris observantia, sed tantummodo efficientia determinati, lucri incrementi causa.

Ita labor merx fiebat, quae emi poterai et venire in mercatu cuiusque pretium lege finiebatur postulationis et suppeditationis, nulla habita ratione rerum necessariarum ad sustentandam cum personam tum eius familiam. Praeterea ne certus quidem opif ex erat posse se « propriam » vendere « mercem », cum continuo periclitaretur sine opere esse quod, cum nullae essent providentiae sociales, quodammodo idem valebat ac fame confici posse.

Huius mutationis exitus divisio erat societatis « in duas civium classes ... immenso inter utramque discrimine interiecto » (6). Eiusmodi conditio auctae mutationi politicae iungebatur. Ita vigens tunc politica ratio idoneis legibus, aut contra quolibet consulto interventu negletto, fovere nitebatur plenam libertatem oeconomicam. Eodem tempore oriebatur et constitute formabatur, et quidem non raro violenter, alia possessionis notio atque vitae oeconomicae, quae novum postulabat ordinem publicum et socialem.

In huius contrapositi culmine summo, cum iam perspicue apparerent immanis rerum socialium iniustitia, qualis multis in partibus erat, et periculum civilis commutationis, cui opiniones tunc « socialistae » vocatae favebant, Leo XIII auctoritatem suam interposuit per Documentum quod primum ordinatim conditionem opificum tractabat. Aliquot aliae Litterae illis Encyclicis antecesserunt potius ad institutiones publicas collatae, aliae autem eas sunt secutae (7). In his temporum rerumque adiunctis praecipue commemorandae sunt Encyclicae quae Libertas praestantissimum inscribuntur, ubi fatta mentio est vinculi constitutivi libertatis humanae cum veritate, talis quidem ut libertas, quae renueret se veritate obstringere, in arbitrium prolaberetur et recideret ad serviendum sordidissimis cupidinibus et ad se destruendam. Unde enim omnia mala oriuntur, quibus Encyclicae Rerum novarum obsistere volunt, nisi e libertate quae in campo industriae oeconomicae et socialis ab hominis veritate digreditur!

Pontifex ille adhaerescebat insuper antecessorum doctrinae necnon multis Documentis episcopalibus, scientiarum pervestigationibus a laicis provectis, motuum et consociationum catholicarum actioni atque operibus effectis in regione sociali quae Ecclesiae vitae altero dimidio XIX saeculi propria fuerunt.

5. « Novae res », quas Romanus Pontif ex respiciebat, nequaquam bonae erant. In prima Encyclicarum paragrapho, « res novas » ille describit, unde conditum est nomen (Rerum novarum), gravibus quidem verbis « Rerum novarum semel excitatâ cupidine, quae diu quidem commovet civitates, illud erat consecuturum ut commutationum studia a rationibus politicis in oeconomicarum cognatum genus aliquando defluerent. Revera nova industriae incrementa novisque euntes itineribus artes: mutatae dominorum et mercenariorum rationes mutuae divitiarum in exiguo numero affluentia, in multitudine inopia: opificum cum de se confidentia maior, tum inter se necessitudo coniunctior, praeterea versi in deteriora mores, effecere, ut certamen erumperet » (8).

Leo cumque ipso Ecclesia et civilis communitas sistebant ideo ante societatem conflictatione divisam, eo acriore et saeviore quod omnis regulae et normae erat expers. Conflictatio fuit inter pecuniae caput et laborem, vel — ut eam Encyclicae appellavere, — « conditio opificum », de qua circumscripta piane rationibus asperrimis quibus tunc ostendebatur suam Pontifex expromere non timuit sententiam.

Est hic id cogitandum imprimis quod Encyclicae pro hoc nostro tempore suggerunt. Adversus dimicationem, quae hominem contra hominem quasi « lupos » opponebat, etiam alteros in periculo ad victum pertinente alteros in opulentia collocans, Leo non dubitava sibi esse auctoritatem suam interponendam, idque ex conscientia « apostolici muneris » (9), nempe officio ab ipso lesu Christo accepto 'pascendi agnos et oves' (cf. Io 21, 15-17) et 'solvendi ac ligandi in terra' pro Regno caelorum (cf. Mt 16, 19). Is profecto pacem restituere cogitabat nec eius aetatis lector potuit non notare obiurgationem certaminis classium quam ipse enuntiavit aperte (10). Sed bene sibi conscius erat pacem super iustitiae fundamentum aedificari: Encyclicarum summa principalis in eo fuit ut fundamentales condiciones iustitiae denuntiarentur in id temporis condicione oeconomica et sociali (11).

Hoc modo Leo XIII, decessorum vestigiis insistens perenne pro Ecclesia exemplum confirmavit. Haec enim habet quod dicat in certis humanis condicionibus, privatis et communibus nationalibus et internationalibus, de quibus veram profert doctrinam, corpus scilicet, quo ipsa usa res sociales inquirat, de iis suum aperiat consilium et directiones indicet ad componendas quaestiones inde exorientes.

Leonis XIII temporibus longe aberat ut eiusmodi notio iurisofficii Ecclesiae communiter probaretur. Colebant namque duplicem maxime mentium inclinationem: alteram ad hunc mundum et ad hanc vitam spectantem a qua fides aliena manere debebat, alteram ad solam transmundanam salutem quae tamen praesentiam in terra nec illustrabat nec dirigebat. Tunc Pontificis animus in vulgandis Encyclicis Rerum novarum Ecclesiam quodam donabat « civitatis statuto » in mutabilibus hominum et Rerumpublicarum vitae publicae eventibus, idque est postea magis firmatum. Revera doctrinam socialem docere et diffundere ad Ecclesiae munus evangelizandi pertinet et nuntii christiani pars est, quandoquidem haec doctrina eius nuntii directas consecutiones exhibet in vita societatis, atque in Christo Salvatore testificando etiam cotidianum laborem quadrat ac contentiones pro iustìtia illi conexas. Ea insuper fontem instituit unitatis et pacis, in conflictationibus, quae necessario in provincia oriuntur oeconomica sociali. Sic fieri potest ut secundum novas condiciones vivatur, non minuta personae humanae transcendenti dignitate nec in seipsis nec ii1 adversariis, illaeque in iustam enodationem adducantur.

Nunc centum post annis huius propensionis vis opportunitatem Nobis praebet conferendi aliquid ad « doctrinam socialem christianam » elaborandam. « Nova evangelizatio », cuius mundus huius temporis vehementer indiget, et quam saepenumero sumus persecuti, debet suis in partibus potissimis doctrinae socialis Ecclesiae nuntium numerare, etiamnum aptae, sicut temporibus Leonis XIII, ad rectam viam ostendendam, qua magnae huius aetatis provocationes oppetantur, dum ideologiae plus plusque in dies de existimatione sua perdunt. Quemadmodum fecit Leo Pontifex, oportet repetamus non esse extra Evangelium solutionem « qua,estionis socialis » at contra « res novas » posse in eo suum veritatis spatium invenire rectamque moralem collocationem.

6. Cum instituisset certamen illustrare, quod factum erat inter caput pecuniae et opus, Leo XIII opificum iura fundamentalia affirmavit. Eam ob causam principium legendi textum Leonis est opificis dignitas qua talis et eandem ob causam laboris dignitas qui sic definitur: « Hoc est enim operari, exercere se rerum comparandarum caussa, quae sint ad varios vitae usus, potissimumque ad tuitionem sui necessariae » (12). Pontifex affirmat laborem esse `personalem', « quia vis agens adhaeret personae, atque eius omnino est propria, a quo exercetur, et cuius est utilitati nata » (13). Ita labor ad vocationem pertinet cuiusque personae; quin homo suo labore se exprimit et perficit. Simul labor rationem habet 'socialem', tum ob suam cum familia

necessitudinem tum etiam cum bono communi, cum « verissimum sit, non aliunde quam ex opificum labore gigni divitias civitatum » (14). Haec in Encyclicis Litteris Laborem exercens (15) iteravimus et enucleavimus.

Aliud magni momenti principium haud dubie istud est: iuris dominii personis singularibus tributi (16). Ipsum spatium, quod in Encyclicis huic iuri conceditur, quanti illud aestimetur ostendit. Pontifex quidem non ignorat possessionem privatam non pondus habere absolutum nec proclamare cessat principia alicuius completivae rationis, quale est principium bonorum terrae addictionis universalis (17).

Aliunde est sane verum genus privatae possessionis, quod is praecipue in oculis habet, genus esse possessionis terrae (18). At id non impedit quin causae allatae ad possessionem privatam tuendam, hoc est ut ius affirmetur possidendi necessaria ad personalem propriaeque familiae profectum — quaecumque est huius iuris forma certa et definita — vim suam retineant.

Id est rursus adseverandum tum in conspectu mutationum quas videmus in constitutionibus factas ubi opum ad producendum aptarum possessio communis praeponderabat, tum etiam in conspectu crescentium indiciorum paupertatis vel potius impedimentorum possessionis privatae quae emergunt in tot mundi partibus, iis non exceptis in quibus praevalent constitutiones quae affirmationem iuris possessionis privatae suum faciunt fundamentum. Propter memoratas rerum mutationes necnon permanentem egestatem necessaria omnino iudicatur altior quaedam totius quaestionis investigatio, perinde ac perficietur deinde.

7. Arcte vero cum proprietatis iure inculcant Leonis XIII Encyclicae alia iura similiter quae ad humanam spectant personam neque ab ea abalienari possunt. Eminet inter haec, ipsam ob spatii amplitudinem quam ei Pontifex destinat ob pondusque simul quod illi tribuit, illud ius quo « privatas societates finire concessum est homini », scilicet « iure naturae », quod quidem etiam licere significat consociationes institui tum dominorum atque operariorum tum horum dumtaxat (19). Ratio hinc ducitur cur tueatur Ecclesia et probet constitutionem opificum collegiorum quae plerumque fere syndicatus nuncupantur: profecto non quibusdam ex opinionum praeiudiciis nec propter indulgentiam in mentem vel sententiam de classibus, sed quod se consociare « ius naturae » nominatim est hominibus innatum ideoque antecedens eorum insertionem politicam in societatem. Namque « est ... ad praesidium iuris naturalis instituta civitas, non ad interitum eaque si civium coetus sociari vetuerit, piane secum pugnantia agat » (20).

Una autem hoc cum iure quod — uti efferri decet — Pontifex aperte opificibus adsignat sive, nempe secundum ipsius vocem, `proletariis', adfirmantur consimili claritate ius quoque ne opus « in plures extrahatur horas », ius ad quiescendi intervalla, ius diversum puerorum et decus in muliebri genere, quantum naturam attingit diuturnitatemque operis (21).

Si praeterea eorum habetur ratio, quae tradit historia de rationibus legitimis aut iure saltem haud prohibitis, quod ad stipulationes pertinet, sine ulla praestita fide super operis horis neque de publicae salubritatis condicionibus in operis locis neglectisque prorsus aetate sexuque candidatorum ad opus, probissime gravitas percipitur Pontificis adseverationis. « Scilicet tantum exigi operis, ut hebescat animus labore nimio », — scribit ipse — « unaque corpus defatigationi succumbat, non iustitia, non humanitas patitur ». Atque accuratius contractum definiens, unde videlicet possint `operis rationes' reapse valere, adfirmat : « In omni obligatione, quae dominis atque artificibus invicem contrahatur, haec semper aut adscripta aut tacita condicio inest, utrique generi quiescendi ut cautum sit », « quantum cum viribus compensetur labore consumptis », et denique concludit: « neque enim honestum esset convenire secus » (22).

8. Continuo vero post aliud Pontifex commemorat operarii tamquam personae ius. Ius quidem agitur 'salarli iusti' quod tamen definiri minime licet « libero consensu itaque dominus rei, pacta mercede persoluta, libera visse fidem, nec ultra debere quidquam videatur » (23). Status proinde — quem ad modum id dicebatur aetatis — intercedere non valet ut horum contractuum viae decernantur, nisi ut ea curet universa implenda quae conceptis sint verbis pacta. Similis insuper notio ipsarum necessitudinum dominos inter operariosque solummodo pragmatica et informata rigido studio cuiusque singillatim hominis acriter in Litteris Encyclicis vituperatur, quandoquidem duplici adversatur operis naturae, quippe quod esse debeat personale ac necessarium. Etenim si opus, quatenus personale est, ad ipsum pertinet liberum usum quem habet quisque facultatum propriarum et virium, verum quatenus necessarium est, gravi illo regitur officio quo nempe quemque oportet « manere in vita ». Quocirca colligit Pontif ex: « Hinc ius reperiendarum rerum, quibus vita sustentatur, necessario nascitur quarum rerum facultatem infimo cuique non nisi quaesita labore merces suppeditat » (24).

Alendo opifici eiusque domui par sit merces necesse est. Quod si necessitate opifex coactus, aut mali peioris metu permotus duriorem conditionem accipiat, quae, etiamsi nolit, accipienda sit, quod a domino vel a redemptore operum imponitur, istud quidem est subire vim, cui iustitia reclamat » (25).

Utinam hae voces tum conscriptae, cum sic appellatus « capitalismus effrenus » grassabatur, hodie ne pariter essent eadem cum severitate repetendae ! Proh dolor! etiamnum contractuum deprehenduntur exempla ubi quaevis minima praetermittitur iustitia in argumento illo laboris puerorum minorum vel mulierum, in operis horariis ac salubritate condicionum apud officinas, in ipsa tandem aequa mercede. Quod etiam contingit, quantumvis multae effectae sint Declarationes et Conventiones eadem de causa inter gentes (26) sintque pariter intra Nationes ipsas opportunae latae leges. Adscripsit proin Pontifex « officiis non paucis neque levibus » quidem ipsorum « populo bene consulentium principum » munus navandi simul operam ut opificum prospiceretur saluti ac prosperitati, quia iis praetermissis officiis iustitia violaretur ; quin nec loqui dubitavit de « distributiva ... iustitia » (27).

9. Aliud dein ius Leo XIII iuribus istius modi adiungit quod aequabiliter operariorum respicit condicionem. Cuius ob momentum Nobis memorare magnopere placet : ius id est libere religionis obligationes complendi. Inter cetera sane iura officiaque opificum Pontifex illud reponit quamquam omnium fere animus eo tempore quasdam quaestiones iudicabat potius pertinentes funditus ad privatam vitam. Necessitatem ille confirmat quietis festivae ut ad cogitationem caelestium bonorum referatur homo necnon cultum divinae maiestati debitum (28). Hoc insuper iure nequit destituere quisquam hominem ut quod mandato etiam claro innitatur: « Nemini licet hominis dignitatem, de qua Deus ipse disponit cum magna reverentia, impune violare »; quapropter Statum confirmare oportet opifici ipsi talis usum libertatis (29).

Quicumque vero hac in perlucida adfirmatione prima initia dispiciat principii illius de religiosae libertatis iure, quod est deinceps argumentum factum complurium sollemnium Declarationum atque Conventionum inter gentes (30) necnon proprietas ipsius Conciliaris Declarationis Nostrique simul magisterii (31), haudquaquam ipsemet erret. Qua in re interrogandum prorsus est vigentesne hodie legum institutiones et consuetudines societatum industriis fabrilibus auctarum revera primarium ius requietis festivae praestent.

10. Alia magni quidem momenti nota, quae doctrinis abundat nostrum in tempus utilibus, ipsa notio est necessitudinum inter Statum intercedentium ac cives. Litterae Rerum novarum utrumque reprehendunt sociale et oeconomicum institutum socialismum videlicet et

liberalismum. Illi nominatim dicatur prior Litterarum praevia pars, ubi proprietatis privatae denuo adfirmatur ius; huic autem non peculiaris inscribitur pars sed — quod memoratu est piane dignum — vituperationes intenduntur, cum totum argumentum officiorum Status perpenditur (32). Statui enim haud licet « parti civium consulere », quae scilicet dives est ac prospera, simul aliunde « partem negligere », quae sine dubio multitudinis socialis maximum complectitur numerum; secus iustitiae nocetur ipsi quae praecipit suum ut cuique reddatur. « In ipsis protegendis privatorum iuribus, praecipue est infirmorum atque inopum habenda ratio. Siquidem natio divitum, suis septa praesidiis, minus eget tutela publica miserum vulgus, nullis opibus suis tutum, in patrimonio reipublicae maxime nititur. Quocirca mercenarios, cum in multitudine egena numerentur, debet curà providentiâque singulari complecti respublica » (33).

Consilia vero haec temporibus istis potissimum valent, conspectis novis egestatis formis per orbem, atque etiam quoniam adseverationes sunt quae iam non certa aliqua pendent ex Status notione neque unica e politica doctrina. Principale enim hic principium Pontifex premit cuiuslibet politicae institutionis ut singuli nempe cives, quo minus intra societatem defendantur, plus eo indigeant studiosis auxiliis curationeque aliorum et praesertim publicae auctoritatis subsidio.

Hoc nimirum pacto principium solidarietatis, prout nostra nominatur aetate, cuius vim simul intra cuiusque Nationis socialem ordinem simul inter orbis civitates Litteris inscriptis Sollicitudo rei socialis iteravimus (34), percipitur veluti primorum principiorum unum ipsius christianae mentis de rerum ordinatione sociali ac politica. Crebrius quidem a Leone XIII sub « amicitiae » titulo memoratur, quam apud Graecos iam reperimus philosophos; a Pontifice Pio IX nomine haud minus significante appellatur « socialis caritatis », dum Paulus VI ipse loquitur de « civili amoris cultu » (35), specie videlicet eiusdem rei prolatata secundum recentiores multiplicesque quaestionis socialis modos.

11. Litterarum Encyclicarum repetitio sub lumine condicionum temporis nostri efficit quidem ut Ecclesiae perpetua sollicitudo ac devotio aestimetur illos erga hominum ordines qui ab ipso Iesu Domino magis diliguntur. Documenti enim res insigniter profecto continuatam in Ecclesia testificatur ita dictam « optionem praeoptatam pro pauperibus », quae et a Nobis ipsis definita quoque est « singularis forma primarum partium tenendarum in caritatis christianae exercitatione » (36). De « operariorum quaestione » Encyclicae sic ad egentes referuntur miseramque simul ad condicionem vitae in quam novus nec raro violentus processus machinalium industriarum permagnas hominum redegerat multitudines. At hodie quoque plurimis in orbis terrestris locis consimiles processus commutationis oeconomicae socialis politicae eadem ipsa mala important.

Civitatem autem ipsam si Leo XIII cohortatur ut pauperum statui ad iustitiae normam prospiciat, idcirco sane hoc suscipit quoniam convenienter animadvertit Reipublicae esse bonum regere commune capereque consilia ut omnis vitae socialis provincia etiam oeconomica aliquid conducat ad illud provehendum bonum dum sui iuris condicionem singulorum observet. Hoc tamen neminem adducere debet ut ad Leonis Pontificis mentem arbitretur omnem difficultatis socialis dissolutionem ab ipso Statu proficisci oportere. Ex contrario quin immo saepius ille necessarios terminos inculcat intervenientis Status eiusque indolem uti instrumenti, cum unusquisque homo et familia et societas Statum antegrediantur ipseque eo exsistat ut iura tum illius tum earum defendat neve ea opprimat (37).

Praesens vero harum cogitationum utilitas non quemquam quidem praeterit. Ad grave autem argumentum limitum Status ipsius naturae ingenitorum redire decebit postmodum. Interea tamen capita illustrata haec, quae non sola in Encyclicis notanda sunt, sese apte componunt cum

sociali Ecclesiae Magisterio, recepta etiam sana notione privatae proprietatis et operis, progressionis oeconomicae et Status concreti at in primis hominis ipsius. Memorabuntur deinde aliae pariter quaestiones, cum rationes quaedam expendentur rerum istius aetatis; verum iam nunc illud prae oculis teneatur necesse est quod iter munit quodamque modo viam indicat Encyclicis Litteris universaeque item Ecclesiae sociali institutioni: nempe rectus personae humanae conceptus eiusque unicum momentum, quando homo « in terris sola creatura est quam Deus propter seipsam voluerit » (38). In illo enim suam sculpsit imaginem similitudinemque (cf. Gn 1, 26) atque incomparandam ei tribuit dignitatem quam saepius sane Encyclicae Litterae efferunt. Re quidem vera, ea extra iura quae opere sibi suo homo adipiscitur, alia inveniuntur pariter iura quae nulli ab homine peracto respondent operi sed quae ipsius veluti personae ex essentia ipsa profluunt.

CAPUT II

AD « NOVAS RES » HODIE VERSUS

12. Nisi hodiernas quoque ad rerum condiciones conicerentur oculi, Litterarum « Rerum Novarum » manca omnino deficeret celebratio. Iam sua ob principia interiora Documentum sese praebet ad talem deliberationem aptissimum quoniam historica eventuum descriptio necnon venturae aetatis praesagium ibidem reposita mirum omnino in modum accurata exactaque deprehenduntur, iis perceptis quae post Litteras evenerant.

Nominatim vero illud confirmatur iudicium ipsis rerum conversionibus quae extremis anni MCMLXXXIX mensibus primisque anni mcmxc interciderunt. Etenim nec istae nec subsequentes penitus terrarum mutationes explanantur nisi secundum priores quasdam rerum condiciones quibus praevidentes Leonis XIII aestimationes quadamtenus concorporantur vel sanciuntur sicut et peiora usque temporum signa quae successores eius similiter perceperunt. Namque Leo Pontifex mala consectaria prospexit sub omni aspectu — politico sociali oeconomico — cuiusdam societatis regiminis « socialismum » suadentis qui id aetatis investigabatur per socialem aliquam philosophiam quique tractabatur tamquam motus plus minus bene ordinatus. Forsan quis miretur hodie cepisse a « socialismo » Pontificem initium reprehendendi remedia quae tum adderentur « opificum quaestioni », cum is nondum in alicuius Status figura subsisteret qui validus esset ac potens universis opibus et viribus praesto iacentibus, prout dein contigit. Subtiliter tamen ipse aestimavit periculum ne multitudines per speciem solutionis tam simplicis quam radicalis « operariorum quaestionis » tunc temporis allicerentur. Id quidem magis patet si sub lumine consideratur terribilis condicionis iniquitatis in qua turbae proletariae versabantur, in Nationibus quae modo ad fabriles industrias provectae erant.

Duae res hic sunt collustrandae: primum mira quaedam claritudo, qua proletariorum vera percepta est condicio tota sua in atrocitate, tum virorum tum feminarum tum puerorum; deinde neque minor perspicuitas qua solutionis malum intellegitur, quod per inversionem quandam pauperum divitumque status detrimentum reapse iis quidem inferebat quos iuvare cupiebat. Remedium mali peius idcirco exstabat quam malum. In natura socialismi definienda illius aetatis, scilicet in privatis possessionibus demendis, Leo XIII penitus attigit quaestionis caput.

Ipsius verba digna sunt quae attente legantur « Ad huius sanationem mali Socialistae quidem, sollicitata egentium in locupletes invidia, evertere privatas bonorum possessiones contendunt oportere, earumque loco communia universis singulorum bona facere Sed est adeo eorum ratio ad contentionem dirimendam inepta, ut ipsum opificum genus afficiat incomm odo: eademque praeterea est valde iniusta, quia vim possessoribus legitimis affert, pervertit officia reipublicae, penitusque miscet civitates » (39). Mala nimirum melius non potuerunt ostendi quae huius

generis socialismi constitutione inducta sunt, qui penitus rempublicam uti institutum occupabat quemque postea « socialismum realem » nuncupaturi erant.

13. Si quam rem suscepimus altius perscrutamur, positis ob oculos Litterarum quoque Encyclicarum nostrarum verbis quae sunt Laborem exercens atque Sollicitudo rei socialis, hoc profecto est addendum, praecipuum errorem « socialismi » generis esse anthropologici. Inibi enim ipse homo elementum tantum consideratur atque corporis socialis particula ita ut uniuscuiusque bonum ad machinamenti socialis et oeconomici congruentem motum penitus subiciatur, dum contra idem individui bonum exsistere posse iudicatur sine libera ipsius electione minimeque spectato eius officio pro bono malove. Sic homo ad seriem quandam deducitur socialium oeconomicarumque necessitudinum atque notio personae evanescit veluti liberi subiecti cuiusdam moralis voluntatis, quod hanc per voluntatem ordinem socialem constituit. Ex hac autem perperam concepta de persona notione oriuntur iuris ipsius vitium, quod terminos definit libertatis personae eiusdemque condiciones, necnon privatae possessionis eversio. Etenim homo omnibus rebus si penitus diripitur ut aliquam rem « suam » nuncupare nequeat et si ipse facultate sustentandi se libero opere privatur, sociali videlicet machinae subditur et iis qui eandem gubernant: quapropter dignitatis personae humanae agnitio difficilior evadit atque sic iter impeditur quod verae humariae communitatis ad constitutionem perducit.

At contra ex christiana doctrina personae recta necessario societatis eruitur notio. Ad Rerum novarum sententias socialemque similiter Ecclesiae doctrinam socialitas hominis minime ab ipsa republica absorbetur, sed in aliis inferioribus sodaliciis explicatur, capto a familia initio usque ad oeconomicas et sociales politicas et culturales consociationes quae ex hominis natura orientes — bono communi usque servato — sua ipsorum fruuntur libertate. Id quidem ipsum « subiectivitatem societatis » vocavimus quae una cum individui subiectivitate a « socialismo reali » deleta est (40).

Si quis ultro interroget unde haec personae humanae falsa notio ac societatis « subiectivitas » oriantur, necesse sit respondeat easdem potissimum ab atheismo dimanare. Deo autem ipsi qui rebus etiam mundanis iuvantibus vocat cum respondet homo, sibi fit idem conscius de sua transcendenti dignitate. Haec responsio ab unoquoque homine elici debet in qua humanitatis illius f astigium invenitur quamque nullum sociale machinamentum vel subiectum commune substituere potest. Si vero Deum haud esse asseverant, de persona ipsius detrahunt fundamentum; tum idcirco socialis ordo impellitur ut reficiatur, auctoritate penitus et personae dignitate neglecta.

Ceterum atheismus de quo disseritur arcte cum rationalismo illuministico coniungitur, qui humanam rem machinae modo iudicat. Itaque de germana hominis granditate hoc modo praeciduntur aestimatio suprema itemque eiusdem transcendentia prae mundanis rebus, discrepantia consiliorum in ipsius corde insita, cum inter boni plenitudinem iactatur et imparilitatem ad idem consequendum, et in primis salutis desiderium quod inde proficiscitur.

14. Eadem ex radice et ratione atheistarum instrumenta colliguntur quae pertinent ad actionem propriam socialismi, qui Rerum novarum verbis damnatur. Agitur nimirum de contentione inter ordines. Pontif ex ipse — vere confiteamur — damnare non vult omnem et quamlibet controversiam socialem: probe enim novit Ecclesia inter societatis ordines quasdam exsurgere dimicationes aliqua quasi e necessitate, ob quas crebro est christiano decernendum prompte et congruenter. Ceterum Litterae Encyclicae quarum titulus Laborem Exercens contentionis aequitatem agnoverunt, cum ipsa 'pro sociali iustitia in certamen' vertitur (41). In Litteris Quadragesimo anno autem scribitur: « Classium enim pugna, modo ab inimicitiis mutuoque odio

abstineat, paulatim transit in honestam quandam disceptationem, iustitiae studio fundatam » (42).

De contentione inter ordines potissimum damnatur notio cuiusdam pugnae quae non ethicis rationibus vel iuridicis finitur, quae videlicet dignitatem personae alterius respuit (eadem proinde semet quoque reicit ipsa), quae idcirco omnem accommodationem amovet atque nihil universum societatis bonum persequitur, sed bonum particulare quod in bonum commune subrogatur et cuncta adversa tollere studet. Revocatur denique doctrina de eo quod est « bellum universale », ratione quidem spectata controversiae de socialibus ordinibus, quod nimia rei bellicae cura cupidoque dominandi illa aetate ad necessitudines inter nationes inferebat. Pro congruenti aequabilitate perquirenda inter variarum nationum commoda doctrina inducebatur talis quae asseveraret propriam partem prorsus praevalere debere, adhibitis quoque mendaciis et in cives terroribus, et armis excidii totius (quae tunc temporis coepta sunt excogitari) ut adversariorum opes exstinguerentur. Inter ordines igitur certamen ad marxianam sententiam atque secundum nimium bellicae rei studium eiusdem stirpis sunt: ex atheismo scilicet oriuntur et humanae personae contemptione, unde roboris potius quam rationis iurisque praevaleat principium.

15. Rerum novarum Litterae Encyclicae instrumentis rerum efficiendarum obstant quae publice ministrantur, quandocumque quilibet civis ita quasi « segmentum » denticulatae rotae fit in Statu. Eae simul resistunt pari cum impetu illis doctrinis, quae omnino detineri volunt extra Rempublicam rem oeconomicam. Certe oeconomicae actioni aliquid proprii legitime conceditur, a quo Civitas arcenda est. At ipsa iuridicas condiciones inducere debet, in quibus rationes oeconomicae explicentur, et sic prima principia servare in oeconomica libertate, quae aequalitatem quandam postulat inter partes, ne quaedam pars tantum polleat ut reliquae in servitutem revera redigantur (43).

Hac autem de re Rerum novarum Encyclicae Litterae suadent congruarum reformationum iter, quae operi dignitatem reddant ad liberas hominis actiones spectantem. Ipsae quidem conscientiam officii a societate postulant et a regimine, unde opifex contra gravissimam curam coactae vacuitatis lucrosorum operum potissimum defendatur. Praeteritis vero temporibus duas propter rationes eodem vergentes id fiebat, simul cum politica oeconomica ageretur quae aequum auctum iuvaret, simul cum coactae ab opere cessationis cautio interponeretur et renovata educatio in artibus et professionibus secundaretur, ut opifices ad res transire possent fioridiores ex operibus et muneribus minus valentibus et infirmatis.

Societas exinde et Status tanta salaria praestare debent ut convenienter sustententur opifex eiusdemque domus, peculii cuiusdam repositi data quoque facultate. Haud mediocrem id requirit nisum et conatum ad cognitiones opificibus praebendas et facultates magis magisque aptiores, ut eorum opus melius feraciusque evadat; verum assiduam quoque vigilantiam postulat idem, valde consentaneis iuvantibus legibus ut foeda abusio tollatur quae humilioris ordinis apprime respicit opifices, alienigenas item et segregatos. Decretoria existimantur hac in re opificum collegia, quae minima salaria paciscuntur et operis condiciones.

Operis tandem horaria « humana » serventur quietisque necnon ius suam cuiusque indolem patefaciendi in ipso operis loco ac sine conscientiae ulla violatione dignitatisve. Munus hic profecto repetatur collegiorum quae sunt non modo pactionts veluti instrumentum verum etiam tamquam quidam « lo-ci », ubi opificum natura declaratur : ipsa quidem progressibus inserviunt certi cultus operis opemque pariter ferunt ut vitam modo vere humano fabricae participent opifices (44).

Haec ad proposita consequenda tam directe quam oblique operam suam conferre debet Respublica: oblique scilicet necnon ad subsidiaritatis principium, feliciores quidem inducendo condiciones quae actionis oeconomicae libero usui favean t unde copiosae praebeantur operis opportunitates et divitiarum capita; directe ac secundum solidarietatis principium, fines quosdam qui humiliores tueantur constituendo ipsi partium libertati quae operis condiciones decernunt, itemque illud prospiciendo ut minimum vitale subsidium habeat opere carens opifex (45).

Litterae hae Encyclicae et cum iis coniunctum Magisterium sociale in saeculi xlx et xx traiectu variam multiplicemque habuerunt vim. Quae vis in innumeris reformationibus conspicitur, in providentiis scilicet socialibus et pensionibus atque calamitatum cautionibus, intra rationes videlicet ampliores quibus melius opificum iura serventur (46).

16. Hae autem reformationes a Nationibus partim inductae sunt, quibus tamen in obtinendis magnum praestitit officium industria opificum Motus. Repellendarum iniuriarum et damnorum causa exortus ex conscientia morali ceteroqui in ampia regione egit, in opificum collegiis, in reformationibus provehendis, procul a quarundam doctrinarum caligine proximusque contra opificibus eorundemque cotidianis necessitatibus. Hac in provincia eiusdem nisus cum christianorum opera iugati sunt, quo in melius obtineretur mutatio condicionum opificum vitae. Idem vero deinceps Motus ea ipsa temperabatur quademtenus marxiana opinatione cui refragatae Rerum novarum Litterae erant.

Reformationes ipsae etiam libero quodam processo societatis se ipsam bene componentis sunt illatae, solidarietatis apte conciliatis instrumentis, quae auctum quendam oeconomicum sustinerent personae bonis obsequentiorem. Multiplex hic est memoranda actio, bene christianis iuvantibus, in coetus sodalium condendos rerum gignendarum et consumendarum causa et pecuniae creditae gratia, in popularem institutionem provehendam et artis formationem, in varias formas experiendas easdemque ad fabricae vitam participandam versas et generatim societatis.

Est igitur cur Deo gratias agamus, si praeterita respicimus, quandoquidem praeclarae hae Litterae Encyclicae haudquaquam expertes fuerunt vocis de cordibus resilientis, quin immo ad liberalitatem et sollertiam impulerunt; attamen oblivisci non possumus nuntium hunc propheticum ex iisdem Litteris piene non esse receptum illius temporis ab hominibus atque idcirco magnas evenisse calamitates.

17. Si Litteras Encyclicas legimus prae oculis locuples Leonis Magisterium tenentes (47), prorsus animadvertimus, ad extremum in sociali provincia et oeconomica alicuius erroris latioris consectaria easdem significare. Error hic, ut supra memoravimus, in doctrina illa versatur libertatis humanae quae veritatis ab oboedentia ipsam abstrahit, ac propterea ab officio iurium observandorum alienorum. Libertas exinde fit sui amor usque ad Dei contemptionem et proximi, qui amor in immensum utilitatem suam extollit neque ullo vinculo finitur iustitiae (48).

Hic ipse error illa in bellorum serie ad pessimum exitum pervenit, quae Europam everterunt orbemque inter MCMXIV et mcmxix annum. Haec nempe bella ex militari furore orta sunt et elato nationis studio et quodam genere unius dominatus quibuscum iungebantur, et bella quae ex classium certamine originem trahebant tum etiam bella civilia et doctrinarum. Acre illud odium si demptum esset et invidia, quae nationes inter se atque propria intra moenia ob sociales iniurias concitaverat, talis profecto vastitas, in qua magnarum Nationum omnes insumptae sunt vires in qua omnia sancta violata in qua consilia capta sunt integras gentes necandi et sociales coetus,

haudquaquam exstitisset. Meminimus omnino Iudaicam nationem, cuius sors veluti exemplum nunc habetur summum malorum quae homini contingere possunt contra Deum se vertenti.

Iamvero odium iniquitasque totas Nationes pervadunt easdemque ad agendum compellunt cum ipsa comprobantur et doctrinis illis conformantur quae in iis consistunt potius quam in hominis veritate (49). Rerum novarum Litterae cum doctrinis illis odium concitantibus dimicaverunt ac pariter viam commonstrarunt ad vim tollendam et per iustitiam invidiam. Utinam infelicissimorum illorum eventuum recordatio omnium hominum dirigat actus, nominatim populorum nostra aetate rectorum, ubi nova odia conflant aliae iniustitiae, ubi demum novae prospectantur doctrinae quae vim extollunt !

18. Certe ab MCMXLV anno in Europa silent arma, vera tamen — id memoria teneatur — pax non exstat ex militum victoria, at potius ex causis remotis bellorum ex sinceraque inter populos concordia. Complures autem annos in Europa totoque orbe aliquod non-bellum potius viguit quam vera pax. Marxianus dominatus dimidiam Europaeae continentis partem temperavit, dum altera pars periculum illud idem vitare nitebatur. Multi igitur populi potestatem amittunt se ipsi moderandi, qui intra imperii presse strangulati fines cohibentur dum eorum historica memoria deletur et eorundem cultus saeculares radices. Innumerae gentes suum ipsorum solum deserere coguntur, partitione hac per vim inducta, et aliquo violentar amandantur.

Insanum quidem armorum studium haurit opes necessarias ad progressum rerum oeconomicarum cuiusque Nationis necnon ad Civitates iuvandas improsperas. Humanae autem cognitionis progressio pariter ac technicae artis, quae hominum commoditati servire debet ac prosperitati, instrumentum fit belli. Arma quae efficiunt magis magisque perfecta et mortifera, adhibentur scientia et ars, dum ex ideologia quae philosophiae verae est perversio comprobatio postulatur et ratio ad novum bellum suscipiendum. Et id quidem bellum non modo praesentitur et providetur, verum etiam cruentam per caedem geritur multis terrarum in locis. Nationum foederatarum imperiorumve ratio, quae in Documentis Ecclesiae reprehenditur et recens in Litteris Encyclicis Sollicitudo rei socialis (50), facit ut omnes controversiae et dissentiones in Tertii Mundi Nationibus orientes excitentur et amplificentur, unde adversarii imperium in angustias adducatur.

Novissimarum rerum molitores, qui controversias armis expedire contendunt, commode quidem politica fulcimenta et militaria reperiunt, armati videlicet et in rebus bellicis instituti; sed contra ii qui negotia pacifice solvere student et humaniter quique pariter congrua iura omnium partium servant, prorsus segregantur et ab adversariis suis circumveniuntur. « Tertii Mundi » quoque complurium Nationum militaris institutio atque intestina bella in quibus versantur, tum terrorum propagatio et magis magisque barbara instrumenta ad politicas militaresque pugnas adhibita, instabili pace potissimum foventur, quae bellum alterum mundanum consecuta est. Toti tandem orbi imminet atque instat bellum atomicum quod delere radicitus genus hominum potest. Ars denique et scientia in militares res versa praebet odio utique quibusdam doctrinis amplificato summum instrumentum. Quoniam vero bellum in interitum hominum ab ipsis patratum desinere potest, nullis quidem victoribus nullisque victis, via propterea funditus est declinanda quae eodem perducit, et sententia simul est repudianda: pugnam in adversarium delendum, contentionem et bellum ipsum, afferre profectum et progressum historiae (51). Necessitate nimirum huius immutationis intellecta, procul dubio oportet ambigere de « universalis belli » doctrina aeque ac « de certamine inter ordines ».

19. Bello autem altero orbis terminato, talis progressio in hominis conscientia adhuc perficitur; et illud vero eminet et apparet: totalitarismum marxianum ultra proferri dimidiam Europae

partem et in maxima orbis parte versari. Bellum profecto, cuius munus esse credebatur libertatem singulis restituere et ius gentium instaurare, re prorsus infecta ad exitum pervenit; quin immo, multis spectatis populis et iis qui praesertim belli diritatem passi sunt, cum his propositis omnino discrepat. Effecisse hanc ita natam condicionem asseverare licet responsa variantia.

Quibusdam in Nationibus et quibusdam sub modis nisus conatusque conspiciuntur societatem popularem resarciendi post belli calamitates; quae societas iustitia sociali perfundatur et ipsum communismum vi cupiditateque rerum novarum exuat, quas hominum multitudines demonstrant vexatae et oppressati. Conamina autem haec liberi mercatus rationes plerumque servare nituntur, dum per stabiles res nummarias et in socialibus necessitudinibus per veram concordiam prospicitur talibus condicionibus ubi sanus sit auctus oeconomicus et constans, in quo homines sibi ipsi filiisque operantes prosperius, futurum tempus provident. Eodem tempore ipsi contendunt prohibere ne mercatus machinae novissimus finis habeantur pro tota hominis vita et publicae vigilantiae subicere eas volunt, unde terrae bonorum communis destinationis principium efficaciter imponatur.

Operis occasiones frequentiores, socialis securitatis solidum institutum quod opus pariter procuret, libera consociatio collegiorum efficienter agentium, cautio si forte desit opus, instrumenta socialis vitae populariter partecipandae, debent hac in re opus ipsum ex « mercis » condicione vindicare et piane efficere ut id digne praestetur.

Vires deinde sociales adsunt aliae et motus quae marxismo resistunt ratione quadam inducta « nationalis securitatis » quae societati toti minutatim invigilet ut marxismus irrepere nequeat et illabi. Opibus autem Reipublicae celebratis cumulatisque cogitant a communismo arcere gentes. Sed hac adhibita via periculum prorsus est ne libertas personaeque bona tollantur, quorum sub titulo illi est obsistendum.

Alia vero ratio et consuetudo in commodorum societate residet vel in rerum consumptionis societate, quae eadem intra regionem meri alicuius materialismi marxismum profligare cogitat, dum demonstrat societatem liberi mercatus plenius necessitates explere posse quam marxismum, sepositis similiter spiritalibus bonis.

Revera sociale eiusmodi specimen, sicut hinc demonstrat placita marxiana conatibus defuisse novam creandi societatem atque meliorem, ita illinc, quotiens et vitae autonomiam et moralis rationis praestantiam necnon tum iuris tum humani cultus tum etiam Religionis momentum infitiatur, eatenus cum marxianis confluit, ut homines ad regionem oeconomiae omnino redigat et ad voluptatem usuum materialium.

20. Eadem vero aetate ingens peragitur opus « coloniarum demolitionis » quo complures adipiscuntur aut denuo consequuntur Nationes sui iuris condicionem iusque ipsum de se libere decernendi. Maiestate autem sic status recuperata plerumque eaedem Civitates modo iter primum ingrediuntur ad veram suam libertatem stabiliendam. Partes namque praestantes ipsius rei familiaris seu oeconomicae adhuc retinentur magnis a societatibus extrariis quae se obligari perpetuo nolunt progressibus alicuius Nationis se accipientis; vita sic politica potestatibus exterioribus regitur, dum intra Civitatis ipsius fines versantur vivuntque simul tribus nondum in veram nationis communitatem conglobatae. Desideratur praeterea publicorum peritorum numerus a quibus probe honesteque Status temperentur instituta; item compages requiruntur aptae videlicet ad rem oeconomicam efficaciter gerendam.

Ante hanc populorum praesentem condicionem existimant plurimi posse rationem marxistarum adferre quasi quoddam viae compendium ad Nationis ac Status institutionem; inde ergo variantes socialismi exoriuntur formae cum indole cuiusque nationis propria. Multis ideo cum doctrinis, quae vario quidem modo identidem componuntur, permiscentur legitima salutis patriae postulata necnon studia sui solius populi ac militaris ardoris, tum etiam quaedam principia popularibus e traditionibus deducta quae cum sociali christianorum doctrina non numquam concinunt, et notiones denique marxismi-leninismi.

21. Reminisci tandem oportet, profligato altero omnium gentium bello nisuque facto contra eius crudelitates, acriorem disseminatam esse sollicitudinem de hominum iuribus quae ad extremum est agnita et suscepta variis in Documentis Nationum (52) ideoque in ipso contexendo — dici profecto licet — novo « iure gentium » cui Apostolica Sedes suas continenter contulit partes. Fulcimen et velut huius progressionis cardo fuit Consociatio Nationum Unitarum. At non una dumtaxat conscientia crevit iurium cuiusque hominis, verum singularum quoque Nationum, cum necesse esse simul intellegeretur aliquid effici ut magnae inaequabilitates sanarentur inter latiores orbis regiones, quae quodam pacto quaestionis socialis caput a nationum ipsarum provincia in omnium gentium circuitum transtulerunt (53).

Hac rerum progressione perlibenter denotata, aliunde tamen silentio praeteriri haud decet totam summam omnium viarum auxiliandi ipsis progressibus non semper in bonam exire partem. Nec ipsi quidem Consociationi Nationum Unitarum adhuc feliciter contigit ut idonea instrumenta conficiantur ad pugnas inter gentes absque bello dirimendas; quae nempe difficultas maxima videtur quam populorum communitas dissolvat in posterum oportebit.

CAPUT III

ANNUS MCMLXXXIX

22. Si ab orbis condicione ita descripta abundeque pariter Nostris in Litteris Sollicitudo rei socialis exposita aliquis proficiscetur, momentum inopinatum magnaeque simul spei comprehendet ipsorum eventuum his proximis annis. Eorum veluti apex attingitur per anni MCMLXXXIX eventa in Europae mediae et orientalis Nationibus sed quae temporis intervallum ac terrarum plagam multo latiorem complectuntur. Progredientibus enim annis a mcmLxxx ad mcmxc apud aliquot Americae Latinae verum etiam Africae et Asiae Civitates collabuntur quaedam dictaturae tyrannidisque gubernia ; alibi autem difficile quidem sed frugiferum suscipitur iter conversionis in civilis ordinis formas quae maiorem patiuntur participationem maioremque prae se ferunt iustitiam. Magni vero ponderis partes, quin immo et decretorias, illuc adtulit Ecclesiae officium in tutandis adiuvandisque hominis iuribus : in locis enim certa quadam doctrina permeatis, ubi copiae variarum factionum collectae sensum obscurabant communis hominum dignitatis, simpliciter at fortiter docuit Ecclesia unumquemque hominem, quaecumque ipsius interiores essent sententiae, imaginem in se Dei gestare ideoque observantiam et reverentiam mereri. Qua in adseveratione saepius consentiebat maior populi ipsius pars; id quod effecit ut contendendi viae rationesque solvendarum difficultatum politicarum quaererentur quae personae dignitatem servarent.

Ex hoc porro historiae progressu figurae novae emerserunt popularis regiminis, unde spes quoque elucet futurum esse ut res intra fragile involucrum politicarum socialiumque structurarum commutentur quae acerba catena iniuriarum odiorumque obligantur necnon statu rei oeconomicae conflictato ipsisque societatis gravibus pugnis. Gratias igitur dum referimus Deo cum universa Ecclesia pro heroico saepe testimonio quod plures pastores, communitates totae, christiani singuli aliique bonae voluntatis homines in adeo impeditis rerum adiunctis reddiderunt,

precamur simul ut nisus omnium intentos in meliorem efficiendam aetatem venturam ipse sustentet. Illud enim munus non civium dumtaxat illarum Nationum est, verum christianorum cunctorum hominumque bonae voluntatis. Demonstrari enim interest implexas eorundem populorum quaestiones dirimi posse colloquii ac solidarietatis usu, exclusa dimicatione ad adversarium delendum ac bellica vi.

23. Complura inter elementa interitus illius guberniorum imperiosorum quaedam sane sunt digna quae singillatim huc proferantur. Decretoria nimirum res, quae conversionibus initium dedit, iurium operis violatio est. Ilaud enim oblivisci licet intimum discrimen eorum regiminum, quae praedicare audeant aliquam gubernationem immo vero et dictaturam operariorum, magnis incipere cum motibus in Polonia sub solidarietatis scilicet appellatione. Opificum enim turbae ipsae exlegem reddunt eam philosophiam quae se pro illis loqui adserit, dum rursus inveniunt et quasi detegunt — proficiscentes nempe a solido quodam arduoque operis et oppressionis experimento —documenta ac principia socialis Ecclesiae institutionis.

Illud dein oportet efferri: ad eversionem talis « molis » sive imperii ferme ubique perventum est per pacificam omnino contentionem quae armamentis solis utitur veritatis et iustitiae. Cum marxistarum placita defenderint dumtaxat repugnantiis socialibus ad extremum extrahendis fieri posse ut per violentam conflictationem eae dissolverentur repugnantiae, dimicationes quae marxismi importaverunt amotionem firmiter periclitari perseverant singulas disputationis diverbii ac testificationis veritatis vias appellantque adversariorum conscientiam in quibus excitare conantur communis dignitatis humanae sensum.

Ordinatio totius Europae, quae altero ex orbis bello enata erat confirmataque Stipulationibus Yaltensibus, posse videbatur alio solo bello concuti. Superata illa ex contrario est minime violento hominum opere et officio qui, recusantes semper ne violentiae cederent impetibus, singulis datis opportunitatibus modos efficientes repererunt quibus veritatem testarentur. Hoc adversarium inermem reddidit, quoniam violentia ipsa necesse habet ut mendacio quasi legitima defendatur utque sibi, quantumvis falso, speciem induat alicuius tutelae iuris vel responsionis minationibus alienis factae (54). Grates Deo denuo agimus qui hominum corda sustinuerit asperae difficultatis tempore petimusque pariter precantes ut id genus alibi quoque exemplum et in aliis adiunctis utile esse possit. Utinam dempta omni vi discant homines pro iustitia luctari et aspernari item in litibus internis contentionem classium perinde ac bellum in dissensionibus inter nationes !

24. Alia porro pars quaedam illius discriminis sine dubio est efficientia ipsa manca totius oeconomici instituti quod non technicum tantum impedimentum censeri debet sed consectarium humanorum iurium violatorum quae ad liberam industriam, ad proprietatem et ad agendi libertatem in re oeconomica spectabant. Eo similiter accedit ratio ipsa cultus humani patriaeque indolis intellegi enim non valet homo ex uno dumtaxat latere oeconomicae aestimationis neque definiri potest simpliciter, prout ad hunc illumve pertinet civium ordinem. Plenissime scilicet comprehenditur homo, si in aliquem inseritur ambitum culturae per linguam suam et historiam perque adfectionem quam coram praecipuis vitae eventibus ille colit, cuius generis sunt ortus ipse et amor, labor et mors. Mediam vero partem cuiuslibet culturae occupai hominis adfectus ante maximum omnium arcanum: Dei mysterium. Singularum namque Civitatum formae humani cultus totidem tandem rationes sunt quibus interrogationi respondeatur de sensu vitae uniuscuiusque hominis: subducta enim huius generis quaestione, et cultura Nationum et vita moralis pessum dantur. Quocirca dimicatio in operis humani defensionem suapte sponte coniungitur cum pugna pro humano animi cultu necnon Nationis ipsius iuribus.

Vera autem novitatis causa illud est spiritale vacuum Dei negatione inductum quod iuvenum saecula destituit recta ordinatione nec raro etiam ea permovit ut, dum propriam personam vitaeque sensum insuperabili quodam fervore conquirebant, religiosas demum radices culturae Nationum suarum denuo retegerent ac personam Christi Iesu ipsam, tamquam responsum suapte natura accommodatum illi siti veritatis et boni et vitae quae cuiusque inest cordi hominis. Quae insuper conquisitio testimonio confirmata est eorum, quotquot Deo perstiterunt fideles. Promiserat enim marxismus necessitatem Dei sublaturum se ex hominum animis; atqui commonstraverunt potius effecta id fieri nullo modo posse nisi totum simul subvertatur cor.

25. Anni MCMLXXXIX eventus documentum praebent felicis exitus ipsius firmae tractandi voluntatis animique evangelici contra adversarium cui certum erat moralibus principiis non se devincire : admonent pariter omnes quicumque sub realismi cuiusdam politici nomine ex rerum politicarum campo ius ipsum depellere moralemque doctrinam nituntur. Poposcit nimirum dimicatio illa, quae anni MCMLXXXIX consectaria peperit, lucidam mentem et temperantiam, dolores et iacturas; quadamtenus vero coorta ea est e precatione nec cogitari quidem potuerat sine interminata de Deo fiducia, historiae Domino qui velut manibus suis corda tenet hominum. Si igitur suos pro veritate libertateque cruciatus homo coniungere novit cum Iesu Christi doloribus in Cruce, prodigium pacis patrare valet potestque aequabiliter ipse semitam saepius angustam dispicere inter animum pusillum malis cedentem hinc et illinc vim quae mala illa duplicat cum sese decipiat eadem vincere posse.

Attamen praeteriri haud innumerabiles possunt condiciones inter quas singulorum hominum operari debet libertas: adficiunt certo, sed non vinciunt, libertatem; eius etiam exsecutionem faciliorem reddunt minusve facilem, at delere illam nequeunt. Non ideo solum non licet hominis naturam ethica ratione transire, quae in libertatem est nata, sed ne fieri quidem istud reapse potest. Quotiens enim ita disponitur societas ut temere imminuatur aut etiam exstinguatur tota regio ea, in qua iure exercetur libertas, consequitur ut socialis sensim vita dissuatur ac dilabatur.

Praeterea ad libertatem conditus homo in sese vulnus originalis portat peccati quod in malum usque eum allicit facitque ut redemptione indigeat. Doctrina haec quidem non sola pars christianae Revelationis necessaria est, sed magnam quoque explicatricem virtutem secum infert, quatenus multum adiuvat ut humana perspiciatur veritas. In bonum namque tendit homo, mali tamen item capax est; proximum quidem potest commodum suum transgredi sed eo simul deligari. Eo igitur solidior erit societatis ordo, quo magis huius rei rationem duxerit renueritque commoditates singulorum bonis anteponere societatis totius simul sumptae, ac vias potius quaesiverit fructuosae eorum compositionis. Etenim ubicumque hominis cuiusque commodum vi opprimitur, in ipsius locum ponderosum sufficitur institutum publicae officiorum gubernationis quae fontes liberae industriae atque creatricis virtutis exsiccat. Cum homines se arbitrantur ultimam tenere rationem secretam absolutae ordinationis socialis quae malum prorsus inefficax reddat, licere aequabiliter credunt quaelibet usurpare instrumenta, vel ipsa mendacia aut crudelitatis consilia, ut illa ad effectum deducatur. Evadit tunc politica doctrina quaedam « saecularis religio » quae se falso existimat paradisum constituere posse hisce in terris. Verum tamen quaevis politica societas, cui propriae sunt sui iuris condicio suaeque leges (55), non poterit commisceri umquam cum Dei Regno. Evangelii parabola de herba bona ac zizaniis (cf. Mt 13, 24-30. 36-43) luculenter docet Dei esse solius sodales Regni et sodales Maligni segregare taleque iudicium ad temporum finem esse eventurum. Si quis audeat homo iam nunc illud praeoccupare iudicium, in Dei se locum subroget eiusque patientiae adversetur.

Propter Christi in Cruce sacrificium semel in perpetuum reportata est Regni Dei victoria; christianorum tamen condicio pugnam postulat contra illecebras viresque mali. Historiae

dumtaxat sub finem in gloria Dominus revertetur extremum peracturus iudicium (cf. Mt 25, 31), integratis scilicet caelis novis novaque terra (cf. 2 Pe 3, 13; Apg 21, 1); sed perdurante ipso tempore boni malique luctatio in medio fervet hominis animo.

Quae omnia tradunt Sacrae Litterae de Regni Dei novissima sorte, suum pariter exserunt impulsum in societatum temporalium vitam quae — perinde ac nomen indicat earum — ad verum temporis statum pertinent cum omnibus imperfectis temporariisque illius rationibus. In mundo Regnum Dei ita exstans, quin de mundo sit, humanae ordinem societatis collustrat, cum gratiae vires pervadunt illum atque vivum reddunt. Hoc nimirum modo animadvertuntur melius postulata alicuius societatis homine dignae; errores castigantur; fortitudo ipsa corroboratur nempe operandi ad bonum. Quod ad officium evangelicae animationis rerum humanarum advocantur christiani ac praesertim laici (56) una sane cum universis voluntatis bonae hominibus.

26. Potissimum intercesserunt anni MCMLXXXIX eventa in Europae orientalis mediaeque Civitatibus; universale tamen prae se ferunt momentum ac pondus, cum ex iis bona ac mala proficiscantur consectaria quibus omnis adficitur hominum familia. Hae quidem consecutiones non naturam demonstrant machinariam nec fatalem; sunt opportunitates potius hominum libertati tributae ut cum misericordi operentur Dei consilio inter humanam historiam agentis.

Prima videlicet consecutio fuit quibusdam in Nationibus congressio Ecclesiae cum opificum Motu, qui enatus pridem erat ex contraria quadam impulsione indolis ethicae nominatimque christianae adversus passim diffusam iniustitiae condicionem. Integrum ferme per saeculum idem Motus partim subiacuerat marxismi dominatui cum persuasum haberetur, ut efficienter possent proletarii contra tyrannidem pugnare, debere eos opinationes materiales atque oeconomicas facere omnino suas.

Intra ipsam marxismi dissolutionem exempla voluntaria erumpunt opificum conscientiae qui postulationem iustitiae pronuntiant atque agnitionis illius dignitatis quae operi humano insidet secundum socialem Ecclesiae doctrinam (57). Operariorum Motus ampliorem influit in coetum hominum labori addictorum bonaeque voluntatis ut persona humana liberetur eiusque vindicentur iura; ille Motus complures hodie amplexatur Nationes tantumque abest ut catholicae adversetur Ecclesiae, ut ad eam studiose omnino respiciat.

Marxismi placitorum occasus ex orbe haudquaquam tollit iniustitiae oppressionisque condiciones, unde ipse marxismus immodice iis condicionibus abutens hauriebat alimoniam. Illis autem, a quibus hodie nova ac vera conquiritur liberationis doctrina et usus, offert Ecclesia non suum modo sociale magisterium in universumque praecepta sua de hominis persona a Christo redempta, verum solidum suum adiuvandi officium ut exclusio hominum suppliciumque devincantur.

Recentiore hac aetate avida illa voluntas, qua quidam cupiverunt a parte stare oppressorum nec ab historiae ipsius seiungi curriculo, plures adduxit credentes ut multiplici modo inter rem marxistam et christianam quaerant compromissum quod effici minime potest. Suadet potius praesens hoc tempus, cum ea omnia supervaduntur quae iis in conatibus debilia fuerunt, ut bonitas iterum praedicetur integrae theologiae respicientis universam hominis liberationem." Hac quidem iudicandi ratione aestimati eventus anni mcmLxxxix praebent tandem pondus proprium etiam Tertii Mundi Nationibus quae suarum progressionum viam inquirunt haud secus ac fecerunt ante Europae mediae orientalisque Civitates.

27. Altera dein spectat consecutio ad ipsos Europae populos. Sunt enim plurimae iniuriae admissae tum in singulos homines et societatem tum in regiones et nationes istis omnino annis quibus communismus dominabatur, quin et antea; odia tunc multa et inimicitiae increverunt. Periculum ita nunc verum exsistit ne intereunte dittatura recrudescant ea eliciantque contentiones doloresque graves, si moralis illa pugna def ecerit et conscia ipsa conatio testimonium veritati reddendi, quae omnia superioris temporis conamina incitaverunt. Optandum ideo est ne hominum in animis odium visque vincant eorum potissimum qui pro iustitia luctantur, sed ut pacis veniaeque studium in omnibus crescat.

Opus tamen est solidis quibusdam consiliis quibus gignantur vel stabiliantur aliquae inter nationes structurae quae congruae disceptationis causa intercedant ipsis litibus apud Civitates coortis, unde earum quaeque perficere possit ut propria valeant iura et aequa impetretur consensio necnon placata conspiratio cum ceterarum Nationum iuribus. Quod totum necessarium praesertim Europae restat Civitatibus, inter se arctis vinculis quae iunguntur communis cultus humani et multorum saeculorum historiae. Permagnum flagitatur opus ut morali et oeconomica parte illae Nationes renoventur quae communismum reiecerunt. Diutius enim fundamentales rerum nummariarum rationes distortae deflexaeque sunt atque virtutes primariae cum oeconomica industria haerentes, cuius generis sunt veracitas fides navitas, immutatae sunt. Necesse est patientem effici rerum morumque renovationem, poscentibus nempe diutina destitutione miseris gentibus ut gubernatores sui effecta solida et proxima proferant alicuius prosperitatis utque legitimis suis optationibus convenienter satisfiat.

Lapsus marxismi maximos intulit impulsus ad orbis partitionem in clausos quosdam circulos, alium alii resistentem atque cunctos inter se invidia aliqua aemulantes. Clarius is etiam illuminavit ipsam veritatem communis populorum coniunctionis tum illud quoque verum: hominum laborem suapte natura intendi ad congregandas nec iam segregandas gentes. Pax enim et prosperitas bona sunt totius hominum generis propria, sic profecto ut iis recte ac longe perfrui non liceat si obtineantur aut retineantur aliis populis Nationibusque laesis, cum eorum violata sint iura vel ipsae a prosperitatis fontibus sint exclusae.

28. Certas apud Europae gentes incohatur quodam modo verum tempus 'post bellum'. Intima enim refectio institutorum oeconomicorum ad recentiorem usque aetatem `collectivorum' secum importat difficultates et iacturas, quae comparari etiam possunt cum sacrificiis et damnis quibus sese oneraverunt Nationes occidentales Continentis ut post mundanum illud alterum bellum redintegrarentur. Aequum proin est hisce in impedimentis Nationes quondam communistarum gubernio temperatas, consentienti adiumento aliarum Civitatum sustentari; at pariter paret eas esse ipsas debere suorum progressuum auctrices. Concedatur tamen iis oportet rationabilis quaedam facultas ut id consequantur, quod sine reliquarum Civitatum sussidio contingere haud potest. Ceterum hodierna asperitatum ac indigentiae condicio ex quodam historico processu manavit, cuius Nationes olim communistae saepius obiectum fuerunt non subiectum: quam ob causam illo versantur in statu non libera sua voluntate nec ob errores a se admissos, verum propter consectaria luctuosorum eventuum quos vis ipsa iniecerat, unde sunt praepeditae quominus progressionis oeconomicae civilisque tramitem diutius persequerentur.

Civitatum aliarum, in primis Europaearum, adiutorium quae scilicet iisdem in rerum eventibus partes egerunt ideoque onus earum in sese recipiunt, certo iustitiae respondet debito. At commodo etiam emolumentoque universali Europae congruit quae in pace vivere minime poterit si variae indolis certamina, ex prioribus temporibus veluti consectaria profluentia, multo acriora evaserint ob statum oeconomicae perturbationis, interioris inquietis ac desperationis.

Necessitas vero haec efficere non debet ut consilia et incepta in auxilium ac praesidium « Tertii Mundi » Nationum tardentur, utpote quae saepius inopiae egestatisque condicionibus laborent multo nimirum gravioribus." Singulare quoddam postulabitur conamen ut cunctae copiae viresque colligantur, quibus indiget orbis universus, ad metam incrementi oeconomici communisque progressionis, illustratis prius potioribus rebus necnon bonorum gradibus secundum quos oeconomica et politica capienda sunt consilia. Opes immensae praesto esse poterunt, apparatibus disiectis militaribus qui erant ad contentionem inter Orientem Occidentemque confecti. Eaedem vero opes multo etiam maiores fient, si conventa omnino fide digna fatta erunt, quibus lites dissolvantur pro bellis consuetis, ac si propterea principium moderandi et diminuendi arma in Nationibus quoque Tertii Mundi invaluerit, initis rationibus opportunis contra eorundem mercaturam (60). Ante omnia autem erit necesse totam illam relinqui mentem quae pauperes — homines ac nationes — esse censeat onus quoddam et ingratas molestias, a quibus id omne absumatur quod alii peperint. Ius enim sibi egeni vindicant bonis concretis perfruendi atque convertendi suam operis potestatem in utilem fructum, dum omnem orbem sic reddunt iustiorem omnibusque simul prosperiorem . Pauperum levatio permagna est occasio moralis et culturalis et ipsius oeconomici progressus omnium hominum.

29. Progressio denique non concipi debet aliqua ratione dumtaxat nummaria verum aestimatione prorsus humana (61). Non id solum hic interest ut populi cuncti eum tollantur ad prosperitatis gradum, quo ditiores hodie fruuntur Nationes, sed in hominum labore consociato ut dignior instituatur vita, ut insuper reapse dignitas navitasque creatrix cuiusque hominis succrescat necnon eius facultas respondendi vocationi propriae ideoque Dei ipsius appellationi in ea reconditae. In progressionis vero cacumine exercitatio consistit illius iuris-officii Deum quaerendi eumque cognoscendi ac secundum eam cognitionem vivendi (62).

In regiminibus vero tyrannidis et auctoritatis imperiosae principium est deductum ad extrema usque consectaria ipsius principatus violentiae prae ratione mentis. Coactus scilicet est homo ut rerum speciem pateretur vi iniunctam non adeptam suae rationis virtute nec libertatis suae usu. Illud itaque subverti oportet principium atque piane iura agnosci humanae conscientiae quae veritate sola vinciatur tam naturali quam revelata. His enim in agnitis iuribus princeps constat fundamentum omnis politici ordinis revera liberi (63). Magnopere igitur refert illud inculcari principium et varias quidem ob causas :

a) quoniam vetustae regiminis universalis auctoritatisque plenae figurae nondum sunt penitus superatae, quin immo periculum subsistit ne reviviscant; id quod renovatum studium suadet cooperationis et coniunctionis inter Nationes cunctas;

b) quoniam in progressis iam Civitatibus interdum nimia peragitur propagatio et praedicatio bonorum tantummodo ad commoditatem spectantium, excitatis naturae instinctibus ac propensionibus ad subitam voluptatem, unde difficulter agnoscitur et observatur ordo verorum humanae vitae bonorum:

c) quoniam quibusdam in Nationibus novae exoriuntur formae religiosi fundamentalismi quae, tecto vel etiam aperto modo, denegant civibus alterius religionis ac maioris civium partis plenam civilium vel religiosorum iurium illorum exercitationem, dum prohibent eos ne in culturae disceptationem ingrediantur atque circumscribunt ius Ecclesiae praedicandi Evangelium iusque hominum, audientium illam praedicationem, ut suscipiant eam et ad Christum sese convertant. Nulla veri nominis progressio effici potest nisi naturale ipsum primariumque servatur ius veritatis cognoscendae et secundum illam vivendi. Hoc iungitur cum iure naturali, tamquam exercitium

eius altiorque persecutio, ius reperiendi et suscipiendi libere Iesum Christum qui verum est hominis bonum (64).

CAPUT IV

POSSESSIO PRIVATA ET UNIVERSALIS BONORUM ADDICTIO

30. In Encyclicis Litteris Rerum novarum valide Leo XIII affirmabat variisque argumentis contra temporis sui socialismum iuris possessionis privatae indolem naturalem (65). Quod ius ad autonomiam et profectum personae pernecessarium est ab Ecclesia usque ad hanc nostram aetatem semper defensum. Item Ecclesia docet bonorum possessionem non esse ius absolutum sed in sua iuris humani natura terminum suum gerere inscriptum.

Dum ius possessionis privatae enuntiabat Pontif ex pari cum planitate affirmabat bonorum « usum » commissum libertati esse obnoxium ipsorum primigeniae bonorum creatorum communi destinationi et etiam lesu Christi voluntati in Evangelio significatae. Scripsit enim: « Fortunati monentur ...: terrori locupletibus esse debere Iesu Christi minas rationem de usu fortunarum Deo iudici severissime aliquando reddendam »; et memorans Sanctum Thomam Aquinatem addidit: « At vero si illud quaeratur, qualem esse usum bonorum necesse sit, Ecclesia quidem sine ulla dubitatione respondet quantum ad hoc, non debet homo habere res exteriores ut proprias, sed ut communes », quia « legibus iudiciisque hominum lex antecedit iudiciumque Christi » (66).

Leonis XIII Successores duplicem affirmationem iteraverunt : possessionem privatam esse necessariam ideoque licitam, simul autem eandem esse circumscriptam (67). Concilium quoque Vaticanum II diligenter translaticiam doctrinam proposuit verbis quae ref erri utile est : « Homo, illis bonis utens, res exteriores quas legitime possidet non tantum tamquam sibi proprias, sed etiam tamquam communes habere debet, eo sensu ut non sibi tantum sed etiam aliis prodesse queant ». Et paulo ulterius : « Proprietas privata aut dominium quoddam in bona exteriora spatium piane necessarium ad personalem et familiarem autonomiam unicuique conferunt, et velut libertatis humanae extensio considerari debent Ipsa autem proprietas privata et indolem socialem natura sua habet, quae in communis destinationis bonorum lege fundatur » (68). Eandem doctrinam repetivimus Nos, primum in allocutione ad III Coetum Episcopatus Latino-Americani Pueblae collecti, deinde in Litteris Encyclicis Laborem exercens et Sollicitudo rei socialis (69).

31. Cum haec relegitur institutio de iure possessionis deque communi bonorum destinatione respectu aetatis nostrae, quaeri potest de origine bonorum quae vitam hominis sustentant, eius necessitatibus satis faciunt et sunt eius iurium obiectum.

Omnium, quae bona sunt, origo prima est ipsius Dei actus qui terram creavit et hominem hominique terram dedit ut in eam dominaretur labore suo eiusque frueretur fructibus (cf. Gn 9, 28-29). Deus terram dedit universo humano generi ut ea omnia huius membra sustentaret, nullo excluso nullo anteposito. Hic radix reperitur universalis destinationis bonorum terrae. Terra quidem, quoniam fecunda est et par necessitatibus hominis explendis, primum Dei donum est ad vitam humanam sustentandam. Terra autem suos non fert fructus sine peculiari hominis ad Dei donum responsione id est sine labore: per laborem homo utens intellegentia et liberiate sua in eam dominatur eamque suam facit dignam sedem. Hoc modo is suam facit eam terrae partem quam sibi opere comparavit. Ibi est possessionis privatae origo. Is, ut patet, etiam officio astringitur ne impediat quin alii homines suam doni Dei habeant partem; immo vero cum iis operam suam consociare debet ut universae terrae simul dominentur.

In historia semper haec duo, labor et terra, inveniuntur, cuiusque humanae societatis initio. Non semper tamen haec duo eandem habent inter se necessitudinem. Olim naturalis terrae fecunditas apparebat et reapse erat divitiarum pars praecipua, opus autem eiusmodi fecunditatis auxilium erat et columen. Nostra aetate laboris hominum plus plusque in dies partes excellunt, nempe ut idem adferat divitias corporeas et incorporeas; insuper evidens fit hominis cuiusque laborem natura sua cum labore aliorum hominum necti. Hodie praesertim laborare est cum aliis laborare et laborare pro aliis; est aliquid facere pro aliquo. Opus eo fecundius est et fertilius, quo homo intellegentior in cognoscenda vi feracitatis terrae est inque necessitatibus pernoscendis alterius hominis pro quo ipse operatur.

32. Sed aliud possessionis genus est huius aetatis peculiare nec minus habet momentum quam terrae: possessio haec est cognitionis, technicae artis, totius scientiae. In hoc possessionis genere divitiae consistunt Nationum ad quaestuosae industriae incrementa provectarum, multo magis quam in possessione opum naturalium.

Dictum est nuper hominem cum aliis hominibus laborare, « sociale opus » participantem, quod circulos gradatim ampliores ipsamque universam terram comprehendit. Qui aliquid efficit praeterquam in usum suum, id facit plerumque ut alii eadem re utantur iusto pretio soluto communibus consiliis definito per liberam pactionem. Ipsa piane tempestive cognoscendi facultas aliorum hominum necessitates et concursiones earum rerum, quae quaestui sunt et aptiores ad illis satisfaciendum, alius est divitiarum fons in hodierna societate. Ceterum multa bona gigni non possunt efficaciter industria unius personae sed postulant ut multi eandem operam in idem communicent. Hunc nisum conciliare, eius diuturnitati cavere, curare ut vere is respondeat necessitatibus quas debet explere, pericula suscipere quae requiruntur hoc quoque est in hodierna societate fons divitiis fecundus. Ita evidentiores et usque praestantiores fiunt rationes laboris humani ordinati et efficientis et, sicut est huius laboris pars praecipua, facultatis consilia capiendi et opera conducendi (70).

Haec via, quae in lucem profert veritatem de persona quam Christiana fides numquam affirmare destitit, est attente et studiose consideranda. Revera praecipua hominis copia ipse homo est una cum terra. Eius intellegentia efficit ut perspiciantur potentia feracitatis terrae et multiformes modi quibus humanis necessitatibus satisfieri possit. Eius bene temperatus labor in conspiranti cooperatione facit ut consortiones laboris constituantur ampliores et fiducia dignae ad naturalem et humanum ambitum mutandum. Hac ratione graves implicantur virtutes, quales diligentia sunt, sedulitas prudentia in aequis periculis suscipiendis, auctoritas et fidelitas in officiis inter personas, fortitudo in exsequendis difficilibus et acerbis propositis necessariis tamen ad administrationis opus commune et ad occurrendum fortunae vitiis quae accidere possunt.

Hodierna oeconomia administrationis utiles admittit aspectus, quorum fundamentum est personae libertas quae in regione oeconomica significatur sicut et in tot aliis. Etenim oeconomia pars est multiformis industriae humanae inque eam, sicut in quamlibet aliam regionem, ius valet libertatis sicut et officium ea utendi ex animi conscientia. Sed notari refert hodiernae societatis et praeteriti temporis etiam recentioris propensiones proprie differre inter se. Si olim proventuum causa potissima terra erat et postea pecuniae caput, acceptum tamquam acervus machinarum et bonorum ex instrumentis constantium, nulle causa praecipua usque magis ipse est homo, hoc est eius cognoscendi facultas quae apparet per cognitionem et disciplinas, facultas se ordinandi consociata voluntate, facultas necessitatem alterius intellegendi eandemque explendi.

33. Attamen fieri non potest quin reprehendantur pericula et incommoda cum eiusmodi processu coniuncta. Re multi homines, fortasse eorum maior pars, instrumentis carent quae potestatem f

aciunt ingrediendi modo certo et humaniter digno figuram conductionis et operis, in qua ipse labor locum obtinet principem. Hi sibi parere nequeunt primas cognitiones quibus possint suam efficiendi vim exprimere suamque augere potentiam. Nec habent facultatem se mutuo cognoscendi et secum communicandi, quae efficeret ut eorum dotes existimarentur et in usum converterentur. Hi ad summam, si non omnino quaestui sunt, large segregantur, et progressus oeconomicus fit, ut ita dicamus, super eorum capita, nisi forte prorsus iam angusta spatia contrahit veterum oeconomiarum ad victum solum pertinentium. Inhabiles ad obsistendum mercium aemulationi modis novis effectarum et postulatis bene respondentium, quibus ipsi antea prospicere solebant usitata rerum ordinationis forma, ostentatae opulentiae illecti splendore quam tamen assequi non possunt et simul egestate pressi, eiusmodi homines urbes Tertii Mundi frequentant, ubi saepe sunt quoad culturam eradicati et in violentae mutabilitatis condicionibus versantur, copiam habentes nullam se cum aliis consociandi; non iis dignitas attribuitur et interdum curatur ut de historia tollantur per vires cogentes ad imminuendam subolem humanae dignitati contrariam.

Multi alii homines, etsi non omnino seiuncti, in rebus locisque vivunt, ubi omnino primaria est contentio de necessariis ubi adhuc regulae vigent capitalismi pristini tali in « crudelitate », ut haec nullo patto sit atrocitate minor quam duritia turbidissimorum temporum initialis processus quaestuosarum industriarum invectionis. Aliis in casibus adhuc terra est progressus oeconomici pars potissima et qui eam colunt, a possessione exclusi, rediguntur in dimidiatae servitutis condiciones (71). Hisce in casibus etiamnum, sicut tempore Encyclicarum Rerum novarum, loqui licet de abusione inhumana. Quamvis magnae mutationes factae sint in societatibus excultioribus, humana capitalismi vitia cum conseguenti dominatu rerum in homines minime defecerunt; immo, quod ad pauperes spectat, ad bonorum corporeorum penuriam addita est egestas doctrinae et educationis quae eos impedit ne se liberent sua indecora servitute.

Incommode occidit quod talibus in condicionibus maior incolarum « Tertii Mundi » pars adhuc vivit. At non recte « Tertius Mundus » sola significatione geographica intellegi debet. In huius « Mundi » nonnullis regionibus et socialibus in eius partibus instituti sunt progressionis cursus qui innituntur non tam aestimatione opum corporearum quam « f acultatis humanae ».

Annis non remotis affirmatum est progressionem pendere ex separatione Nationum pauperiorum a totius orbis commercio et ex earum spe in propriis viribus posita. Recentiorum annorum experientia contra ostendit Nationes seclusas languisse et regressas esse, cum quae ingredi potuerint generalem negotiorum inter se conexionem in gradu internationali, fioruerint. Maxime igitur incomrnodum videtur aequum accessum adipisci ad mercaturam internationalem, positum quidem non in principio illo — unam tantum partem spectante — opibus naturalibus abutendi, sed potius in aestimatione opum humanarum (72).

Aspectus tamen « Tertii Mundi » proprii etiam in Nationibus cultis exstant ubi continua modorum efficiendi et consumendi mutatio dignitatem imminuit quarundam notionum iam adeptarum et professionum confirmatarum postulatque ideo continuum conatum recuperandae praestantiae et adcommodationis. Illi qui gradum temporum aequare nequeunt facile possunt segregari; cum iis sunt grandes natu, iuvenes qui non valent se bene inserere vitae sociali et generatim tenuiores et « Quartus Mundus » qui dicitur. Mulieris quoque condicio hoc in statu rerum est minime facilis.

34. Simul quod ad singulas Nationes spectat simul quod rationes internationales, liberum commercium videtur efficacissima via ad opes collocandas et ad necessitatibus feliciter respondendum. Hoc tamen solum valet de eis necessitatibus, quae « ad solvendum sunt » quae

pondus emptionis habent, et de opibus quae « ad vendendum » sunt quanti aequum est. Sed quaedam exsistunt postulata humana quae ad mercaturam non attinent. Grave est caritatis et iustitiae officium prohibere ne fundamentales humanae necessitates non satiatae maneant et homines qui iis premuntur pereant. Est praeterea necesse hos homines indigentes adiuvari ad consequendas cognitiones, ad ineundas mutuas conexiones, ad excolendas suas dotes et habilitates quibus possint suarum opum et f acultatum virtutem augere. Ante rationem permutationis rerum parium et ante iustitiae genera quae eius sunt propria, aliquid viget quod homini debetur quia homo est ob eius eminentem dignitatem. Hoc aliquid, quod debetur, potestatem flagitat qua quis superstes vivat et reapse ad bonum commune totius generis humani conducat.

In « Tertii Mundi » adiunctis totam suam servant vim, immo sunt quibusdam in casibus persequenda, ipsa proposita quae Encyclicae Rerum novarum indicaverunt ad impediendum ne hominis opus minueretur ipseque homo nuda fieret merx : salarium nempe quod vitae familiae sufficeret; publicas cautiones senectuti tutandae et operis vacationi vitandae ; aptam condicionum laboris tutelam.

35. Magnus fecundusque campus patescit navitatis et contentionis, iustitiae nomine, pro opificum collegiis ceterisque operariorum consociationibus, quae eorum iura defendunt et subiectivam eorum indolem tuentur simulque munus potissimum sustinent spectans ad culturam, ut ii plenius et dignius vit.am Nationis communicent eiusque iter ad progressionem foveant.

Hoc sensu iure loqui licet de certamine contra rationem oeconomicam acceptam tamquam modum qui in tuto collocat principatum absolutum pecuniae capitis, possessionis instrumentorum, quibus bona gignuntur, et terrae, respectu liberae laboris hominis subiectivae indolis (73). Huic contra talem rationem certamini non proponitur, uti exemplar alternum, formula socialista, quae reapse esse videtur capitalismus reipublicae, sed societas liberi operis, conductionis et participationis. Ea scilicet me rcatui non opponitur sed convenienter est Reipublicae auctoritatibus temperanda ut totius societatis expleat necessitates.

Ecclesia probat iustas quaestus partes, tamquam administrationis prosperae indicem. Cum enim administratio lucrum gignit, constat vias bona efficiendi esse adhibitas apte et respondentibus humanis necessitatibus esse iuste satisfactum. Quaestus tamen non est solus condicionum administrationis index. Fieri potest ut computationes oeconomicae sapienter ordinatae sint et simul homines, qui administrationis sunt patrimonium praestantissimum, indigne afficiantur iniuria. Istud non solum est ratione morali reiciendum, sed praevideri certe potest id efficientiae quoque oeconomicae administrationis nociturum. Etenim eo spectat alicuius negotii administratio ut non modo quaestum gignat, verum etiam ut ipsa administratio supersit veluti hominem communitas qui diversis viis fundamentales suas necessitates explendas curant et coetum peculiarem constituunt toti societati servientem. Quaestus est vitae administrationis temperator, sed non unicus ; praeter illum enim alia humana elementa et moralia consideranda sunt quae, procedente tempore, saltem par momentum habent pro totius incepti vita.

Iam vidimus improbandam esse affirmationem ex qua, vieto « socialismo reali » uti aiebant, capitalismus unicum exstimetur exemplar constitutionis oeconomicae. Frangantur oportet eiusmodi obstacula et monopolia quae non sinunt tot populos progressus facere, omnibus praeterea personis et Nationibus caveatur de praecipuis condicionibus per quas progressio participetur. Eiusmodi propositum a tota communitate internationali postulat nisus praestitutos et conscios. Oportet Nationes fortiores opportunitatem tenuioribus dent se vitae internationali inserendi, et tenuiores talem amplectantur occasionem, necessariis coeptis et incommodis se

dedendo, providendo stabilitati conspectus politici et nummarii necnon certae exspectationi in futurum, tum auctae propriorum opificum peritiae, formationi conductorum efficientium et sui officii consciorum (74).

Impraesentiarum utilia incepta ad hoc propositum assequendum difficultate gravantur, quae magnam partem nondum est dirempta, debiti videlicet externi Nationum pauperiorum. Est quidem iustum illud: debita esse solvenda; sed non licebit exsolutionem petere vel exigere, si illa inducet revera ad tales electiones politicas, ut ingentes humanas multitudines ad famem agat et desperationem. Illicitum est postulare ut aes alienum contractum intolerabilibus cum incommodis solvatur. His in casibus necesse est — uti ceteroqui partim iam fit — modi inveniantur ad oneris debiti deminutionem, dilationem et etiam exstinctionem, congruentes cum fundamentali iure populorum ad victum et progressionem.

36. Decet nulle peculiares quaestiones et minationes, quae exsistunt in oeconomiis provectioribus quaeque cum propriis earum notis coniunctae sunt, animadvertere. Anteactis progressus temporibus homo semper vixit re necessaria coactus. Pauca erant eius postulata, quodammodo eius corporis constitutione definita; et industria oeconomica inclinabat ad illa procuranda. Patet autem hodie non solum agi de bonorum sufficientium danda copia, sed etiam responsione reddenda postulationi bonitatis: haec est bonitas mercium conficiendarum et consumendarum; bonitas publicorum munerum, quibus homo fruitur, rerum locorumque adiunctorum et vitae universae bonitas.

Postulatio ipsius vitae, natura sua acceptioris et ditioris, est per se legitima; tamen non possunt non in luce poni nova officia et pericula huic historico tempori cohaerentia. Modis, quibus novae necessitates oriuntur et definiuntur, semper subest notio plus minusve homini eiusque vero bono consentanea: ex delectibus bonorum efficiendorum et consumendorum certa se patefacit cultura, uti universalis vitae notio. Hinc oritur nimium rerum consumendarum studium. In deprehendendis novis necessitatibus novisque viis satisfaciendi eis, oportet quemque sinere se integra hominis imagine dirigi, quae observet momenta eius uti hominis et materialia ac naturalia interioribus et spiritalibus subiciat. Si quis autem suos directo spectat appetitus et praetermittit naturam personae suae consciae et liberae, importari possunt mores consumptionis et vitae consuetudines ipsae per se vitiosae aut eius corporis et animi sanitati nocentes. Institutum oeconomicum in se normas non habet quibus possit recte discernere modos novos et altiores satiandi necessitates humanas ab ipsis novis necessitatibus invectis, quae personae maturae formationi obstant. Necessarium igitur est, et urget magnum opus institutorium et culturale, quod comprehendat emptorum formationem ad prudentem usum potestatis suae seligendi ac formationem ipsorum effectorum ad acrem officii conscientiam et imprimis eorum qui artem exercent utendi instrumentis communicationis socialis, iam praeter necessarium civilium Auctoritatum interventum.

Magnum exemplum consumptionis artificiosae, saluti et dignitati hominis contrariae, et certe non facilis inspectionis, est exemplum medicamenti stupefattivi. Eius diffusio signum est gravis vitii ordinis socialis eique etiam subiacet necessitatum humanarum « interpretatio » materialistica et quodammodo usuum humanorum destructiva. Potentia igitur novationis liberae oeconomiae ad effectum adducitur ab una parte tantum neque apte. Medicamentum stupefactivum perinde ac obscenitates aliaque genera nimiae rerum consumptionis, cum debilium abutuntur infirmitate, vacuum compiere spiritate volunt quod interea factum est.

Malum non est melius vivere cupere sed mala est constitutio vitae, quae melior esse iudicatur, cum id spectat ut quis habeat non ut sit, et cum is plus habere vult non ut plus ipse sit sed ut vita

absumatur supervacanea voluptate (75). Curandum est idcirco ut vitae rationes constituantur, in quibus conquisitio veri pulchri boni et communio cum ceteris hominibus propter communem progressionem electiones efficiant consumptionum, compendiorum, pecuniae collocationum. Quod ad hoc pertinet, non possumus solummodo monere de officio caritatis, id est de officio subveniendi per id « quod superest », et interdum etiam per id quod est « necessarium », ut res suppetant quae opus sunt ad pauperum vitam. Etiam significamus consilium pecuniam collocandi potius hic quam illic, in hac parte frugifera potius quam in alia, electionem esse semper moralem et culturalem. Certis definitisque condicionibus positis et rei oeconomicae et stabilitatis politicae quae praeteriri non possunt, propositum pecuniam collocandi, id est alicui populo occasionem dandi ut ex suo labore commoditatem percipiat, oritur etiam ex sensu benevolentiae et ex fiducia Providentiae, quae humanam indolem ostendunt illius qui consilium capit.

37. Praeter consumptionis quaestionem, aliquid sollicitudinis habet estque illi arcte iuncta, quaestio oecologica. Homo enim magis habere cupiens et gaudere quam esse et crescere, immodice et sine moderatione opes terrae et suae ipsius vitae absorbet. Stultae locorum naturalium destructioni error subest anthropologicus nostra aetate sane diffusus. Homo, qui intellegit se posse suo opere mundum mutare et quodammodo « creare », obliviscitur hoc opus semper exerceri supra fundamentum primigeniae donationis rerum a Deo factae. Iste cogitat sibi licere arbitrio suo terra uti et frui eam sine condicione voluntati suae subicienti, ac si ea suam non habeat formam et destinationem priorem sibi a Deo tributam, quam homo potest quidem excolere non autem prodere debet. Nedum suo fungatur munere cooperatoris Dei in mundo, non recte homo in Dei locum succedit sicque abit ad concitandam naturae detrectationem quam is potius vexat quam gubernat (76).

Hac in re animadvertitur ante omnia egestas vel illiberalitas obtutus ac prospectus hominis, studentis nempe res potius possidere quam ad veritatem ref erre et destituti illo habitu sui immemore gratuito aesthetico, qui manat ab admiratione rerum quae sunt et pulchritudinis quique spectandum praebet in rebus aspectabilibus nuntium Dei invisibilis qui eas condidit. Quod ad hoc attinet, genus humanum conscium esse debet suorum munerum et officiorum erga futura saecula.

38. Praeter insanam locorum naturalium destructionem illa sane gravior est hic commemoranda quae ad hominem ambitum pertinet in quam tamen rem longe abest ut necessaria consideratio intendatur. Dum enim iuste profecto, etsi multo minus quam oportet, cogitatur de areis naturalibus diversorum generum animalium, quae ne exstinguantur periculum est, quoniam intellegitur eorum unumquodque peculiariter conf erre ad terrae generalem temperationem, parum curatur de « oecologiae humanae » condicionibus moralibus tutandis. Non solum terra a Deo homini data est, qui ea uti debet primigenium propositum observans pro quo ei tamquam bonum est data; sed etiam homo sibi ipsi a Deo datus est eique est ideo observanda structura naturalis et moralis qua est donatus. Quod ad haec spectat, mentio est facienda gravium quaestionum urbanae vitae nuperius inductae ac necessitatis prospiciendi ut in eiusmodi studio urbanitatis consulatur vitae personarum, atque attentionis ad « oecologiam socialem laboris ».

Homo suam essentialem a Deo accipit dignitatem simulque potestatem transcendendi omne societatis institutum usque ad veritatem et ad bonum. Is tamen condicionibus adstringitur structurae socialis in qua vivit, tum accepta educatione et locis exterioribusque rebus. Haec possunt efficere ut secundum veritatem aut facilius aut difficilius vivat. Consilia, quibus ambitus humanus constituitur, possunt ergo structuras proprias peccati parere, quae impediunt ne, qui iisdem varie premuntur, piene se qua homines perficiant. Tales structuras demoliri et pro illis

veriores convictionis formas substituere, negotium est quod firmum postulat animum et patientiam (77).

39. Prima et fundamentalis « oecologiae humanae » serviens compages est familia, in qua homo primas et praecipuas notiones recipit de veritate deque bono, discit quid sit amare et amari et idcirco, quid sit re esse personam. Intellegenda est hic familia matrimonio innisa, in qua mutuum viri et mulieris sui donum condicionem gignit vitae, in qua infans nasci potest et suas educare facultates, suae dignitatis conscius fieri et se praeparare ad sortem suam obeundam unicam ut quae iterari non possit. Saepe contra accidit ut homo deterreatur ab implendis condicionibus humanae procreationis, et inducatur ad putandum seipsum suamque vitam potius summam esse sensuum experiendorum quam opus efficiendum. Oritur hinc quaedam lacuna libertatis, quae perducit ad respuendum officium quo se perpetuo quis coniungat cum alla persona et filios generet, aut perducit ad liberos aestimandos unam ex tot « rebus » quae haberi possunt aut non haberi secundum propriam libidinem, quaeque cum aliis opportunitatibus certant.

Oportet rursus familia existimetur vitae sacrarium. Ea enim sacra est ; locus est ubi vita Dei donum apte potest accipi et defendi contra multiplices incursiones quibus obicitur, et crescere valet prout verus humanus postulat auctus. Adversus culturam mortis, quae dicitur, familia culturae ipsius vitae est sedes.

Humana mens hac in re propendere potius videtur ad imminuendos tollendos vel delendos vitae fontes, etiam abortione adhibenda in mundo quidem diffusa, quam ad def endendas et aperiendas vias vitae. In Encyclicis Sollicitudo rei socialis vituperatae sunt constantes venditationes contra natorum numerum secundum falsam notionem quaestionis demographicae. Ibi namque « summa violatio patratur liberi eorum consilii, quorum interest, ... qui coercitionibus intolerabilibus haud raro sollicitantur, ut novae huic succumbant formae oppressionis » (78). Scilicet de agendi rationibus agitur quae per novas technicas ita se extendunt ut, quasi in « chemico bello », pluries centenorum milium hominum vitam corrumpant indefensorum.

Hae improbationes non tantum impugnant rationem oeconomicam, quantum rationem ethicam-culturalem. Oeconomia namque solummodo aspectus est et modus multiplicis humanae industriati. Si ea absoluta ducitur, si mercium confectio et consumptio principem locum tenent vitae socialis et evadunt unicum societatis bonum nulli alii obnoxium, hoc fit non solum nec tantopere propter rationem oeconomicam, quam ob id, quod ratio socialis-culturalis ignorans pondus ethicum et religiosum imminutum est et soli bonorum ac servitiorum effectioni vim tribuit (79).

Haec omnia contrahi possunt rursus si affirmatur libertatem oeconomicam solummodo esse libertatis humanae partem. Cum ea autonoma fit, cum scilicet homo censetur confector aut consumptor bonorum potius quam persona quae efficit res et consumit ut vivat, tunc suam amittit cum persona humana necessariam coniunctionem et tandem eam abalienat et opprimit (80).

40. Reipublicae est illa bona communia defendere et tueri, qualis sunt loca naturae et circumstantia resque exteriores hominis, quae protegi non possunt solis mercatus viis et rationibus. Sicut temporibus veteris capitalismi Respublica debebat iura laboris fundamentalia defendere, ita nunc novo in capitalismo et illa et universa societas bona communia defendere debent, quae ceteroquin saeptum sunt intra quod tantummodo potest quisque legitime sua ipsius consegui proposita.

Alius hic mercatus terminus invenitur necessitates exsistunt communes et qualitativae, quae istius modis et institutis expleri nequeunt. Humana postulata exsistunt quae eius logicam consecutionem effugiunt. Bona exsistunt quae ex sua natura nec possunt nec debent venire et emi. Haud dubie, viae rationesque mercatus multa praebent auxilia; adiuvant praeter cetera, ad melius opibus utendum ; mercium commutationem fovent, et imprimis maximi faciunt voluntates et proposita personae humanae, quae in pactione incidunt in voluntatem et proposita alterius personae; attamen pericula afferunt « idololatriae » mercatus, qui bona esse nescit quae suapte natura nec sint nec esse possint simplices merces.

41. Marxismus exprobravit societates medii ordinis civium possidentium, nominatim eas reprehendens quod vitam humanam mercem reddidissent et abalienassent. Haec obiurgatio nititur falsa et non sufficienti alienationis notione, quae eam promit e sola regione cognationum confectionis et possessionis, eam scilicet in materialismo ponens et insuper negans legitimas et utiles esse necessitudines mercatus etiam in sua ipsarum provincia. Ea doctrina ita demum affirmat una ordinatione sociali generis collectivi aboleri posse alienationem. At experientia historica Nationum socialistarum ostendit alienationem communismo non deleri sed augeri potius, addita rerum necessariarum penuria et oeconomica inefficacia.

Vicissim historica Occidentis experientia ostendit, si explicatio et fundamentum marxianum alienationis falsa sint, alienationem tamen cum veri sensus vitae amissione etiam in societatibus occidentalibus vigere. Haec in rebus consumendis fit, cum homo falsis levibusque voluptatibus implicatur potius quam adiuvatur ad suam humanitatem vere et reapse experiendam. Alienatio fit etiam in opere, cum hoc ita disponitur, ut suos fructus et reditus solos maximi ducat, nec curatur ut opifex suo labore plus aut minus se perficiat qua hominem, prout plus crescat concors communitatis promptae communicatio aut eius solitudo in acerrima commerciorum aemulatione et mutuae ignorationis, ubi eius humanitas instrumentum dumtaxat putatur non finis.

Oportet notio alienationis ad visionem christianam revocetur, pro qua instrumenta et proposita hominis invertuntur : cum non agnoscit praestantiam et magnitudinem personae in seipso et in altero, homo non potest sua humanitate frui nec illam necessitudinem et communionem cum ceteris hominibus participare ad quam Deus eum condidit. Per liberum enim sui donum homo vere is fit qui esse debet (81). Quod donum fieri potest ob essentialem facultatem transcendentiae personae humanae. Homo non potest humanae tantum rerum ordinationi se donare, abstractae cuidam cogitationi vel fucatae utopiae. Uti persona se ipsum potest donare alii personae vel aliis personis et denique Deo, qui auctor est illius rei quae ea est, et unus potest plene eius accipere donum (82). Alienatus est homo qui recusat se ipsum transcendere et donum sui experiri atque formationem verae communitatis humanae, directae ad sortem eius ultimam quae Deus est. Alienata est societas quae suis in formis ordinationis socialis et rerum confectionis atque consumptionis difficiliorem reddit traditionem huius doni et huius inter homines conspirationis constitutionem.

In societatibus occidentalibus est superatus quaestus immitis, saltem secundum illas formas, quas Carolus Marx inquirit et describit. Attamen superata non est alienatio in formis abutentis quaestus multiplicibus, cum homines sibi ipsis vicissim quaestui sunt et, dum usque exquisitius satisf aciunt peculiaribus et secundariis necessitatibus, necessitates praecipuas et veras spernunt quae etiam modos dirigere debent satisfaciendi ceteris postulatis (83). Homo qui solum curat ut potiatur rebus et fruatur, nec iam aptus ad cupiditates et impetus suos refrenandos atque per oboedientiam veritati subiciendos, liber esse non potest. Oboedientia veritati etiam veritati quoad Deum et hominem, est prima libertatis condicio. Nam efficit ut proprii usus, appetitus et

modi ad eos sedandos secundum iustum ordinem disponantur ita sane ut rerum possessio ratio fiat qua homo crescat. Huic incremento obesse potest callida usurpatio instrumentorum communicationis socialis, quae bene dispositae pertinaciae vi pariunt consuetudines motusque opinionum, cum considerari non possint fundamenta quibus illa nituntur.

42. Initialem quaestionem nunc repetentibus licetne nobis affermare, collapso communismo, capitalismum esse rationem socialem vincentem et ad illam spectare debere Nationum conatus quae operam dant suis oeconomiis reficiendis suisque societatibus? Estne hoc exemplar Nationibus Tertii Mundi proponendum quae verae progressionis oeconomicae et civilis quaerunt viam?

Responsio sane implicata est. Si « capitalismus » existimatur ratio oeconomica, quae pondus praecipuum et positivum agnoscit administrationis, mercatus, possessionis privatae et hinc consequentis responsalis officii de instrumentis confectionis, liberae hominis facultatis moliendi in oeconomiae regione, responsio est certe adfirmans, etsi forte magis proprium est loqui de « oeconomia administrationis », vel « oeconomia mercatus », vel simpliciter « oeconomia libera ». At si « capitalismus » existimatur ratio, ubi libertas in provincia oeconomiae, non in solidum contextum politicum tamquam in formam stabilem includitur, qui eam immittat ad ministerium integrae libertatis humanae eamque putet peculiarem mensuram libertatis cuius cardo ethicus est et religiosus, tum responsio tantundem negans est.

Marxismi solutio male cessit sed manent in mundo quaedam condiciones derelictionis et abusionis (praesertim in Tertio Mundo), necnon alienationis humanae (praecipue in Nationibus excultioribus), contra quas Ecclesia vocem suam fortiter attollit. Tot multitudines etiam nunc in miseria versantur cum corporum tum animorum. Marxismi casus in tot Nationibus aufert certe impedimentum in his quaestionibus apte et ad rerum veritatem obeundis sed eas non dirimit. Quin immo periculum est ne radicalis diffundatur ideologia capitalismo consentanea, quae renuit eas etiam tractandas suscipere, cum iam in antecessum putet irritum fore omnem nisum eis occurrendi, easque temere credit componendas augescentibus mercatus viribus.

43. Ecclesia exempla non habet quae proponat. Exempla ad res attinentia et vere efficacia solum oriri possunt in diversis condicionibus historicis, si ii quorum est operam navant quaestionibus definite profligandis pro earum singulis aspectibus socialibus oeconomicis politicis et culturalibus quae mutuo nectuntur (84). Huic negotio Ecclesia praebet, tamquam necessariam directionem optimam, suam doctrinam socialem, qua — ut iam diximus — probatur utilitas mercatus et administrationis sed simul significatur necesse esse et illum et hanc in bonum intendi commune. Ea legitimos indicat conatus opificum, quibus plenam adipisci student suae dignitatis aestimationem et amplius vitam administrationis participare adeo ut, etsi cum aliis et sub aliis moderantibus, possint quodam modo, « in re propria laborare » (85), suam intellegentiam et libertatem exercentes.

Integer personae humanae progressus in labore non adversatur quin immo feracitati et efficaciae adstipulatur operis, quamvis in controversiam deducere possit ordines potestatis defixos. Administratio haberi non potest tantummodo « capitum pecuniarum societas » ; ea simul est « societas personarum », cuius participes sunt, modo diverso et propriis cum oneribus, simul illi qui caput suppeditant ad eius actionem necessarium, simul qui per suum laborem cooperantur. Ut haec proposita capiantur, opus est etiam magno opificum motu sociato pro personae humanae liberatione et piena progressione.

« Rebus novis » praelucentibus huius aetatis, est rursus ponderata necessidudo possessionis cuiusque seu privatae cum universali bonorum destinatione. Homo se perficit per suam

intellegentiam et suam libertatem ; et hoc agens sumit uti obiectum et instrumentum res mundi easque suas facit. In hac ipsius industria nititur ius suscipiendi res easque privatim possidendi. Suo labore homo semper curam adhibet non de se solo, sed etiam de ceteris et cum ceteris eam suscipit quisque cooperatur alieno labori et bono. Homo laborat ut necessitatibus subveniat familiae suae, communitatis cuius est pars, Nationis et, ad summam, totius humani generis (86). Is insuper interest operibus aliorum qui in eadem administratione operantur, et etiam laboribus provisorum atque consumptioni clientium, instar coniunctionis continuae, quae gradatim se extendit. Etiam possessio instrumentorum bonis gignendis tum in quaestuosa industria, tum in agricultura iusta est et legitima, si labori utili servit; sed illicita evadit cum in profectum non vertitur, aut usurpatur ut labori alieno impedimento sit, ad lucrum consequendum, quod non oritur ex universali amplificatione operis et divitiarum socialium, sed potius ex horum coercitione, ex illicito lucro, ex quaestibus faciendis et ex abruptione illius necessitudinis in provincia laboris (87). Eiusmodi possessio nullam habet excusationem, sed est contra usus improbus coram Deo et hominibus.

Officium quaerendi victum in propriae frontis sudore simul ius quoddam praemittit. Societas, in qua hoc ius constanter negatur, in qua consilia rationis oeconomicae non sinunt opifices aptas adipisci operae condiciones, nec ut honesta probari potest nec iustam persequi pacem socialem (88). Sicut persona piene se perficit libero sui dono, ita possessio recte comprobatur si occasiones laboris et auctus humani pro omnibus generat ex modis temporibusque legitimis.

CAPUT V

CIVITAS ET ANIMI CULTUS

44. Non Leo XIII nesciebat sanam Civitatis doctrinam omnino posci unde recte procederet humanarum actionum progressus, profectus videlicet rerum spiritalium et materialium quae essent utraeque necessariae (89). Hanc propter causam ipse quodam Rerum novarum loco societatis compagem demonstrat tribus potestatibus pollentis — potestate scilicet legum ferendarum, potestate exsecutoria et iudiciali idque vero illis temporibus novum quiddam habebatur in Ecclesiae magisterio (90). Ratio autem haec de natura sociali hominis intellectum rerum quendam ad veritatem versum ostendit, cui nempe legibus opus est congruentibus ad omnium libertatem tuendam. Idcirco satius est compensari omnem potestatem cum aliis muneribus imperiisque quae eiusdem servent fines. Hoc est « Civitatis iuris » principium, in qua non arbitrariae voluntates hominum, at leges potissimum dominantur.

Huic vero doctrinae hodiernis temporibus totalitarismus obstitit, qui sub marxiana et leniniana specie existimat nonnullos peritiores gnarosque legum societatis progressus vel ex genere quodam oriundos et propiores collectivae cognitionis reconditioribus fontibus omnino carere erroribus atque proinde summam imperii sibi vindicare. Illud addatur: totalitarismum ex veritate obiective negata oriri: si enim transcendens non datur veritas cui obtemperans homo suam plenam capessit proprietatem, tum vero nullum datur principium stabile quod iustas necessitudines inter homines praestet. Etenim quod ordinis, coetus cuiusdam, Nationis proprium est necessario efficit ut alii contra alios decertent. Nisi transcendens aliqua veritas agnoscitur, vis imperii superat, atque quae habet instrumenta quisque penitus adhibere contendit ut suum commodum imponat suamque mentem, iuribus aliorum contemptis. Sic proinde tantundem homini parcitur, quantum veluti instrumentum adhiberi potest ad solum dominantium profectum. Hodierni igitur totalitarismi radix in negatione reperitur dignitatis transcendentis humanae personae, quae est visibilis imago Dei invisibilis, quapropter per se ipsa iurium subiectum, quam nemini licet violare : neque scilicet individuo, neque numero cuidam neque

ordini neque Civitati Nationive. Ne maiori quidem socialis corporis parti istud permittitur contra minorem partem ut se ponat et eam secludat, opprimat, abutatur eandemque delere studeat (91).

45. Cultus et totalitarismi usus Ecclesiae negationem pariter sibi conciliat. Civitas namque vel factio, quae bonum se absolutum efficere posse in historia existimat quaeque similiter ultra principia cuncta se locat, pati non potest iudicium obiectivum de bono maloque dari, extra Civitatis moderatorum voluntatem, quo pro re nata ipsorum quoque habitus et mores diiudicentur. Id quidem demonstrat cur totalitarismus Ecclesiam exstinguere conetur vel saltem eandem in servitutem redigere, ipsam adhibens sui apparatus doctrinalis instrumentum (92).

Omnia moderans absolute Civitas Nationem exinde et societatem familiam ac religiosas communitates exsorbere et occupare contendit in se ipsosque homines singulos. Dum ergo suam libertatem tuetur Ecclesia, personae humanae libertatem tutatur ipsa, a qua Deo potius est oboediendum quam hominibus (cf. Act 5, 29), libertatem aequabiliter familiae, socialium institutorum et Nationum quae omnes suo fruuntur immunitatis ambitu et potestatis.

46. Magni sane ducit Ecclesia populare regimen, quippe quod amplam tribuat civibus potestatem in politicis consiliis partes agendi, ac subditis pariter facultatem suppeditat sive praepositos eligendi ac temperandi, sive pacifice eosdem et pro opportunitate amovendi (93).

Ipsa ideo, ut conclusi praepositorum circuli constituantur, adiuvare non potest, qui emolumentorum privatorum gratia vel ex doctrinae principiis Civitatis regimen arripiunt.

Sincerum quidem populare regimen tantummodo in Civitate iuris exstare valet idemque in recta personae humanae notione consistit. Etenim haec poscit ut condiciones impleantur sive necessariae ad singulas personas provehendas, optimis traditis inculcatisque praeceptis, sive societatis subiectivitati necessariae, inducta participationis structura communisque officii. Hodiernis profecto temporibus arbitrantur homines agnosticismum itemque relativismum scepticum philosophiam agnosci ac primarium habitum, quae in genere Reipublicae populari inveniantur, atque eos quotquot sibi sint conscii se veritatem novisse eidemque firmiter adhaereant, non esse fidos quoad populare regimen, cum minime probent veritatem a maiore civium parte statui vel pro politicae vicissitudinis varietate flecti. Nunc vero illud est animadvertendum, nulla si sit postrema veritas quae quidem politicam actionem dirigat et moderetur, ideo notiones et persuasiones ad imperium adipiscendurn veluti instrumenta commode usurpari posse. Populare tandem regimen principiis carens in totalitarismum manifestum occultumve prompte vertitur, ut hominum annales commonstrant.

Haudquaquam Ecclesia fanatismi vel fundamentalismi praetermittit periculum eorum qui sub doctrinae cuiusdam titulo, quae scientificam se audet praebere religiosamve, iniungere reliquis se posse existimant suam de veritate notionem et de bono. Ad hoc revera genus christiana veritas non pertinet.

Cum non sit ipsa ideologica, christiana fides certis cancellis versicolorem naturam socialium et politicarum rerum circumscribi non postulat, quae simul fatetur nempe hominis vitam per aetates effici in multiplicibus condicionibus nec semper iis perfectis. Ecclesia igitur, quandoquidem transcendentem hominis dignitatem agnoscit, libertatis observantiam tenet suam videlicet ut rationem et viam (94).

At suscepta tantummodo veritate piene et perfecte aestimatur libertas : sine veritate in terrarum orbe nihil sane habet ponderis libertas ac homo libidinum incursioni obicitur et condicionibus

adstringitur apertis abditisque. Christianus autem libertatem vivit (cf. Io 8, 31-32) eidemque inservit, secundum suae vocationis naturam missionariam dum veritatem quam cognovit usque prae se fert. Omni autem veritatis spectata particula quae in cuiusque vitae experientia occurrit et singulorum Nationumque in cultura, ipse cum aliis hominibus colloquens testari non desistit id quod de humana persona docuit fides rectusque rationis usus (95).

47. Totalitarismo marxiano necnon compluribus ex toto imperiosis regiminibus subversis et iis quibus « nationalis securitatis » nomen imposuerunt, popularis figura gubernii plerumque hodie prospectatur, quamvis insit aliquid concertationis, quacum de humanis iuribus iungitur studiosa sollicitudo. At hac ipsa de re necesse est populi suas leges emendaturi sincerum solidumque iaciant popularis auctoritatis fundamentum, palam illa iura agnoscentes (96). Inter ea primum ius vitae est memorandum cui ius sub praecordiis matris crescendi proxime consociatur postquam vita est concepta, tum etiam ius in iuncta familia agendi aetatem et in loco propriae personae ad progressum apto, tum augendi proprium intellectum propriamque libertatem in veritate anquirenda et ea congoscenda, praeterea ius opus faciendi, ut terrae bona recte percipiantur atque ex ipsa eveniat sustentatio cuiusque et eius necessariorum, tum denique ius f amiliam libere condendi filiosque suscipiendi et instituendi, dum sexualitas pro officio adhibetur. Fons exinde et talium iurium comprehensio est quodammodo religiosa libertas, quae veluti ius intellegitur in propriae fidei veritate vivendi et secundum transcendentem dignitatem propriae personae (97).

In Nationibus quoque illis, in quibus popularia florent regimina, haud semper iura integre servantur. Nec tantummodo sermo est de abortus scandalo, sed de variis etiam partibus discriminis popularium regiminum quae interdum potestatem secundum bonum commune decernendi amisisse videntur. Quae autem a societate hominum flagitantur, non excutiuntur secundum iustitiae iudicia et honestatis, sed ad suffragiorum vim rationemque nummariam illorum coetuum ex quibus pendent. Haec politici moris depravatio progrediente tempore diffidentiam gignit et socordiam; quapropter politica participatio imminuitur civisque sensus extenuatur apud ipsum populum qui detrimento se affici animadvertit et frustratione. Hanc propter causam illud evenit ut plus plusque difficulter particulares commoditates aptentur ad boni communis congruentem iudicationem. Bonum namque commune non est particularium bonorum summa, sed aestimationem quandam et compositionem requirit, quae aequo e bonorum ordine oriuntur, et certum intellectum dignitatis iuriumque humanae personae ad extremum deposcit (98).

Convenientem libertatem popularis ordinis legitimam veretur Ecclesia quae nullo quidem pollet iure quamlibet formam legis constitutionisve anteponendi. Hac de re ipsa tantam eidem ordini opem fert ut personae humanae dignitas concipiatur, quae palam pleneque omnino in Verbi Incarnati mysterio declaratur (99).

48. Ea autem quae consideravimus in partes recidunt Civitatis quod ad res oeconomicas attinet. Oeconomica enim actio, potissimum quae mercatum respicit, deficientibus institutionum legibus ac iudicialibus normis et politicis, explicari non potest. Contra ipsa fiduciam praeponit de libertate singulorum et rerum possessione praeter rem nummariam stabilem et publica ministeria valida. Itaque Civitatis praecipuum munus in securitate ponitur ita praestanda ut opifex aeque ac rerum confector sui fructibus operis frui possint atque inde ad opus efficaciter honesteque f aciendum concitentur. Haec quidem securitas si deest, grassante publicarum potestatum corruptione et increbrescentibus rei familiaris illicite augendae capitibus ac facili lucro, quae omnia in actibus constant illegitimis vel simpliciter speculativis, unum ex praecipuis habetur impedimentum ad progressum oeconomicumque ordinem.

Civitas porro vigilare debet et exercitium humanorum iurium in oeconomica provincia moderari; sed primum munus hac de re non ad Civitatem spectat, verum ad singulos variasque consociationes et numeros, quibus coagmentatur societas. Civitas ius operis praestare directe non potest quin militari paene modo cunctam vitam oeconomicam gubernet et singulorum impulsum debilitet. Ex quo minime infertur nullum sustinere officium Regimen hac provincia, quem ad modum asseverarunt ii qui in re oeconomica nullas dari leges defendunt. Civitas immo administrationum operam fovere debet, condicionibus inducendis unde habeantur operis occasiones ut ea opera fortassis insufficiens excitetur et magnis difficultatibus imminentibus sustentetur.

Ius habet exinde Civitas ut auctoritatem suam interponat, cum monopoli condiciones impedimenta quaedam inferunt et ad progressionem retardationes. Sed haec praeter officia conciliationis et directionis ad progressum, in peculiaribus temporibus vicariam potestatem ipsa explere potest, cum societatis quaedam partes vel industriarum ordines, utpote debiles vel modo enati, suis officiis impares sunt. Vicaria haec opera, instantibus rationibus comprobata de bono communi, quantum fieri potest, intra certi temporis fines se continere debet, ne dictis societatis partibus et industriarum ordinibus propria munera usque subducantur neve immoderate interventum modus amplificetur Regiminis, unde nullum oeconomica libertas et civilis patiatur detrimentum.

Recentioribus iam temporibus haec Civitatis actionum provincia valde ita prolata est, ut quodammodo novum Status genus exstiterit, scilicet « Civitas prosperitatis seu commodorum ». Hae progressiones evenerunt nonnullis in Civitatibus magis magisque ut aequarentur compluribus necessitatibus egestatibusque, cum de quibusdam paupertatibus et angustiis persona humana indignis inita essent consiliis. At vero non defuerunt intemperantiae et abusus quae recentioribus potissimum temporibus acerbas reprehensiones isti « Civitati commodorum » concitarent, «Civitati auxiliari » vocitatae. Vitia autem et pravitates « Civitatis auxiliaris » munerum ipsius Civitatis ex manco intellectu oriuntur. Hac quoque in re subsidiaritatis principium est servandum, per quod illud asseritur : superioris ordinis societatem invadere non debere societatis ordinis inferioris in interiorem vitam et eam propriis officiis exuere, quae ex contrario est potius in necessitatibus sustentanda et adiuvanda, ut eius actio cum reliquis socialibus partibus componatur, videlicet in bonum commune conversa (100).

Directe se admiscens et sensum ideo officii detrahens de societate Civitas auxiliaris sociales vires humanasque deprimit atque apparatum publicum amplificat qui saepe grapheocraticis rationibus gubernatur potius quam sollicitudine de ministerio civibus praestando, permagno sumptuum addito augmento. Qui necessitati autem est propinquior, quin immo egenti proximus, intellegere melius et subvenire posse is videtur. Illud exinde addatur cuiusdam generis postulatis esse occurrendum non modo materiali subsidio, verum eorum altiora humana requisita esse explenda. Cogitetur de exulum advenarumque condicionibus, simul et derelictorum, senum vel aegotorum deque omnibus variisque adiumentorum formis, ut in medicamento stupefactivo utentibus accidit cunctae hae personae, praeterquam medicinae curis, vere fraterno oblato praesidio iuvari efficaciter possunt.

49. Suis quidem operibus hac in provincia semper adsistit Ecclesia, quae Christi mandato Conditoris sui obtemperans indigenti homini ad opem ferendam re semper praesto adest, ne ipse ulla afficiatur contumelia neque solummodo tutelae videatur obiectum, sed ut de suo statu attollatur per dignitatis personae provectum. Gratiis Deo immensis actis, est omnino asseverandum curiosam caritatem nunquam in Ecclesia defuisse, immo vero hisce temporibus varium exhibere et magnum incrementum. Peculiariter est de voluntariis ministeriis dicendum,

quibus favet Ecclesia et, dum omnes ad consociatam operam concitat ut fulciantur augeanturque, eadem provehit. Ut mens autem suis ipsius finibus saepta quae nuper invaluit evincatur, solidum solidarietatis officium requiritur et caritatis quod intra familiam ex mutuo scilicet coniugum adiumento initium ducit, deinde ex cura quam inter se adhibent suboles. Hac via familia veluti operis communitas ostenditur et solidarietatis. Verumtamen piene congruere suae vocationi cum decernit familia, accidit ut subtrahi possit ipsa de necessariis Civitatis adiumentis, quae proinde consentaneis careat praesidiis. Instat igitur omnino illud: ut de familia ratio politica promoveatur itemque de societate, in qua ipsa familia principem obtineat locum quam convenientibus subsidiis efficientibusque instrumentis fulciri oportet, sive in liberis instituendis sive in senibus curandis, declinata eorum de familia expulsione et inter aetates vinculis necessitudinum confirmatis (101).

Extra familiam vero, primas partes agunt nexusque aptant proprios solidarietatis aliae interpositae societates. Suo etenim fungentes munere, omnes hae societates veluti personarum communitates adolescunt quae veluti nervos socialis corporis paene texunt prohibentes quominus in ignota illud decidat et inter multitudines sine nomine misceatur, id quod tamen in hodierna societate percrebro, proh dolor, accidit. Inter necescitudinum nexus persona aetatem agit et « societatis subiectivitas » invalescit. Hodie homo saepe a duobus coangustatur lateribus, Civitate scilicet et mercatu. Tamquam enim solus rerum effector exstare interdum videtur et consumptor mercium vel Civitatis subiectum administrationis, dum illud ex animo excidit: hominum convictum neque ad mercatum ref erri neque ad Civitatem, cum in se collocet ipse peculiare bonum, cui tum a Civitate tum mercatu est serviendum. Is quidem est homo qui ante omnia veritatem perquirat quique similiter vivendo eandem compiere contendat eandemque altius percipere dialogo nempe cum praeteritis usque instituto ac venturis saeculis (102).

50. Ex veritatis manifesta inquisitione quae in omnibus aetatibus renovatur, notio cultus et humanitatis denotatur Nationis. Nam bonorum translaticiorum adeptorumque depositum semper a iuvenibus reprehenditur. Quod ceteroquin verbum non significat respuere vel delere aliqua antecepta ratione sed potissimum declarat propriam vitam expendere, unde comprobatione hac bona vividiora evadant sintque huius temporis et ad personam, rebus in traditione validis segregatis a mendaciis et erroribus necnon veteribus formis amotis, in quarum locum habitus sufficiantur temporibus aptiores.

His quidem spectatis rebus illud quoque oportet memoretur: evangelizationem Nationum se insinuare in cultum, cui in via ad veritatem cuique in opere purgationis et locupletationis opem ipsa fert (103). Cum contra in se ipse circumcludit humanus cultus cumque obsoleta perpetuare nititur, omnibus communicationibus et de hominis veritate collationibus depulsis, tunc idem exarescit et decidere incipit.

51. Cuncta hominis actio intra aliquam humani cultus compagem explicatur et ibidem reciprocatur. Ut congruus efformetur huiusmodi cultus, homo totus implicatur qui in hac re creatricem vim suam insumit et intellectum et mundi hominumque cognitionem, quique ibidem exinde dominationem sui ac sua sacrificia solidarietatem ac voluntatem ad bonum commune prosperandum adfert. Quapropter primum magisque praecipuum opus in hominis corde fit ac modus vero, quo futurum tempus proprium studet aedificare, pendet ex sui aestimatione propriaeque sortis. Hoc quidem loco Ecclesiae opera locatur peculiaris et decretoria pro cultu et humanitate. Ipsa enim excellentiam sustinet humanorum habituum qui pacis cultui favent, adversus specimina illa quae hominem cum multitudine miscent, cum eius partes non agnoscant eiusdemque libertatem, quae autem illius granditatem in certaminis artibus figunt et belli. Ecclesia ministerium suum reddit veritatem denuntians de mundi creatione, quem Deus

hominum manibus commendavit, ut eundem fecundum efficerent suisque operibus perfectiorem, atque veritatem edicens de redemptione, qua Dei Filius omnes homines servavit et eadem opera homines inter se coniunxit ut alii aliorum sustinerent partes. Sacra Biblia de sollicito ministerio usque loquuntur in fratrem, quae item in omnes homines ad officium nos compellunt.

Haec profecto necessitas haud finibus continetur familiae et ne Nationis quidem Civitatisve, sed cunctam humanam familiam ordinate ita complectitur ut nemo a sorte alterius membri generis hominum videatur alienus vel exsors. Nemo asseverare potest se sui fratris fati non esse participem (cf. Io 4, 97; Lc 10, 29-37; Mt 25, 31-46)! Prompta sane studiosaque sollicitudo de proximo instantibus necessitatibus hodie etiam novis expedita communicationis instrumentis, quae propiores inter se homines reddiderunt, peculiarem habet vim si rationes respiciuntur quibus pro bello inter Nationes solvantur contentiones. Nulla autem difficultate affirmatur internecionis apparatuum terrificam potentiam qui quidem minoribus quoque Nationibus praesto nunc sint, atque magis ac magis inter totius mundi populos necessitudinem efficere ut difficilius, vel potius omnino inverisimiliter, belli consectaria terminis quibusdam circumscribantur.

52. Benedictus XV ac eiusdem successores hoc periculum liquido intellexerunt (104). Nos autem Persici Sinus ingruente atroci bello ipsi iterum clamavimus: « Numquam amplius bellum » i Minime, iam numquam bellum, innocentium vitam quod demit, quod docet necare et vitam pariter interfectorum evertit, quod odium et simultates continuas post se relinquit, quod denique quaestiones difficilius reddit expediendas ex quibus idem bellum ortum est ! Quem ad modum vero in singulis Civitatibus iam in locum privatae ultionis et clarigationis imperium legis ipsius suffectum est, ita tempus pariter instat ut in Communitate Nationum talis progressus augeatur. Non est autem obliviscendum bellum plerumque ex gravibus verisque rationibus exsistere hae sunt iniuriae quas homines patiuntur, legitimarum petitionum deceptiones, egestas et multitudinum ab omni spe deiectarum abusio, quibus per pacis semitas progrediendi et proficiendi facultas non datur.

Hac de causa alterum pacis nomen est progressio (105). Sicut omnium est officium bellum vitare, ita omnium est progressum provehere. Perinde atque intra Nationis fines socialis oeconomia explicari potest debetque, qua mercatus ipse ad bonum commune dirigatur, pari sane ratione necesse est inter Nationes id agatur. Oportet idcirco vehementer contendant homines ut se ipsi intellegant et cognoscant necnon conscientiae sensu imbuantur. Hic est optatus ille cultus qui fiduciam de humanis facultatibus cuiusque egeni duplicat vel de eius praeparatione apta ad suas levandas condiciones operis auxixilio atque in bonum oeconomicum operam suam conf erendam. At ut id consequatur pauper, — sive singularis sive Status — necesse habet veras dari stipulationes et facultates. Has condiciones praebere est munus totius orbis progressui faventis, quod nempe simul facit ut aliquid dominationis potestatisque amittatur quibus prosperiores oeconomiae plus ponenti (106).

Talibus autem consiliis captis, modus vivendi fixus valde mutari potest, ut scilicet humanarum facultatum et terrarum dissipatio circumscribatur iisdemque sic homines populique huius orbis satis frui sinantur. Quibus autem rebus novorum materialium bonorum spiritaliumque additur aestimatio, quae ipso ex opere fabrili cultuque animi oriuntur populorum nunc seclusorum. Sic demum divitiarum humanarum amplificatio in universum obtinetur ad Nationum pertinens familiam.

CAPUT VI

VIA EST ECCLESIAE HOMO

53. Proletariatus coram miseria collocatus adseveravit Leo XIII : « Confidenter ad argumentum aggredimur ac piane iure Nostro, ... neglexisse officium taciturnitate videremur » (107). Centum scilicet proximis hisce annis crebrius suam Ecclesia aperuit mentem, ex propinquo sectata quaestionis socialis progredientem enodationem neque id sane fecit ut temporis transacti renovet privilegia neve suam quandam imponat orbis speciem. Unicum nempe eius fuit propositum curam exsequi atque officium proprium de homine, quod a Christo ipso est ilei creditum, nimirum hoc de homine qui Concilio Vaticano Secundo commonente sola creatura est quam Deus propter seipsam voluerit, id est ut aeternae particeps esset salutis. Haud profecto de homine agitur `abstracto', verum solido, 'concreto' et `historico': de unoquoque homine est sermo quandoquidem singuli redemptionis mysterio continentur et cum singulis sese in sempiternum Christus coniunxit idem per mysterium (108). Sequitur ideo hinc ut Ecclesiae hominem deserere non liceat et sit « hic ipse homo ... prima veluti via, quam Ecclesia in suo munere implendo emetiatur oportet, quam ipse Christus aperuit quaeque per mysterium Incarnationis et Redemptionis constanter transit » (109).

Haec una denique cogitatio est quae socialem moderatur Ecclesiae doctrinam. Si vero eam paulatim Ecclesia ordinato aliquo modo enucleavit, ab illo praesertim anno quem commemoramus, idcirco hoc fecit quod integri doctrinarum Ecclesiae thesauri habent tamquam definientem orbem ipsum hominem in tota veritate illius uti peccatoris et iusti.

54. Hodie autem potissimum respicit sociale magisterium hominem, ut qui in compagem implicatam necessitudinum ipsarum societatis recentis sit insertus. Disciplinae quidem humanae ac philosophia magno sunt adiumento interpretandis primis hominis partibus in societate, unde etiam possit homo se intellegere melius ipsum utpote « ens sociale ». At fides dumtaxat plane recludit ei veram propriamque indolem et ab ea omnino fide socialis Ecclesiae dottrina proficiscitur quae scientiarum philosophiaeque fructibus usa suscipit hominem salutis in itinere iuvandum.

Accipi Litterae Rerum novarum possunt perinde atque magni ponderis additamentum inquisitioni socio-oeconomicae exeunte superiore saeculo undevicesimo; sed praecipua earum vis inde videlicet colligitur quod Magisterii Documentum sunt quod cum evangelizandi Ecclesiae opere congruit sicut et plura alia huius generis Documenta. Comprobatur hinc sociale magisterium ex sese virtutem praebere cuiusdam instrumenti ad evangelizandum: quatenus huius est naturae, Deum nuntiat eiusque in Christo salutem omnibus hominibus eademque de causa hominem sibi ipsi demonstrat. Hac porro ratione et hac sola sub luce pertractantur reliqua : humana cuiusque iura nominatimque « proletariorum », iura familiae et educationis, Status officia, constitutio societatis in singulis Nationibus et inter Nationes, vita oeconomica et animi cultura, pax et bellum, reverentia erga vitam a conceptione ad mortem usque.

55. Divina e Revelatione « hominis sensum » percipit Ecclesia. « Etenim ut nos hominem, hominem verum, hominem integrum penitus noscamus, Deum ipsum antea cognoscamus necesse est », ait Paulus VI qui continuo post Sanctae Catharinae Senensis protulit sermones quae idem sua significavit prece: « In tua natura, aeterne Deus, naturam meam cognoscam » (110).

Hanc ob causam exstat anthropologia christiana revera aliquod theologiae caput eademque de re socialis Ecclesiae doctrina, dum hominem tractat de homine curat eiusque moribus in mundo, « theologiae ac quidem theologiae morali accensetur » (111). Haec theologica ratio necessaria videtur tum ad intellegendas tum etiam ad recentes humanae consortionis difficultates dissolvendas. Id quod pertinet tam ad remedium « atheum » — hoc est inculcandum quod

hominem una quadam parte ipsius praecipua destituit nempe spiritali, quam ad solutiones maximae indulgentiae rerumque consumptionis, quae diversis oblatis excusationibus eo tandem spectant ut persuadeant homini liberum esse illum omni a lege ac Deo ipso, dum concludit eum intra sui solius amorem ac studium unde demum et ei nocet et ceteris.

Cum vero salutem Dei nuntiat Ecclesia, cum participem eum per sacramenta reddit divinae vitae quam offert, cum amoris Dei mandatis proximique vitam illius dirigit, plurimum confert Ecclesia hominis locupletandae dignitati. Sed, sicut hoc suum religiosum transcendens munus pro homine deserere non potest, ita profecto sibi est Ecclesia conscia permagnas hodie obices ac difficultates suae obstare industriae. Haec igitur causa est cur novis semper viribus ac viis sese dedat evangelizationi totum provehenti hominem. Tertio quoque ingressuro mille annorum spatio, remanet « signum et tutamentum transcendentiae humanae personae » (112), quem ad modum efficere semper studuit primis a vitae suae initiis ambulans videlicet cum homine per saeculorum aetates. Huius sunt rei praestans documentum Litterae Rerum novarum.

56. Centesimo earum sic anno expleto universis iis gratias referre gestimus qui operam navant ut socialem doctrinam perdiscant alteque perscrutentur ac pervulgent. Quem in finem necessaria est Ecclesiarum localium adiutrix actio optamusque propterea ut commemoratio haec opportunitatem inferat novi cuiusdam fervoris in doctrinis illis vestigandis disseminandis et applicandis multiplici nimirum in loco. Nominatim vero volumus ut sociale magisterium cognoscatur ad effectumque deducatur variis iis in Nationibus ubi exstincto iam socialismo reali pergravis emergit rerum turbatio in ipso restaurationis opere. Occidentis vicissim imminet Nationibus periculum ne in ista prolapsione victoriam unicam deprehendant proprii oeconomici instituti neve idcirco omittant eidem instituto necessarias adf erre emendationes. Tertii vero Mundi Civitates magis quam antehac in extrema tardantur condicione inferiorum progressuum quae in singulos ingravescit dies.

Principiis autem normisque contextis, quibus operariorum quaestio expediretur, scripsit Leo XIII decretorios sermones : « Accingendum ad suas cuique partes, et maturrime quidem, ne tantae iam molis incommodum fiat insanabilius cunctatione medicinae » addiditque etiam : « Ad Ecclesiam quod spectat, desiderari operam suam nullo tempore nulloque modo sinet » (113).

57. Ab Ecclesia haberi non potest socialis Evangelii tius tamquam ars quaedam et nuda sententia, verum fundamentum in primis occasioque agendi. Quo permoti quidem nuntio aliqui primis de christianis bona sua egenis partiebantur simulque ideo testabantur, licet diversis venissent e societatis ordinibus, fieri tamen posse ut pacati sociatique una viverent. Evangelii virtute monachi volventibus saeculis arva colebant, religiosi ac religiosae valetudinaria condebant et perfugia excipiendis pauperibus, confraternitates perinde atque viri mulieresque cuiuslibet status pro egentibus et exclusis se obligabant officio benevolentiae cum persuasum sibi haberent Christi dieta « Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis » (Mt 25, 40) haud permanere pium quoddam debere optatum sed solidum evadere potius vitae opus. Magis quam umquam sibi conscia est Ecclesia suum nuntium socialem prius in operum testimoniis auctoritatem et fidem habiturum, quam in ipsius congruentia interioreque ratione. Ex hac quoque conscientia pauperum optio peculiaris oritur, quae vero alios coetus nunquam repellit neque seiungit. Agitur namque de optione quae non modo rerum egestatem respicit, cum piane liqueat hodierna potissimum in societate complures species exstare paupertatis non tantummodo oeconomicae, verum et doctrinalis et religiosae. Ecclesiae in pauperes studium, quod praeponderans est quodque in eiusdem translaticiis consuetudinibus usque continuatur, ipsam compellit ut ad mundum illum se convertat, in quo quamvis technicus vigeat oeconomicusque progressus, in eo tanta est paupertas ut immanem faciem suscipiat. In

regionibus ad occidentem vergentibus, multiformis reperitur paupertas quae derelictorum ordines respicit senum aegrotorumque consumismo obnoxiorum et, quod plus est, paupertas quae ad exules pertinet et emigrantes; in progredientibus autem Nationibus, permagna discrimina prospectantur, nisi temperi aptata inter Nationes adhibentur remedia.

58. Erga hominem profecto dilectio imprimisque in pauperem, in quo Christum reperit Ecclesia, iustitiae provectu efficitur, quae quidem nunquam piene perficitur, nisi homines egenum agnoscunt, vitae quoddam petentem subsidium, non importunum aliquem onusve, sed veluti occasionem ipsius boni faciendi et maiorum divitiarum copiam. Haec tantummodo conscientia animum addet ut quis periculum adeat et animi immutationem, quae in vero conamine insunt ad homini opem ferendam. Nam non agitur tantum de rebus dandis superfluentibus sed de integris populis iuvandis, amotis et seiunctis, qui progressionis oeconomicae rationem ne ingrediantur prohibentur. Id fieri tunc modo poterit si de superfluis detrahetur quae affatim profert terra, at in primis si mutati erunt vivendi mores rationesque efficiendi et consumendi res necnon ìpsae regiminis compages iam obfirmatae quibus hodie regitur societas. Non sane refert ordinis socialis deleri instituta quae sint adhuc piane probata sed dirigi eadem ad consentaneam boni communis aestimationem, respecta universali hominum familia. Geritur enim hodie sic dicta « mundialis rerum nummariarum administratio », quae quidem haudquaquam est respuenda, quandoquidem maioris multo prosperitatis opportunitates importare potest singulares. Verum magis usque necesse esse percipitur huic mundiali et universali oeconomiae tractationi potentia Instituta omnium gentium respondeant moderandi ordinandique causa, unde ipsa oeconomica populorum gubernatio in bonum commune collineetur; illud vero unusquisque Status, quantumvis ipse terrarum omnium sit valentissimus, perficere tamen nequit. Haec autem ut attingatur meta, invalescere oportet inter Civitates maiores conspirationem atque ipsa commoda bonaque maximae hominum communitatis aequabiliter apud Instituta gentium protegi. Dum praeterea consectaria perpenduntur propriorum consiliorum, rationem convenienter habere debent illa populorum ac Statuum qui apud mundanum mercatum minus quidem valent sed qui acerbiores gravioresque intra se necessitates complectuntur, quocirca maioribus egent adiumentis ut progrediantur. Nihil profecto dubii quin hac in parte plurima supersint facienda.

59. Iustitia igitur ut compleatur feliciterque cedant hominum conatus ad eam exsequendam, gratiae manus a Deo profluens postulatur. Ea nempe agente et hominum simul operante libertate contingit arcana illa Dei praesentia in rebus gestis terrarum quae Providentia est.

Novitatis experimentum, quae in Christi sequela fit, cum aliis est communicandum hominibus in cotidiana concretaque veritate eorum difficultatum et contentionum, quaestionum et provocationum ut fidei lumine collustrentur humanioresque evadant. Ea enim non adiuvat tantummodo ut remedia reperiantur sed tolerabiles etiam hominibus reddit condiciones doloris ne iis homo suffocetur neve suae ipsius dignitatis obliviscatur ac vocationis.

Magni deinde momenti rationem prae se fert doctrina socialis quae ad omnes simul iunctas disciplinas pertinet. Quo namque melius unica de nomine veritas veluti concorporetur in eventibus socialibus oeconomicis politicis sane diversis semperque variantibus, ingreditur haec doctrina diverbium variis cum illis disciplinis quae hominem pertractant, dum earum fructus in se perficit eisque subvenit ut in latiorem patescant provinciam ministerii erga quamque humanam personam quae cognoscitur ac diligitur in vocationis suae plenitudine.

Iuxta hanc coniunctionem reliquis cum disciplinis commemoretur oportet utilitas liuius socialis doctrinae et quadamtenus experimentalis indoles. Ibi enim sistit ubi vita christianorum conscientiaque offendunt mundi condiciones ac se demonstrandam dat in ipsis nisibus quos singuli fideles et f amiliae, ministri culturales et sociales, politici et Statuum moderatores complent ut eidem doctrinae certam addant figuram et usum in historia.

60. Principia iiisa recensens ad opificum solvendam quaestionem scripsit Leo XIII « Profecto aliorum quoque operam et contentionem tanta haec causa desiderat »(114). Persuasum scilicet ei erat, nisi omnium virium et copiarum consensio haberetur, graves difficultates ex industriarum fabrilium societate profectas expediri non posse. Haec deinceps adfirmatio pars socialis Ecclesiae magisterii perpetua est facta unde explicatur quoque quam ob rem Pontifex loannes XXIII Litteras suas Encyclicas de pace omnium gentium inscripserit simul « universis bonae voluntatis hominibus ».

Dolens tamen Leo XIII animum advertebat magnas opinationum scholas eiusdem aetatis, liberalismum praesertim ac marxismum, consociatam hanc repudiare operam. Interea vero complura, hisce potissimum recentioribus annis, sunt mutata. Sibi magis est magisque conscius hodiernus orbis sanationem magnarum difficultatum in nationibus et inter nationes minime reponi in oeconomica dumtaxat rerum effectione aut iuridica quadam socialive ordinatione societatis, sed definita exposcere principia ethica et religiosa necnon animorum conversionem et morum et structurarum. Se particulatim officio obstringi videt Ecclesia has agendi partes ac — sicut in Litteris Encyclicis Sollicitudo rei socialis perscripsimus — solida elucet spes futurum ut permagnus eorum hominum numerus qui nullam profiteantur religionem aliquid conferre valeat ut sociali quaestioni necessarium ethicae naturae fundamentum subiciant (115).

Iisdem praeterea in Litteris christianas etiam compellavimus Ecclesias cunctasque orbis religiones diffusas ut concors redderent testimonium iam sententiarum communium de hominis dignitate a Deo conditi (116) .Certo enim novimus praestantes fore religionum partes hodie ac deinceps pacem ad servandam hominisque dignam constituendam societatem.

Ceterum promptus in collocutionem et cooperationem animus ad omnes spectat bonae voluntatis homines maximeque singulos et eorum manipulus quibus proprium est tale officium in regione politica sociali nummaria tum intra tum inter nationes.

61. Enata modo industriarum societate impulit Decessorem Nostrum « prope servile iugum » ut pro hominis defensione eloqueretur. Eidem dein muneri centum annos continuos fidelis perstitit Ecclesia! Re enim vera, turbatis iis temporibus, cum civium ordines inter se dimicarent, post primum omnium gentium bellum intercessit ipsa ut ab oeconomica hominem abusione et tyrannide regiminum absolutorum defenderet. In media autem parte nuntiorum socialium suorum post alterum universale bellum collocavit personae dignitatem, dum universalem bonorum corporeorum destinationem inculcabat necnon socialem aliquem ordinem qui oppressione careret consisteretque in adiutricis operae et mutuae necessitudinis voluntate. Postmodum sine intermissione praedicabat non opus his solis bonis esse ipsi personae ac societati, verum etiam spiritalibus ac religiosis thesauris. Tum etiam, cum melius usque comprehendat nimium multos versari homines non in orbis occidentis prosperitate sed progredientium paulatim Nationum in egestate eosque fortunam perpeti quae etiamnum eadem sit i ac « prope servile ugum », necesse sibi esse sensit ac sentit hanc rerum condicionem veram omni pronuntiare cum perspicuitate et libertate, licet hunc suum clamorem noverit non ab omnibus benigne semper exceptum iri.

Centum itaque annis elapsis, ex quo Litterae Rerum novarum prodiere, adhuc « rebus novis » novisque provocationibus obvia fit Ecclesia. Qua de causa confirmare decet centenariam hanc recordationem officium bonae voluntatis hominum omnium in primisque credentium.

62. Ad praeteritam videlicet aetatem hae Nostrae respexerunt Litterae, at praesertim in venturam protenduntur. Perinde ac suo tempore Rerum novarum Litterae, sic profecto hae Nostrae in limine novi sistunt saeculi ad cuius introitum viam, opitulante Deo, munire contendunt.

Vera quidem ac sempiterna « rerum novitas » quolibet tempore ex divina exoritur potestate quae adfirmat : « Ecce nova facio omnia » (Apc 21, 5). Dieta haec ad historia referuntur consummationem, cum Christus « tradiderit regnum Deo et Patri ..., ut sit Deus omnia in omnibus » (1 Cor 15, 24. 28). Exploratum autem habet christianus « novitatem », quam plenam exspectemus revertente Domino, iam inde adesse ab orbe condito, sive potius ex quo in Christo Iesu homo sit factus Deus et cum ipso ac per ipsum effecta sit « nova creatura » .(2 Cor 5, 17).

Finem ita facientes Nos scribendi rursus Omnipotenti ref erimus grates Deo ut qui lucem suae Ecclesiae tribuerit ac virtutem ut terrestri in itinere hominem comitetur ad aevum sempiternum. Haud minus Tertio procedente Mille annorum spatio sese fidelem praebebit Ecclesia, cum suam hominis viam faciet, neque ignorabit non solam progredi se, verum cum Christo una Domino suo. Ipse enim suam hominis viam fecit eumque ducit quamvis eiusdem ductus ignarum.

Redemptoris Mater Maria, Christo continenter adhaerens in via ad homines cumque hominibus atque Ecclesiam in fidei peregrinatione antecedens, hominum genus materna sua prosequatur precatione proximum ad Millenium, fidissima ipsius administra qui « heri et hodie idem, et in saecula (Heb 13, 8) est Iesus Christus, Dominus noster, cuius demum nomine singulis ex animo benedicimus Nos. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, Kalendis Maiis, in memoria Sancti Iosephi Opificis, anno MCMXCI Pontificatus Nostri tertio decimo. IOANNES PAULUS PP. II Centesimo anno

12

Prior = Centesimus annus, post = Officiorum omnium

12. SOLLICITUDO REI SOCIALIS LITTERAE ENCYCLICAE IOANNIS PAULI PP. II SUMMI PONTIFICIS

1. Sollicitudo rei socialis Ecclesiae veram hominis et communitatis respiciens progressionem, quae pariter ips ius hominis omnes servet facultates ac provehat, multimodis est patefacta. Praecipuum quidem eiusdem doetrinae tradendae instrumentum novissimis temporibus in Romanorum Pontificum potissimum invenitur Magisterio, quod quidem a Leonis XIII Litteris Encyclicis sumens exordia, quarum verba initialia sunt Rerum Novarum, quasi a capite ad quod reliqua referuntur (1), identidem hac de re pertractavit, dum varia documenta socialia foras edenda interdum curabat ipsis anniversariis temporibus, quibus illa occurrebat memoria (2).

Nec vero Summi Pontifices suis ipsorum dissertationibus doctrinae socialis Ecclesiae collustrare etiam novas rationes neglexerunt. Ipso igitur initio repetito a Leonis XIII luculentis monitis, subsequentibus additamentis locupletato Magisterii, pervenitur ad « corpus » quoddam doctrinae, quod gradatim contexitur, cum scilicet Ecclesia, Verbi a Christo Iesu (3) revelati spectans plenitudinem, Spirituque Sancto affiante (cfr. Io 14, 16. 26; 16, 13-15), vitae hominum scrutatur eventus, dum per historiae cursum evolvuntur. Ratione humanisque cognitionibus

adhibitis, ipsa profecto perdu cere homines nititur ad vocationi parendum, quae est prudentium societatis terrestris conditorum.

2. Hoc in perspicuo de re sociali doctrinae corpore, Litterae Encyclicae Populorum Progressio (4) praecipuum obtinent locum, quas quidem Decessor Noster v.m. Paulus VI die XXVI mensis Martii, anno MCMLXVII edidit.

Etiamnunc earundem Litterarum Encyclicarum vis et auctoritas plane agnoscuntur, dum recensentur multiplices commemorationes, quae hoc anno sunt habitae multis modis multisque locis, in ecclesiasticis sedibus aeque ac civilibus. Hoc idem persequens propositum, Pontificia Commissio a Iustitia et Pace, proxime exacto anno, Ecclesiarum Orientalium Synodis misit litteras formales necnon Conferentiis Episcoporum; quibus litteris ex Episcopis enixe quaerebatur quae essent ipsorum iudicia quaeque rationes iisdem viderentur potiores unde convenientius celebrari posset anniversaria memoria illarum Litterarum Encyclicarum atque earum doctrina locupletaretur et pro tempore salutaria eruerentur praecepta. Ipsa re vera Commissio, quam supra memoravimus, sollemnem egit commemorationem, cui Nos interfuimus Ipsi atque postremam habuimus orationem (5). Nunc autem, perspectis etiam litterarum formalium responsionibus, Opportunum iudicavimus, sub exitum anni MCMLXXXVII, Litteras conscribere Encyclicas, quibus argumentis documenti, cui index Populorum Progressio, operam daremus.

3. Hac quidem ratione praecipue bina proposita assequi cupimus haud parvi momenti, primum scilicet laudes Pauli VI eiusdem documenti, historia digni, praedicandi atque eius doctrinae auctoritatem testificandi; deinde autem, vestigia venerabilium in Petri Cathedra Decessorum Nostrorum secuti, in animum induximus doctrinae socialis continuationem iterum confirmare simulque eiusdem constantem renovationem. Continuatio profecto perinde ac renovatio spectata sunt probatio perennis validitatis Ecclesiae doctrinae.

Haec duplex nota peculiaris est Ecclesiae de re sociali doctrinae. Quae quid em illine constans est, cum semper eadem sit in summis principiis considerandis, in « cogitationis rationibus », in « iudicii normis », in « legibus principibus, quae actionem moderantur » (6), inque praesertim vitali cum Domini Evangelio nexu; hinc semper ipsa nova est, cum congruenter ac necessario ad versabiles tempo rum condiciones et perpetuas immutationes eventuum usque accommodetur oporteat, in quibus vita hominum et societatis versatur.

4. Pro comperto quidem habentes Litterarum Encyclicarum, a verbis Populorum Progressio incipientium, doctrinam ad homines societatemque, qui decennium a sexagesimo anno vixerunt, spectantem etiamnunc omnino vim servare coscientiae revocandae, hoc decennio ab octogesimo anno exeunte, dum contendimus ad lineamenta adumbranda praecipua mundi, qui nunc est — idem usque servantes propositum, quod est Populorum Progressio quodque adhuc longe abest ut expleatur — consilium cepimus Ipsi ut illarum Litterarum vocem resonantem longius proferamus earundemque nectentes nuntium cum applicationibus, quae hodiernis possunt fieri temporibus, quae quid em non minus sunt gravia quam viginti abhinc annos illa fuerunt.

Tempus, ut probe scimus, semper fere eundem tenet veluti rhythmum. In praesenti tamen sentimus magis magisque ipsum citius dilabi potissimum propter multiplicationem et implicationem eventuum, quos nos ipsi experimur. Idcirco mundi species, viginti superioribus proximis annis spectatis, quamvis quaedam principalia servaverit, pervarie tamen immutata est et nova inde exhibentur.

Hoc temporis spatium, instante tertio Millennio christiano, perfusa quadam expectatione distinctum, quasi de novo agatur « adventu » (7), qui universos quodammodo attingit homines,

dat ansam pernoscendi doctrinam Encyclicarum Litterarum, ut eius etiam perspiciamus prospectum.

Haec quidem consideratio eo potissimum spectat, ut, pervestigationis theologicae auxilio de rebus, quae nunc sunt, uberior habeatur magisque distineat notio progressionis, secundum Litterarum Encyclicarum proposita, utque quaedam rationes afferantur ea ad effectum adducendi.

II

5. Simul atque est promulgatum, Pauli VI documentum in suam novitatem devocavit omnium mentes. Gemina peculiaritas re et liquido sane est comprobata, continuationis scilicet et renovationis, intra Ecclesiae socialem doctrinam. Quapropter harum cogitationum propositum illuc spectabit, ut Litterarum Encyclicarum per iteratam accuratamque lectionem multiplicia eiusdem doctrinae detegamus lineamenta.

Sed antea aliquid temporis insumere placet ut de anno cogitemus ipso, MCMLXVII scilicet, quo eaedem foras sunt datae. Ratio revera, propter quam Summus Pontifex Paulus VI suas de re sociali Litteras Encyclicas edendas illo ipso anno decrevit, nobis suadet ut documentum cum Concilio Vaticano II coniunctum videamus, quod quidem Concilium die VIII mensis Decembris, anno MCMLXV ad exitum est adductum.

6. Haec res aliquicl potius quam temporis propinquitas est consideranda. Nam Litterae Encyclicae Populorum Progressio quodammodo videntur documentum. esse, quod reapse doctrinam Concilii ad effectum perducit. Hoc quidem non tam ob constantem ad Concilii scripta relationem (8), quam quod eaedem ex ipsa Ecclesiae sollicitudine oriuntur, qua profecto totum Concilii opus perfunditur — nominatim pastoralis Constitutio Gaudium et Spes — cum componuntur ac nonnulla amplificantur argumenta ad doctrinam socialem pertinentia.

Haque congruenter asseverare licet Litteras Encyclicas a verbis Populorum Progressio incipientes quodammodo rogatui respondere, quo init Constitutio Gaudium et Spes; « Gaudium et Spes, luctus et angor hominum huius temporis, pauperum praesertim et quorumvis affiictorum, gaudium sunt et spes, luctus et angor etiam Christi discipulorum, nihilque vere hum anum invenitur, quod in corde eorum non resonet » (9). Haec verba primam ostendunt rationem, quae Concilii magno subiecta est documento, quod ex agnitione egestatis atque extenuatae progressionis sumit exordium, in quibus innumerabiles homines vitam degunt.

Egestas re vera et minor progressio in Concilii scriptis aliter vocantur, scilicet « luctus et angor tot hominum nostrae aetatis, pauperum praesertim »; atque huic sane amplo tot laborum et aerumnarum prospectui Concilium gaudii et spei ostendit prospectum. Idem profecto propositum Pauli VI Litterae Encyclicae assequi intendunt, integram servantes fidem erga conciliarem afflatum.

7. Sed quod etiam ad argumentorum ordinem attinet, Litterae Encyclicae doctrinae socialis Ecclesiae praeclaram traditionem prorsus servantes, expressius novam enarrationem et comprehensionem locupletem rerum, quas Concilium conseruit, praesertim in Constitutione Gaudium et Spes, resumunt.

Sensus et argumenta, quae Litterae Encyclicae recolunt, sunt rursus confirmanda: conscientia scilicet officii Ecclesiae proprii, « rerum humanarum peritissimae », « signa temporum scrutandi

eaque sub Evangelii luce interpretandi » (10); conscientia pariter acris muneris « serviendi », quod omnino ab officio seiungitur, quod pertinet ad civitatem, etiam cum re virorum mulierumque prospicit condicionibus (11); animadversio, ex qua permagnae dissimilitudines perquirendae sunt, ipsarum personarum statum afficiunt quasque Constitutio pariter ipsa ostendit (12); doctrinae conciliaris confirmatio, fidelis vetustissimae velut vox traditionis, quae « bonorum universalem destinationem » commemorat (13); aestimatio ingenii culturae et cultus civilis technici, quae ad hominem liberandum conferunt (14), agnitis tamen eorum finibus (15); de progressionis tandem argumento ipso, Litteris Encyclicis peculiari, « gravissimum officium » corroboratur, quod ad excultiores civitates pertinet, scilicet « progredientes populos adiuvandi » (16). Progressionis ipsa ratio Litteris Encyclicis allata directo eruitur ex digestione quidem a Constitutione nempe pastorali de hac re proposita (17).

Ex hac aliisque ad Constitutionem pastoralem relationibus, colligi profecto potest easdem Litteras doctrinam Concilii ad rem socialem pertinentem ad ettectum deducere, nominatim ad populorum progressionem eorundemque progressum deficientem.

8. Rerum nunc brevis haec hic enucleata enodatio adiuvat nos quidem ut novitatem melius Encyclicarum Litterarum aestimemus, quam tribus licet sub titulis perstringi capitibusve.

Primum sane habendum est ipsum factum documenti a maxima Ecclesiae catholicae auctoritate foras emissum ipsique simul inscriptum Ecclesiae necnon « omnibus hominibus bonae voluntatis » (18) ea nominatim super re quae primo videtur intuitu oeconomica dumtaxat ac socialis, populorum id est de progressione sive profectu. Dubii porro nihil quin « profectus » vocabulum deducatur ex verborum thesauro disciplinarum socialium ac nummariarum. Hac proin ratione reponuntur Encyclicae Litterae Populorum Progressio in litterarum Rerum Novarum tramite, videlicet « opificum condiciones» pertractantium (19). Ab exteriore modo respecta parte, illa bina argumenta aliena ab Ecclesia religioso instituto iudicata forsitan videantur, quin immo « progressio » magis quam « opificum condiciones ».

Secundum Encyclicas Leonis XIII Litteras, id haud parvum assignari Pauli VI scriptioni meritum oportet, quod ethicam nempe tum culturalem denotavit huius quaestionis indolem de progressione ideoque ius etiam certum atque interventus necessitatem Ecclesiae eandem in negotiorum provinciam.

Hoc quidem pacto socialis christianorum doctrina rursus sibi genus vindicavit proprium verbi Dei adhibendi ad hominum vitam societatisque necnon ad causas terrestres, quae cum iis iunguntur, dum « principia ... a recta ratione postulata ... orientationesque quasdam» profert (20). Agedum: Pauli VI insunt scripto tria haec elementa singula una cum eorum ordinatione ad vitae cursum cotidianae, mores scilicet humanos.

Quotiens propterea « populorum progressioni » operam dat, Ecclesiam neutiquam accusari par est excedere de sua auctoritatis regione nedum de finibus a Domino ipso percepti mandati.

9. Secundum exsistit caput novitas ipsa, quam prae se « Populorum Progressio » fert quaeque ipsius prospectus extollitur amplitudine ad illud videlicet omne rite patentis, quod sub nomine plerumque agnoscitur « quaestionis socialis ».

Profecto iam antea dilatatum hunc rerum conspectum susceperant Encyclicae Litterae « Mater et Magistra » Ioannis XXIII (21) quibus Concilium in sua pastorali Constitutione Gaudium et Spes (22) quadam respondit quasi reciprocae imagine vocis. Nihilo tam en minus sociale eo usque Ecclesiae non processerat magisterium omni ut cum claritate affirmaret socialem quaestionem

nunc ad universam coniunctionem inter homines hominum magnopere pertinere (23), neque sententia ipsaque inquisitione, quam excitat, « orientationem » effecit, quem ad modum molitur Paulus PP. VI in suis Litteris Encyclicis.

Tale tamen ideo explicatum iudicium uberem doctrinarum suppeditat copiam, quam expedit hic commonstrare.

Quae oriri forsan potuerit, in primis necesse est auferre ambiguitatem. Quod « quaestio socialis » extensionem sibi accepisse dicitur illam « universalem », non inde sequitur ut deminutum ipsius sit pondus neque ut momentum suum singulis pro nationibus locisque amiserit. Officinas ex contrario significat atque fabricas vel opificum motum ipsorum eorumque collegia certa aliqua in civitate aut regione non esse dispersas tamquam insulas habendas sine ullis alibi coniunctionibus, verum magis pendere magisque illas ex impulsione rationum iam exstantium extra cuiusque provinciae nationisve fines.

Nunc vero, proh dolor!, status oeconomici respectu ad progressionem nitentes modo Civitates sunt sane multo plures ipsis progressis: hominum proin multitudines, quae bonis carent commodisque progressione illa allatis ipsa, pariter sunt longe frequentiores iis nempe quibus eadem praesto sunt beneficia.

Coram pergravi ideo consistimus quaestione iniquae partitionis modorum subsistendi et instrumentorum, quae universis olim destinata sunt hominibus, sicut etiam inaequalis beneficiorum divisionis inde profluentium. Neque hoc accidit ulla affiictarum culpa multitudinum, nedum profecto ob quandam quasi fatalem necessitatem ex naturae ipsius condicionibus proficiscentem neque ex tota adiunctorum summa, in quibus iidem versantur homines.

Encyclicae Pauli VI Litterae confitentes « socialem quaestionem nunc ad universam coniunctionem inter homines hominum magnopere pertinere » ante omnia factum morale, Silum quod fundamentum habet in aliqua rerum explicatione veris mundi condicionibus respondente, indicare volunt. Ex ipsis litterarum verbis, « illud hodie maxime interest omnes pro certo habere ac veluti sentire » (24) quoniam recta id via conscientiam attingit, fons videlicet, quae moralium consiliorum est.

Hac in rerum definitione novitas Litterarum Encyclicarum « Populorum Progressio » non in eo quidem consistit quod modo quodam historico asseveratur in doles universalis quaestionis ipsius socialis, sed potius quod moralis eiusdem aestimatio additur condicionis. Quapropter rei publicae custodes, immo omnis civis nationum divitum ipse solus consideratus, praesertim si christiani sunt, officio morali tenentur, propriarum quisque secundum obligationum magnitudinem ut, cum consilia privata capiuntur et publica regiminis, ista natura universalis, ista mutua necessitudo eorum inter mores hinc atque illinc tot millenorum hominum egestatem diligenter respiciatur. Accuratius deinde Pauli VI Litterae officium idem morale finiunt tamquam « officium coniunctionis » (25), quae porro locutio, commutatis in orbe terrarum tot condicionibus, idem prorsus pondus obtinet vimque ac scripta quo est die.

Ex altera vero parte, servatis plane huius prospectus moralis limitibus, Encyclicarum Litterarum novitas in eo item reperitur quod ipsa iam funditus conceptio progressuum naturae, si ponderantur illi secundum amplitudinem alicuius universalis mutuaeque coniunctionis inter homines, insigniter immutatur. Sola enim ex opum congerie progressio constare non potest neque promptiore ex bonorum ministeriorumque usurpatione, si haec possidentur omnia pretio ipso tardatae multitudinum progressionis ac neglectis socialibus, culturalibus, spiritalibus personae partibus humanae (26).

10. Tertio dein titulo plurimum afferunt novitatis Litterae Encyclicae Populorum Progressio toti summae socialium Ecclesiae doctrinarum necnon ipsi progressionis notioni. Novitatis enim indicium dispici valet aliqua in dictione intra postremam documenti paragraphum, quam iudicari merito licet velut eius magisterii formulam, non tantum proprietatem quandam illius historicam: « nemo dubitat progressionem idem valere ac pacem » (27).

Etenim si vere constat « socialem quaestionem nunc ad universam coniunctionem inter homines hominum magnopere pertinere », idcirco hoc evenit quod postulatis iustitiae satisfieri dumtaxat potest simili pacto universali. Quae si forte praetermittuntur, incitamentum in animis valet aliquando exoriri ipsarum iniustitiae veluti victimarum violenter ut respondeant, perinde ac plurium accidit bellorum initiis. Hominum enim turmae a bonorum partitione submotae, quae omnibus sunt primitus destinata, se ipsi percontari possunt: « Quin vi iis resistamus cunctis vi qui nos priores omnes conflictant? Ac si rerum inspicitur status pro totius discidio orbis duas ferme in nationum consocia tiones, quod anno iam millesimo nongentesimo sexagesimo septimo vigebat, pro consectariis inde ac subiectionibus tum oeconomicis tum politicis proficiscentibus, augescit sane maio rem in modum periculum ».

Huic autem explanationi animum permoventis sententiae, quae Encyclicarum Pauli VI formulae inest, additur et alia, quam documentum idem leviter significare haud omittit (28): Quomodo id denique defendi potest, quod nempe cumuli pecuniarum ingentes, quae valent quidem reservari debentque ad populorum progressionem duplicandam, contra derivantur in homines singulos vel eorum numeros locupletandos aut in apparatum militarem augendum profunduntur tam apud iam progress as Civitates quam inter nationes ad progressionem nitentes, unde verus potiorum rerum evertitur principatus? Quod quid em gravius est, ratione habita ipsarum difficultatum maiorum saepius videlicet impedientium quominus destinatae iam pecuniae recta quadam via subsidia nationibus afferant indigentibus. Si porro « progressio novum pacis est nomen », bellum aliunde apparatusque militares maximus sunt inimicus plenae populorum progressionis.

Sic profecto sub locutionis Pontificis Pauli VI lumine incitamur nos ut progressionis ipsius reficiamus conceptum, qui in illo certissime non invenitur, a quo dumtaxat satis fit corporeis necessitatibus per bonorum incrementum neque in miserias intenditur animus maioris hominum partis, et a quo etiam nimium quoddam sui ipsius studium apud singulos homines ac nationes unica evadit et sola eis ratio agendi. Acriter ideo memo rat Epistula Iacobi: « Unde bella et unde lites in vobis? ... ex concupiscentiis vestris, quae militant in membris vestris. Concupiscitis et non habetis » (Iac 4, 1 s.).

In alio contra aliquo orbe, ubi sollicitudo de bono universorum hominum communi, id est prospiciens cura « animorum morumque progressioni» pro cupiditate cuiusque lucrorum dominaretur, contingere quidem pacem liceret veluti fructum quendam ac « perfectiorem iustitiae formam inter homines » (29).

Haec quoque Encyclicarum Litterarum novitas vim perpetuam prae se fert ad resque accommodatam pro huius scilicet temporis mente, quae adeo subtiliter intimum percipit inter iustitiae observantiam et confirmationem pacis vinculum contractum.

III

11. Primarium magisterium Litterarum Populorum Progressio suo iam tempore validam sibi undique peperit responsionem suum ob novitatis gentls. Nihil tamen dubitandum quin socialia ipsa adiuncta, in quibus hisce versamur diebus, proprie eadem dici nequeant ac viginti abhinc annos. Quam ob rem unumquodque caput leviter perstringentes volumus nonnullis insistere

nostrorum temporum proprietatibus, quo doctrinam Encyclicarum Pauli VI altius perquiramus, ratione item « populorum progressionis » habita.

12. Et primum quidem denotari oportet ipsas progressionis spes tum temporis adeo vigentes, hodie contra valde profecto sua ab impletione longinquas et exsecutione videri.

Hac de re Encyclicae Litterae nihil prorsus deceptionis praetendebant. Earum enim ponderosus quidem, nonnumquamque etiam sermo terrificus, condicionis tantummodo extollebat gravitatem atque singulorum conscientias obstringens hominum obiciebat simul officium proprias absolvendi partes eadem ut sanaretur condicio. Iis porro annis quidam percrebuerat quasi optimismus opinantium fieri scilicet posse ut non nimiis viribus in id impensis tarditas populo rum pauperum oeconomica expleretur, ut fundamentales illis suppeditarentur structurae atque adiumenta in toto opere transeundi aliquando fabriles ad industrias.

Quibus in historiae humanae condicionibus, praeter operam nationis cuiusque diligentiamque, ipsa Nationum Unitarum Consociatio duo progressuum decennia (30) continuata praestitit. Capta quaedam sunt consilia, inter binas Civitates et plures simul, ut multis sic subveniretur nationibus, quarum aliae iam diutius sui erant iuris, aliae — maximam scilicet partem — paulo ante ex conatu enatae coloniarum priorum demoliendarum. Sua autem ex parte necesse sibi esse sensit Ecclesia in quaestiones hac nova rerum condicione importatas plenius incumbere, cum amatu religioso suo humanoque eadem illa fovere cogitaret conamina quibus nempe « animam » iniceret ad agendumque impulsionem validam.

13. Varia tamen haec religiosi et humani, oeconomici et technici generis opera dici haudquaquam possunt inania aut vacua fuisse, quoniam quaedam saltem impetrare potuerunt effecta. At in universum quidem, omnibus id est quae adsunt perspectis elementis, infitias ire non par est orbis statum, si sub titulo respiciatur « populorum progressionis », praesentem osten tare speciem potius improbandam.

Quocirca animos continuo revocare volumus ad universalia indicia nonnulla, ut postmodum alia singularia prorsus ac propria illustremus. Posthabitis in praesens numeris ipsis et rationarii computationibus, intueri potius sufficit interminatam virorum mulierumque turmam, infantium et adultorum et senum — paucis verbis verarum atque non iterandarum personarum humanarum — qui intolerando premuntur miseriae pondere. Complura praeterea centena milia hominum sunt qui idcirco de omni deiciuntur Spe quod multis in orbis partibus eorum condicio vehementer est in peius conversa. Hos ergo ante tristes casus egestatis necessitatisque, in qua tot fratres sororesque nostri iacent, ipse nos sollicitat Iesus Dominus (cfr. Mt 25, 31-46).

14. Et id comprobatur primum uti elementum improbandum, quod hiatus regiones inter, qui dicitur, orb is septentrionalis progressi atque australis orbis adhuc progredientis non persistit modo, verum augescit. Haec geographica dictio res indicat tantum, quoniam ignorare nemo potest fines divitiarum ac inopiarum campum transire ipsarum societatum progressarum tum etiam progredientium. Ita profecto, quem ad modum sociales iniquitates usque ad egestatis condicionem pertingentes exsistunt inter ditiores Civitates, sic pari omnino modo apud nationes minus progressas non raro signa deprehenduntur nimii suorum commodorum amoris necnon opum maiorum ostentationes, quae tam animos conturbant quam vere offendunt.

Affiuentiae bonorum ministeriorumque praesto exstantium quibusdam in orbis provinciis, quae potissimum in septentrionali orbe progresso conspiciuntur, respondet in regione australi intolerabilis progressuum tarditas. At in ipsa hac geographica et politica provincia hominum omnino maxima generis degit pars.

Si dein regionum diversarum multiplices ponderantur rationes: effectio alimentorum ac partitio, sanitas publica et habitationes, copiae aquarum potulentarum, operis condiciones praesertim feminarum, quae difficulter quidem a servitutis ipsius distinguuntur formis, vitae diuturnitas aliaque simul oeconomica et socialia documenta —, patescit rerum facies universalis, quae exspectationem fallit omnino, sive in se ipsa respicitur sive cum nationum magis progressarum numeris et aestimationibus confertur. Verbum illud « hiatus » sua sponte animo orique occurrit.

Fortassis non aptissimum istud vocabulum est ut accurate vera ipsa designetur condicio rerum, quandoquidem imaginem prae se potest ferre ordinis cuiusdam perstantis sive stativi. Verum non ita sese habet. In itinere enim nationum progressarum atque in via progredientium ad prosperitatem varia hisce visa est annis velocitas accelerationis, quae nempe efficit ut augeantur et duplicentur ipsae inter eas distantiae. Civitates ad progressionem nitentes, nominatim pauperiores, statu detinentur insanabilis retardationis.

Ad haec dein adiungenda insuper sunt discrimina formarum humani cultus atque aestimationes bonorum diversos inter hominum coetus globosque in societate, quae haud congruunt semper cum oeconomicae progressionis amplitudine; nihilo minus aliquid reapse ad pariendas conducunt distantias istas. Sunt porro hae partes rerumque aspectus totum iam orbem complectentes, unde multo redditur tota socialis quaestio implicatior, quoniam sic indolem sibi induit causae alicuius universalis.

Diversae si orbis regiones observantur ita crescente talis hiatus distantia seiunctae, si earum proin unamquamque intellegitur proprium sequi debere cursum effectibus cum propriis, ideo etiam comprehenditur cur recentiore in hominum sermone mentio identidem fiat variis de orbibus unicum nostrum intra mundum: de Primo Mundo videlicet, Secundo, Tertio, quin immo de Quarto interdum Mundo (3l). Huius modi quidem dictiones, licet earum manifesto non sit plena quadam ratione omnes recensere orbis nationes, plurimum tam en significant: testimonia enim sunt late diffusi sensus mentisque habitus, quo unitas orbis, aliis id est verbis, generis hominum unitas serio periculo exponi iudicatur. Is autem loquendi modus, extra vim illius plus minusve congruentem cum rebus ipsis, celat sine dubitatione in se sententiam quandam moralem, de qua Ecclesia, quae est « sacramentum seu signum et instrumentum ... totius ... generis humani unitatis » sese indifferentem praebere non potest (32).

15. Supra expositus condicionum status mancus certissime erit et mutilus, nisi ad ea « indicia oeconomica ac socialia » tardatae progressionis aliae accesserint rationes pariter negativae, immo vero animum quae magis conturbant, iam ex ipsa hum ani cultus provincia. Hae quid em sunt: litterarum ignorantia, difficultas aut nulla omnino facultas superiores educationis ordines adeundi, exigua potestas proprias conferendi partes ad nationem suam exstruendam, abusus varii modi et oppressionis oeconomicae, socialis, politicae atque etiam religiosae personarum humanarum iuriumque ipsarum, discrimina omne genus facta, potissimum vera illud maxime odiosum, quod secundum cutis ipsius fit colorem. Quodsi earundem aliqua plagarum in regionibus deprehenditur septentrionis magis progressi, nihil dubitatur quin multo sint crebriores, diuturniores ac difficiliores ad eradicandum apud minus progressas aut instructas minus Civitates.

Asseverari necesse est in huius temporis mundo saepius restingui inter alia iura etiam ius ad propria incepta oeconomica. Atqui agitur de magni momenti iure, non ad singulos modo quod spectat verum ad bonum commune quoque. Ex rerum enim commonstratur experientia talis negation em iuris vel eius circumscriptionem ob assertam quandam « aequalitatem » in omnium societate imminuere vel funditus etiam in re delere ipsum studium singillatim res proprias peragendi, subiectivam videlicet effectricem civis industriam. Hinc eo pacta exoritur non vera

solum aequalitas sed potius « aequatio in imo ordine ». In efficientis singulorum operae locum passiva rerum succurrit acceptio necnon obnoxietas et subiectio ipsi apparatui grapheocratico, qui, veluti unicum officium quod « disponit » et « decidit », quamvis non ipsum « possideat », de tota summa bonorum efficiendique instrumentorum, reicit in condicionem omnes obnoxietatis ferme absolutae, quae haud dissimilis traditae est subiectioni opificum ac proletariatus ex ipsis opum et pecuniarum dominis. Id quod sensum excitat frustrationis vel desperationis hominesque comparat ad sese subtrahendos ex ipsa nationis vita, multis interea ad emigrandum in de propulsis atque generato pariter quodam emigrationis « psychologicae » genere.

Consectaria sua secum affert talis rerum condicio, etiam quod ad « iura nationum singularum » attinet. Etenim accidit crebro ut Civitas aliqua suo destituatur subiectivo iure, id est propria « maiestate », quae ei convenit, secundum vim illius oeconomicam atque etiam politicam et socialem certoque quodam modo culturalem, quandoquidem omnes hae vitae rationes apud ipsam nationis communitatem inter se iugantur.

Confirmandum praeterea est nullum socialem coetum, verbi causa faction em politicam, occupare licere partes unius cuiusdam ducis, cum et istud efficiat ut vera subiectiva proprietas ipsius societatis auferatur necnon personarum-civium, perinde atque evenit omni in absoluti dominatus regimine. Ibi enim homo ipse et populus totus « obiectum » quoddam fiunt, quantumvis publicae affirmationes verborumque confirmationes contrarium indicent.

Hoc autem loco addi decet multas alias exstare in orbe huius temp oris paupertatis formas praeter genus supra commemoratum. Nonne enim quaedam inopiae species vel privationes ipsae hanc merentur appellationem? Negatio iurium humanorum vel coarctatio, qualia sunt exempli gratia ius religiosae libertatis, ius communicandi ipsam societatis aedificationem, ius libere sese congregandi vel opificum collegia excitandi vel propria ineundi coepta rebus in oeconomicis, nonne fortassis reddit personam humanam item egentem, ne dicamus magis omnino, quam bonorum corporeorum privatio? Estne praeterea ipse profectus, qui rationem non habet plenae horum iurium explicationis, rever a progressio secundum hominum indolem?

Aliis autem verbis: minor nostrorum dierum progressio non oeconomica modo est, verum culturalis etiam, politica ac simpliciter humana, perin de ac viginti abhinc annos Litterae praedicaverunt Encyclicae Populorum Progressio, adeo profecto ut loco hoc interrogandum cuique sit haeccine tam tristis rerum condicio effectus partim saltem sit conceptionis nimis arctae, id est dumtaxat oeconomicae, ipsius progression is necne.

16. Quantumvis laudabiles facti conatus sint his duobus anteactis decenniis a nationibus magis progressis ipsisque ad progressionem nitentibus necnon ab institutis omnium gentium communibus ut effugium reperiatur aliquod iisdem e difficultatibus vel afferatur remedium alicui saltem earundem exteriori signo, affirmari tam en rursus oportet condiciones ipsas esse ingravescere visas insigniter.

Onus vero talis rerum conversionis in peius diversis repetitur de causis et originibus. Manifestae notandae sunt gravesque om nino omissiones et neglegentiae in nationibus ipsis viam iam progressionis percurrentibus, praesertim earum in auctoritatibus, penes quas potestas oeconomica est ac politica. Tanto quidem minus dissimulare possumus officia Nos et obligationes non perspicere Civitatum progressarum, quae non semper, consentaneo saltem modo, suum persenserint onus adiumenta inferendi nationibus ab orbe prosperitatis segregatis, ad quem ipsae contra pertineant.

Quidquid demum id est, repudiari omnino opus est rationes sive machinationes oeconomicas nummarias ac sociales, quae licet ab hominibus regantur, suapte tamen fere sponte et ultro agunt, un de divitiae alterorum rigidius defigantur et alterorum simul miseriae. Hae namque machinationes, agitatae via recta aut obliqua a nationibus magis progressis, ex sua ipsarum actione commodis favent administratorum suorum, at tandem aliquando obstringunt vel afficiunt oeconomicas nationum parum progressarum structuras. Decebit proinde easdem has subici machinas accuratiori cuiclam investigationi secundum principia ethica ac moralia.

Litterae iam Populorum Progressio (33) praeviderant talium rationum ac machinationum auxilio divites ipsos ditiores evadere posse pauperioresque pauperes. Quem rerum prospectum comprobavit ortus interea ipse Quarti Mundi.

17. Quamvis mundi societas documenta prae se ferat verae partitionis, quae receptis illis declaratur nominibus Primi, Secundi, Tertii etiamque Quarti Mundi, mutua tamen inter eos persistit obnoxietas ac necessitudo, quae, quotiens non aestimatur sua pro ethica obligatione, ad consectaria exitiosa homines depellit maxime debiles. Immo vero eadem haec mutua obnoxietas ob quandam quasi interiorem dynamicam vim atque impulsionem ex machinationibus, quae non nuncupari possunt nisi perversae, effecta parit vel ipsis in nationibus divitibus adversa. Etenim intra has quoque Civitates, licet minore modo, indicia magis propria tardatae progressionis offenduntur. Compertum itaque omnibus esse debet profectum ipsum aut communem fieri universis terrarum partibus aut viam inire regressionis iis pariter in provinciis, quae constanti eminuerint profectus: eum aut cunctae orbis communicant nationes aut numquam genuinum reapse experientur.

Inter propria inferioris progressionis indicia, quae magis tangunt magisque etiam progress as nationes, duo potissimum statum immensae necessitatis designant. Primum habitationum discrimen. Hoc vertente Anno Internationali tecto carentium, quem celebrari voluit Nationum Unitarum Consociatio, in turbam animus intenditur multorum milium centenorum hominum congrua domo destitutorum aut nullam prorsus habitationem habentium, ut omnium excitetur conscientia utque huius gravis adeo difficultatis sanatio reperiatur, quae singulis adverso modo nocet hominibus eorumque et familiis et societati ipsi (34).

Habitationum paucitas hominum ubique per terras cernitur atque maximam partem referenda est ad crescentem usque frequentationem et densatum incolatum urbium (35). Quin ipsi magis progressi populi maestum intra se spectaculum exhibent hominum singulorum et familiarum, a quibus maxima datur opera ut superstites modo sint vitae, dempta omnino domo vel aliqua adeo incerta possessa ut nulla plane esse videatur.

Tectorum inopia, quae ex sese iam tam gravis difficultas est, signum et summarium habeatur neeesse est maioris cuiusdam numeri defectuum oeconomicorum, socialium, culturalium vel simpliciter humanorum proindeque, habita ipsius amplitudinis rei ratione, haud difficulter quis sibi persuadet quam longe a vera absimus « populorum progressione n.

18. Aliud proprie improbandum indicium, cuius maxima quidem ex parte nationes sunt participes, veritas est hominum opere carentium aut parum quidem eo fungentium.

Nemo uspiam est sibi quin exploratam habeat tum praesentem necessitatem tum crescentem gravitatem similis apud nationes quaestuosa industria instructas condicionis (36). Si vero haec res iam terret animos apud Civitates ad progressionem nitentes, ubi magna est quota pars natorum magnaque simul civium iuniorum multitudo, inter nationes maioris profectus oecono

mici videntur iam operis fontes deminui sicque ipsae facultates laborandi, non modo non augescunt, sed decrescunt necessario.

Hoc item elementum una cum effectuum adverso rum serie tam pro singulis quam pro societate omni - a deiectione usque ad amissionem dignitatis, quam sibi quisque vir debet ac mulier, adducit sane Nos serio animo ut interrogemus quodnam progressionis genus sint homines hos viginti annos persecuti.

Et hac de re in mentem peropportuna illa dicta redeunt quae Litterae Nostrae Encyclicae Laborem Exercens complectuntur: « Necesse autem est moneatur partem constitutivam simulque comprobationem maxime consentaneam illius progressionis in spiritu iustitiae ac pacis, quam profitetur Ecclesia quamque flagitare haud cessat (...), novam esse continuamque laboris humani aestimationem, tum ratione obiectivi eius finis tum causa dignitatis subiecti omnis laboris, quod idem est homo ». Ex contrario autem, « una res immensae magnitudinis mentem funditus conturbat ...: subsistunt hominum turmae invite otiosorum vel partim saltem opere carentium (...): id quod sine dubio commonstrat, tam intra singulas communitates politicas quam in rationibus inter eas per continentes vel per totum mundum ipsum intercedentibus, aliquid perperam geri, quod spec tat ad ordination em laboris et navitatem hominum, et quidem in rebus et locis, quae maximam difficultatem summumque prae se ferunt momentum sociale » (37).

Quem ad modum superior illa condicio, ita haec profecto altera suam ob indolem universalem certoque quodam pacto multiplicantem praebet nobis indicium summopere significans, ex adverso suo effectu, ipsum statum proprietatemque populorum progressionis, coram quibus hodie consistimus.

19. Documentum aliud deinde est etiam recentioris huius aetatis proprium, quamquam idem non deprehenditur ubique, quod sine dubitatione indicat similiter mutuam illam necessitudinem inter progress as nationes ceterasque minus progressas. Tota est quaestio de debitis inter nationes, cui Pontificia Commissio Iustitia et Pax suum dicavit hoc anno scriptum (38).

Silentio hic transiri illud vinculum non potest arctum similem inter difficultatem, cuius augescens gravitas iam in Litteris a verbis Populorum Progressio incipientibus erat plane declarata (39), atque ipsam de populorum progressione quaestionem.

Quae populos iam in progressionis via constitutos impulit ut oblatum pecuniarum magnarum caput susciperent, causa ipsa fuit spes fieri posse ut in profectus operibus collocarentur. Quapropter paratae sic pecuniae necnon earum receptio tamquam opis mutuo datae haberi valent veluti auxilium progressioni ipsi additum, quod in se optatur licetque, quamvis imprudens forsitan fuerit nonnumquamque nimis festinatum.

Mutatis interea tamen. rerum adiunctis, tum in nationibus aere alieno gravatis tum in ipso pecuniarum commercio inter Civitates instrumentum ita electum, quo progressionibus adiumentum ministraretur, conversum denique in machinamentum est quod contraria effecit. Quod idcirco contingit simul quoniam populi ipsi debitores, ut oneribus satis faciant debitorum, se cogi cernunt ut capita exportent pecuniarum, quae ad augendum vel omnino ad sustinendum eorum prosperitatis gradum sunt necessariae, simul quoniam eandem ob causam consequi non possunt alia nummaria subsidia tantundem necessaria.

Hac ex machinatione oeconomica instrumentum illud ad « populorum progressionem » destinatum transiit demum in frenum, quin immo interdum in profectus inferioris exaggerationem.

Incitare hae notiones debent ut, quem ad modum documentum Pontificiae Commissionis a Iustitiae et Pace monet (40), ethica indoles ponderetur mutuae populorum necessitudinis et ut, secundum principia huius Nostrae considerationis, necessitates inspiciantur condicionesque ethicis pariter principiis permeatae ipsius consociatae adiutricis operae ad progressionem efficiendam.

20. Hoc autem si perspicimus loco causas in toto processu populorum progressionis, quae contra ipsas sententias Litterarum Populorum Progressio evenit, quae quidem Litterae tantum excitaverant spei, animus praesertim insistit Noster in hodiernae condicionis causis politicis.

Cum ante nostros observetur oculos summa elementorum sine dubio implexorum, haud itaque hic absolutam perfici licet rerum inquisitionem. Verum tamen taciti non possumus partem praetermittere politicorum adiunctorum singularem quae historicam hanc aetatem post pancosmium bellum alterum denotat quaeque res haud neglegenda est ipso in populorum progressionis cursu.

De veri tate loquimur duorum quasi foederum, inter se oppositorum, quae nominibus plerumque usu acceptis appellantur Oriens et Occidens orbes. Cuius quidem appellationis causa non dumtaxat politica, verum, uti dicitur, geopolitica est. Eorum autem foederum utrumque adsimilare sibi vel conglobare studet circum sese, variis quidem coniunctionis aut communicationis modis, alias item Civitates earumve consociationes.

Politica in primis est haec oppositio, quatenus unumquodque foedus propriam reperit naturam in complexu quodam institutorum societatis rationumque gubernandi, qui alteri contrarius ferme est et adversus. Eadem vicissim politica oppositio origin em ducit alia ex repugnantia multo altiore, quae in notionibus reponitur philosophicis.

Viget enim in orbe Occidenti institutum, quod historica principia sectatur capitalismi liberalis, qui superiore enucleatus est saeculo precrebrescentibus fabrilibus industriis. Orbe contra in Orienti viget institutum, cui ortum dedit ipse collectivimus Marxianus, enatus videlicet ex ordinum opificum condicione effectusque sub lumine impulsuque peculiaris historiae interpretationis. Harum utraque philosophiarum repetens nempe duas adeo inter se divers as aestimationes hominis eiusque libertatis ac partium socialium proposuit et provehit adhuc in provincia oeconomica form as inter se pugnantes ipsius constitutionis humani operis ac structurarum dominii rerum, quod spectat praesertim ad instrumenta, quae dicuntur, effectionis rerum.

Fieri vero non potuit quin oppositio illa philosophiarum, cum rationes gigneret sedesque adversas ipsius potentiae adhibitis propriis normis praedicandi res hominesque docendi, in augescentem usque progrederetur militarem oppositionem, unde etiam pacta bina exorta sunt armatorum populorum, quorum alteri alterum diffidit metuitque ne alterum alteri praestet.

Necessitudines autem inter Civitates non potuerunt suo vicissim tempore non effectus percipere huius « logicae consecutionis foederum » ac respondentium rei « regionum auctoritatis exercendae ». Contentio vero haec inter opposita pacta, quae profligato altero bello universali emersit, dominata est et pervasit totum quadraginta annorum intervallum subsecutum, cum alias induit speciem sibi « belli frigidi », alias « belli per procurationem » per abusum videlicet

pugnarum localium, alias autem suspensos anxiosque hominum tenuit animos bellum minitans apertum atque universum.

Etiamsi in praesentia ipsa temp ora periculum tale longius aliquanto remotum videtur, quamquam non funditus amotum, et tametsi iam ad consensionem est perventum de uno saltem armorum atomicorum delendo genere, ipsa exsistentia et oppositio illorum foederum nihilo cessant minus solid a esse et sollicitudinem generare, unde etiam condicionem pergunt afficere orbis totius.

21. Hoc accidit effectibus cum maxime adversis potissimum in ipsis rationibus ac necessitudinibus inter nationes, quae Civitates ad prosperitatem progredientes respiciunt. Etenim, uti in comperto est, contentio illa Orientem inter et Occidentem ex se iam non tangit aliquam repugnantiam inter diversos duos progressionis gradus verum potius divers os inter duos conceptus ipsius progressionis hominum populorumque, quorum uterque imperfectus est talisque qui planam poscat emendationem. Eadem porro oppositio in illas ipsas nationes transfunditur, unde fit ut dilatetur hiatus iam rebus in oeconomicis constitutus inter Septentrionalem et Australem orbem estque consectarium ipsius longinquitatis inter duos orbes: magis minus que progressum.

Haec una causarum est cur Ecclesiae socialis doctrina notet ac reprehendat tantopere capitalismum liberalem quantum marxisticum collectivismum. Nam, habita ipsius « profectus » ratione, sua sponte se ingerit interrogatio: quo pacto aut quali modo duae illae philosophicae rationes obnoxiae sunt iis mutationibus atque accommodationibus, quibus adiuvetur vel provehatur verus integerque hominis populorumque progressus hodierna in societate? Quippe: mutationes illae et accommodationes usquequaque necessariae videntur urgentesque ad causam unius cuiusdam progression is omnium plane communis.

Civitates nuperius adeptae sui iuris statum, quae, enitentes magnopere ut peculiarem suam culturalem assequantur politicamque proprietatem, auxiliorum indigent efficacium ac liberalium a nationibus ditioribus ac magis progressis, implicantur, atque identidem etiam labefactantur, dimicationibus ob variam philosophiam, quae inevitabilia dein progignunt intra eas discidia, quin etiam nonnumquam vera inflammant civilia bella. Quod propterea etiam evenit quod pecuniae in nationibus illis collocatae atque adiumenta in progressionem concessa saepius deflectuntur proprio a proposito et adhibentur potius ad ipsas incitandas dissensiones extra omnino et contra commoditatem Civitatum, quae inde beneficia deducere debent. Harum fiunt sibi complures prorsus consciae periculi ne novo obiciantur coloniarum instituendarum generi, unde sese subtrahere contendunt. Quae proin conscientia peperit suo tempore etiam inter difficultates, dubitationes atque etiam contradiotiones, Motum Internationalem Civitatum non consociatarum, qui pro suo positivo proposito efficaciter confirmare intendit cui usque populi ius propriam ad identitatem, suam ad libertatem ac securitatem necnon ad participationem — secundum aequalitatis et solidae coniunctionis principium — fructus bonorum, quae universis destinantur hominibus.

22. Quibus consideratis, expeditius et clarius hos in postremos viginti annos inspici potest necnon dissensiones facilius intelleguntur, quae partis orbis terrarum septentrionalis sunt propriae, inter Orientem scilicet et Occidentem, tamquam causa haud postrema tarditatis ac torporis, quibus meridianae afficiuntur orbis regiones.

Quae Nationes, ad progressionem nitentes, potius quam in Civitates sui iuris vertantur, quibus curae sit iter ad communia omnium bona et commoda iure participanda, partes fiunt machinamenti, ingentis nempe cuiusdam rerum conexionis. Hoc saepe fit ipsa in regione subsidiorum viarumque socialis communicationis, quae cum curentur plerumque a sedibus in

septentrionalibus orbis plagis, ipsae haud semper iustam considerationem in priores partes et in quaestiones harum Nationum intendunt neque servant earum humani cultus naturam, sed haud raro distortam vitae hominisque rationem proponunt, ita ut non verae hominum progressionis necessitatibus satisfaciant.

Ambae pariter adversae Nationum Consociationes ad effrenatam Populos subigendi voluntatem, ut dici solet, aut ad formas colonicae novae dominationis abditam propensionem more suo usque habent: neque desunt qui eiusmodi libidini facile succumbant, ut res gestae vel recentiores testantur.

Vitiosus hic est rerum status — consectarium quidem belli necnon cuiusdam sollicitudinis, quae immerito augetur suae cuiusque securitatis causa — quo impeditur ne ullum hominibus sit studium solidae et operosae omnium hominum coniunetionis in commune bonum spectantium, ita ut detrimentum in primis inferatur populis pacis amantibus, qui et ad bona omnibus hominibus destinata aditu intercluduntur.

Qui si ita consideratur, praesens status divisionis in orbe terrarum directe obstat, ne in Nationibus minus progressis aut ad progressionem nitentibus condiciones imminutae ac tardatae progressionis vere immutentur. Populi tamen haud semper in sua sorte quiescunt. Ipsae dein necessitates oeconomicae procurationis impensis bellicis compressae, sicut morositate ac naturali inefficacia, videntur quibusdam cursibus favere, qui contrapositum tenuare possint, necnon facilius reddere initium dialogi fructuosi veraeque mutuae operae pro pace.

23. Quod asseveratur in Litteris Encyclicis a verbis Populorum Progressio (41) incipientibus, opes scilicet et pecuniarum collocationes, quae ad edenda arma fuerint destinatae, usurpandas esse ad populos miseriis fameque levandos, id nunc vel potiorem efficit rogatum, ut discrepatio inter adversas Nationum Consociationes penitus vincatur.

Diebus nostris eiusmodi opes re vera ad aliud non valent, nisi ad alteram Consociationem ita adiuvandam, ut alteri contrariae praestet tutamque suam securitatem reddat ac necessariam. Distorta haec agendi ratio, quae vitium est originis, efficit ut Nationes illae, quae historice, oeconomice, publice munus ducendi exercere possunt, angustiis afficiantur in suo officio implendo, quod consistit in fovenda ac servanda solida coniunctione cum populis studiosis perfectae progressionis sibi comparandae.

Hic oportet asseverare, neque nimium esse videatur, ducis munus inter Nationes accipere non licere, nisi quibus sint tacultas et voluntas longe lateque conferendi ad commune omnium bonum inquirendum.

Si qua Natio, plus minusve sibi conscia, voluptati cedens veluti portis muroque se continendi, responsale officium recusaret e sua emanans praestantia inter Civitates, sane a munere suo graviter discederet sibi ethice imposito. Quod facile agnosci potest in tempore, cum Christifideles consilia Providentiae Dei plus minusve dispiciunt, quae et Nationes adhibere potest tam ad sua exsequenda consilia, quam ad dissipanda « consilia gentium» (cf. Ps 33, 10).

Cum Occidens videtur in quibusdam crescentis solitudinis formis sui commodi causa vivere velle, ipseque Oriens incertis de causis ignorare videtur suum esse communem participare operam ad populos miseriis levandos, tunc in conspectu adest non solum proditio iustarum exspectationum generis humani, quae inopinabilium effectuum est praenuntia, sed etiam omnino certa violatio obligationis ethicae.

24. Si armorum fabricatio gravis est rerum perturbatio vigens in hodierno orbe terrarum, prae veris quidem ac certis hominum necessitatibus usuque instrumentorum ad eas reparandas aptorum, perturbatio haud minoris gravitatis tamen est ipsorum armorum negotiatio.

Quin immo, ad eiusmodi mercaturam quod attinet, huc accedit ut vel severius sit iudicium ethicum. Ut plane constat, loquimur de negotiatione interminata, quae etiam fines utriusque adversae Nationum Consociationis super are potest. Eadem mercatura valet ad division em supergrediendam inter Orientem et Occidentem, necnon praesertim inter Septentriones et Meridiem, adeo ut, quod peius est, se in varias partes insinuet, ex quibus australis constat orbis regio. Insolita igitur res spectatur: cum auxilia oeconomica rationesque progressionis offendant in limites ideologicos insuperabiles, in limites cum taxationibus conexos aut ad emporia pertinentes, ex contrario arma, quae undique proficiscuntur, libertate fere infinita in variis orbis terrarum partibus circumferuntur. Neque est qui nesciat — sicut recentiore in documento de officio ad Nationes pertinenti denotabat Pontificia Commissio a Iustitia et Pace (42) — quibusdam in casibus pecuniarum capita, quae ab excultiore orbe terrarum mutua data essent, ad aliud apud populos nondum progressione excultos non valuisse, nisi ad arm a comparanda.

Quibuscum omnibus si cumulatur tremendum periculum inter omnes notum, quod in armis atomicis incredibilem usque in modum coacervatis consistit, haec, quae sequitur, videtur conclusio: rerum status huius orbis terrarum, una cum rebus oeconomicis, potius quam sollicitudinem exhibeat verae progressionis, qua omnes ad humaniorem vitam adducantur, — ut Litterae Encyclicae Populorum Progressio (43) adumbraverunt, — videtur ad hoc esse, ut in iter ad mortem celerius nos inducat.

Consectaria eiusmodi rerum status apparent in plaga typica ingravescenti, quae index est perturbationum et conflictationum hominum huius temporis: ipsa dicimus multiplicata iam profugorum centena decies milia, qui ob bella et calamitates naturales et persecutiones, omnisque generis discrimina, sunt domo opere familia patria spoliati. Ex virorum, mulierum et puerorum vultibus macie confectis, omnium videlicet, qui in mundo dissociato omnique fere hospitalitate destituto, iam nequeunt domum invenire, funestus tot illarum multitudinum eminet casus.

Neque aliud relinqui potest acerbum huius temporis exitium, tromocratia, quae idem valet ac consilium pariter necandi homines ac delendi bona, ita potissimum ut quidam terror inferatur suspensique animi status, haud raro obsidibus etiam captis. Terroris acta numquam licet probare, ne tum quidem, cum veluti causa inhumani eiusmodi usus quaevis adducitur doetrina aut necessitas constituendae novae societatis. At eoque vel minus licet, ut hodie accidit, ea probare, cum eiusmodi consilia atque eversiones, quae interdum fiunt caedes, quidamque raptus a culpa vacuorum et a conflictationibus alienorum ostentationem intendunt suae causae faventem; aut quod vel peius est, ita nequiquam fiunt, ut ad hoc dumtaxat homicidium fiat, ut mors alicui afferatur. Tanto horrore inspecto atque dolore, vim servant, quae nonnullos abhinc annos diximus, quaeque nunc repetere velimus: « Christiana Doctrina vetat ... odium in alios habere et inermes interficere, pariter ac uti methodis tromocratiae » (44).

25. Hic mentio oportet de quaestione demographica fiat deque ratione, qua hodie exponatur, secundum quae in memoratis Encyclicis (45) Paulus PP. VI edidit ipsique Nos diffuse in Apostolica Exhortatione, quae a verbis Familiaris Consortio incipit, explicavimus (46).

Negari nequit quin, in meridianis praesertim orbis terrarum locis, talis sit quaestio demographica, quae progressioni obstet. Hic merito additur statim in septentrionalibus orbis regionibus contrarias esse notas quaestionis demographicae ac proprietates: sollicitudini hic est enim

numerus natorum iam restrictus, una cum effectibus recidentibus in populum senescentem, qui proinde ne aptus quid em iam est ad biologicam sui ipsius renovationem. Quae res per se ipsa valet ad hominis progressioni obstandum. Quemadmodum perperam asseritur progressioni nonnisi e demographico incremento difficultates obvenire, ita ne demonstratum quidem est omne eiusmodi incrementum ab ordinata progressione abhorrere.

Ceteroqui magna videtur cum perturbatione compertum haberi multis in Civitatibus modo et ratione procreationem dissuaderi, auctoribus illarum Nationum Magistratibus, refragante non solum humano ac religioso cultu earum proprio, sed ipsa etiam verae progressionis natura. Saepe etiam accidit, ut eiusmodi dissuasiones aliqua coercitione fiant pecuniisque iuventur exterarum Nationum propriis, eaedemque dissuasiones nonnumquam etiam subsidiis et adiumentis oeconomicis-nummariis subiciantur. Omni in re saepe summa violatio patratur liberi eorum consilii, quorum interest, virorum scilicet et mulierum, qui coercitionibus intolerabilibus, non exceptis oeconomicis, haud raro sollicitantur, ut novae huic succumbant formae oppressionis. Quae indignitates a pauperioribus profecto perferuntur: unde non sine causa suspicio est novam vexationem phyleticam consummari aut certis quibusdam phyleticis « eugenismi » formis faveri.

Hoc quoque facinus, quod oportet firmissime damnetur, indicum est falsae ac perversae notionis hominis progressionis.

26. Eiusmodi prospectus, de vera condicione hominum progressionis hoc in orbe terrarum potissimum improbandus, imperfectus quidem esset, nisi et commoda indicarentur, quae simul sunt cum improbandis.

Primum commodum, plurimorum virorum ac mulierum proprium, idem est ac animus omnino conscius dignitatis suae singulorumque mortalium; qui, v.g., e maiore ubique sollicitudine eminet in observandis hominum iuribus promptioreque etiam celeritate in violationibus eorum respuendis. Id testatur numerus privatarum consociationum, quae, nonnullis etiam annumeratis vim habentibus in universo mundo, recens sunt conditae necnon magna cura ac laudabili aequitate fere omnes ad eventus internationales attendunt in re tantae prudentiae.

Hac in re agnoscamus oportet quantum moti sint animi Declaratione Iurium Hominum, quam quadraginta fere abhinc annos Consociatio Nationum Unitarum promulgavit. Quae cum maneat et adhuc vigeat, necnon gradatim accepta sit a Nationum Communitate, signum est divulgatae conscientiae usque progredientis. In eadem autem regione iurium hominum idem dicendum est de reliquis iuris instrumentis eiusdem Consociationis Nationum Unitarum aliorumve internationalium Institutorum (47).

Conscius, quem diximus, animus non modo singulos, sed etiam Nationes respicit ac populos, qui, quatenus subsistentia genera quodam humano civilique cultu ipsorum proprio conformata, vehementius inducuntur ad pretiosum eiusmodi patrimonium servandum libereque administrandum ac provehendum.

Unoque tempore in orbe terrarum, qui omnium conflictationum genere divisus permovetur, homines, cum mutuae plenaeque inter se coniunctionis certi fiant gradatim, persuasum sibi habent human a necessitudine opus esse, et quidem sibi suscipienda ad morumque regionem transferenda. Praesenti fortasse magis quam praeterito tempore homines intellegunt communi sorte inter se astringi, quae ab omnibus una simul struatur oportet, ut communis vitetur clades. Ex interiore hominis metu et angore, ut ex effugiis ab officii conscientia, v.g. ex medicamentis stupefactivis, quae omnia propria sunt aetatis nostrae, paulatim hoc animadvertitur, neque

bonum, ad quod omnes provocamur, neque beatitudinem, ad quam tendimus, acquiri posse, nisi communi omnium conatu ac studio, nimioque igitur reiecto amore sui.

Huc accedit, veluti signum cultus, qui vitae tribui debet haud obstantibus temptationibus comprimendi eius curam (ab abortu ad euthanasiam) —, consequens sollicitudo pacis; ac denuo animus conscius pacis, quae dividi non potest: aut omnium est pax aut nullius. Pacem dicimus, quae magis magisque observantiam iustitiae exactam postulat et aequam, quae consequitur, distributionem fructuum verae progressionis (48).

Inter signa secunda et omnino probanda huius temporis annotari debet tum aucta conscientia exiguarum opum exstantium, tum necessitas servandi integritatem et veluti rhythmos naturae, tum in statuenda humanae progressionis dispositione, illorum habita ratione, potius quam remittatur progressio quibusdam consiliis de ea turbulentis. In hoc consistit ea quae oecologica vocatur sollicitudo.

Aequum est agnoscere etiam studium moderatorum rerum publicarum virorumque in iis exercitatorum et peritorum doctrinae oeconomicae atque addictorum corporatis opificibus moderandis, necnon claro rum scientiarum cultorum publicorumque administrorum ad omnes Nationes pertinentium — quorum multi sunt fide religiosa moti — haud paucis iacturis cuiusque propriis, mala mundi liberaliter dissolvendi et omnibus viribus contendendi quo maior in dies pars virorum ac mulierum dona pacis fruatur vitaeque genere huius nominis digno.

Haud parum ad id conferunt magnae Consociationes internationales nonnullaeque societates regionales, quarum omnium labores simul suscepti sinunt eas efficaciores esse.

Eiusmodi etiam generis opera nonnullae Civitates Tertii Mundi, haud obstantibus iniquis compluribus condicionibus, consecutae sunt ut aliquo modo suis se opibus nutriant vel aliquem habeant artium et artificiorum proventum, qui digne superesse permittat fontesque laboris praestet omnibus actuosam vitam agentibus.

Quare non omnia sunt improbanda in orbe terrarum huius temporis, neque id ita fieri potest, quia caelestis Patris Providentia amanter nostris quoque angoribus prospicit cotidianis (cf. Mt 6,25-32; 10, 23-31; Lc 12,6-7; 22-30); quin immo praestantiores res secundae, quas denotavimus, novam ethicae sollicitudinem testantur, de magnis praesertim hominum quaestionibus, inter quas humana est progressio et pax.

Haec ipsa veritas Nos inducit ad cogitandum de vera natura progressionis populorum, concorditer sane cum Litteris Encyclicis, quarum anniversariam memoriam nunc celebramus quarumque doctrinam in honore esse cupimus.

IV

27. Quod Litterae Encyclicae nobis suaserunt inspiciendum in mundo huius temporis, nobis ostendit progression em hominum non esse rectilineam, seu rem fere automatariam ac per se ipsam sine fine, perinde ac si genus humanum quibusdam sub condicionibus expedite ad aliquam veluti non definitam tendat perfectionem (49).

Haec notio, quae notioni progressionis, illuminismi notis philosophicis potius signatae coniungitur, quam progressionis (50) significatione oeconomica-sociali acceptae, nunc aperte in dubium revocari videtur, praesertim post cognitas calamitates postremi utriusque belli pancosmii, post praestitutam rationem, et partim ad effectum deductam, excidendi integros

populos, necnon ipso instante periculo atomico. Stultam bonam spem irrationalem iacta tio animi de ultimo hominis exitu secuta est non sine causa.

28. Eodem tamen tempore in discrimen etiam ratio adducta est, quae « oeconomica » vel « oeconomicistica » nuncupatur et cum verbo « progressionis » conectitur. Hodie re vera melius intellegi potest merum congestum bonorum ac ministeriorum, quamvis plerisque is faveat hominibus, non satis esse ad humanam felicitatem persequendam. Proindeque facultas multiplicium beneficiorum realium, quae his proxime actis temporibus scientia et technica disciplina effecerunt, re addita, quae « informatica » dicitur, non homines ex omni eripit servitute. Ex contrario, postremorum annorum usus docet opes et potestates, quae homini ad nutum praesto sunt, in eum vertere ut opprimant, nisi regantur iudicio morali ac propensione ad verum generis humani bonum.

Trepida cognitio recentissimi temporis perquam idonea ad docendum videtur: prope miserias tardatae progressionis, quae accipi non possunt, nimia quaedam progressio adest, eademque pariter reicienda, quia, sicut prior, ita et altera est bono veraeque felicitati adversa. Nimia enim eiusmodi progressio, quae in supervacanea consistit abundantia omnis generis rerum corporearum pro quibusdam hominum coetibus, facile efficit ut homines et « possessioni » et immediatae voluptati serviant neque alio spectent, nisi ad res multiplicandas aliasve vel perfectiores pro iis, quas iam possederint, substituendas. Is est qui dicitur civilis cultus rerum consumendarum cupidus, qui idem et « reiciendorum » et « purgamentorum » est cultus. Res, quae possidetur, directo seponitur simul atque nova aut perfectiore superatur, neglecta utilitate perenni fortasse illius propria aut in commodum egentioris hominis convertenda.

Nos omnes oculis mala videmus consectaria perversae voluntatis, qua nonnisi rebus consumendis servimus: ante omnia crass urn quemdam « materialismum », quem dicunt, unoque tempore summam insatietatem, quia, nisi omnino praecavemus a multis nuntiis rerum laudativis necnon assidua et corruptrice bonorum oblatione, statim intellegimus eo plures res desiderari quo plures possideantur, neque satiata altiora desideria manere, eademque fortasse ne exsistere quidem.

Litterae Encyclicae Pauli PP. VI iam illustraverunt quid inter « possidere » et « esse» differret (51), quae diversitas hodie tam saepe augetur, ut ante certis accuratisque Concilii Vaticani II verbis est enuntiatum (52). Rerum ac bonorum possessio non per se hominem meliorem reddit, nisi quid ad « eum ipsum » maturatione ac virtute perficiendum confert, seu ad humanam vocation em persequendam ut talem.

Discrepantia sane inter « esse » et « possidere », necnon insitum periculum, ne ampliorum rerum simplex possessio aut studium novas pro iis substituendi pluris ducantur quam ipsum « esse », haud necessario in antinomiam converti debent. Una inter maximas iniustitias orbis terrarum huius temporis in hoc omnino consistit: comparate paucos esse qui multa, multos autem qui fere nihil possideant. Haec est iniquitas ad pravam pertinens bonorum ac ministeriorum distributionem, quae principio sunt omnibus hominibus destinata.

En igitur descriptio: sunt qui — pauci multa habentes —, cum cultus « possidendi» ob eversum praestantium bonorum ordinem sit obex, rever a nesciunt ad « esse » pervenire; illique sunt — multi nempe parum vel nihil possidentes —, qui, cum et simplicibus bonis careant necessariis, praecipuam hominum vocation em persequi nequeant.

Malum non in « rerum possessione » ut tali est positum, sed in modo sibi habendi res, nullo habitu respectu qualitatis et sani ordinis bonorum, quae possidentur; cuiusmodi genus et ordo ex eo

procedunt, quod ipsa bona promptusque eorum usus subsunt « essentiae », quae dicitur, hominis eiusque verae certaeque vocationi.

Ita igitur, cum quam plurimis orbis terrarum incolis liber usus bonorum ad « vivendum » necessariorum sit suppeditandus, demonstratum habetur progressionem hominis necessarium modum oeconomicum prae se ferre, attamen non hoc uno terminari modo. Accidit enim ut progressio ita circumscripta in perniciem iis vertat, quibus favere velimus.

Proprietates « progressionis » hominum perfectae seu « humanioris », quae, necessitatibus concedens oeconomicis, se sustentet veraeque par sit substantiae vocationis viri ac mulieris, ab ipso Paulo PP. VI descriptae sunt (53).

29. Progressio non tantummodo oeconomica aestimatur ac dirigitur secundum naturam et vocationem hominis ad omnem rationem perpensi, seu etiam in eius animi partibus. Qui sine dubio bonis indiget creatis rebusque machinali industria perfectis, quae frequenti augetur profectu scientiarum et artium technicarum. Semper autem novus usus bonorum corporeorum, dum necessitatibus subvenit, novos etiam aperit prospectus. Periculum pravi consumendarum rerum usus atque supervenientes artificiosae necessitates haudquaquam obstare debent aestimationi et usui novorum bonorum et opum, quae in promptu nobis sunt; quin etiam habenda sunt tamquam donum Dei, necnon responsum humanae vocationi, quae in Christo plene perficitur.

Ad veram tamen hominis progressionem ut perveniatur, necesse est ne illae animi partes neglegantur, in quibus propria ipsius hominis consistit natura, quem scilicet creavit Deus ad imaginem et similitudinem suam (cfr. Gen 1, 26). Natura corporea et spiritalis, cuius imago ex altera Genesis narratione (2, 7) duobus efficitur elementis: terra, qua Deus format corpus hominis, atque spiritu vitae, quem ei ipse inhalat.

Ita homo aliquam habet similitudinem cum ceteris creaturis: ipse invitatur ad commoditatem ex iis percipiendam, ad curamque earum agendam atque, sicut ipsa in Genesi narrantur res (ibid., 2, 15), in horto collocatur ut colat atque tueatur, idemque constituitur supra omnia animantia, quae Deus in eius potestate posuit (ibid., 1, 26). Uno vero eodemque tempore homo manere debet Dei voluntati subditus, qui in usu ac potestate rerum limites imponit ei (ibid., 2, 16-17), quemadmodum imrnortalitatem ei promittit (ibid., 2, 9; Sap 2, 23). Homo igitur, cum sit imago Dei, et aliquam cum eo similitudinem habet.

Secundum eiusmodi doctrinae principia progressio hominis nequit tantummodo consistere in usu et in potestate et omnimoda in possessione bonorum creatorum necnon rerum artibus et artificiis hominis perfectarum, sed potius in subicienda possessione, potestate, tractatione rerum sub similitudinem hominis cum Deo et sub eius vocationem ad immortalitatem assequendam. En transcendens veritas hominis, quae videtur inde a principio pariter a viro ac muliere participari (cfr. Gen 1, 27), quae proinde sociale est fundamentum.

30. Itaque secundum Sacram Scripturam notio progressionis non est solum « laica » vel « profana », sed etiam videtur in suo etiam pondere sociali-oeconomico quaedam huius aetatis locutio ad aliquam praecipuam designandam proprietatem vocationis hominis.

Nam neque immobilis neque staticus, ut ita dicatur, creatus est homo. Prima eius descriptio, quae in Libris Divinis continetur, eum ostendit ut animantem et imaginem, qui origine et similitudine definitur, quibus efficitur. Sed haec omnia omni humano, sive viro sive mulieri, utrique sive seorsum sive ambobus simul, germen indunt ac necessitatem nativum munus

perficiendi. Munus, quod in « dominio rerum creaturarum » et in « horti cultura» sane consistit et intra fines observandae legis divinae expleri debet, ipsaque proinde ratione habita susceptae « imaginis », quae perspicuum est fundamentum potestatis et dominii sibi traditi, ut suam homo perfectionem curet (cfr. Sap 9, 2-3).

Cum Deo non oboedit homo, eiusque potestati subesse recusat, tum natura ei obsistit, non amplius eum agnoscit « dominum », quod imaginem divinam infuscavit. Evocatio ad creatas res possidendas iisque ad utendum etsi semper valet, post peccatum tamen usus earum fit arduus laborumque plenus (cfr. Gen 3, 17-19).

Subsequens enim Genesis caput progeniem Cain nobis ostendit, quae « urbem » aedificat, rei pecuariae se tradit, ad artes se applicat (ad musicam, ibid., 21) et ad rem technicam (ad metallicam, ibid., 22); cum nomen Domini invocari coeptum sit (cfr. ibid., 26). Historia humani generis, quae in Libris Sacris delineatur, etiam post ipsum hominis lapsum historia est frequentium rerum peractarum, quae, semper in contentionem et in periculum ob peccatum revocatae, iterantur et excutiuntur ac diffunduntur velut responsum divinae datum vocationi principio iam viro ac mulieri traditae (cfr. Gen 1, 26-28), eidem vocationi, quae similitudini a viro ac muliere receptae est insita.

Ex quibus effici cogique potest, saltern ab omnibus, qui credunt in Verbum Dei, hodiernam « hominis progressionem» habendam esse historiae momentum inceptae in creatione orbis terrarum perpetuoque in discrimen adductae ob neglectam quidem Dei voluntatem in primisque ob libidinem idololatriae; sed ea fundamentali ratione cum promissionibus initio factis congruit. Qui, causam interponens durum esse certare vel assidue contendere vires ad assequendam victoriam, aut, nomine cognitae ipsius iacturae necnon reversionis ad caput, se difficili sed excitante abdicaret munere meliorem reddendi sortem totius hominis omniumque hominum, voluntatem Dei Creatoris is non observaret. Hac in re Ipsi Litteris Encyclicis a verbis « Laborem Exercens » incipientibus (54) respeximus hominis vocationem ad laborem, ut demonstraremus semper hominem praecipuum esse progressionis auctorem.

Quin immo, ipse Dominus Iesus in parabola de talentis exprimit quam severe sit accepturus eum, qui susceptum donum abscondere ausus fuerit: « Serve male et piger, sciebas quia meto ubi non seminavi et congrego ubi non sparsi. .. Tollite itaque ab eo talentum et date ei qui habet decem talenta » (Mt 25, 26-28). Qui dona Dei accipimus ut feneremur, nostrum est « seminare » et « congregare ». Nisi fecerimus, id quoque, quod habemus, a nobis tolletur.

Quorum pervestigatio severorum verborum nos incitare poterit ad promptius insistendum, quod hodie urget omnes, in officium adiuvandi reliquos ad plenam progressionem: maturitatem totius hominis omnium que hominum (55).

31. Fides in Christum Redemptorem, dum naturam progressionis illuminat ex interiore animo, ductrix est hominum ipso in munere alios adiuvandi. In Epistula sancti Pauli ad Colossenses legimus Christum esse primogenitum omnis creaturae, et in ipso universa condita esse (cfr. 1, 15-16). In eo enim omnia constant, quia « in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare et per eum reconciliare omnia in ipsum » (ibid., 1, 19-20).

Huic Dei consilio, quod initium ducit ab aeternitate In Christo — perfecta « imagine » Patris — quodque fastigium in eo habet », qui est principium, primogenitus ex mortuis » (ibid., 1, 15), nostra includitur historia, quae nostro privato et publico denotatur labore, ut hominum condicio melior reddatur, necnon difficultates vincantur in itinere frequenter nobis occurrentes, ita ut ad plenitudinem nos comparemus participandam, quae « habitat in Domino », quamque ipse tradit

« Corpori suo, quod est Ecclesia » (ibid., 1, 18; cfr. Eph 1, 22-23), dum peccatum, quod nobis semper insidiatur nostraque laedit opera; vincitur ac redimitur « reconciliatione », quam operatus est Christus (cfr. Col, 20).

Rerum prospectus hic amplior fit. Optatum infinitae cuiusdam « progressionis » recuperatur, in aliud tamen penitus mutatum nova quadam visione christiana fide patefacta, unde accipimus eiusmodi progressionem haberi tantummodo posse, quod Deus Pater inde a principio voluerit suam gloriam cum homine communicare in Christo Iesu a mortuis excitato, « in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum » (cfr. Eph 1, 7), in eoque voluerit peccatum vinci nostrumque maximum in bonum converti (56), quod infinite superat quidquid progressio assequi potest.

Pro certo igitur, — dum in mediis nos tenebris iactamus et lacunis progressionis angustioris et progressionis immoderatae — affirmare possumus diem futurum esse, quo corruptibile hoc induet incorruptelam, et mortale hoc induet immortalitatem (cfr. 1 Cor 15, 54), cum Ipse tradet Regnum Deo et Patri (cfr. ibid., 24), omniaque nostra opera et actiones, homine digna, redimentur.

Notio autem fidei apte causas illustrat, quibus Ecclesia inducitur ad totam rationem curandam de quaestionibus progressionis, ad eam habendam officium sui ministerii pastoralis, ad communem omnium excitandam considerationem de natura ac proprietatibus certae veraeque hominis progressionis. Pro suo munere ipsa cupit illinc divino optato servire eo spectanti ut omnia disponantur ad plenitudinem, quae omnis in Christo habitat (cfr. Col 1, 19), quamque suo Corpori ipse tradidit, hinc vero suae praecipuae respondere vult vocationi « sacramenti », seu signi et instrumenti intimae cum Deo unionis atque unitatis totius humani generis (57).

Nonnulli Ecclesiae Patres hanc secuti sunt speciem, ut et suam singularibus formis notionem historiae elaborarent sensumque humani laboris, qui contendit ad se transcendentia semperque coniunctione cum opera Christi definita. Aliis verbis in doctrina Patrum tam historia quam hominis labor in optimam partem accipi potest, id est perenne bonum quod rerum ab homine perfectarum est proprium, quippe quae sint a Christo redemptae promissoque Regno destinatae (58).

Pariter proprium est antiquissimae doctrinae actionisque Ecclesiae pro certo hoc habere, sua se vocatione iuberi — seipsam suosque administros et singulos Christifideles — ut miseriis aegros levet, sive proximos sive disiunctos, non modo « supervacaneis » rebus, sed suis etiam bonis. Necessitate urgente, nefas quidem est aliis necessitatibus pulchritudinem templorum divinique cultus splendor em anteponere, quin etiam ex contrario optabile est ut ea omnia abalienentur, ut panis et potus et vestimentum et domus indigentibus tradantur (59). ut iam dictum est, hic quidam « praestantiorum bonorum ordo» nobis exhibetur — idemque in regione iuris possidendi — inter ea, quae « possidentur » et ea, quae « sunt», praesertim cum ipsum « possidere », nonnullorum proprium, ipsum « esse » tot aliorum laedere potest.

Paulus PP. VI, in Litteris Encyclicis, quas diximus, eiusmodi doctrinam sequitur, pastorali sane ductus Constitutione a verbis Gaudium et Spes (60) incipiente. Quod autem ad Nos attinet, denuo de rei gravitate ac necessitate instare cupimus, dum Domini auxilium imploramus, ut omnes Christifideles constanter rem in usu et agitatione vitae ad effectum deducant.

32. Officium insistendi in « populorum progressionem » haud nudum est debitum singulare, nedum sit privatum omnino, perinde ac si seorsum quisquam molimentis suis id consequi possit. Sane vis est necessitatis, quae omnes ac singulos cogit viros ac mulieres, societates ac Nationes;

singilla tim cogens Ecclesiam Catholicam necnon reliquas Ecclesias et ceteras Comffiunitates ecclesiales, quibuscum cooperari hac in re plane parati sumus. Hac de re, ut nos Catholici invitamus fratres Christianos ad nostra consilia participanda, ita et paratos nos dicimus ad eorum consilia adiuvanda eorumque invitationes excipimus. Hanc inquirentes progression em totius hominis efficacius una cum studiosis aliarum religionum operari possumus, quem ad modum ceteroqui iam variis in locis accidit.

Progressioni « totius hominis » et « omnis hominis » cooperari est officium omnium hominum erga omnes, quod uno eodemque tempore quattuor partium orbis terrarum commune esse debet: Orientis et Occidentis, Septentrionum et Meridiei; vel, ut hodierna utamur locutione, plurium « Mundorum

Si contra opera datur, ut id una in orbis parte ad effectum adducatur, tunc cum damno perficitur ceterorum magno; ibique, ubi rei fit initium, ceteris neglectis, eo ipso res corrumpitur vel in peius abit.

Populi vel Nationes habent et ipsi ius ad plenam sui progressionem, quae si partes oeconomicas et sociales — ut dictum est — prae se fert, necesse tamen est ut et humano cultu cuiusque proprio constet, utque rebus naturam transcendentibus plane patescat. Ne necessitatem quid em progressionis interponere licet, ut quis suam aliis imponat rationem vivendi vel suae religion is legem.

33. Nec vere dignum homine esset genus progressionis, quod hominis iura, personam, societatem, oeconomiam et artem rei publicae administrandae, simulque Nationum et populorum iura non coleret nec proveheret.

Hodie clari us fortasse quam antea repugnantia agnosci tur intima progressionis terminis circumscriptae solummodo oeconomicis, quandoquidem haec facile personam humanam eiusque maximas necessitates subigit condicionibus praestitutae rerum oeconomicarum ordinationis et unius quaestus.

Conexio intima, quae intercedit inter veram progressionem et iurium hominis observantiam, ostendit etiam eiusmodi progressionis indolem moralem: vera hominis altitudo, vocationi naturali et historicae cuiusque consentanea, non comparatur solo usu copiae bonorum vel ministeriorum vel facultate opum technicarum, quae « substructiones » appellantur.

Cum in societate personae et communitas, quae solet populus vocari, rigide servari non vident morum postulata, culturae et spiritus, quae dignitate nituntur personae humanae et propria cuiusque communitatis natura, imprimis familiae et societatum religiosarum, cetera omnia — bonorum abundantia, technicorum inventorum affiuentia in vitam cotidianam adhibitorum, quidam rerum prosperarum gradus — improbabuntur et, procedente tempore, spernentur. Id clare Dominus in Evangelio confirmat, admonens omnes de bonorum ordine vero: « Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? » (Mt 16, 26).

Vera progressio, secundum necessitates hominum proprias, viri vel mulieris, pueri vel senis, ab omnibus, qui naviter huic progressioni intersunt eiusque sunt fautores, in primis vivam postulat conscientiam momenti iurium omnium et uniuscuiusque, necnon necessitatis iuris tuendi, quod cuique est, ex quo plene uti valeat beneficiis, scientia et technica arte praebitis.

In rebus domesticis omnis nationis magnum pondus habent totius seriei iurium observatio, praesertim iuris ad vitam, omni exsistentiae momenta; iurium familiae, uti communitatis humani

generis primae seu « cellulae»; iustitia in laboris rationibus; iura ad vitam communitatis politicae pertinentia qua talis; iura posita in hominis vocatione divina, rerum naturam transcendente.

In ordine internationali, seu rerum publicarum necessitudinum, vel, secundum sermonem, quo utuntur, diversorum « mundorum », necessaria est plena cuiusque populi identitatis et eodem tempore eius historiae et culturae proprietatum observantia. Item necessarium est, sicut iam ominabantur Litterae Encyclicae, quas verba inchoant Populorum Progressio, omni populo facultatem facere sedendi « ad mensam convivii communis » (61), potius quam extra portam iacendi, sicut Lazarus iacebat, dum « canes veniunt et lingunt ulcera eius » (cfr. Lc 16, 20). Tum populi tum singulae personae debent aequatione fundamentali (62) frui, qua nititur, exempli gratia, Charta Societatis Nationum Unitarum: quae aequatio fundamentum est iuris omnium processuum plenae progressionis participandi.

Ut talis sit, progressio facienda est in mutua hominum necessitudine et libertate, nec umquam harum utra ulla causa est excludenda. Progressionis natura moralis et necessaria provectio augentur respectu omnium necessitatum, quae oriuntur ex ordine veritatis et boni, hominis proprii. Christianus insuper, educatus ad videndam in homine Dei imaginem, vocatam ad plenam participandam libertatem plenum que bonum, quod Deus Ipse est, studium progressus eiusque effectionis sensu carens putat sine observantia et obsequio dignitatis unicae huius « imaginis ». Ut alia utamur locutione, verus progressus ponendus est in Dei proximique amore debetque usui favere personarum cum societate. Ecce « civilis cultus amoris », de quo tam frequenter Paulus PP. VI loquebatur.

34. Progressus indoles moralis discedere ne potest quidem ab obsequio erga entia, quae naturam visibilem efficiunt, quamque Graeci, significantes sane ordinem, quo illud eminet, « cosmum » vocabant. Suo modo etiam hae res observantiam poseunt, ob triplicem considerationem, multis cogitationibus perpendendam. Prima consistit in opportunitate intellegendi magis magisque non posse impune varia entium genera adhiberi, nee vivo rum nec inanimorum — arborum, animalium, elementorum naturalium — proprio arbitrio, pro euiusque necessitatibus oeconomicis. Oportet contra aestimetur uniuscuiusque entis natura et mutua conexio in ordine composito, qui quidem est cosmus.

Secunda consideratio innititur vero in animadversione, urgentiore quidem, opes naturae circumscriptas esse, quarum nonnullae refici, ut dicitur, non possunt. Si dominio adhibentur absoluto, quasi inexhaustae sint, grave periculum est ne non solum aetatibus futuris, sed ne praesenti quidem in promptu sint.

Tertia consideratio apertius pertinet ad exitus cuiusdam generis progressionis pertinentes ad condicionem vitae, quae agitur in regionibus officinis affiuentibus. Omnes novimus invectionis quaestuosae industriae consecutionem esse frequentiorem in dies circumfusi aeris contaminationem, cum valetudinis incolarum detrimento.

Evidens etiam est progressum, voluntatem praestitutae rerum ordinationis, qua ille regitur, opum usum modumque his utendi non posse ex observantia legum moralium eximi. Harum legum una sine dubio naturae visibilis usum circumscribit. Dominium a Creatore homini datum utpote divinae imagini (cfr. Gen 1, 26) non est absolutum, nec licet « utendi et abutendi » arbitrium affirmare, vel ex commodo res disponendi. Modus, quem inde a principio ipse Creator homini imposuit quique symbolica ratione exprimitur per interdictionem « comedendi de ligno » (cfr. Gen 2, 16-17), satis clare ostendit in universitate naturae visibilis et elementorum, ex quibus constat « cosmus », nos legibus esse subiectos, non solum biologicis, verum etiam moralibus, quae impune violari nequeunt.

Recta progressus notio non potest hanc seriem neglegere considerationum - ad usum elementorum naturae pertinentium, ad opum renovationem et ad detrimenta quaestuosae immoderataeque industriae — quae nostrae conscientiae momentum morale proponunt, ex quo dignoscendus est processus (63).

V

35. Quoniam progressus est magna parte indolis moralis, patet idem affirmandum esse de impedimentis, quae ei obstant. Si annis actis post vulgatas Litteras Encyclicas, quae inscribuntur Populorum Progressio, progressus defuit — aut parvus fuit, inconstans, si non omnino contradictorius causae non possunt ex sola origine oeconomica oriri. ut iam antea memoravimus, hac in re causae etiam « politicae » se interponunt. Rationes enim, quae « populorum progressionem » provehunt aut infrenant, nonnisi indolis « politicae » sunt. Ut perversae machinationes superentur, de quibus diximus, et iis novae subiciantur rectiores et bono communitatis communi congruentiores, necessaria est efficax voluntas « politica ». Re indagata, est concludendum hanc non sufficientem fuisse.

In documento pastorali, ut hoc est, indagatio, quae causas oeconomicas et politicas solum expendat minoris prosperitatis et incrementi (et, portione necessaria servata, etiam maioris prosperitatis et auctus), est imperfecta. Sunt inde causae indolis moralis inveniendae, quae industriae hominum, utpote personarum moraliter officiis astrictarum, intersunt ut progressionis cursum frenent et plenam eiusdem impediant adeptionem.

Pariter, cum praesto sunt opes scientiae et technicae, quae necessariis consiliis politicis intervenientibus, possunt et debent ad populos incitandos tandem in verum progressum prodesse, sola consilia natura sua moralia, quae credentes, praesertim christiani ponunt in fidei principiis, omnia removebunt, quae obstant et impediunt, gratia divina auxiliante.

36. Est inde animadvertendum mundum, in adversarum nationum compages divisum, rigidis fultum doctrinis, in quo, potius quam copulatio inter se, ut talis agnita et consensione roborata, imperii libidinis diversae dominantur formae, esse non posse nisi mundum « structuris peccati» obnoxium.

Iniquarum causarum summa, quae agunt contra veram conscientiam boni communis universalis et necessitatis ei favendi, videtur condicionibus astringere personas et institutiones, victu difficilibus (64).

Si praesens status tribuendus est condicionibus diversae indolis, alienum non est de « structuris peccati » loqui, quae, ut diximus in Adhortatione Apostolica Reconciliatio et Paenitentia, peccato personali inhaerent et ideo actibus personarum definitis annectuntur, quae eas inducunt, confirm ant efficiuntque ut difficile diruantur (65). Hinc corroborantur, diffunduntur atque aliorum peccatorum fons fiunt hominum mores condicionibus astringendo.

« Peccatum » et « structurae peccati » genera sunt, quae non saepe usurpantur in statum mundi huius temporis. Sed res, quas ante oculos habemus, non acriter intelleguntur, nisi malorum origini, quae patimur, nomen imponimus.

Verba fieri possunt de « nimio sui amore » deque « brevi visione »; potest mentio fieri de « consiliis poli ticis mendosis », de « imprudentibus oeconomicis consultis ». Et quaevis harum nominationum vocem resonat ethicam moralem. Hominis condicio talis est, ut difficilem reddat actionum et omissionum personarum acriorem inquisitionem, quae aliquo modo iudicia vel designationes naturae ethicae non comprehendat.

Haec consideratio utilitatem habet, praesertim .si usque ad extrema consequens fit et in fide Dei et in eius lege fundatur, quae bonum iubet et malum prohibet.

In hoc differunt quidam typus inquisitionis socialis-politicae et respectus formalis ad « peccatum » et ad « structuras peccati ». Pro hac visione agunt Dei voluntas ter Sancti, eius de hominibus consilium, eius iustitia eiusque misericordia. Deus dives in misericordia, redemptor kominis, Dominus et auctor vitae, ab hominibus agendi modo; exigit accuratos etiam in actionibus et praetermissionibus erga proximum. Hic « secundue tabulae » decem mandatorum memoria renovatur (cfr. Ex 20, 12-17; Dt 5, 16-21); horum violatione Deus offenditur et proximus laeditur, cum in mundum condiciones introducantur et impedimenta, quae multum actus et brevem hominis vitam transcendunt. Intervenitur etiam cursui progressionis populorum, cuius mora vel tarditas hac luce collustrante iudicandae sunt.

637. Huic inquisitioni vagae indolis religiosae nonnullae addi possunt subtiliores indagationes, ut animadvertatur ex actibus et habitibus, qui Dei voluntati obsistunt et bono proximi, et « structuris », quas ii inducunt, duos praecipue hodie magis proprios videri: hinc solam quaestus cupiditatem et illinc dominii sitim cum proposito ceteris imponendi propriam voluntatem. Horum habituum cuilibet, quo melius significetur, expressio addi potest: « pretio quantocumque ». Scilicet agitur de dominatu humanarum voluntatum deque exitibus, qui inde sequi possunt.

Quamquam seiungi possunt et altera sine altera exsistere ambae illae agendi rationes — in prospectu, qui patet ante oculos nostros — indissolubili modo sunt coniunctae — etsi utravis plus valet.

Ut par est, huius duplicis rationis veluti peccati victimae non solae personae sunt; possunt esse etiam Nationes et adversae Nationum Consociationes. Rocque magis « structurarum peccati » introductioni favet, de quibus diximus. Si quaedam hodierni studii dominandi formae harum normarum moralium luce considerarentur, aliqua detegerentur consilia, specie solum ob oeconomiam vel rei publicae administrationem capta, vere formas abscondere idololatriae: pecuniae, doctrinae, classium, technologiae.

Hanc indagationis formam inserere voluimus, ut ante omnia indicaremus qualis sit mali vera natura, quod perspicere debemus in « populorum progressionis » quaestione: agitur de malo morali, multorum peccatorum exitu, quae ad « peccati structuras » adducunt. Hoc modo considerationem intendere in malum significat, secundum human am disciplinam, apte viam sequendam cognoscere, ut illud superetur.

38. Est hoc iter longum et implicatum, in quod insuper minae constanter impendent, tum ob intimam propositorum et operum humanorum fragilitatem, tum ob adiunctorum externorum mutabilitatem, quae praevideri non possunt. Eiusmodi tamen iter oportet animose suscipiatur et, ubi aliqui gradus facti sunt vel spatii pars transmissa, ad finem usque perveniatur. In his considerationibus consilium viam ingrediendi vel iter pergendi vim habet praecipue moralem, quam viri et mulieres credentes agnoscunt uti Dei voluntate exaetam, quae unicum verum fundamentum est ethicae omnino obligatoriae.

Optabile est viros quoque et mulieres apertae fidei expertes persuasum sibi habere impedimenta ad plenum progressum opposita non esse solum indolis oeconomicae, sed pendere ex altioribus rationibus, quas homo existimare potest bona absoluta. Qua re sperandum est fore ut quotquot, varia mensura, erga suos similes « humanioris vitae» officio obstringuntur, sive fide religiosa moti, sive non moti, plene conscii fiant necessariam esse mutationem habituum spiritalium, qui indicant cuiusque hominis necessitudines secum ipso, cum proximo, cum humanis

communitatibus, vel maxime longinquis, cumque natura; ob bona superiora, uti bonum commune, vel, ut acuta utamur elocutione Litterarum Encyclicarum Populorum Progressio, incrementum plenum « omnis hominis et omnium hominum » (66). Quod ad christianos attinet, sicut et ad omnes, qui vocis « peccati» expressam significationem theologicam agnoscunt, mutatio rationis vivepdi et mentis vel modi, quo quis est, sermone biblico vocatur « conversio » (cfr. Mc 1, 15; Lc 13, 35; Is 30, 15). Haec conversio indicat proprie necessitudinem cum Deo, cum culpa commissa cumque eius exitibus, et ideo cum proximo, tum persona, tum communitate. Deus est, in « cuius manibus sunt corda potentium et omnium corda » (67), is qui potest, iuxta suam promissionem, opera Spiritus Sancti, « corda lapidea » in « corda carnea » mutare (cfr. Ez 36, 26).

In itinere optatae conversionis versus superationem moralium impedimentorum, quae progressioni obstant, iam indicari potest ut bonum definitum et morale maior intellegentia homines et nationes copulari inter se. Quod viri et mulieres, in variis mundi partibus, tamquam proprias sentiunt iniustitias et violationes iurium humanorum longinquis in regionibus aetas, quas numquam fortasse visent, aliud est signum quendam eventum esse mutatum in conscientiam et notam moralem esse consecutum.

Agitur ante omnia de mutua copulatione, quae recipitur uti systema praeponderans rationum in mundo nostri temporis, in eius partibus, seu oeconomia, cultura, res public as administrandi scientia, religione, et ut genus morale assumitur. Cum ita mutua copulatio agnoscitur et assumltur, ei respondet, tamquam habitus moralis et socialis, tamquam « virtus », consensio; quae igitur non simplex est et vagus misericordiae sensus vel levis miseratio tot personarum malis tributa, vicinarum aut longinquarum; sed est contra voluntas firma et cons tans bonum curandi commune, seu bonum uniuscuiusque et omnium, quia omnes vere recipimus in nos.

.Haec voluntas innititur radicata persuasione illa lucri cupiditate ac siti dominii, quam memoravimus, plenam coerceri progressionem. Eiusmodi « agendi rationes» et « peccati structurae » solum vincuntur — gratia divina adiuvante — longe alio modo: cura videlicet boni proximi una cum animo se, iuxta evangelicum sensum, pro alio perdendi, potius quam eo abutendi, eique « serviendi » potius quam illum ob sui utilitatem opprimendi (cfr. Mt 10, 40-42; 20, 25; Mc 10, 42-45; Lc 22, 25-27).

39. Consensionis exercitium in omni societate efficax est, cum eius participes se viclssim agnoscunt ut personas. Qui plus pollent, quia maiora habent bona et communes apparatus, sentiant se esse humiliorum cautores et paratos ad ea communicanda cum iis, quae possident; debiliores vero, eandem sequentes consensionem, non desidi agendi modo se gerant vel ordinis societatis destructivo, sed, quamvis legitima sua vindicent iura, id faciant, quod ad eos spectet, pro omnium bono. Coetus autem interpositi ne contend ant solummodo de sua peculiari utilitate, sed aliorum causas observent.

Signa valentia hac aetate sunt acrior conscientia consensionis pauperum inter se, eorum mutui auxilii interventus, pubblici concursus in scaena societatis, quibus non vi utuntur, sed suas necessitates significant suaque iura contra inefficaciam aut corruptelam rei publicae auctoritatum. Ex suo munere evangelico, Ecclesia sentit se vocari ad vigilandum pro pauperum multitudinibus, ad discernendas iustas eorum postulationes, ad conferendum ut eae efficiantur, etsi non sit ei bonum commune coetuum praetermittendum.

Eadem regula per similitudinem adhibetur in consuetudinibus gentium. Mutua copulatio mutanda est. in concordiam, posit am in principio omnia naturae bona esse omnibus destinata.

Quae humana industria edit materias primas elaborando, bono omnium debent, labore iuvante, prodesse.

Declinatis studiis omne genus dominandi et conatibus suum servandi imperium, Nationes fortiores et ditiores officio astringuntur sentiendi sibi moraliter causam ceterarum in se esse transferendam, ut verum systema gentium instituatur, quod consistat in fundamento aequitatis omnium populorum et in necessaria legitimarum diversitatum observantia. Nationes oeconomia tenuiores, vel paene superstites, aliis populis opitulantibus et communitatibus mundanis, possunt et debent ipsae quoque potestatem habere ad bonum commune conferendi suis humanitatis et cultus thesauris, qui secus in perpetuum amitterentur.

Consensio nos adiuvat ad videndum « alterum » — personam, populum vel Nationem — non tamquam quodlibet instrumentum ut parvo sumptui habeamus eius laborandi facultatem et corporis firmitatem, eumque relinquamus, cum non iam utilis sit, sed tamquam nostrum « similem», tamquam « adiutorem» (cfr. Gen 2, 18. 20), quem participem faciamus, similiter ac nos, vitae convivii, ad quod omnes aeque homines invitantur a Deo. Hinc momentum excitandi conscientiam religiosam et hominum et populorum.

Hoc modo excluduntur abusus, oppressio, ceterorum exitium. Haec facta, in praesenti mundi divisione in adversarum nationum compages, in belli periculum confluunt et in nimiam propriae securitatis sollicitudinem, non sine detrimento, saepe, libertatis, liberae auctoritatis, ipsiusque territorialis integritatis Nationum debiliorum, quae « in finibus aliorum principatuum tenentur » vel in « cincturis securitatis ».

« Structurae peccati » et peccata, quae ad eas ducunt, paci et progressioni tantadem vi se opponunt, quandoquidem progressio, iuxta notam Litterarum Encyclicarum Pauli PP. VI expressionem, est « novum nomen pacis » (68).

Consensio ita, quam Nos proponimus, est simul via ad pacem et ad progressionem. Pax mundi namque ne in cogitationem quid em cadit, nisi ii, qui in haec incumbunt, agnoscunt mutuam copulationem exigere superationem rationis politicae « adversarum nationum compagum », reiectionem cuiuslibet formae dominandi, ad oeconomiam, militiam vel politicam artem pertinentis, et mutation em mutuae diffidentiae in consociatam operam, quae sane actus proprius est consensionis inter homines et Nationes.

Sententiola Pontificatus Decessoris Nostri rec. memo Pii XII fuit Opus iustitiae pax: pax quidem ut iustitiae fructus. Hodie dici potest, eadem cum subtilitate eademque cum vi inspirationis biblicae (cfr. Is 32, 17; Gc 3, 18), Opus hominum coniunctionis pax.

Pax, quam omnes tam vehementer exoptant, comparabitur sane iustitiae socialis et internationalis effectione, sed etiam exercitatione virtu turn, quae convictioni favent docentque nos coniunctim vivere, ut coniuncti, dantes et accipientes, mundum aedificemus meliorem.

40. Non est dubium quin solida hominum coniunctio virtus sit christiana. lam in iis quae supra exposuimus, animadverti licebat plures rationes intercedere inter earn et caritatem, quae est proprietas, qua discipuli Christi cognoscuntur (Cfr. Io 13).

Lumine fidei praefulgente, coniunctio illa se ipsam nititur superare, nititur rationes speciali modo christianas plenae donationis gratuitae induere, veniae et reconciliationis Quo fit ut proximus non sit solum ens humanum, praeditum iuribus suis et fundamentali aequalitate coram universis. Fit vero imago viva Dei Patris, sanguine lesu Christi redempta et permanenti actioni Spiritus Sancti subiecta. Proximus ergo amari debet, etsi est inimicus, eodem amore, quo eum Dominus

diligit, atque parati simus oportet grave incommodum, etiam supremum, subire, scilicet: « dare animam pro fratribus » (cfr. Io 3, 16).

Tunc conscientia communis paternitatis Dei, fraternitatis omnium hominum in Christo — qui filii in Filio sunt —, praesentiae et actionis vivificantis Spiritus Saneti, faciet ut mundum contueamur nova iudicandi ratione, qua eum intellegamus et explanemus. Praeter vincula humana et naturalia, iam admodum valida et areta, novum ostenditur exemplar unitatis hominum generis, ad quod, ad extremum, revocari debet firma hominum coniunctio. Hoc summum exemplar unitatis, quae est veluti lux repercussa vitae intimae Dei, unius in tribus Personis, est id quod nos christiani nomine « communionis » appellamus.

Quae quidem communio, proprie christiana, quae diligenter observetur, amplificetur, locupletetur Deo opitulante, est quasi anima vocationis Ecclesiae, ex qua sit « sacramentum », sensu supra exposito.

.Haque solida hominum coniunctio conferre debet ad efficiendum id consilium divinum turn ad singulos homines quod attinet turn ad societatem nationalem et internationalem. Machinationes perversae et « structurae peccati », de quibus sumus locuti, superari possunt solummodo per exercitationem solidae coniunctionis humanae et christianae, ad quam Ecclesia hortatur et quam constanter promovet. Sic tantum tot egregiae navitatis copiae totam vim suam effundere possunt ad progressionem et pacem provehendam.

.Multi Sancti, ab Ecclesia in Caelitum album relati, mirabilia testimonia exhibent huiusmodi coniunctionis atque exemplo praelucere possunt in difficilibus rerum adiunctis huiusce temporis. Inter cunctos memorare cupimus sanctum Petrum Claver, qui Carthagine Indiarum servis est famulatus, et sanctum Maximilianum Mariam Kolbe, qui vitam suam obtulit pro captivo sibi ignoto in publicae custodiae campo loci Auschwitz-Oswiecim.

VI

41. Ecclesiae praesto non sunt solutiones technicae quaestionis incrementi deficientis ut talis. Quod quidem iam Paulus PP. VI in Encyclicis Litteris, quas commemoramus, affirmavit (69).

6Ecclesia enim non systemata vel rationes ordine compositas rerum oeconomicarum et politicarum proponit neque horum alia aliis anteponit, dummodo dignitas hominis recte servetur et promoveatur ac necessarium detur spatium proprio ministerio gerendo in mundo.

.Ecclesia vero est « experta in humanitate » (70); quod quidem earn impellit ad missionem suam religiosam necessario dilatandam ad varios campos, in quibus viri mulieresque opus suum exsequuntur, illam in hoc mundo quaerentes felicitatem, etsi angustam, quae dignitati suae ut personarum human arum sit consentanea.

Dicatur oportet iterumque dicatur, exemplo sumpto a decessoribus nostris, nequaquam ad quaestionem « technicam » redigi posse id quod — ut veri nominis progressionem — dignitatem hominis ac populorum tangat. Progressio, si in quaestionem technicam coartetur, vera natura sua nudatur atque actus fit proditionis respectu hominis et populorum, quibus plena cum effectione debet inservire.

En, cur Ecclesiae aliquid sit hodie dicendum, perinde atque ante viginti annos ac tempore futuro, de natura, condicionibus, postulatis, finibus germanae progressionis necnon de impedimentis, quae hic obiciuntur. Ecclesia, id agens, munus evangelizandi adimplet, quoniam primum adiumentum ad progressionis quaestionem, ad praesentia maxime pertinentem, est

pronuntiatio veritatis de Christo, de Ecclesia, de homine, ad certam ac definitam aliquam condicionem traductae (71).

.Ad hoc assequendum Ecclesia, ut instrumento, sociali sua utitur doctrina. In huius aetatis discrimine ut sive solutio quaestionum propositarum sive recta earum constitutio iuventur, multum valeret accuratior cognitio et latior dittusio « summae principiorum cogitandi, criteriorum iudicandi, normarum agendi, quae eius doctrina exhibentur » (72).

.Ita statim animadverteremus quaestiones, nobis aggrediendas, esse imprimis morales et neque enodationem problematum in progressione ut tali vertentium, neque instrumenta ad difficultates huiusce temporis superandas ab hac essentiali ratione posse separari.

3Socialis doctrina Ecclesiae non est « tertia via » inter capitalismum liberalem, qui dicitur, et collectivismum Marxianum, ut item aiunt, neque optio, quae fieri possit ut aliae solutiones inveniantur non ita funditus sibi oppositae, sed proprium ac peculiare genus efficit. Neque est ideologia, sed accurata enuntiatio fructuum perdiligentis considerationis, qua perplexae veritates, quae sunt reapse, exsistentiae hominis comprehenduntur, ac quidem in societate et compage internationali, luce fidei ac traditionis ecclesialis affulgente. Eius finis praecipuus eo pertinet ut hae veritates, re existentes, interpretatione explicentur, quatenus perspiciatur utrum eae congruant an dissimiles sint normis doctrinae evangelicae de homine deque eius vocatione terrena ad pacem human a transcendentem persequendam; ut christianus sese gerendi habitus recte dirigatur. Doctrina igitur illa non ideologiae sed theologiae ac quidem theologiae morali accensetur.

Traditio ac diffusio doctrinae socialis pars sunt missionis evangelizandi, quae est Ecclesiae propria. Quoniam vero de doctrina agitur eo pertinente ut modus se gerendi personarum recte dirigatur, inde consequenter manat « officium pro iustitia suscipiendum » secundum munus, vocationem, condiciones cuiusque.

Ad exercitationem ministerii evangelizationis in re sociali — quod est facies muneris prophetici Ecclesiae — pertinet etiam denuntiatio malorum et iniustitiarum. Oportet tamen declarare annuntiationem semper maioris momenti esse quam denuntiationem et hanc seiungi non posse ab illa quae ei veram firmitatem ac vim summarum causarum exponendarum tribuit.

42. Socialis doctrina Ecclesiae hac aetate, magis quam antea, impellitur ut prospectui internationali patescat, congruenter quidem Concilio Vaticano II (73), pontificiis Litteris Encyclicis recentioribus (74), maxime vero illis, quas commemoramus (75). Haque non est supervacaneum, harum rerum habita ratione, argumenta et normas directorias peculiares, quae Magisterium proxime praeteritis annis denuo pertractavit, iterum perquirere altiusque perspicere.

Volumus autem unum ex his in lumine ponere: optionem pauperum et amorem potiorem erga eos. Est haec sane optio seu singularis forma primarum partium tenendarum in caritatis christianae exercitatione, quam tota Ecclesiae Traditio testatur; quae ad vitam uniuscuiusque christi ani refertur, quatenus hic vitam Christi imitatur. Verumtamen pariter ad otficia nostra socialia traducitur, quibus devincimur, ideoque ad vitae nostrae ducendae rationem, ad decisiones consentanee faciendas circa proprietatem usumque bonorum traducitur.

His vero temporibus, quoniam amor potior pauperum, una cum deliberationibus inde in nos manantibus (76), omittere non potest quin ingentes complectatur multitudines fame laborantium, mendicorum, tecto carentium, quibus curatio medica deest, ac praesertim qui spe aetatis futurae melioris sunt destituti; fieri non potest quin harum rerum veritas agnoscatur. Earn

ignorare idem valeret ac « diviti epuloni » assimilari, qui confinxit se Lazarum mendicum non cognoscere, qui « iacebat ad ianuam eius » (cfr. Lc 16, 19-31) (77).

Vita nostra cotidiana hac rerum veri tate notetur oportet; item decisiones nostrae in re politica et oeconomica. Pariter ii qui onus et munus nationum ipsorumque institutorum regendorum gerunt — dum officio obstringuntur in consilia sua, quae potiora sunt, veram rationem humanam inferendi — ne obliviscantur augescentis egestatis phaenomeno primas tribuere partes. Pauperes enim, pro dolor, nedum imminuantur, numero augentur non solum in regionibus minus excultis, sed etiam — quod non minoris scandali est causa — in iis quae maiore progressione pollent.

Oportet meminisse iterum principii typici doctrinae socialis christianae: bona huius mundi primitus omnibus destinantur (78). Ius possessionis privatae est quidem probandum ac necessarium, sed vim principii memorati nullatenus infringit. « Pignori enim sociali » (79) illa subicitur, id est in iis agnoscitur, quasi peculiaris et intima nota, munus sociale, quod in ipso principio addictionis universalis bonorum innititur eoque comprobatur.

Nec neglegenda est, quod attinet ad hoc officium pro pauperibus, peculiaris illa forma paupertatis, quae privatio est iurium fundamentalium personae humanae, praesertim privatio iuris ad libertatem religiosam et iuris etiam in re oeconomica incepta ineundi.

43. Sollicitudo animos exstimulans de pauperibus, qui secundum significantia verba sunt « pauperes Domini » (80), transferatur oportet, in omnibus gradibus, in actus « concretos », adeo ut cum animi firmitate ad continuas reformationes necessarias perveniatur; quarum urgentiores cognoscere atque modi eas ad effectum adducendi e singulis condicionibus 10 corum pendent. Non tamen licet oblivisci earum, quae statu inaequalitatis internationalis, quem descripsimus, postulantur.

Singillatim, ad haec quod spectat, memorare volumus reformationem internationalis systematis commercii, quod quidam nimio favore et synallagmaticis commutationibus sibimet vindicant; reformationem praeterea nummariam et fiscalem per orbem terrarum, quod hodie insufficiens esse agnoscitur; quaestionem permutationum technologicarum earumque aptus usus; necessitatem recognoscendi structuram institutorum internationalium, quae nunc sunt, intra ambitum ordinis iuridici internationalis.

Systema internationale commercii hodie saepe discriminat ea quae in regionibus minus progressis quaestuosa industria inchoata pariuntur, dum effectores materiarum primarum, quae vocantur, affligit. Est praeterea quasi quaedam internationalis partitio operis, ob quam parvi pretii bona effecta alterius partis orbis terrarum, cum legibus efficacibus ad laborem pertinentibus careat aut minus valeat eas in vitae usum traducere, in altera parte insigni lucro venduntur ad utilitatem societatum bonis gignendis, quae huiusmodi rationi bona efficiendi sese dant, quae nullis finibus circumscribitur.

Systemati nummario et fiscali per orbem terrarum vigenti id est proprium et peculiare ut methodi permutationis et quaestus faciendi varientur, quo fit ut generalis ratio creditorum ac debitorum ac status aeris alieni, quibus regiones pauperes conflictantur, inde capiat detrimentum.

Res technologicae earumque permutatio unam e praecipuis quaestionibus reciprocarum commutationum internationalium et, quae inde oriuntur, gravium damnorum efficiunt. Nec raro contingit ut regionibus minus progressis res technologicae necessariae denegentur aut inutiles mittantur.

Instituta vera intemationalia, multorum sententia, in exsistentia sua ad id pervenisse videntur ut rationes munera sua gerendi, pretia laboris eorumque efficientia attente recognoscantur oporteat et fortasse emendationes postulentur. Ut liquet, tantae prudentiae rerum processus peragi nequit nisi socia omniam opera. Postulatur enim in antecessum ut aemulationes politicae superentur et a voluntate discedatur iisdem institutis utendi quasi instrumentis pro proprio emolumento, cum ipsa ratio, cur ea sint, sit bonum commune.

Instituta et corpora eiusmodi, quae sunt, populorum commodo sine ulla dubitatione operando servierunt. Verumtamen hominum genus, coram novo ac difficiliore spatio verae suae progressionis, altiore gradu temperationis intemationalis indiget, quae societati, rei oeconomicae et animorum culturae per totum orbem terrarum consulat.

44. Progressio imprimis animum ad res faciendas promptum a regionibus postulat, quae eo indigent (81). Unusquisque secundum responsale suum officium rem gerere debet nec licet omnia ab opulentioribus exspectare, estque agendum operam cum aliis sociando, qui in eadem versantur condicione. Unusquisque, quantum prorsus fieri potest, detegat oportet et in aliorum utilitatem convertat proprium libertatis locum. Unusquisque etiam oportet sic instituatur ut incepta valeat inire, apta ad societatis necessitatibus satisfaciendum. Unusquisque demum conscius fieri oportet necessitatum, quae habentur, iurium et officiorum, quibus astringitur, ut necessitates illas expediat. Populorum Progressio ex officio, quo quisque devincitur ad sui ipsius profectum, oritur atque, cum aliis cooperando, aptissime ad effectum deducitur.

.Id igitur refert ut ipsae nationes minus progressae, quantum potissimum fieri possit, foveant modum, ex quo quisque civis suo ipsius conatu valescat eo quod ei aditus patet ad ampliorem cultum humanum et ad liberum commercium nuntiationum. Ad veram progressionem proxime confert quidquid alphabeticae institutionis inductioni et educationi elementariae prodest, quae illam perpolit et complet, quemadmodum in Litteris Encyclicis a verbis Populorum Progressio incipientibus proponitur, quae tamen proposita in tot orbis terrarum partibus ab effectione tam longe absunt.

Nationes ipsae ut hanc viam ingrediantur, ea perspiciant oportet quae sibi ut priora sunt agenda, atque perscrutentur suas necessitates, pro peculiaribus suae gentis condicionibus, suo situ finium, suis traditionibus culturalibus.

Quaedam nationes effectionem alimentorum oportet adaugeant, ut necessaria ad victum et vitam semper habeant in promptu. In mundo huius temporis — ubi tot fame pereunt, praesertim inter infantes — non desunt exempla nationum minus progressarum, quae effecerunt ut propriarum rerum esculentarum sufficientiam, quam sibi proposuerunt, consequerentur adeo, ut exportare valerent.

Aliae nationes quasdam structuras suas iniustas reforment oportet praesertim instituta sua politica, eo consilio ut pro regimine corrupto, dictatorio vel imperioso formam democraticam et participalem substituant. Est quidem processus, quem propagari et solidari cupimus, quia prosperitas alicuius communitatis politicae — quatenus cunctorum civium libera participatione et responsali officio circa publicam rem, iuris securitatem, respectum et promotionem iurium humanorum manifestat — necessaria est condicio ac praesidium progressionis « totius hominis et omnium hominum ».

45. Ea qua diximus, ad effectum deduci non possunt nisi omnes sociam operam praestant, praesertim communitatis internationalis, ac quidem intra amplos fines solidae hominum coniunctionis, quae omnes vale at complecti, initio sumpto ab iis qui in extremas societatis partes

sunt detrusi. Tamen nationes minus progressae officio tenentur inter ipsas et cum regionibus maxime in extremas partes detrusis solid am illam coniunctionem exsequendi.

Exoptandum est, ut exemplum subiciamus, ut nationes eiusdem plagae rationes cooperandi constituant, quibus effectoribus bonorum validioribus minus sint obnoxiae; bonis in eadem plaga partis fines aperiant; rationes fortasse perpendant, quibus res vicissim compleantur; sese consocient ad ministeria sibi comparanda, quae singulae solae suppeditare non possunt, cooperationem illam ad rem nummariam et fiscalem proferant.

Mutua obnoxietas in compluribus harum regionum reapse iam habetur. Eius agnitio, eo pertinens ut magis actuosa reddatur, optio est adversus illum rerum statum, quo aliqua regionibus ditioribus et potentioribus est nimis obnoxia, in ipso ordine expetitae progressionis; quo non fit ut ulli aliqua opponatur sed ut proprias facultates detegat atque frugiferas reddat. Regiones minus progressae eiusdem plagae, iis non exceptis, quae verba « Meridiei » comprehenduntur, efficere possunt ac debent — quemadmodum fieri iam incipit cum eventibus, de quibus bene licet sperare — nova corpora regionalia, quae criteriis aequalitatis, libertatis, participationis secundum universorum consensionem ducantur.

Solida hominum coniunctio universalis postulat, ut condicionem pernecessariam, suis legibus vivendi potestatem et liberam ipsius animi promptitudinem, etiam apud consociationes, quas memoravimus; verum etiam promptum animum ad necessaria incommoda accipienda in bonum communitatis totius mundi.

VII

46. Populi et singuli homines suam ipsorum liberationem affectant; quorum plena progressio est signum eorum desiderii eo pertinentis ut multiplices coactiones superentur, quibus impediunturne « vita humaniore » fruantur.

Recens, spatio temporis, quod editas Litteras Encyclicas, e verbis Populorum Progressio nuncupatas, est subsecutum, in quibusdam Ecclesiae catholicae partibus, praesertim in America Latina, quae vocatur, novus modus invaluit quaestiones miseriae ac deficientis progressus aggrediendi, eo quod liberatio facta est genus fundamentale primumque principium actionis.

Praestantia bona, sed etiam errores atque pericula errorum, qui cum huiusmodi rationibus rem considerandi ac theologice enucleandi conectuntur, a Magisterio ecclesiastico congruenter sunt enuntiata (82).

Addere expedit studium liberationis a quovis modo servitutis, ad hominem et societatem quod attinet, esse desiderium praecelsum et maxime probandum, cum eo progressio proprie spectet, vel potius liberatio et progressio, intimi nexus inter utramque rem habita ratione.

Progressio autem solum oeconomica ad hominem liberandum non valet, quin, contra, eum magis in servitutem redigere potest. Progressio enim, quae non complectitur hominis rationem culturalem, naturam transcendentem, religiosam, prout suam exsistentiam agnoscit et proposita sua et ea quae priora habet per eam dirigere, eo minus ad veram confert liberationem. Homo plane liber est solum, cum est suus, plenitudine fruens iurium suorum et officiorum. Idem de societate est dicendum.

Praecipuum impedimentum superandum ut ad veram liberationem perveniatur, est peccatum atque illae quasi structurae peccati, inde exortae, quod id gradatim multiplicatur et propagatur (83).

Liberatio, qua Christ us nos liberavit (cfr. Gal 5, 1) (84), nos excitat ut in omnium servos convertamur. Ita cursus progressionis et liberationis solida hominum coniunctio reapse efficitur seu exercitatio caritatis et servitium proximi, praesertim pauperiorum. « Etenim ubi desunt veritas et amor processus liberationis ducet ad mortem libertatis, cui nullum futurum firmamentum erit » (85).

47. In summa rerum acerbarum, quas proxime praeteritis annis sumus experti, et in conspectu, maximam partem improbando huius temporis, Ecclesia vehementer debet affirmare possibilitatem et certitudinem superationis eorum quae sive nimietate sive defectu interponuntur contra progressionem, atque fiduciam in vera liberatione. Quae fiducia et certitudo postremum in Ecclesiae conscientia promissionis divinae innititur, qua spondetur historiam huius temporis non in se clausam manere sed Regno Dei patescere.

Ecclesia autem fiduciam etiam in homine ponit, quamvis depravationem noverit, cuius est capax, quia probe scitlicet peccatum hereditate acceptum obstet, quod in « structuris peccati » facilius committitur — in persona humana sufficientes inesse qualitates viresque, « bonitatem » fundamentalem (cfr. Gen 1, 31), cum ipse imago sit Creatoris, influxioni redemptrici Christi expositus, qui « cum omni homine quodammodo se univit » (86), et quoniam effie ax actio Spiritus Santi « replevit orbem terrarum » (Sap 1, 7) (87).

Non licet ergo probare neque desperationem neque mentem omnia in deterius referentem neque inertiam. Est enim hoc dicendum etsi cum animi amaritudine: ut peccari potest nimio studio sui ipsius, nimii quaestus ac dominationis cupiditate, sic peccari potest — pro urgentibus necessitatibus multitudinum hominum in inferiore progressione versantium, — timore, titubatione, atque, ad extremum, ignavia. Omnes vocamur, immo obligatione tenemur ultimae decadis secundi Millennii praegravem provocationem excipiendi, propterea etiam quod impendentia pericula cunctis minantur; quae sunt: condicio oeconomica per orb em terrarum in discrimine posita, bellum nullis finibus terminatum, sine victis et victoribus. His minis perspectis, distinctio inter personas et regiones opulentas, inter personas et regiones pauperes, paulum valet, salvo maiore conscientiae officio, quo is obstringitur, qui plus habet atque plus potest.

Verumtamen huiusmodi rationis expositio non una est neque praecipua. Agitur de dignitate personae humanae, cuius defensio et provectio a Creatore nobis sunt commissae, et cuius proprie debitores sunt viri et mulieres, pro suscepto munere, quovis historiae tempore. Rerum conspectus, qui hodie habetur, cum huiusce dignitatis postulationibus minime congruit, quemadmodum multi iam magis minusve dilucide intellegunt. Unusquisque ad suum tenendum locum vocatur in hac pacifica contentione, pacificis armis facienda, ut progressio in pace obtineatur, ut ipsa natura et mundus circumiacens in tuto collocentur. Ecclesia etiam implicari se sentit, ac funditus quidem, in hac certatione, de cuius ultimo eventu confidit.

Quocirca, exemplo Pauli PP. VI moti, qui per Encyclicas Litteras a verbis Populorum Progressio incipientibus egit, volumus, cum animi simplicitate et humilitate, ad omnes, viros et mulieres, nullo excepto, nos convertere ea mente ut, certi gravitatis temporis praesentis et officii conscien tiae, quo q uisque devinciatur, consilia ineant, ad quae solida hominum coniunctio et amor, potissimum erga egenos, hortentur; quod faciant ratione vitae personali et familiari, usu bonorum qua cives, operam pro sua parte confer en do ad deliberationes de re oeconomica et politica, suaque cura et studio in or dine nationali et internationali, ut hodiernus postulat status rerum et imprimis exigit dignitas humanae personae, indelebilis imaginis Dei Creatoris, quae in unoquoque nostrum vere est eadem.

In hac pacifica contentione Ecclesiae filii exemplo praefulgeant oportet sintque ductores, quippe quorum sit, secundum proposita a Jesu ipso in synagoga Nazarethana enuntiata, « evangelizare pauperibus... praedicare captivis remissionem et caecis visum, dimittere confractos in remissione, praedicare annum Domini acceptum » (Lc 4, 18-19). Expedit in lumine ponere munus praeponderans laicorum, virorum et mulierum, quemadmodum in recenti Coetu Synodi Episcoporum est iterum declaratum. Eorum est cum christiani officii diligentiares temporales veluti animare in iisque ostendere se testes esse et operatores pacis atque iustitiae.

Volumus nos convertere maxime ad eos qui sacramento baptismi et eiusdem symboli professione, licet id diverse interpretentur, veram communionem, quamquam imperfectam, nobiscum participant. Pro certo habemus sive sollicitudinem, quam hae Litterae nuntient, sive exposition em rationum, quibus eae moveantur, sive sermonem, quo exprimantur, sibi esse assueta, quia ex Evangelio Christi sunt hausta. Hic novam invitationem possumus nancisci ad commune testimonium perhibendum communis persuasionis nostrae circa hominis dignitatem, qui a Deo est creatus, a Christo redemptus, sanctificatus a Spiritu Sancto, et in hoc mundo vocatur ut vitam huic dignitati consentaneam ducat.

Hoc rogatu eos etiam compellamus, qui hereditatem Abrahae, « patris fidei » (88), ac tradition em Veteris Testamenti nobiscum communicant, eos qui, ut nos, in Deum iustum et misericordem credunt, id est ad Iudaeos et Musulmanos. Rogatum hunc etiam ad omnes sectatores magnarum mundi religionum amplius perferimus.

Congressio, die XXVII mensis Octobris anno proxime praeterito Asisii, in urbe Sancti Francisci, habita, quae eo pertinebat ut preces pro pace funderentur et ut circa earn officio nos obstringeremus — cuiusque propria religion is professione stricte servata — universis ostendit quantum pax — eiusque necessaria condicio, progressio scilicet « totius hominis et omnium hominum » — etiam religiosa quaestio esset, atque utriusque consummatam effectionem e fidelitate erga vocationem nostram, ut virorum et mulierum credentium, pendere; pendent autem imprimis e Deo.

48. Ecclesia probe novit nullam temporalem effectionem idem valere ac Regnum Dei; sed omnes effectiones nos impellunt ut rem attentius consideremus et quodammodo antecapiamus gloriam Regni Dei, quam ultra historiae fines affuturam exspectamus, « cum Dominus iterum veniet ». Verum exspectatio numquam causam afferre potest praetextam cur homines in certa definitaque condicione sua personali et vitae socialis, nationalis et internationalis, neglegamus, quatenus haec ipsa — praesertim hac aetate — illam moderatur.

Nihil, quamquam imperfectum est ac temporarium, eorum omnium, quae socio universorum nisu et gratia divina in quodam historiae spatio effici potest aut debet, ut hominum vita « humanior » reddatur, perdetur nec vanum erit. Id Concilium Vaticanum II docet in quodam loco praeclaro Constitutionis a verbis Gaudium et spes appellatae: « Bona ... humanae dignitatis, communion is fraternae et libertatis, hos omnes scilicet bonos naturae ac industriae nostrae fructus, postquam in Spiritu Domini et iuxta Eius mandatum in terris propagaverimus, postea denuo inveniemus, mundata tamen ab omni sorde, illuminata ac trasfigurata, cum Christus Patri reddet regnum aeternum et universale ... His in terris Regnum iam in mysterio adest » (89).

Regnum Dei nunc imprimis celebratione Sacramenti Eucharistiae, quod est Sacrificium Domini, praesens redditur. In celebratione eucharistica fructus terrae et operis hominum — panis et vinum — arcano modo, realiter et substantialiter, opera Spiritus Sancti et ministri verborum, transfigurantur in Corpus et Sanguinem Iesu Christi, Filii Dei et Filii Mariae; per quam Regnum Patris inter nos praesens adest.

Bona huius mundi et opus manuum nostrarum — panis et vinum — adventui Regni postremi et immutabilis inserviunt, quia Dominus, per Spiritum suum, ea in se transsubstantiat, ut Patri nobisque se offerat in renovatione unici sui sacrificii, quo Regnum Dei realiter anticipatur et adventus eius finalis annuntiatur.

Ita Dominus per Eucharistiam, sacramentum et sacrificium, nos secum coniungit atque inter nos colligat necessitudine, quae omnem coniunctionem naturalem exsuperat; sic conexos nos in mundum universum mittit ut per fidem et opera Dei testemur amorem, praeparantes Regni ipsius adventum idque anticipantes in huius temporis umbris.

Quicumque Eucharistiam participamus, adducimur ut per hoc Sacramentum veram significationem actionis nostrae in hoc mundo pro progressione et pace detegamus utque vires capiamus, quibus magnanimiter nos devinciamus officio, Christi moti exemplo, qui in hoc Sacramento dat vitam pro amicis suis (cfr. Io 15, 13). Officium, quo nosmet ipsos obstringimus — perinde atque officium a Christo susceptum et quatenus nostrum huic iungitur — non erit inutile, sed sine dubitatione fecundum.

49. Hoc Anno Mariali volvente, quem indiximus ut fideles catholici magis magisque oculos ad Mariam converterent, quae « nos praecedit in peregrinatione fidei (90) atque materna sollicitudine pro nobis apud Filium, Redemptorem nostrum, intercedit, cupimus ei necnon eius deprecationi comrnittere grave discrimen temporis nostri, incepta quae ineuntur et suscipientur, saepe magnis cum doloribus, ut opera conferatur ad veri nominis « progression em populorum », quam Decessor Noster Paulus VI proposuit et annuntiavit.

Quemadmodum semper christiana pietas facere consueverat, Beatissimae Virgini Mariae subicimus difficiles condiciones unius cuiusque ut Filio suo eas exponendo, ab eo impetret ut releventur atque mutentur. Verum subicimus etiam condiciones sociales et ipsum discrimen internationale una cum eorum rationibus, anxietatem ingerentibus, miseriae, carentiae operis, privationis cibi, contentionis ad apparatum militarem augendum, neglectionis iurium humanorum, conflictationum, quae ex parte vel ex toto reapse geruntur vel periculorum, ne exardescant: haec, ut filii, eius « misericordibus oculis » proponimus, veterem antiphonam marialem fide et spe moti, iterantes: « Sancta Dei Genetrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris; sed a periculis cunctis lib era nos semper, Virgo gloriosa et benedicta ».

Beatissima Virgo Maria, Mater nostra atque Regina, ea est, quae ad Filium suum conversa, dixit: « Vinum non habent » (Io 2, 3); eadem Deum Patrern dilaudat quia « deposuit potentes de sede et exaltavit humiles; esurientes implevit bonis et divites dimisit inanes» (Lc 1, 52 s.). Pro sollicitudine sua materna rationes curat personales et sociales hominum vitae in terra (91).

Coram Sanctissima Trinitate Ei committimus, quae his Litteris Encyclicis exposuimus ut cunctos impelleremus ad cogitandum et ad actuose perficienda quae veram « progressionem populorum » promoveant; quae tam significanter collecta Missae cognominis exprimuntur:

« Deus, qui unam dedisti cunctis gentibus originem, et unam ex eis in te voluisti familiam congregare, tuae caritatis ardore omnium corda perfunde et fratrum suorum desiderio iustae progressionis accende, ut... humana singulorum perficiatur persona, et aequitas atque iustitia, quavis divisione sublata, in hominum societate firmentur » (92).

Haec, finem Litteris imponentes, rogamus nomine omnium fratrum et sororum, quibus peculiarem Benedictionem impertimus, signum salutationis faustique ominis. Datum Romae,

apud Sanctum Petrum, die XXX mensis Decembris, anno MCMLXXXVII. Pontificatus Nostri decimo. Ioannes Paulus PP.II

13

Prior = Sollicitudo rei socialis , post = Latinarum Litterarum

13. OFFICIORUM OMNIUM SANCTISSIMORUM LITTERAE APOSTOLICAE PIUS PP. XI

***Officiorum omnium sanctissimorum**, quaecumque Apostolici muneris amplitudo complectitur, nullum sane nec maius est nec patet latius, quam curare et efficere ut Ecclesiae ad divina sua munia obeunda bonorum ministrorum satis magna copia suppetat. Id enim est eiusmodi, quod Ecclesiae et dignitatem et efficientiam et vitam ipsam coniunctam habet; quodque ad salutem humani generis tam interest quam quod maxime: siquidem quae mundo parta sunt a Iesu Christo Redemptore immensa beneficia, ea non cum hominibus nisi per « ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei » communicantur. Iam vero ex hac beati Petri Cathedra, in qua nullo merito Nostro divinitus collocati sumus, circumspicientibus Nobis eum, qui proximis Nostris curis demandatus est, orbem catholicum, existimare licet ex una parte quae et quam magnae sint animarum necessitates, , ex altera autem quam non eis plurifariam clerus,, pro sua praesertim paucitate, sufficiat: difficultatesque ad eum rite supplendum, quae iam gravissimae aderant, quanto factae sint recentis belli damnis iacturisque graviores.*

Quod si omnibus, quotquot divinae gloriae alienaeque saluti student, longeque ante alios sacris Pastoribus, permolestum accidat oportet, facile intelligitur Nos, cum omnium Ecclesiarum curam sustineamus, multo vehementius quam ceteros, eam ipsam ob causam anxios esse atque sollicitos. Itaque in exordio Pontificatus maximi nihil Nobis est antiquius, quam singulare quoddam studium ad rem tanti momenti conferre: praecipueque advocatam adhibere operam istius Urbani Consilii cuius est educationem doctrinamque sacrae iuventutis universae moderari.

Novimus enim multa iam a decessoribus Nostris eodem Consilio, ut instrumento, usis peropportune esse praescripta, quae Nos et valde probamus omnia et Nostrae auctoritatis suffragio confirmamus: verum nonnulla ex iis sunt, quae omnino volumus eo vel impensius urgeri, tamquam sancto proposito maxime conducibilia. Quapropter ad te, dilecte fili Noster, eiusdem sacri Consilii praefectum, has damus litteras, ut quemadmodum huius Nostrae tantae sollicitudinis in primis es particeps, ita ad ea significanda quae eamdem levare possunt, te ipso interprete utamur. Principio, quoniam sacri ordinis Ecclesiaeque rationes artissime, uti diximus, inter se cohaerent, non est dubitandum quin omni tempore satis hominum a Deo ad sacerdotium destinetur; alioquin necessaria in re Deus unquam deesset Ecclesiae suae, quod nefas est dicere. Quamquam hac ipsa in re, aeque ac in ceteris quae ad communem animarum salutem opus sunt, ea divinae providentiae lex valet, ut communes preces amplissimum locum habeant ad impetrandum. Apertum enim notumque omnibus est illud: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam [1].

Quoniam igitur huic officio optimus quisque satisfacere, Ecclesia praeeunte, consuevit, iam ut candidatorum ad sacra numerus acerescat, in primis servari cupimus optamusque quod in iuris canonici Codice ita praescriptum est: Dent operam sacerdotes, praesertim parochi, ut pueros, qui indicia praebeant ecclesiasticae vocationis, peculiaribus curis a saeculi contagiis arceant, ad pietatem informent, primis litterarum studiis imbuant divinaeque in eis vocationis germen

foveant [2] Qui quidem, ubi maturum! tempus esse iudicaverint, suos alumnos studebunt sacro alicui Seminario tradere in disciplinam, ut in eis quod ipsi inchoaverint, rite perficiatur. Quod si huic rei tenuitas adolescentulorum fuerit impedimento, nec sacerdotes sumptus suppeditare ipsi possint, bonorum animos excitent ad succurrendum, proposita rei tum sanctitate, tum etiam incredibili utilitate.

Quo loco facere non possumus quin rogemus omnes, quicumque Ecclesiam diligunt, ut illud « Opus vocationum ecclesiasticarum » quod, pueris spei bonae et domi et apud parochos et intra Seminariorum septa sedulo adiuvandis, salubriter institutum est, omni foveant studio atque promoveant. Illud enimvero maximae Nobis est curae, modisque omnibus efficiendum est, quod decessores Nostri Leo XIII et Pius X saepius praeceperunt, ut sacra Seminaria, nisi ad eam rem, cuius causa condita sunt, ne adhibeantur, id est ad sacrorum administros, ut oportet, instituendos. Quare non modo in eis locus esse non debet pueris vel adolescentulis, qui nullam ad sacerdotium praeferant propensionem voluntatis, - horum enim consuetudo clericis mirum quantum obest - sed etiam cum pietatis exercitationes, tum ratio studiorum, tum ipsum gubernationis genus huc omnino spectant, oportet, ut ad perfunctionem! divini muneris accommodato alumnorum animi praeparentur. Haec esto Seminariorum omnium, nullo excepto, sanctissima lex; cui quidem si religiosius usque adhuc obtemperatum esset, tanta fere ubique non esset paucitas sacerdotum.

Nam hoc est in proclivi, quae non congruenter suae propriae naturae regantur Seminaria, ea suum quidem retinere nomen, re autem vera societati civili multum prodesse posse, at sacro ordini vix aliquid aut omnino nihil proficere. Iam quomodo constituta esse oporteat Seminaria ut idonea exsistant sacerdotibus educandis, qui et a pietate et a doctrina bene instructi sint, non est Nobis in animo hic explicare : dumtaxat nonnulla sunt, quae praecipue, ut maximi momenti et ponderis, cupimus, dilecte fili Noster, universos sacrorum Antistites diligenter attendere. Primum est de linguae latinae studio in litterariis clericorum ludis omni cura fovendo atque provehendo, quam linguam scientia et usu habere perceptam, non tam humanitatis et litterarum, quam religionis interest. Etenim Ecclesia, ut quae et nationes omnes complexu suo contineat, et usque ad consummationem saeculorum sit permansura, et prorsus a sui gubernatione vulgus arceat, sermonem suapte natura requirit universalem, immutabilem, non vulgarem.

Huiusmodi cum sit sermo latinus, divinitus provisum est ut is mirifico esset usui Ecclesiae docenti, idemque Christifidelibus doctioribus ex omni gente magnum ministraret vinculum unitatis; iis dando scilicet non solum unde, vel locorum intervallo disiuncti vel in unum locum congregati, facile inter se sensa mentis et consilia conferrent, sed etiam, quod maius est, unde, quae Ecclesiae matris sunt, altius cognoscerent et cum Ecclesiae capite artius cohaererent. Utraque de causa, ut cetera omittamus, liquet clerum, ante alios, latinae linguae perstudiosum esse oportere; neque enim hic laudes persequimur, quibus hoc commendatur loquendi genus, pressura, locuples, numerosum, maiestatis plenum et dignitatis quod mire dixeris comparatum ad serviendum Romani Pontificatus gloriae, ad quem ipsa Imperii sedes tamquam hereditate pervenerit.

Quod si in quopiam homine laico, qui quidem sit tinctus litteris, latinae linguae, quam dicere catholicam vere possumus, ignoratio quemdam amoris erga Ecclesiam languorem indicat, quanto magis omnes clericos, quotquot sunt, decet eiusdem linguae satis gnaros esse atque peritos! Horum profecto est latinitatem tanto tueri constantius, quanto a sapientiae catholicae adversariis qui saec. XVI Europae in una Fidei doctrina consensionem labefactarunt, acrius eam norunt oppugnatami. Quare - quod ipsum in iure canonico cautum est - [3] in litterarum ludis, ubi spes sacri ordinis adolescunt, accuratissime sermone latino volumus alumnos institui, hanc

etiam ob causam, ne deinde, cum ad maiores disciplinas accesserint, quae latine utique et tradendae et percipiendae sunt, fìat, ut prae sermonis inscitia plenam doctrinarum intelligentiam assequi non possint, nedum se exercere scholasticis illis disputationibus, quibus egregie iuvenum acuuntur ingenia ad defensionem veritatis. Ita iam non continget, quod saepius dolemus fieri, ut nostri clerici sacerdotesque, cum haud satis operae litterarum latinarum studio dederint, neglectis Patrum Doctorumque Ecclesiae copiosis voluminibus, quibus Fidei dogmata exhibentur cum dilucide proposita tum invicte defensa, idoneam sibi doctrinae copiam a recentioribus petant auctoribus, in quibus fere non modo perspicuum dicendi genus et accurata disserendi ratio solet, sed fidelis etiam dogmatum interpretatio desiderari. Quae igitur Paulus Timotheum admonuit: Formam habe sanorum verborum [4]... Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt [5], haec, si unquam alias, his praesertim temporibus valent, cum varias errorum fallacias, scientiae nomine specieque obtectas, nimis multi usque quaque venditare consueverunt. Has autem quis detegere possit ac redarguere, nisi Eidei dogmatum probe sensum teneat vimque verborum quibus solemniter sunt expressa, denique nisi ipsum, quo Ecclesia utitur, sermonem calleat?

Alterum in quo singularem Episcoporum vigilantiam requirimus, ad altiora adolescentis cleri studia pertinet. Ommino quae hac de re sunt in iure canonico providentissime statuta [6], ea sancte inviolateque observari debent, si quidem consilium est sacerdotum parare copiam, qui tantae magnitudini muneris impares non sint. Confecto igitur litterarum curriculo, ncstri alumni, ut sacrae Theologiae aptam praeparationem adhibeant, minimum biennio diligentissime in Philosophiae studio versentur. Scholasticam intelligimus Philosophiam, a sanctis Patribus Scholaeque Doctoribus quadam laborum continuatione naviter expolitam, ac denique opera et ingenio Thomae Aquinatis ad summum perfectionis gradum adductam, quam quidem decessor Noster illustris Leo XIII « Fidei propugnaculum ac veluti firmum Religionis munimentum » [7] appellare non dubitavit. Profecto ipsius Leonis magna laus est Philosophiam Christianam, excitato Doctoris Angelici amore cultuque, instaurasse: atque etiam sic iudicamus, omnium rerum, quas in diuturno Pontificatu pro Ecclesia et pro societate civili utilissime gesserit, hoc adeo fuisse caput, ut si cetera non adessent, haec una res satis esset ad tanti Pontificis nomen immortalitati commendandum. Itaque in primis sibi curae habeant magistri Philosophiae in hac disciplina clericis tradenda non solum rationem seu methodum, verum etiam doctrinam et principia sequi sancti Thomae: idque eo faciant vel studiosius, quod sciunt nullum Ecclesiae Doctorem modernistis ceterisque fidei catholicae hostibus ita esse terrori ac formidini, ut Aquinatem.

Quod autem de Philosophia dicimus, idem est de sacrae Theologiae disciplina intelligendum. Nam, ut Sixti V verbis utamur: « Huius quidem tam salutaris scientiae cognitio et exercitatio, quae ab uberrimis divinarum Litterarum, Summorum Pontificum, Sanctorum Patrum et Conci ciliorum fontibus dimanat, certe semper maximum Ecclesiae adiumentum afierre potuit, sive ad Scripturas ipsas vere et sane intelligendas et interpretandas, sive ad Patres « securius et utilius perlegendos et explicandos, sive ad varios errores et haereses detegendas et refellendas; his vero novissimis diebus, quibus iam advenerunt tempora illa periculosa ab Apostolo descripta, et homines blasphemi superbi et seductores proficiunt in peius, errantes et alios in errorem mittentes, sane catholicae Fidei dogmatibus confirmandis et haeresibus confutandis pernecessaria est » [8].

Etenim id quod efficit ut hoc disciplinae genus vim scientiae veri nominis habeat, in eoque - ut desideratissimus decessor Noster praeclare ait [9] - « plena sit, quantum per humanam rationem

licet, explicatio invictaque defensio traditae divinitus veritatis », nihil est aliud nisi Philosophia Scholastica, duce et magistro Aquinate, in usum ipsius sacrae disciplinae conversa. Hinc « apta illa et inter se nexa rerum et causarum cohaerentia, ille ordo et dispositio tamquam militum in pugnando instructio, illae dilucidae definitiones et distinctiones, illa argumentorum firma tas et acutissimae disputationes, quibus lux a tenebris, verum a falso distinguitur, haereticorum mendacia, multis praestigiis et fallaciis involuta, tamquam veste detracta, pace tefiunt et denudantur » [10].

Consequens est, non bene sacrae iuventuti consulere, qui omnem de Theologia institutionem, scholastica ratione neglecta, ad positivam methodum, ut dicitur, exigendam putent; multoque minus eos officio suo satisfacere, qui huius doctrinae magisterium non aliter exerceant, nisi ordinem seriemque dogmatum atque haeresum doctis disquisitionibus exsequendo. Illa enim positiva methodus necessario quidem scholasticae adiungenda est, sed sola non sufficit ; cum bene comparari nostros oporteat ad Fidei veritatem non modo convincendam, sed illustrandam etiam ac defendendam; Fidei autem dogmata contrariosque errores ex ordine temporum recensere, ecclesiasticae quidem historiae est, non vero munus Theologiae.

Tertio loco, quod ad clericorum studia pertinet, qui, pro conscientia officii, ea moderetur, non is profecto praescriptiones iuris canonici negliget de Theologia pastorali [11] imo plurimum tribuet huic disciplinae, qua quidem proxime animarum quaeritur salus. Nec vero dumtaxat, quam sancte sint divina tractanda, praecipiet ; sed praeterea quemadmodum sint maiore semper cum fructu hominibus applicanda. In quo ei erit temporum habenda ratio diligentissime. Multa enim in populi christiani mores rerum cursus induxit, patrum nostrorum inaudita temjporibus : quae pernovisse hodie sacerdotem! oportet, ut nova novis remedia malis in Iesu Christi virtute reperiat, et salutarem Religionis vim in omnes venas afferat humanae societatis, Denique scito, dilecte Fili Noster, admodum cordi Nobis illud esse quod pariter in iuris canonici Codice statuitur: Si constitui Seminarium 'dioecesanum nequeat, aut in constituto Seminario conveniens institutio, praesertim in philosophicis ac theologicis disciplinis, desideretur, Episcopus alumnos in alienum Seminarium mittat, nisi Seminarium interdioecesanum vel regionale, auctoritate apostolica, constitutum fuerit [12].

In quo quidem optandum est ut Episcopi, quorum id refert, Apostolicae Sedis providentiam aestiment eique libentibus animis suffragentur. Quam multi enim sunt, qui vel moderatorum praeceptorumque inopia, vel fortunarum angustiis, vel alia de causa nequeunt adolescentes clericos, si quos habent maioribus studiis maturos, apud se curare, ut dignum est, instituendos? Iis igitur, ut possent permagno sui muneris officio fungi, opportune haec Apostolica Sedes opitulata est, conditis, maxime per Italiam, in singularum regionum commodum, nonnullis Seminariis, iisque praesidum doctorumque nobilitate florentibus, unde sacerdotes exsisterent ad omne opus bonum instructi, paratique se devovere totos Dei gloriae animarumque saluti. Nos equidem id instituti genus, in quo sapientia aeque ac munificentia decessorum Nostrorum Pii X et Benedicti XV spectata est, cum sartum et tectum conservare volumus, tum etiam, quantum est in Nobis, omni ope in maius provehere. - At vero par est et consentaneum, sacrorum quoque Antistites, qui eius sint regionis, cuius gratia Seminarium huiusmodi sit excitatum, debere omnes eidem pro virili parte prospicere. Quos quidem rogamus, ne inviti id faciant, quod non solum comimainis ab eis, sed propriae etiam ipsorum utilitatis ratio postulat. Etenim si reputaverint - quod res est - suam cuiusque causam hic agi, et Seminarium interdioecesanum vel regionale suarum cuique dioecesium Seminarii maioris instar esse, in quo ipsi eadem iura eademque officia singuli habeant, nihil sane, quod intelligant a se in eius bonum conferri posse, unquam recusabunt.

Haec habuimus, dilecte Fili Noster, ad te de clericorum institutione scribere. Iam istius, cui praees, Urbani Consilii erit curare, ut tum in sacris Seminariis Collegiisque clericorum, tum in magnis Lyceis et facultatibus seu doctorum ordinibus, quicumque eidem Consilio subiecti sunt, ea diligenter ubique ad effectum adducantur. Eadem ipsa igitur, ex auctoritate Nostra, omnibus, quorum interest, tu significatos. Deprecante autem Virgine beatissima, Eius Matre qui est Sacerdos in aeternum, confidimus rem magno cum emolumento sacri ordinis, Dei miserentis gratia, successuram. Auspicem interea divinorum munerum ac peculiaris Nostrae benevolentiae testem; apostolicam benedictionem tibi, dilecte Fili Noster, amantissime impertimus. Datum Romae apud Sanctum Petrum die i mensis augusti, anno MCMXXII, Pontificatus Nostri primo. PIUS PP. XI

14

Prior = Officiorum omnium , post = Veterum sapientia

14. LATINARUM LITTERARUM PIUS PP. XI MOTU PROPRIO. DE PECULIARI LITTERARUM LATINARUM SCHOLA

Pius PP. XI Motu Proprio. Latinarum Litterarum De Peculiari Litterarum Latinarum Schola In Athenaeo Gregoriano Constituenda. Latinarum litterarum quae quantaque sit dignitas ac praestantia, nulli obscurum putamus, qui antiqua earum monunumenta non ignoret atque in humanitatis optimarumque artium studiis aliquem sensum habeat. Romani enim scriptores - quos perperam dixeris, exscribendo imitando que, meros Graecorum pedisequos fuisse, cum horum, contra, sapientiam atque inventa ad patrium accommodaverint ingenium suaque ipsorum industria elaboraverint - tali commentaria et volumina sua rerum sententiarumque gravitate ornavere, eamque in amplo apteque composito verborum circuitu praeferunt maiestatem cum concinnitate elegantiaque coniunctam, ut latinam linguam, quae, in omnes gentes pervagatissima, Imperii universitati servierat, Romanus Pontificatus delegent habueritque dignam, qua tamquam magnifica caelestis doctrinae sanctissimarumque legum veste uteretur. Nec facile quisquam infitiabitur, complures e Patribus, Doctoribus et christianae fidei defensoribus latine ita scripsisse, ut optimis ethnicorum non multum vi ac venustate orationis cedere videantur, idque praeterea Ecclesiae esse honori tribuendum, quod non modo vetustissimos latinos codices iniuriae temporis eripuit incolumesque posteritati servavit, sed etiam quod, hac latinitatis laude si qui saeculorum decursu floruerunt, ii plerumque aut in utroque clero numerabantur aut Urbis plausum ac praemia assecuti sunt. E qua quidem operosae artis quasi palaestra alium percipi licere fructum, eundemque sane laetissimum, est apud intellegentes communiter receptum: scilicet, quo plus studii laborisque in latinas insumitur litteras, eo maiorem inde efficientiam aptioremque verborum structuram ad usum patrii sermonis traduci. Quo in genere memoriae proditum est, Iacobum Bossuet et Paulum Segneri, qui inter oratores suae quisque gentis principem locum obtinent, solitos fuisse dicere, si quid dignitatis ac virtutis in suis orationibus esset, id se in primis Marci Tullii studio acceptum referre.

Cum igitur non tam humani civilisque cultus quam religionis ipsius Ecclesiaeque catholicae interesset, latini sermonis plenissimam in clero scientiam provehi ac propagari, eandemque non praeceptis et arte circumscriptam, sed etiam ad usum exercitationemque polite ornateque scribendi translatam, nihil mirum si decessores Nostri, nunquam, pro rerum temporumque condicione, sibi temperaverunt, quin latinitatis rationibus prospicerent: quod eo studiosius

egerunt, quo deteriorem in statum latinae litterae decidissent. Quem quidem suum purioris latinitatis amorem iidem Romani Pontifices vel hoc ipso ostendere visi sunt, quod, quotiescumque sibi licuit - atque non uni quidem eorum licuit - adiutoribus usi sunt latinae scriptionis haud mediocriter peritis. Commemorare autem vix refert, cum in re versemur notissima, quam impense imm. mem. decessor Noster Leo XIII litterarum disciplinam, praesertim latinarum, in clericis provehere studuerit. Ad Nos vero quod attinet, quae hac in re esset mens Nostra, haud semel - datis videlicet Epistolis Apostolicis Officiorum omnium et Unigenitus Dei Filius, altera die i mensis augusti anno MDCCCCXXII, altera XIX mensis martii hoc anno - aperte significavimus: sive enim de Seminariis et de studiis clericorum promovendis, sive de alumnis Ordinum regularium aliarumque Sodalitatum religiosarum rite instituendis loquebantur, non tam peremptorium, ut aiunt, Codicis praescriptum invocavimus, quam, addita argumentorum copia, velle Nos diximus, praecipuaque quadam voluntate, ut linguam latinam uterque clerus haberet scientia et usu perceptam. Qua in re etsi non dubitamus quin adfutura Nobis sit moderatorum diligentia, in quos cura et periculum recidit aptae suorum institutionis, in spem sacri ordinis succrescentium, nullum tamen non experiri consilium volumus, ut laus illa, quae antehac in utroque clero eluxit, perfectioris latinitatis, ne omnino depereat, immo etiam, quoad fieri poterit, feliciter augescat. Consentaneum enim est, ut Romanae Curiae, Cancellariis episcopalibus, religiosis Sodalitatibus adiutores seu officiales non desint, qui in decretis sententiisque conficiendis, in epistolarum, quod vocant, commercio, tam decore latinum tractent sermonem, ut eorum scripta Ecclesiam, optimarum artium altricem, nullo pacto dedeceant.

Itaque haec, quae sequuntur, Motu proprio, apostolica Nostra auctoritate decernimus:

I. Apud Athenaeum Gregorianum, Societati Iesu iterum centesimo ante anno ab Apostolica Sede concreditum, a proximo mense peculiaris esto Schola litteris latinis tradendis.

II . Quemcumque Societatis vel Athenaei moderatores ad tale munus, de Nostro consensu, delegerint, is sibi religiose proponat, ut auditores, seu praestantissimorum latinitatis exemplarium commentatione, seu crebris latine scribendi exercitationibus, ad exquisitiorem orationis formam excolat atque evehat.

III. Eiusmodi litterarum latinarum curriculum, in praesens atque interim, biennio contineatur. Auditoribus, qui, post completum biennium, se, periculo facto, delectis iudicibus probaverint, testimonium, seu diploma, curriculi egregie peracti tradatur. Quod quidem testimonium, seu diploma, quicumque impetrarint, iidem in certaminibus ad quaevis officia apud Sacras Congregationes, Curias dioecesanas et Seminariorum ludos consequenda propositis, ceteris paribus, praeferantur.

IV. Qui, dato post biennium latinae scriptionis experimento, non modo reliquis condiscipulis praestiterit, sed iudicibus peculiari dignus praemio communiter visus erit, eundem nomismate aureo donabimus.

V. Schola omnibus pateat, ne laicis quidem hominibus exceptis. Eandem celebrari cupimus ab iis etiam Seminariorum religiosarumque Sodalitatum alumnis, qui aut domi aut apud alia Athenaea docentur, immo - quod certe emolumento vacuum non foret - vel a sacerdotibus iunioribus, qui Romanae Curiae operam suam navant. Episcopi autem Italiae atque exterarum gentium rem dioecesibus suis utilissimam Nobisque pergratam facturi sunt, si quos habent clericos heic disciplinis sacris imbuendos, eorum aliquem, prae ceteris ad latinitatis studia propensum, Scholam propediem aperiendam frequentare iusserint.

Quae quidem supra constituimus, ea rata firmaque sunto, contrariis quibuslibet non obstantibus. Interea, Dei praesidio in primis, praetereaque operae dilectorum filiorum Praepositi Generalis Societatis Iesu et Athenaei Gregoriani moderatorum, quorum erga Nos pietas atque observantia est Nobis exploratissima et probata alias haud semel voluntas rerumque agendarum sollertia, ut res ita bene vertat quemadmodum velimus, vehementer confidimus. Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XX mensis octobris anno MCMXXIV, Pontificatus Nostri tertio. PIUS PP. XI

15

Prior =Latinarum litterarum, post = Humani generis litterae

15. VETERUM SAPIENTIA CONSTITUTIO APOSTOLICA DE LATINITATIS STUDIO PROVEHENDO IOANNES PP. XXIII

Veterum Sapientia, in Graecorum Romanorumque inclusa litteris, itemque clarissima antiquorum populorum monumenta doctrinae, quasi quaedam praenuntia aurora sunt habenda evangelicae veritatis, quam Filius Dei, gratiae disciplinaeque arbiter et magister, illuminator ac deductor generis humani (1), his nuntiavit in terris. Ecclesiae enim Patres et Doctores, in praestantissimis vetustorum illorum temporum memoriis quandam agnoverunt animorum praeparationem ad supernas suscipiendas divitias, quas Christus Iesus in dispensatione plenitudinis temporum (2) cum mortalibus communicavit; ex quo illud factum esse patet, ut in ordine rerum christianarum instaurato nihil sane perierit, quod verum, et iustum, et nobile, denique pulchrum ante acta saecula peperissent.

2. Quam ob rem Ecclesia sancta eius modi sapientiae documenta, et in primis Graecam Latinamque linguas, sapientiae ipsius auream quasi vestem, summo quidem honore coluit: atque etiam venerandos sermones alios, qui in orientis plagis floruerunt, quippe cum ad humani generis profectum et ad mores conformandos haud parum valerent, in usum recepit; iidemque sive in religiosis caerimoniis sive in Sacrarum Scripturarum interpretatione adhibiti, usque ad praesens tempus in quibusdam regionibus, perinde ac vivacis antiquitatis numquam intermissae voces, viguerunt.

3. Quarum in varietate linguarum ea profecto eminet, quae primum in Latii finibus exorta, deinde postea mirum quantum ad christianum nomen in occidentis regiones disseminandum profecit. Siquidem non sine divino consilio illud evenit, ut qui sermo amplissimam gentium consortionem sub Romani Imperii auctoritate saecula plurima sociavisset, is et proprius Apostolicae Sedis evaderet (3) et, posteritati servatus, christianos Europae populos alios cum aliis arto unitatis vinculo coniungeret.

Suae enim sponte naturae lingua Latina ad provehendum apud populos quoslibet omnem humanitatis cultum est peraccommodata: cum invidiam non commoveat, singulis gentibus se aequabilem praestet, nullius partibus faveat, omnibus postremo sit grata et amica. Neque hoc neglegatur oportet, in sermone Latino nobilem inesse conformationem et proprietatem; siquidem loquendi genus pressum, locuples, numerosum, maiestatis plenum et dignitatis (4) habet, quod unice et perspicuitati conducit et gravitati.

4. His de causis Apostolica Sedes nullo non tempore linguam Latinam studiose asservandam curavit eamque dignam existimavit qua tamquam magnifica caelestis doctrinae

sanctissimarumque legum veste (5) uteretur ipsa in sui exercitatione magisterii, eademque uterentur sacrorum administri. Hi namque ecclesiastici viri, ubicumque sunt gentium, Romanorum sermone adhibito, quae sunt Sanctae Sedis promptius comperire possunt, atque cum ipsa et inter se expeditius habere commercium.

Eam igitur, adeo cum vita Ecclesiae conexam, scientia et usu habere perceptam, non tam humanitatis et litterarum, quam religionis interest (6), quemadmodum Decessor Noster imm. mem. Pius XI monuit, qui, rem ratione et via persecutus, tres demonstravit huius linguae dotes, cum Ecclesiae natura mire congruentes: Etenim Ecclesia, ut quae et nationes omnes complexu suo contineat, et usque ad consummationem saeculorum sit permansura..., sermonem suapte natura requirit universalem, immutabilem, non vulgarem (7).

5. Nam cum ad Ecclesiam Romanam necesse sit omnem convenire ecclesiam (8), cumque Summi Pontifices potestatem habeant vere episcopalem, ordinariam et immediatam tum in omnes et singulas Ecclesias, tum in omnes et singulos pastores et fideles (9) cuiusvis ritus, cuiusvis gentis, cuiusvis linguae, consentaneum omnino videtur ut mutui commercii instrumentum universale sit et aequabile, maxime inter Apostolicam Sedem et Ecclesias, quae eodem ritu Latino utuntur. Itaque tum Romani Pontifices, si quid catholicas gentes docere volunt, tum Romanae Curiae Consilia, si qua negotia expediunt, si qua decreta conficiunt, ad universitatem fidelium spectantia, semper linguam Latinam haud secus usurpant, ac si materna vox ab innumeris gentibus accepta ea sit.

6. Neque solum universalis, sed etiam immutabilis lingua ab Ecclesia adhibita sit oportet. Si enim catholicae Ecclesiae veritates traderentur vel nonnullis vel multis ex mutabilibus linguis recentioribus, quarum nulla ceteris auctoritate praestaret, sane ex eo consequeretur, ut hinc earum vis neque satis significanter neque satis dilucide, qua varietate eae sunt, omnibus pateret; ut illinc nulla communis stabilisque norma haberetur, ad quam ceterarum sensus esset expendendus. Re quidem ipsa, lingua Latina, iamdiu adversus varietates tuta, quas cotidiana populi consuetudo in vocabulorum notionem inducere solet, fixa quidem censenda est et immobilis; cum novae quorundam verborum Latinorum significationes, quas christianarum doctrinarum progressio, explanatio, defensio postulaverunt, iamdudum firmae eae sint rataeque.

7. Cum denique catholica Ecclesia, utpote a Christo Domino condita, inter omnes humanas societates longe dignitate praestet, profecto decet eam lingua uti non vulgari, sed nobilitatis et maiestatis plena.

8. Praetereaque lingua Latina, quam dicere catholicam vere possumus (10), utpote quae sit Apostolicae Sedis, omnium Ecclesiarum matris et magistrae, perpetuo usu consecrata, putanda est et thesaurus ... incomparandae praestantiae (11), et quaedam quasi ianua, qua aditus omnibus patet ad ipsas christianas veritates antiquitus acceptas et ecclesiasticae doctrinae monumenta interpretanda (12); et vinculum denique peridoneum, quo praesens Ecclesiae aetas cum superioribus cumque futuris mirifice continetur.

9. Neque vero cuique in dubio esse potest, quin sive Romanorum sermoni sive honestis litteris ea vis insit, quae ad tenera adulescentium ingenia erudienda et conformanda perquam apposita ducatur, quippe qua tum praecipuae mentis animique facultates exerceantur, maturescant, perficiantur; tum mentis sollertia acuatur iudicandique potestas; tum puerilis intellegentia aptius constituatur ad omnia recte complectenda et aestimanda; tum postremo summa ratione sive cogitare sive loqui discatur.

10. Quibus ex reputatis rebus sane intellegitur cur saepe et multum Romani Pontifices non solum linguae Latinae momentum praestantiamque in tanta laude posuerint, sed etiam studium et usum sacris utriusque cleri administris praeceperint, periculis denuntiatis ex eius neglegentia manantibus.

Iisdem igitur adducti causis gravissimis, quibus Decessores Nostri et Synodi Provinciales (13), Nos quoque firma voluntate enitimur, ut huius linguae, in suam dignitatem restitutae, studium cultusque etiam atque etiam provehatur. Cum enim nostris temporibus sermonis Romani usus multis locis in controversiam coeptus sit vocari, atque adeo plurimi quid Apostolica Sedes hac de re sentiat exquirant, in animum propterea induximus, opportunis normis gravi hoc documento editis, cavere ut vetus et numquam intermissa linguae Latinae retineatur consuetudo, et, sicubi prope exoleverit, plane redintegretur.

Ceterum qui sit Nobismetipsis hac de re sensus, satis aperte, ut Nobis videtur, declaravimus, cum haec verba ad claros Latinitatis studiosos fecimus: Pro dolor, sunt sat multi, qui mira progressione artium abnormiter capti, Latinitatis studia et alias id genus disciplinas repellere vel coërcere sibi sumant... Hac ipsa impellente necessitate, contrarium prosequendum iter esse putamus. Cum prorsus in animo id insideat, quod magis natura et dignitate hominis dignum sit, ardentius acquirendum est id, quod animum colat et ornet, ne miseri mortales similiter ac eae, quas fabricantur, machinae, algidi, duri et amoris expertes exsistant (14).

11. Quibus perspectis atque cogitate perpensis rebus, certa Nostri muneris conscientia et auctoritate haec, quae sequuntur, statuimus atque praecipimus.

§ 1. Sacrorum Antistites et Ordinum Religiosorum Summi Magistri parem dent operam, ut vel in suis Seminariis vel in suis Scholis, in quibus adulescentes ad sacerdotium instituantur hac in re Apostolicae Sedis voluntati studiose obsequantur omnes, et hisce Nostris praescriptionibus diligentissime pareant.

§ 2. Paterna iidem sollicitudine caveant, ne qui e sua dicione, novarum rerum studiosi, contra linguam Latinam sive in altioribus sacris disciplinis tradendis sive in sacris habendis ritibus usurpandam scribant, neve praeiudicata opinione Apostolicae Sedis voluntatem hac in re extenuent vel perperam interpretentur.

§ 3. Quemadmodum sive Codicis Iuris Canonici (can. 1364) sive Decessorum Nostrorum praeceptis statuitur, sacrorum alumni, antequam studia proprie ecclesiastica inchoent, a peritissimis magistris apta via ac ratione congruoque temporis spatio lingua Latina accuratissime imbuantur, hanc etiam ob causam, ne deinde, cum ad maiores disciplinas accesserint... fiat ut prae sermonis inscitia plenam doctrinarum intellegentiam assequi non possint, nedum se exercere scholasticis illis disputationibus, quibus egregie iuvenum acuuntur ingenia ad defensionem veritatis (15). Quod ad eos quoque pertinere volumus,qui natu maiores ad sacra capessenda munia divinitus vocati, humanitatis studiis vel nullam vel nimis tenuem tradiderunt operam. Nemini enim faciendus est aditus ad philosophicas vel theologicas disciplinas tractandas, nisi plane perfecteque hac lingua eruditus sit, eiusque sit usu praeditus.

§ 4. Sicubi autem, ob assimulatam studiorum rationem in publicis civitatis scholis obtinentem, de linguae Latinae cultu aliquatenus detractum sit, cum germanae firmaeque doctrinae detrimento, ibi tralaticium huius linguae tradendae ordinem redintegrari omnino censemus; cum persuasum cuique esse debeat, hac etiam in re, sacrorum alumnorum institutionis rationem religiose esse tuendam, non tantum ad disciplinarum numerum et genera, sed etiam ad earum docendarum temporis spatia quod attinet. Quodsi, vel temporum vel locorum postulante cursu, ex necessitate

aliae sint ad communes adiciendae disciplinae, tunc ea de causa aut studiorum porrigatur curriculum, aut disciplinae eaedem in breve cogantur, aut denique earum studium ad aliud reiciatur tempus.

§ 5. Maiores sacraeque disciplinae, quemadmodum est saepius praescriptum, tradendae sunt lingua Latina; quae ut plurium saeculorum usu cognitum habemus, aptissima existimatur ad difficillimas subtilissimasque rerum formas et notiones valde commode et perspicue explicandas (16); cum superquam quod propriis ea certisque vocabulis iampridem aucta sit, ad integritatem catholicae fidei tuendam accommodatis, etiam ad inanem loquacitatem recidendam sit non mediocriter habilis. Quocirca qui sive in maximis Athenaeis, sive in Seminariis has profitentur disciplinas, et Latine loqui tenentur, et libros, scholarum usui destinatos, lingua Latina scriptos adhibere. Qui si ad hisce Sanctae Sedis praescriptionibus parendum, prae linguae Latinae ignoratione, expediti ipsi non sint, in eorum locum doctores ad hoc idonei gradatim sufficiantur. Difficultates vero, si quae vel ab alumnis vel a professoribus afferantur, hinc Antistitum et Moderatorum constantia, hinc bono doctorum animo eae vincantur necesse est.

§ 6. Quoniam lingua Latina est lingua Ecclesiae viva, ad cotidie succrescentes sermonis necessitates comparanda, atque adeo novis iisque aptis et congruis ditanda vocabulis, ratione quidem aequabili, universali et cum veteris linguae Latinae ingenio consentanea - quam scilicet rationem et Sancti Patres et optimi scriptores, quos scholasticos vocant, secuti sunt - mandamus propterea S. Consilio Seminariis Studiorumque Universitatibus praeposito, ut Academicum Latinitatis Institutum condendum curet. Huic Instituto, in quo corpus Doctorum confletur oportet, linguis Latina et Graeca peritorum, ex variisque terrarum orbis partibus arcessitorum, illud praecipue erit propositum, ut - haud secus atque singularum civitatum Academiae, suae cuiusque nationis linguae provehendae constitutae - simul prospiciat congruenti linguae Latinae progressioni, lexico Latino, si opus sit, additis verbis cum eius indole et colore proprio convenientibus; simul scholas habeat de universa cuiusvis aetatis Latinitate, cum primis de christiana. In quibus scholis ad pleniorem linguae Latinae scientiam, ad eius usum, ad genus scribendi proprium et elegans ii informabuntur, qui vel ad linguam Latinam in Seminariis et Collegiis ecclesiasticis docendam, vel ad decreta et iudicia scribenda, vel ad epistolarum commercium exercendum in Consiliis Sanctae Sedis, in Curiis dioecesium, in Officiis Religiosorum Ordinum destinantur.

§ 7. Cum autem lingua Latina sit cum Graeca quam maxime coniuncta et suae conformatione naturae et scriptorum pondere antiquitus traditorum, ad eam idcirco, ut saepe numero Decessores Nostri praeceperunt, necesse est qui futuri sunt sacrorum administri iam ab inferioris et medii ordinis scholis instituantur; ut nempe, cum altioribus disciplinis operam dabunt, ac praesertim sit aut de Sacris Scripturis aut de sacra theologia academicos gradus appetent, sit ipsis facultas, non modo fontes Graecos philosophiae scholasticae, quam appellant, sed ipsos Sacrarum Scripturarum, Liturgiae, Ss. Patrum Graecorum primiformes codices adeundi probeque intellegendi(17).

§ 8. Eidem praeterea Sacro Consilio mandamus, ut linguae Latinae docendae rationem, ab omnibus diligentissime servandam, paret, quam qui sequantur eiusdem sermonis iustam cognitionem et usum capiant. Huismodi rationem, si res postulaverit, poterunt quidem Ordinariorum coetus aliter digerere, sed eius numquam immutare vel minuere naturam. Verumtamen iidem Ordinarii consilia sua, nisi fuerint a Sacra Congregatione cognita et probata, ne sibi sumant efficere.

12. Extremum quae hac Nostra Constitutione statuimus, decrevimus, ediximus, mandavimus, rata ea omnia et firma consistere et permanere auctoritate Nostra Apostolica volumus et iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus, etiam peculiari mentione dignis. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXII mensis Februarii, Cathedrae S. Petri Ap. sacro, anno MDCCCCLXII, Pontificatus Nostri quarto. Ioannes PP XXIII

16

Prior = Veterum sapiential, post = De viris illustribus

16. HUMANI GENERIS LITTERAE ENCYCLICAE PIUS PP. XII

Humani generis in rebus religiosis ac moralibus discordia et aberratio a veritate probis omnibus, imprimisque fide libus sincerisque Ecclesiae filiis, vehementissimi doloris fons et causa semper fuere, praesertim vero hodie, cum ipsa culturae christianae principia undique offensa cernimus.

Haud mirum quidem est huiusmodi discordiam et aberrationem extra ovile Christi semper viguisse. Nam licet humana ratio, simpliciter loquendo, veram et certam cognitionem unius Dei personalis, mundum providentia sua tuentis ac gubernantis, necnon naturalis legis a Creatore nostris animis inditae, suis naturalibus viribus ac lumine assequi revera possit, nihilominus non pauca obstant quominus eadem ratio hac sua nativa facul tate efficaciter fructuoseque utatur. Quae enim ad Deum pertinent et ad rationes spectant, quae inter homines Deumque intercedunt, veritates sunt rerum sensibilium ordinem omnino transcendentes, quae, cum in vitae actionem inducuntur eamque informant, sui devotionem suique abnegationem postulant. Humanus autem intellectus in talibus veritatibus acquirendis difficultate laborat tum ob sensuum imaginationisque impulsum, tum ob pravas cupiditates ex peccato originali ortas. Quo fit ut homines in rebus huiusmodi libenter sibi suadeant esse falsa vel saltem dubia, quae ipsi nolint esse vera.

Quapropter divina « revelatio » moraliter necessaria dicenda est, ut ea, quae in rebus religionis et morum rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque humani generis condicione, ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint (Conc. Vat. D. B. 1876, Const. De Fide cath. cap. 2, De revelatione).

Quin immo mens humana difficultates interdum pati potest etiam in certo iudicio « credibilitatis » efformando circa catholicam fidem, quamvis tam multa ac mira signa externa divinitus disposita sint quibus vel solo naturali rationis lumine divina christianae religionis origo certo probari possit. Homo enim sive praeiudicatis ductus opinionibus, sive cupidinibus ac mala voluntate instigatus, non modo externorum signorum evidentiae, quae prostat, sed etiam supernis afflatibus, quos Deus in animos ingerit nostros, renuere ac resistere potest.

Cuicumque eos circumspicienti, qui extra ovile Christi sunt, haud difficulter patebunt praecipuae quas viri docti non pauci ingressi sunt viae. Etenim sunt qui evolutionis, ut aiunt, systema, nondum invicte probatum in ipso disciplinarum naturalium ambitu, absque prudentia ac discretione admissum ad omnium rerum originem pertinere contendant, atque audacter indulgeant opinationi monisticae ac pantheisticae mundi universi continuae evolutioni obnoxii. Qua quidem opinatione fautores communismi libenter fruuntur ut suum « materialismum dialecticum » efficacius propugnent et evehant, omni notione theistica ex animis avulsa.

Huiusmodi evolutionis commenta, quibus omne, quod absolutum, firmum, immutabile est, repudiatur, viam straverunt novae aberranti philosophiae, quae cum « idealismo », « immanentismo » ac « pragmatismo » contendens « exsistentialismi » nomen nacta est, utpote quae, immutabilibus rerum es sentiis posthabitis, de singulorum « exsistentia » tantum sollicita sit.

Accedit falsus quidam « historicismus », qui solis humanae vitae eventibus inhaerens, cuiusvis veritatis legisque absolutae fundamenta subvertit, cum ad res philosophicas tum ad christiana etiam dogmata quod attinet.

In hac tanta opinionum confusione aliquid solaminis Nobis affert eos cernere, qui a « rationalismi » placitis, quibus olim in stituti erant, hodie non raro ad veritatis divinitus patefactae haustus redire cupiunt, ac verbum Dei in Sacra Scriptura asser vatum agnoscere ac profiteri, utpote disciplinae sacrae fundamentum. At simul dolendum est haud paucos istorum, quo firmius verbo Dei adhaereant, eo magis humanam rationem adimere, et quo libentius Dei revelantis auctoritatem extollant, eo acrius Ecclesiae Magisterium aspernari, a Christo Domino institutum, ut veritates divinitus revelatas custodiat atque interpretetur. Quod quidem non solum Sacris Litteris aperte contradicit, sed ex ipsa rerum experientia falsum manifestatur. Saepe enim ipsi a vera Ecclesia dissidentes de sua ipsorum in rebus dogmaticis discordia palam conqueruntur, ita ut Magisterii vivi necessitatem fateantur inviti.

Iamvero theologis ac pholosophis catholicis, quibus grave incumbit munus divinam humanamque veritatem tuendi animis que inserendi hominum, has opinationes plus minusve e recto itinere aberrantes neque ignorare neque neglegere licet. Quin immo ipsi easdem opinationes perspectas habeant oportet, tum quia morbi non apte curantur nisi rite praecogniti fuerint, tum quia nonnumquam in falsis ipsis commentis aliquid veritatis latet, tum denique quia eadem animum provocant ad quasdam veritates, sive philosophicas sive theologicas, sollertius perscrutandas ac perpendendas.

Quodsi philosophi ac theologi nostri ex hisce doctrinis, caute perspectis, tantummodo huiuscemodi fructum colligere eniterentur, nulla adesset ratio cur Ecclesiae Magisterium interloqueretur. Attamen, quamvis Nobis compertum sit catholicos doctores ab illis erroribus generatim cavere, constat tamen non deesse hodie, quemadmodum apostolicis temporibus, qui rebus novis plus aequo studentes, ac vel etiam metuentes ne earum rerum, quas progredientis aetatis scientia invexerit, ignari habeantur, sacri Magisterii moderationi se subducere contendant ideoque in eo versentur periculo ne sensim sine sensu ab ipsa veritate divinitus revelata discedant aliosque secum in errorem inducant.

Immo et aliud obversatur periculum idque eo gravius, quo virtutis est specie magis obtectum. Plures enim sunt, qui humani generis discordiam ac mentium confusionem deplorantes, imprudenti animorum studio permoti, impetu quodam moventur atque impenso desiderio flagrant infringendi saepta, quibus probi honestique viri invicem disiunguntur, « irenismum » talem amplectentes ut, quaestionibus missis quae homines separant, non modo respiciant ad irruentem atheismum communibus viribus propulsandum, sed etiam ad opposita in rebus quoque dogmaticis reconcilianda. Et quemadmodum olim fuerunt, qui rogarent num translaticia Ecclesiae apologetica ratio obstaculum constitueret potius quam auxilium ad animos Christo lucrandos, ita hodie non desunt qui eo usque procedere audeant ut serio quaestionem moveant num theologia eiusque methodus, quales in scholis ecclesiastica approbante auctoritate vigent, non modo perficiendae, verum etiam omnino reformandae sint, ut regnum Christi quocumque terrarum, inter homines cuiusvis culturae vel cuiusvis opinionis religiosae efficacius propagetur.

Quodsi iidem ad nihil aliud intenderent quam ad disciplinam ecclesiasticam eiusque methodum hodiernis condicionibus ac necessitatibus, nova quadam inducta ratione, aptius accommodandas, nulla fere esset causa timendi; at vero imprudenti aestuantes « irenismo », nonnulli veluti obices ad fraternam unitatem restaurandam ea putare videntur, quae ipsis legibus ac principiis a Christo datis innituntur itemque institutis ab eo conditis, vel quae munimina ac fulcimina exstant integritatis fidei, quibus collapsis, omnia uniuntur quidem, sed solummodo in ruinam.

Novae huiusmodi opiniones, sive improbando novitatis desiderio, sive laudabili causa moveantur, non semper eodem gradu, eadem claritate iisdemque terminis proponuntur, nec semper unanimo auctorum consensu; quae enim hodie a quibusdam, cautelis nonnullis ac distinctionibus adhibitis, magis tecte docentur, cras ab aliis audacioribus palam atque immoderate proponentur, non sine multorum offensione, praesertim iunioris cleri, nec sine ecclesiasticae auctoritatis detrimento. Quodsi cautius agi solet in libris publice editis, iam liberius disseritur in libellis privatim communicatis et in acroasibus coetibusque. Nec tantum inter sodales utriusque cleri et in sacris seminariis institutis que religiosis tales opiniones divulgantur, sed etiam inter laicos, inter eos praesertim, qui iuvent uti instituendae operam navant.

Quod autem ad theologiam spectat, quorumdam consilium est dogmatum significationem quam maxime extenuare; ipsum que dogma a loquendi ratione in Ecclesia iamdiu recepta et a philosophicis notionibus penes catholicos doctores vigentibus liberare, ut in catholica exponenda doctrina ad Sacrae Scripturae sanctorumque Patrum dicendi modum redeatur. Spem ipsi fovent fore ut dogma elementis denudatum, quae extrinsecus a divina revelatione esse dicunt, fructuose comparetur cum eorum opinionibus dogmaticis, qui ab Ecclesiae unitate seiuncti sint, utque hac via pedetemptim perveniatur ad assimilanda sibi invicem dogma catholicum et placita dissidentium.

Accedit quod, catholica doctrina ad hanc redacta condicionem, viam sterni autumant, qua, hodiernis necessitatibus satis faciendo, hodiernae etiam philosophiae notionibus dogma exprimi possit, sive « immanentismi » sive « idealismi » sive « exsistentialismi » aliusve systematis. Quod idcirco etiam fieri posse ac debere audaciores quidam affirmant, quia fidei mysteria numquam notionibus adaequate veris significari posse contendunt, sed tantum notionibus « approximativis », ut aiunt, ac semper mutabilibus, quibus veritas aliquatenus quidem indicetur, sed necessario quoque deformetur. Quapropter non absurdum esse putant, sed necesse omnino esse ut theologia pro variis philosophiis, quibus decursu temporum tamquam suis utitur instrumentis, novas antiquis substituat notiones, ita ut diversis quidem modis, ac vel etiam aliqua ratione oppositis, idem tamen, ut aiunt, valentibus, easdem divinas veritates humanitus reddat. Addunt etiam historiam dogmatum consistere in reddendis variis sibique succedentibus formis, quas veritas revelata induerit, secundum diversas doctrinas et opinationes quae saeculorum decursu ortae fuerint.

Patet autem ex iis, quae diximus, huiusmodi molimina non tantum ducere ad « relativismum » dogmaticum, quem vocant, sed illum iam reapse continere; cui quidem despectus doctrinae communiter traditae eorumque vocabulorum, quibus eadem significatur, satis superque favet. Nemo sane est qui non videat huiusmodi notionum vocabula cum in scholis tum ab ipsius Ecclesiae Magisterio adhibita, perfici et perpoliri posse; ac notum praeterea est Ecclesiarn in iisdem vocibus adhibendis non semper constantem fuisse. Liquet etiam Ecclesiam non cuilibet systemati philosophico, brevi temporis spatio vigenti, devinciri posse : sed ea quae communi consensu a catholicis doctoribus composita per plura saecula fuere ad aliquam dogmatis intellegentiam attingendam, tam caduco fundamento procul dubio non nituntur. Nituntur enim principiis ac notionibus ex vera rerum creatarum cognitione deductis; in quibus quidem

deducendis cognitionibus humanae menti veritas divinitus revelata quasi stella, per Ecclesiam illuxit. Quare mirum non est aliquas huiusmodi notiones a Conciliis Oecumenicis non solum adhibitas, sed etiam sancitas esse, ita ut ab eis discedere nefas sit.

Quapropter neglegere, vel reicere, vel suo valore privare tot ac tanta, quae pluries saeculari labore a viris non communis ingenii ac sanctitatis, invigilante sacro Magisterio, nec sine Sancti Spiritus lumine et ductu, ad accuratius in dies fidei veritates exprimendas mente concepta, expressa ac perpolita sunt, ut eorumdem in locum coniecturales notiones sufficiantur ac quaedam fluxae ac vagae novae philosophiae dictiones, quae ut flos agri hodie sunt et cras decident, non modo summa est imprudentia, verum etiam ipsum dogma facit quasi arundinem vento agitatam. Despectus autem vocabulorum ac notionum quibus theologi scholastici uti solent, sponte ducit ad enervandam theologiam, ut aiunt speculativam, quam, cum, ratione theologica innitatur, vera certitudine carere existimant.

Utique, proh dolor, rerum novarum studiosi a scholasticae theologiae contemptu ad neglegendum, ac vel etiam ad despiciendum facile transeunt ipsum Magisterium Ecclesiae, quod theologiam illam sua auctoritate tantopere comprobat. Hoc enim Magisterium ab ipsis tamquam progressionis sufflamen ac scientiae obex exhibetur; ab acatholicis vero quibusdam iam veluti iniustum frenum consideratur quo excultiores aliqui theologi a disciplina sua innovanda detineantur. Et quamquam hoc sacrum Magisterium, in rebus fidei et morum, cuilibet theologo proxima et universalis veritatis norma esse debet, utpote cui Christus Dominus totum depositum fidei — Sacras nempe Litteras ac divinam «traditionem» - et custodiendum et tuendum et interpretandum concredidit, attamen officium, quo fideles tenentur illos quoque fugere errores, qui ad haeresim plus minusve accedant, ideoque « etiam constitutiones et decreta servare, quibus pravae huiusmodi opiniones a Sancta Sede proscriptae et prohibitae sunt » (C. I. C. can. 1324; cfr. Conc. Vat. D. B. 1820, Const. De Fide cath. cap. 4, De fide et ratione, post canones), nonnunquam ita ignoratur ac si non habeatur. Quae in Romanorum Pontificum Encyclicis Litteris de indole et constitutione Ecclesiae exponuntur, a quibusdam consulto neglegi solent, ea quidem de causa ut praevaleat notio quaedam vaga, quam ex antiquis Patribus, praesertim graecis, haustam esse profitentur. Pontifices enim, ut ipsi dictitant, de his quae inter theologos disputantur iudicare nolunt, itaque ad pristinos fontes redeundum est et ex antiquorum scriptis recentiora Magisterii constitutiones ac decreta explicanda sunt.

Quae etsi fortasse scite dicta videntur, attamen fallacia non carent. Verum namque est generatim Pontifices theologis libertatem concedere in iis quae inter melioris notae doctores vario sensu disputentur : at historia docet, plura quae prius liberae disceptationi subiecta fuerint, postea nullam iam disceptationem pati posse.

Neque putandum est, ea quae in Encyclicis Litteris proponuntur, assensum per se non postulare, cum in iis Pontifices supremam sui Magisterii potestatem non exerceant. Magisterio enim ordinario haec docentur, de quo illud etiam valet: « Qui vos audit, me audit » (Luc. 10, 16); ac plerumque quae in Encyclicis Litteris proponuntur et inculcantur, iam aliunde ad doctrinam catholicam pertinent. Quodsi Summi Pontifices in actis suis de re hactenus controversa data opera sententiam ferunt, omnibus patet rem illam, secundum mentem ac voluntatem eorumdem Pontificum, quaestionem liberae inter theologos disceptationis iam haberi non posse.

Verum quoque est, theologis semper redeundum esse ad divinae revelationis fontes: eorum enim est indicare qua ratione ea quae a vivo Magisterio docentur, in Sacris Litteris et in divina « traditione », « sive explicite, sive implicite inveniantur » (Pius IX, Inter gravissimas, 28 oct. 1870, Acta, vol. I, p. 260). Accedit quod uterque doctrinae divinitus revelatae fons tot tantosque

continet thesauros veritatis, ut numqmam reapse exhauriatur. Quapropter sacrorum fontium studio sacrae disciplinae semper iuvenescunt; dum contra speculatio, quae ulteriorem sacri depositi inquisitionem neglegit, ut experiundo novimus, sterilis evadit. Sed hac de causa theologia etiam positiva, quam dicunt, scientiae dumtaxat historicae aequari nequit. Una enim cum sacris eiusmodi fontibus Deus Ecclesiae suae Magisterium vivum dedit, ad ea quoque illustranda et enucleanda, quae in fidei deposito nonnisi obscure ac velut implicite continentur. Quod quidem depositum nec singulis christifidelibus nec ipsis theologis divinus Redemptor concredidit authentice interpretandum, sed soli Ecclesiae Magisterio. Si autem hoc suum munus Ecclesia exercet, sicut saeculorum decursu saepe numero factum est, sive ordinario sive extraordinario eiusdem muneris exercitio, patet omnino falsam esse methodum, qua ex obscuris clara explicentur, quin immo contrarium omnes sequi ordinem necesse esse. Quare Decessor Noster imm. mem. Pius IX, docens nobilissimum theologiae munus illud esse, quod ostendat quomodo ab Ecclesia definita doctrina contineatur in fontibus, non absque gravi causa illa addidit verba: « eo ipso sensu, quo ab Ecclesia definita est ».

Ut autem ad novas, quas supra attigimus, opinationes redeamus, plura etiam a nonnullis proponuntur vel mentibus instillantur in detrimentum divinae auctoritatis Sacrae Scripturae. Etenim sensum definitionis Concilii Vaticani de Deo Sacrae Scripturae auctore audacter quidam pervertunt; atque sententiam, iam pluries reprobatam, renovant, secundum quam Sacrarum Litterarum immunitas errorum ad ea solummodo, quae de Deo ac de rebus moralibus et religiosis traduntur, pertineat. Immo perperam loquuntur de sensu humano Sacrorum Librorum sub quo sensus eorum divinus lateat, quem solum infallibilem declarant. In Sacra Scriptura interpretanda nullam haberi volunt rationem analogiae fidei ac « traditionis », Ecclesiae; ita ut Sanctorum Patrum et sacri Magisterii doctrina quasi ad trutinam Sacrae Scripturae, ratione mere humana ab exegetis explicatae, sit revocanda, potius quam eadem Sacra Scriptura exponenda sit ad mentem Ecclesiae, quae a Christo Domino totius depositi veritatis divinitus revelatae custos ac interpres constituta est.

Ac praeterea sensus litteralis Sacrae Scripturae eiusque ex positio a tot tantisque exegetis, vigilante Ecclesia, elaborata, ex commenticiis eorum placitis, novae cedere debent exegesi, quam symbolicam ac spiritualem appellant ; et qua Sacra Biblia Veteris Testamenti, quae hodie in Ecclesia tamquam fons clausus lateant, tandem aliquando omnibus aperiantur. Hac ratione asseverant difficultates omnes evanescere, quibus ii tantummodo praepediantur, qui sensui litterali Scripturarum adhaereant.

Quae quidem omnia quam aliena sint a principiis ac normis hermeneuticis a Decessoribus Nostris fel. rec. Leone XIII in Encyclicis Litteris Providentissimus, et a Benedicto XV in Enc. Litt. Spiritus Paraclitus, itemque a Nobis ipsis in Enc. Litt. Divino afflante Spiritu rite statutis nemo est qui non videat.

Ac mirum non est huiusmodi novitates, ad omnes fere theologiae partes quod attinet, iam venenosos peperisse fructus. In dubium revocatur humanam rationem, absque divinae « revelationis » divinaeque gratiae auxilio, argumentis ex creatis rebus deductis demonstrare posse Deum personalem exsistere; negatur mundum initium habuisse, atque contenditur creationem mundi necessariam esse, cum ex necessaria liberalitate divini amoris procedat ; aeterna et infallibilis liberarum actionum hominum praescientia Deo item denegatur; quae quidem Vaticani Concilii declarationibus adversantur (cfr. Conc. Vat. Const. De Fide cath. cap. De Deo rerum omnium creatore).

Quaestio etiam a nonnullis agitur num Angeli creaturae personales sint; numque materia a spiritu essentialiter differat. Alii veram « gratuitatem » ordinis supernaturalis corrumpunt, cum autument Deum entia intellectu praedita condere non posse, quin eadem ad beatificam visionem ordinet et vocet. Nec satis; nam peccati originalis notio, definitionibus tridentinis posthabitis, pervertitur, unaque simul peccati in universum, prout est Dei offensa, itemque satisfactionis a Christo pro nobis exhibitae. Nec desunt qui contendant transubstantiationis doctrinam, utpote antiquata notione philosophica substantiae innixam, ita emendandam esse ut realis Christi praesentia in Ss. Eucharistia ad quemdam symbolismum reducatur, quatenus consecratae species, nonnisi signa efficacia sint spiritualis praesentiae Christi eiusque intimae coniunctionis cum fidelibus membris in Corpore Mystico.

Quidam censent se non devinciri doctrina paucis ante annis in Encyclicis Nostris Litteris exposita, ac fontibus « revelationis » innixa, quae quidem docet corpus Christi mysticum et Ecclesiam Catholicam Romanam unum idemque esse (cfr. Litt. Enc. Mystici Corporis Christi, A. A. S. vol. XXXV, p. 193 sq.). Aliqui necessitatem pertinendi ad veram Ecclesiam, ut sempiterna attingatur salus, ad vanam formulam reducunt. Alii denique rationali indoli « credibilitatis » fidei christianae iniuriam inferunt.

Haec et alia id genus iam serpere constat inter nonnullos filios Nostros, quos incautum animarum studium vel falsi nominis scientia decipiunt, quibusque maerenti animo et notissimas veritates repetere cogimur et manifestos errores errorisque pericula non sine anxitudine indicare.

In comperto est quanti Ecclesia humanam rationem faciat, quod pertinet ad exsistentiam unius Dei personalis certo demonstrandam, itemque ad ipsius christianae fidei fundamenta signis divinis invicte comprobanda; parique modo ad legem, quam Creator animis hominum indidit, rite exprimendam; ac denique ad aliquam mysteriorum intellegentiam assequendam eamque fructuosissimam (cfr. Conc. Vat. D. B. 1796). Hoc tamen munus ratio tum solum apte ac tuto absolvere poterit, cum debito modo exculta fuerit; nempe cum fuerit sana illa philosophia imbuta, quae veluti patrimonium iamdudum exstat a superioribus christianis aetatibus traditum, atque adeo altioris etiam ordinis auctoritatem habet, quia ipsum Magisterium Ecclesiae, eius principia ac praecipua asserta, a viris magni ingenii paulatim patefacta ac definita, ad ipsius divinae « revelationis » trutinam vocavit. Quae quidem philosophia in Ecclesia agnita ac recepta, et verum sincerumque cognitionis humanae valorem tuetur, et metaphysica inconcussa principia — rationis nempe sufficientis, causalitatis et finalitatis — ac demum certae et immutabilis veritatis assecutionem.

In hac philosophia plura sane exponuntur, quibus res fidei et morum neque directe nec indirecte attinguntur, quaeque propterea Ecclesia liberae peritorum disceptationi permittit; at quoad alia plura, praesertim quoad principia assertaque praecipua, quae supra memoravimus, eadem libertas non viget. Etiam in huiusmodi essentialibus quaestionibus, philosophiam quidem aptiore ac ditiore veste induere licet, efficacioribus dictionibus communire, quibusdam scholarum adminiculis minus aptis exuere, sanis quoque quibusdam elementis progredientis humanae lucubrationis caute locupletare; numquam tamen eam subvertere fas est, vel falsis principiis contaminare, vel quasi magnum quidem, sed obsoletum existimare monumentum. Non enim veritas omnisque eius philosophica declaratio in dies mutari possunt, cum potissimum agatur de principiis humanae menti per se notis, vel de sententiis illis, quae tum saeculorum sapientia, tum etiam divinae « revelationis » consensu ac fulcimine innituntur. Quidquid veri mens humana, sincere quaerens, invenire poterit, iam acquisitae veritati profecto adversari nequit; siquidem Deus, summa Veritas, humanum intellectum condidit atque regit, non ut rite acquisitis cotidie nova opponat, sed ut, remotis erroribus qui forte irrepserint, verum vero superstruat eodem

ordine ac compagine quibus ipsa rerum natura, ex qua verum hauritur, constituta cernitur. Quapropter christianus, sive philosophus, sive theologus, non festinanter ac leviter amplectatur quidquid novi in dies excogitatum fuerit, sed summa sedulitate id perpendat ac iusta in trutina ponat, ne adeptam veritatem amittat, vel corrumpat, gravi profecto cum ipsius fidei discrimine ac detrimento.

Quae si bene perspecta fuerint, facile patebit cur Ecclesia exigat ut futuri sacerdotes philosophicis disciplinis instruantur « ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia » (C. I. C. can. 1366, 2), quandoquidem plurium saeculorum experientia probe noscit Aquinatis methodum ac rationem sive in tironibus erudiendis, sive in absconditis veritatibus pervestigandis, singulari praestantia eminere; ipsius autem doctrinam cum divina « revelatione » quasi quodam concentu consonare, atque ad fidei fundamenta in tuto collocanda efficacissimam esse, necnon ad sani progressionis fructus utiliter et secure colligendos (Acta Ap. Sedis vol. XXXVIII, 1946, p. 387).

Hac de causa quam maxime deplorandum est, philosophiam in Ecclesia receptam ac agnitam hodie a nonnullis despectui haberi, ita ut antiquata quoad formam, rationalistica, ut aiunt, quoad cogitandi processum, impudenter renuntietur. Dictitant enim hanc nostram philosophiam perperam opinionem tueri merant res, praesertim transcendentes, non aptius exprimi posse, quam disparatis doctrinis, quae sese mutuo compleant, quam vis sibi invicem quodammodo opponantur. Quare philosophiam nostris traditam scholis, cum sua lucida quaestionum descriptione ac solutione, cum accurata sua notionum determinatione clarisque distinctionibus, utilem quidem esse posse concedunt ad propaedeusim scholasticae theologiae, mentibus hominum medii aevi egregie accommodatam ; non tamen praebere philosophandi rationem, quae hodiernae nostrae culturae ac necessitatibus respondeat. Opponunt deinde philosophiam perennem nonnisi philosophiam immutabilium essentiarum esse, dum hodierna mens ad « exsistentiam » sigulorum spectet necesse est et ad vitam semper fluentem. Dum vero hanc philosophiam despiciunt, alias extollunt sive antiquas, sive recentes, sive Orientis, sive Occidentis populorum, ita ut in animos insinuare videantur quamlibet philosophiam vel opinationem, quibusdam additis, si opus fuerit, correctionibus vel complementis, cum dogmate catholico componi posse; quod quidem falsum omnino esse, cum praesertim de commentis illis agatur, quae vel «immanentismum» vocant, vel « idealismum », vel « materialismum » sive historicum, sive dialecticum, ac vel etiam « existentialismum » sive atheismum profitentem, sive saltem valori ratiocinii metaphysici adversantem, catholicus nemo in dubium revocare potest.

Ac denique philosophiae nostris traditae scholis hoc vitio vertunt, eam nempe in cognitionis processu ad intellectum unice respicere, neglecto munere voluntatis et affectuum animi. Quod quidem verum non est. Numquam enim christiana philosophia utilitatem negavit et efficacitatem bonarum totius animi dispositionum ad res religiosas ac morales plene cognoscendas et amplectendas; immo semper docuit huiuscemodi dispositionum defectum causam esse posse cur intellectus, cupiditatibus ac mala voluntate affectus, ita obscuretur ut non recte videat. Immo Doctor Communis censet intellectum altiora bona ad ordinem moralem sive naturalem sive supernaturalem pertinentia, aliquo modo percipere posse, quatenus experiatur in animo affectivam quamdam « connaturalitatem » cum eisdem bonis sive naturalem, sive dono gratiae additam (cfr. S. Thom. Summa Theol. 24-2, q. r, art. 4 ad 3 et q. 45, art. 2, in c.); ac liquet quantopere vel suboscura huiusmodi cognitio investigationibus rationis auxilio esse valeat. Attamen aliud est voluntatis affectuum dispositioni vim agnoscere adiuvandi rationem ad certiorem ac firmiorem cognitionem rerum moralium assequendam; aliud vero est, quod isti novatores contendunt; facultatibus nempe appetendi et affectandi vim quamdam intuendi adiudicare, atque hominem, cum non possit rationis discursu cum certitudine discernere

quidnam ut verum sit amplectendum, ad voluntatem declinare, qua inter oppositas opiniones ipse libere decernens eligat, cognitione et voluntatis actu incompte permixtis.

Nec mirum est novis hisce placitis in discrimen adduci duas philosophicas disciplinas, quae natura sua cum fidei doctrina arcte conectuntur, theodiceam nempe et ethicam; quarum quidem munus esse censent non aliquid certi de Deo aliove ente transcendenti demonstrare, sed ostendere potius ea quae fides doceat de Deo personali ac de eius praeceptis, cum vitae necessitatibus perfecte cohaerere, ideoque omnibus amplectenda esse ut desperatio arceatur atque aeterna attingatur salus. Quae omnia ut Decessorum Nostrorum Leonis XIII et Pii X documentis aperte adversantur, ita cum Concilii Vaticani decretis componi nequeunt. Has quidem a veritate aberrationes deplorare supervacaneum esset, si omnes, etiam in rebus philosophicis, qua par est reverentia ad Magisterium Ecclesiae animum intenderent, cuius profecto est, ex divina institutione, non solum veritatis divinitus revelatae depositum custodire et interpretari, sed ipsis etiam philosophicis disciplinis invigilare, ne quid detrimenti ex placitis non rectis catholica patiantur dogmata.

Reliquum est ut aliquid de quaestionibus dicamus, quae quamvis spectent ad disciplinas, quae « positivae » nuncupari solent, cum christianae tamen fidei veritatibus plus minusve conectantur. Instanter enim non pauci expostulant ut catholica religio earumdem disciplinarum quam plurimum rationem habeat. Quod sane laude dignum est ubi de factis agitur reapse demonstratis; caute tamen accipiendum est ubi potius de « hypothesibus » sit quaestio, etsi aliquo modo humana scientia innixis, quibus doctrina attingitur in Sacris Litteris vel in « traditione » contenta. Quodsi tales coniecturales opiniones doctrinae a Deo revelatae directe vel indirecte adversentur, tum huius modi postulatum nullo modo admitti potest.

Quamobrem Ecclesiae Magisterium non prohibet quominus « evolutionismi » doctrina, quatenus nempe de humani corporis origine inquirit ex iam exsistente ac vivente materia oriundi — animas enim a Deo immediate creari catholica fides nos retinere iubet — pro hodierno humanarum disciplinarum et sacrae theologiae statu, investigationibus ac disputationibus peritorum in utroque campo hominum pertractetur ; ita quidem ut rationes utriusque opinionis, faventium nempe, vel obstantium, debita cum gravitate, moderatione ac temperantia perpendantur ac diiudicentur; dummodo omnes parati sint ad Ecclesiae iudicio obtemperandum, cui a Christo munus demandatum est et Sacras Scripturas authentice interpretandi et fidei dogmata tuendi (cfr. Allocut. Pont. ad membra Academiae Scientiarum, 30 novembris 1941: A. A . S . v ol. XXXIII, p. 5o6). Hanc tamen disceptandi libertatem nonnulli temerario ausu transgrediuntur, cum ita sese gerant quasi si ipsa humani corporis origo ex iam exsistente ac vivente materia per indicia hucusque reperta ac per ratiocinia ex iisdem iudiciis deducta, iam certa omnino sit ac demonstrata; atque ex divinae revelationis fontibus nihil habeatur, quod in hac re maximam moderationem et cautelam exigat.

Cum vero de alia coniecturali opinione agitur, videlicet de polygenismo, quem vocant, tum Ecclesiae filii eiusmodi libertate minime fruuntur. Non enim christifideles eam sententiam amplecti possunt, quam qui retinent asseverant vel post Adam hisce in terris veros homines exstitisse, qui non ab eodem prouti omnium protoparente, naturali generatione originem duxerint, vel Adam significare multitudinem quamdam protoparentum; cum nequaquam appareat quomodo huiusmodi sententia componi queat cum iis quae fontes revelatae veritatis et acta Magisterii Ecclesiae proponunt de peccato originali quod procedit ex peccato vere commisso ab uno Adamo, quodque generatione in omnes transfusum, inest unicuique proprium (cfr. Rom. 5, 12- 19; Conc. Trid. sess. V, can. 1-4).

Quemadmodum autem in biologicis et anthropologicis disciplinis, ita etiam in historicis sunt qui limites et cautelas ab Ecclesia statuta audacter transgrediantur. Ac peculiari modo deploranda est quaedam nimio liberior libros historicos Veteris Testamenti interpretandi ratio, cuius fautores Epistulam haud ita multo ante a Pontificio Consilio de re biblica Archiepiscopo Parisiensi datam ad suam defendendam causam immerito referunt (Die 16 ianuarii 1948: A. A. S. vol. XL. pp. 45-48). Haec enim Epistula aperte monet undecim priora capita Geneseos, quamvis cum historicae compositionis rationibus proprie non conveniant, quibus eximii rerum gestarum scriptores graeci et latini, vel nostrae aetatis periti usi fuerint, nihilominus quodam vero sensu, exegetis amplius investigando ac determinando, ad genus historiae pertinere; eademque capita, oratione simplici ac figurata mentique populi parum exculti accommodata, tum praecipuas veritates referre, quibus aeterna nostra procuranda salus innititur, tum etiam popularem descriptionem originis generis humani populique electi. Si quid autem hagiographi antiqui ex narrationibus popularibus hauserint (quod quidem concedi potest), numquam obliviscendum est eos ita egisse divinae inspirationis afflatu adiutos, quo in seligendis ac diiudicandis documentis illis ab omni errore immunes praemuniebantur. Quae autem ex popularibus narrationibus in Sacris Litteris recepta sunt, ea cum mythologiis aliisve id genus minime ae quanda sunt, quae magis ex effusa imaginatione procedunt quam ex illo veritatis ac simplicitatis studio, quod in Sacris Libris Veteris etiam Testamenti adeo elucet ut hagiographi nostri antiquos profanos scriptores aperte praecellere dicendi sint.

Novimus quidem plerosque catholicos doctores, quorum studiorum fructus in athenaeis, in sacris seminariis et religiosorum sodalium collegiis impertiuntur, ab iis erroribus alienos esse, qui hodie, sive ob rerum novarum cupidinem, sive etiam ob immoderatum quoddam apostolatus propositum, aperte vel latenter divulgantur. At novimus quoque novas eiusmodi opinationes incautos allicere posse; ideoque principiis obstare malumus, quam inveterato iam morbo medicinam praestare. Quapropter, re coram Domino mature perpensa ac considerata, ne a sacro Nostro officio deficiamus, Episcopis ac Religiosarum Sodalitatum Moderatoribus, gravissime eorum onerata conscientia, praecipimus, ut quam diligentissime curent, ne in scholis, in coetibus, in scriptis quibuslibet opiniones huiusmodi proferantur, neve clericis vel christifidelibus quovis modo tradantur.

Qui in ecclesiasticis institutis docent, noverint se tuta conscientia munus docendi, sibi concreditum, exercere non posse, nisi doctrinae normas, quas ediximus, religiose accipiant atque ad amussim servent in discipulis instituendis. Debitam reverentiam atque obtemperationem, quam in suo adsiduo labore Ecclesiae Magisterio profiteantur oportet, discipulorum quoque mentibus animisque instillent.

Nitantur utique omni vi omnique contentione ut disciplinas, quas tradunt, provehant; sed caveant etiam ne limites transgrediantur a Nobis statutos ad veritatem fidei ac doctrinae catholicae tuendam. In quaestiones novas, quas hodierna cultura ac progrediens aetas in medium protulerunt, diligentissimam suam conferant pervestigationem, sed ea qua par est prudentia et cautela; nec denique putent, falso « irenismo » indulgentes, ad Ecclesiae sinum dissidentes et errantes feliciter reduci posse, nisi integra veritas in Ecclesia vigens, absque ulla corruptione detractioneque, sincere omnibus tradatur.

Hac spe freti, quam pastoralis vestra sollertia adauget, caelestium munerum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, cum vobis singulis universis, Venerabiles Fratres, tum clero populoque vestro Apostolicam Benedictionem amantissime impertimus. Datum Romae, apud S. Petrum, die XII mensis Augusti, anno MDCCCCL, Pontificatus Nostri duodecimo. PIUS PP. XII.

17

Prior = Humani generis , post = Rerum gestarum divi Augusti

17. DE VIRIS ILLUSTRIBUS URBIS ROMAE A ROMULO AD AUGUSTUM

DE VIRIS ILLUSTRIBUS URBIS ROMAE A ROMULO AD AUGUSTUM.

ABBATIS LHOMOND. PARIS 1779

Romani Imperii Exordium

Proca, rex Albanorum, duos filios, Numitorem et Amulium habuit. Numitori, qui natu major erat, regnum reliquit; sed Amulius, pulso fratre, regnavit, et ut eum sobole privaret, Rheam Sylviam ejus filiam Vestae sacerdotem fecit, quae tamen Romulum et Remum uno partu edidit. Quo cognito, Amulius ipsam in vincula conjecit, parvulos alveo impositos abjecit in Tiberim, qui tunc forte super ripas erat effusus; sed, relabente flumine, eos aqua in sicco reliquit. Vastae tum in eis locis solitudines erant. Lupa, ut fama traditum est, ad vagitum accurrit, infantes lingua lambit, ubera eorum ori admovit, matremque se gessit. Cum lupa saepius ad parvulos veluti ad catulos reverteretur, Faustulus, pastor regius, rem animadvertit, eos tulit in casam et Accae Laurentiae conjugi dedit educandos. Qui adulti inter pastores primo ludicris certaminibus vires auxere, deinde, venando saltus peragrare coeperunt, tum latrones a rapina pecorum arcere. Quare eis insidiati sunt latrones, a quibus Remus captus est. Romulus autem vi se defendit. Tunc Faustulus necessitate compulsus indicavit Romulo quis esset ejus avus, quae mater. Romulus statim, armatis pastoribus Albam properavit.

Interea Remum latrones ad Amulium regem perduxerunt, eum accusantes, quasi Numitoris greges infestare solitus esset; Remus itaque a rege Numitori ad supplicium traditus est: at Numitor, considerato adolescentis vultu, haud procul erat quin nepotem agnosceret. Nam Remus oris lineamentis erat matri simillimus, aetasque tempori expositionis congruebat. Dum ea res animum Numitoris anxium teneret, repente Romulus supervenit, fratrem liberavit, et Amulio interfecto, avum Numitorem in regnum restituit.

Deinde Romulus et Remus urbem in eisdem locis ubi expositi educatique fuerant condiderunt; sed orta est inter eos contentio uter nomen novae urbi daret, eamque regeret; adhibuere auspicia. Remus prior sex vultures, Romulus postea, sed duodecim, vidit. Sic Romulus augurio victor Romam vocavit; et ut eam prius legibus quam moenibus muniret, edixit ne quis vallum transiliret. Quod Remus irridens transilivit; eum iratus Romulus interfecit, his increpans verbis: "Sic deinceps malo afficietur quicumque transiliet moenia mea." Ita solus potitus est imperio Romulus.

ROMULUS, ROMANORUM REX PRIMUS

Romulus imaginem urbis magis quam urbem fecerat, deerant incolae. Erat in proximo lucus: hunc asylum fecit. Eo statim multitudo latronum pastorumque confugit. Cum vero ipse et populus uxores non haberent, legatos ad vicinas gentes misit, qui societatem connumbiumque peterent. Nusquam benigne legatio audita est: ludibrium etiam additum: "Quidni feminis quoque asylum aperuistis? Id enim compar foret connubium." Romulus aegritudinem animi dissimulans ludos parat: indici deinde finitimis spectaculum jubet. Multi convenere studio etiam videndae novae

urbis, maxime Sabini cum liberis et conjugibus. Ubi spectaculi tempus venit, eoque deditae mentes cum oculis erant, tum, dato signo, virgines raptae sunt: et haec fuit statim causa bellorum.

Sabini ob virgines raptas bellum adversus Romanos sumpserunt, et cum Romae appropinquarent, Tarpeiam virginem nacti sunt, quae aquae causa sacrorum hauriendae descenderat. Hujus pater Romanae praeerat arci. Titus Tatius Sabinorum dux Tarpeiae optionem muneris dedit, si exercitum suum in Capitolium perduxisset. Illa petiit quod Sabini in sinistris manibus gerebant, videlicet annulos et armillas. Quibus dolose promissis, Tarpeia Sabinos in arcem perduxit, ubi Tatius eam scutis obrui praecepit. Nam et scuta in laevis habuerant. Sic impia proditio celeri poena vindicata est.

Romulus adversus Tatium processit, et in eo loco ubi nunc Romanum forum est pugnam conseruit. Primo impetu, vir inter Romanos insignis, nomine Hostilius fortissime dimicans cecidit; cujus interitu consternati Romani fugere coeperunt. Jam Sabini clamitabant: "Vicimus perfidos hospites, imbelles hostes. Nunc sciunt longe aliud esse virgines rapere, aliud pugnare cum viris." Tunc Romulus arma ad caelum tollens Jovi aedem vovit, et exercitus seu forte seu divinitus restitit. Proelium itaque redintegratur: sed raptae mulieres, crinibus passis, ausae sunt se inter tela volantia inferre; et hinc patres, inde viros deprecatae, pacem conciliarunt.

Romulus cum Tatio foedus percussit, et Sabinos in urbem recepit. Centum ex senioribus elegit quorum consilio omnia ageret, qui ob senilem aetatem Senatus vocati sunt. Tres equitum centurias constituit; plebem in tringinta curias distribuit. His ita ordinatis, cum ad Caprae paludem exercitum lustraret, subito coorta est tempestas cum magno fragore tonitribusque, et Romulus e conspectu ablatus est: eum ad Deos abiisse vulgo creditum est; cui rei fidem fecit Proculus vir nobilis. Orta enim inter patres et plebem seditione, is in concionem processit, et jurejurando affirmavit Romulum a se visum augustiore forma quam fuisset, eumdemque praecipere ut seditionibus abstinerent, et virtutem colerent. Ita Romulus pro Deo cultus, et Quirinus est appellatus.

NUMA POMPILIUS, ROMANORUM REX SECUNDUS

Successit Romulo Numa Pompilius vir incluta justitia et religione. Is Curibus oppido Sabinorum accitus est. Cum Romam venisset, ut populum ferum religione molliret, sacra plurima instituit. Aram Vestae consecravit, et ignem in ara perpetuo alendum virginibus dedit. Flaminem Jovis sacerdotem creavit, eumque insigni veste et curuli sella ornavit. Duodecim Salios Martis sacerdotes legit, qui ancilia quaedam imperii pignora e caelo ut putabant, delapsa, ferre per urbem, canentes et rite saltantes solebant. Annum in duodecim menses ad cursum lunae descripsit: nefastos fastosque dies fecit: portas Jano gemino aedificavit, ut esset index pacis et belli: nam apertus in armis esse civitatem, clausus vero pacatos circa omnes populos, significabat.

Leges quoque plurimas et utiles tulit Numa. Ut vero majorem institutis suis auctoritatem conciliaret, simulavit sibi cum Dea Aegeria esse colloquia nocturna, ejusque monitu se omnia quae ageret facere. Lucus erat quem medium fons perenni rigabat aqua: eo saepe Numa sine arbitris se inferebat, velut ad congressum Deae: ita omnium animos religione imbuit, ut fides et jusjurandum, non minus quam legum et poenarum metus cives continerent. Bellum quidem nullum gessit, sed non minus civitati profuit quam Romulus. Morbo extinctus, in Janiculo monte sepultus est. Ita duo deinceps reges, ille bello, hic pace, civitatem auxerunt. Romulus septem et triginta regnavit annos; Numa tres et quadraginta.

TULLUS HOSTILIUS, ROMANORUM REX TERTIUS

Mortuo Numa, Tullus Hostilius rex creatus est. Hic non solum proximo regi dissimilis, sed etiam Romulo ferocior fuit. Eo regnante, bellum inter Albanos et Romanos exortum est. Ducibus Hostilio et Suffetio placuit, paucorum manibus fata utriusque populi committi. Erant apud Romanos trigemini Horatii, trigemini quoque apud Albanos Curiatii. Cum eis agunt reges ut pro sua quisque patria dimicent ferro. Foedus ictum est ea lege, ut unde victoria, ibi quoque imperium esset. Itaque trigemini arma capiunt, et in medium inter duas acies procedunt. Consederant utrimque duo exercitus. Datur signum, infestisque armis terni juvenes magnorum exercituum animos gerentes concurrunt.

Ut primo concurso increpuere arma, horror ingens spectantes perstrinxit. Consertis deinde manibus, statim duo Romani alius super alium expirantes ceciderunt: tres Albani vulnerati. Ad casum Romanorum conclamavit gaudio exercitus Albanus. Romanos jam spes tota deserebat. Unum Horatium tres Curiatii circumsteterant; is quamvis integer, quia tribus impar erat, fugam simulavit, ut singulos per intervalla secuturos separatim aggrederetur. Jam aliquantum spatii ex loco, ubi pugnatum est, aufugerat, cum respiciens vidit unum Curiatium haud procul ab se abesse. In eum magno impetu redit et dum Albanus exercitus inclamat Curiatiis, ut opem ferant fratri, jam Horatius eum occiderat. Alterum deinde, priusquam tertius posset consequi, interfecit.

Jam singuli supererant sed nec spe nec viribus pares. Alterius erat intactum ferro corpus, et geminata victoria ferox animus. Alter fessum vulnere, fessum cursu trahebat corpus. Nec illud proelium fuit. Romanus exultans male sustinentem arma conficit, jacentemque spoliat. Romani ovantes ac gratulantes Horatium accipiunt, et domum deducunt. Princeps ibat Horatius, trium fratrum spolia prae se gerens. Cui obvia fuit soror, quae desponsa fuerat uni ex Curiatiis, visoque super humeros fratris paludamento sponsi, quod ipsa confecerat, flere et crines solvere coepit. Movit feroci juveni animum comploratio sororis in tanto gaudio publico: stricto itaque gladio transfigit puellam, simul eam verbis increpans: "Abi hinc cum immaturo amore ad sponsum; oblita fratrum, oblita patriae. Sic eat quaecumque Romana lugebit hostem."

Atrox id visum est facinus patribus plebique; quare raptus est in jus Horatius et apud judices condemnatus. Jam acesserat lictor injiciebatque laqueum. Tum Horatius ad populum provocavit. Interea pater Horatii senex proclamabat filiam suam jure caesam fuisse; et juvenem amplexus, spoliaque Curiatiorum ostentans orabat populum ne se orbum liberis faceret. Non tulit populus patris lacrymas, juvenemque absolvit, magis admiratione virtutis, quam jure causae. Ut tamen caedes manifesta expiaretur, pater, quibusdam sacrificiis peractis, transmisit per viam tigillum, et filium capite adoperto velut sub jugum misit: quod tigillum sororium appellatum est.

Non diu pax Albana mansit: nam Suffetius, dux Albanorum, cum invidiosum se apud cives videret quod bellum uno paucorum certamine finisset, ut rem corrigeret, Veientes adversus Romanos concitavit. Ipse ab Tullo in auxilium arcessitus, aciem in collem subduxit, ut fortunam belli experiretur ac sequeretur. Qua re Tullus intellecta, dixit clara voce suo illud jussu Suffetium facere, ut hostes a tergo circumvenirentur. Quo audito, hostes territi victique sunt. Postera die Suffetius cum ad gratulandum Tulo venisset, jussu illius quadrigis religatus est, et in diversa distractus. Deinde Tullus Albam propter ducis perfidiam diruit, et Albanos Romam transire jussit.

Roma interim crevit Albae ruinis: duplicatus est civium numerus: mons Caelius urbi additus, et quo frequentius habitaretur, eam sedem Tullus regiae cepit, ibique deinde habitavit. Auctarum virium fiducia elatus bellum Sabinis indixit; pestilentia insecuta est: nulla tamen ab armis quies dabatur. Credebat enim rex bellicosus salubriora militiae quam domi esse juvenum corpora; sed ipse quoque diuturno morbo est implicitus: tunc fracti simul cum corpore sunt spiritus illi feroces,

nullique rei deinceps nisi sacris operam dedit. Memorant Tullum fulmine ictum cum domo conflagrasse. Tullus magna gloria belli regnavit annos duos et triginta.

ANCUS MARCIUS, ROMANORUM REX QUARTUS

Tullo mortuo, Ancum Marcium regem populus creavit. Numae Pompilii nepos Ancus Marcius erat, aequitate et religione avo similis. Tunc Latini cum quibus Tullo regnante, ictum foedus erat, sustulerunt animos, et incursionem in agrum Romanum fecerunt. Ancus, priusquam eis bellum indiceret, legatum misit qui res repeteret, eumque morem posteri retinuerunt. Id autem hoc modo fiebat. Legatus, ubi ad fines eorum venit, a quibus res repetuntur, capite velato, ait: "Audi, Jupiter; audite, fines hujus populi. Ego sum publicus nuncius populi Romani: verbis meis fides sit." Deinde peragit postulata. Si non deduntur res quas exposcit, hastam in fines hostium emittit, bellumque ita indicit. Legatus qui ea de re mittitur fecialis, ritusque belli indicendi jus fecilae appellatur.

Legato Romano res repetenti superbe responsum est a Latinis; quare bellum hoc modo eis indictum est Ancus exercitu conscripto profectus, Latinos fudit, et oppidis deletis cives Romam traduxit. Cum autem in tanta hominum multitudine facinora clandestina fierent, Ancus carcerem in media urbe ad terrorem increscentis audaciae aedificavit: muro lapideo urbem circumdedit, et Janiculum montem, ponte sublicio in Tiberim facto, urbi conjunxit. Pluribus aliis rebus intra paucos annos confectis, immatura morte praereptus, non potuit praestare qualem promiserat regem.

LUCIUS TARQUINIUS, PRISCUS, ROMANORUM REX QUINTUS

Anco regnante, Lucius Tarquinius urbe Tarquinia profectus, cum conjuge et fortunis omnibus Romam commigravit. Additur haec fabula: scilicet ei advenienti aquila pileum sustulit, et super carpentum, ubi Tarquinius sedebat, cum magno clangore volitans, rursus capiti apte reposuit; inde sublimis abiit. Tanaquil conjux auguriorum perita regnum ei portendi intellexit: itaque virum complexa jussit eum alta sperare. Has spes cogitationesque secum portantes, urbem ingressi sunt, domicilioque ibi comparato, Tarquinius pecunia et industria dignitatem atque etiam Anci regis familiaritatem consecutus est, a quo tutor liberis relictus regnum intercepit, et ita administravit, quasi jure adeptus fuisset.

Tarquinius Prisicus bellum cum Sabinis gessit, in quo bello equitum centurias numero auxit; nomine mutare non potuit, deterritus, ut ferunt, Accii Navii auctoritate. Accius, ea tempestate augur inclutus, id fieri posse negabat, nisi aves addixissent; iratus rex, in experimentum artis, eum interrogavit fieri ne posset quod ipse mente conceperat: Accius, augurio acto, fieri posse respondit. Atqui hoc, inquit rex, agitabam an cotem illam secare novacula possem. Potes ergo, inquit augur, et secuisse dicitur. Tarquinius Sabinos vicit, et filium tredecim annorum, quod in proelio hostem percussisset, praetexta et bulla donavit, unde haec ingenuorum puerorum insignia esse coeperunt.

Supererant duo Anci filii, qui aegre ferentes se paterno regno fraudatos esse, regi paraverunt insidias. Ex pastoribus duos ferocissimos deligunt ad patrandum facinus. Ei, simulata rixa, in vestibulo regiae tumultuantur. Cum eorum clamor penitus in regiam pervenisset, vocati ad regem pergunt. Primo uterque simul vociferari coepit, et certatim alter alteri obstrepere. Cum vero jussi essent invicem dicere, unus ex composito rem orditur; dumque intentus in eum se rex totus averteret, alter elatam securim in ejus caput dejecit, et relicto telo, ambo foras se proripiunt.

SERVIUS TULLIUS, ROMANORUM REX SEXTUS

Servius Tullius matre nobili, sed captiva, natus est. Cum in domo Tarquinii Prisci educaretur, ferunt prodigium visu eventuque mirabile accidisse. Flammae species pueri dormientis caput amplexa est. Hoc viso Tanaquil summam ei dignitatem portendi intellexit; conjugi suasit ut eum non secus ac liberos suos educaret. Is postquam adolevit, a Tarquinio gener assumptus est; et cum Tarquinius occisus esset, Tanaquil, celata ejus morte, populum ex superiori parte aedium allocuta, ait regem, gravi quidem, sed non letali vulnere accepto, petere, ut, interim dum convalescit, Servio Tullio dicto audientes essent. Servius Tullius quasi precario regnare coepit, sed recte imperium administravit.

Servius Tullius aliquod urbi decus addere voluit. Jam tum inclytum erat Dianae Ephesiae fanum. Id communiter a civitatibus Asiae factum fama ferebat. Itaque Latinorum populis suasit, ut et ipsi Romae fanum Dianae cum populo Romano aedificarent. Quo facto, bos mirae magnitudinis cuidam Latino nata dicitur, et responsum somnio datum eum populum summam imperii habiturum, cujus civis bovem illam immolasset. Latinus bovem ad fanum Dianae deduxit, et causam sacerdoti Romano exposuit. Sacerdos callidus dixit eum debere prius vivo flumine manus abluere. Dum Latinus ad Tiberim descendit, sacerdos bovem immolavit. Ita imperium civibus, sibique gloriam vindicavit.

Servius Tullius filiam alteram ferocem mitem alteram habebat. Duo quoque Tarquinii Prisci filii longe dispares moribus erant: Tullia ferox Tarquinio miti nupserat; Tullia vero mitis Tarquinio feroci; seu mites, seu forte, seu fraude, perierunt: feroces morum similitudo conjunxit. Statim Tarquinius superbus a Tullia incitatus, advocato senatu, regnum paternum repetere coepit: qua re audita, Servius dum ad curiam contendit, jussu Tarquinii gradibus dejectus, et domum refugiens interfectus est. Tullia carpento vecta in forum properavit, virum e curia evocavit, et prima regem salutavit: a quo jussa a turba decedere, cum domum rediret, viso patris corpore, mulionem evitantem super ipsum corpus carpentum agere praecepit. Unde vicus ille Sceleratus dictus est. Servius Tullius regnavit annos quatuor et quadraginta.

TARQUINIUS SUPERBUS, ROMANORUM REX SEPTIMUS ET ULTIMUS

Tarquinius Superbus regnum sceleste occupavit. Tamen bello strenuus hostes domuit. Urbem Gabios in potestatem redegit fraude Sexti filii. Is cum indigne ferret eam urbem a patre expugnari non posse, ad Gabinos se contulit, patris in se saevitiam querens. Benigne a Gabinis exceptus est, et paulatim eorum benevolentiam fictis blanditiis alliciendo, dux belli electus est. Tum e suis unum ad patrem mittit sciscitatum quidnam se facere vellet. Pater nuncio filii nihil respondit, sed in hortum transiit; ibique inambulans, sequente nuncio, altissima papaverum capita baculo decussit. Nuncius fessus expectando redit Gabios. Sextus, cognito silentio patris simul ac facto, intellexit quid vellet pater. Primores civitatis interemit, patrique urbem sine ulla dimicatione tradidit.

Postea Tarquinius Superbus Ardeam urbem oppugnavit. Ibi Tarquinius Collatinus sorore regis natus forte cenabat apud Sextum Tarquinium cum aliis juvenibus regiis. Incidit de uxoribus mentio: cum unusquisque, suam laudaret, placuit experiri. Itaque equis Romam petunt. Regias nurus in convivio et luxu deprehendant. Pergant inde Collatiam. Lucretiam Collatini uxorem inter ancillas in lanificio inveniunt. Ea ergo ceteris praestare judicatur. Paucis interjectis diebus, Sextus Collatiam rediit, et Lucretiae vim attulit. Illa postero die, advocatis patre et conjuge, rem exposuit, et se cultro, quem sub veste texerat, occidit. Conclamant vir paterque, et in exitium regum conjurant. Tarquinio Romam redeunti clausae sunt urbis portae, et exilium indictum.

JUNIUS BRUTUS, ROMANORUM CONSUL PRIMUS

Junius Brutus, sorore Tarquinii natus, cum eandem fortunam timeret in quam frater inciderat, qui ob divitias et prudentiam fuerat ab avunculo occisus, stultitiam finxit, unde Brutus dictus est. Profectus Delphos cum Tarquinii filiis, quos pater ad Apollinem muneribus honorandum miserat, baculo sambuceo aurum inclusum Deo donum tulit. Peractis deinde mandatis patris, juvenes Apollinem consuluerunt quisnam ex ipsis Romae regnaturus esset. Responsum est eum Romae summam potestatem habiturum, qui primus matrem oscularetur. Tunc Brutus perinde, atque casu prolapsus, terram osculatus est, quod ea communis sit mater omnium mortalium.

Expulsis regibus, duo consules creati sunt, Junius Brutus et Tarquinius Collatinus, Lucretiae maritus. At libertas modo parta, per dolum et proditionem paene amissa est. Erant in juventute Romana adolescentes aliquot, sodales Tarquiniorum. Hi de accipiendis nocte in urbem regibus colloquuntur, ipsos Bruti consulis filios in societatem consilii assumunt. Sermonem eorum ex servis unus excepit: rem ad consules detulit. Scriptae ad Tarquinium litterae manifestum facinus fecerunt. Proditores in vincula conjecti sunt, deinde damnati. Stabant ad palum deligati juvenes nobilissimi, sed prae ceteris liberi consulis omnium in se oculos convertebant. Consules in sedem processere suam, missique lictores nudatos virgis caedunt, securique feriunt. Supplicii non spectator modo, sed et exactor erat Brutus, qui tunc patrem exuit, ut consulem ageret.

Tarquinius deinde bello, aperto regnum recuperare tentavit. Equitibus praeerat Aruns Tarquinii filius: rex ipse cum legionibus sequebatur. Obviam hosti consules erant. Brutus ad explorandum cum equitatu antecessit. Aruns, ubi Brutum agnovit, inflammatus ira: "Ille est vir, inquit, qui nos patria expulit; en ille nostris decoratus insignibus magnifice incedit." Tum concitat calcaribus equum atque in ipsum consulem dirigit: Brutus avide se certamini offert. Adeo infestis animis concurrerunt ut ambo hasta transfixi ceciderint; fugatus est tamen Tarquinius. Alter consul Romam triumphans rediit. Bruti collegae funus quanto potuit apparatu fecit Brutum matronae ut parentem anno luxerunt.

HORATIUS COCLES

Porsenna rex Etruscorum ad restituendum Tarquinios cum infesto exercitu Romam venit. Primo impetu Janiculum cepit. Non usquam alias ante tantus terror Romanos invasit: ex agris in urbem demigrant; urbem ipsam sepiunt praesidiis. Alia urbis pars muris, alia Tiberi objecto, tuta videbatur. Pons sublicius iter paene hostibus dedit, nisi unus vir fuisset Horatius Cocles, illo cognomine quod in alio proelio oculum amiserat. Is pro ponte stetit, et aciem hostium solus sustinuit, donec pons a tergo interrumperetur: ipsa audacia obstupefecit hostes; ponte rescisso, armatus in Tiberim desiluit, et incolumis ad suos transnavit. Grata erga tantam virtutem civitas fuit; ei tantum agri datum est, quantum una die circumarari potuisset. Statua quoque in comitio posita est.

MUCIUS SCAEVOLA

Cum Porsenna Romam obsideret, Mucius vir Romanae constantiae senatum adiit, et veniam transfugiendi petiit, necem regis repromittens. Accepta potestate, in castra Porsennae venit. Ibi in confertissima turba prope regium tribunal constitit. Stipendium tunc forte militibus dabatur: et scriba cum rege pari fere ornatu sedebat. Mucius illum pro rege deceptus occidit. Apprehensus et ad regem pertractus, dextram accenso ad sacrificium foculo injecit; hoc supplicii a rea exigens, quod in caede peccasset. Attonitus miraculo rex juvenem amoveri ab altaribus jussit. Tum Mucius, quasi beneficium remunerans, ait trecentos, sui similes, adversus eum conjurasse. Qua re ille territus bellum, acceptis obsidibus, deposuit.

CLAELIA VIRGO

Porsenna Claeliam virginem nobilem inter obsides accepit. Cum ejus castra haud procul ripa Tiberis locata essent, Claelia deceptis custodibus noctu egressa, equum, quem sors dederat, arripuit, et Tiberim trajecit. Quod ubi regi nunciatum est, primo ille incensus ira Romam legatos misit ad Claeliam obsidem reposcendam. Romani eam excedere restituerunt. Tum rex virginis virtutem admiratus, eam laudavit, ac parte obsidum donare se dixit, permisitque ut ipsa quos vellet, legeret. Productis obsidibus, Claelia virgines puerosque elegit quorum aetatem injuriae obnoxiam sciebat, et cum eis in patriam rediit. Romani novam in femina virtutem novo genere honoris, statua equestri, donavere. In summa via sacra, fuit posita virgo insidens equo.

PUBLIUS VALERIUS PUBLICOLA

Tarquinius Collatinus se consulatu abdicavit, quod invisum esset populo Tarquinii nomen. Itaque consul creatus est Publius Valerius, quo adjutore Brutus reges ejecerat. Hic tamen, quia in locum Bruti mortui alterum consulem non subrogaverat, et domum in alto atque munito loco habebat, in suspicionem regni affectati venit. Quo cognito, apud populum questus est quod de se tale aliquid timuissent, et misit qui domum suam diruerent. Dempsit etiam secures fascibus, eosque in populi concione submisit, quasi major populi quam consulis majestas esset. Gratum id multitudini spectaculum fuit. Inde Valerio cognomen Publicolae datum est. Cum quartum consul fuisset, mortuus est adeo pauper, ut funeri sumptus deesset. Collectis a populo nummis est sepultus, et annuo matronarum luctu honoratus.

FABII TRECENTI SEX

Vexabantur incursionibus Veientium Romani. Tum Fabia gens senatum adit. Consul Fabius pro gente loquitur: "Vos alia bella curate: Fabios hostes Veientibus date: istud bellum privato sumptu gerere nobis in animo est." Ei gratiae ingentes actae sunt. Consul e curia egressus, comitante Fabiorum agmine, domum rediit. Manat tota urbe rumor: Fabios ad caelum laudibus ferunt; Fabii postera die arma capiunt. Nunquam exercitus neque minor numero, neque clariore fama et admiratione hominum per urbem incessit. Ibant sex et trecenti milites, omnes patricii, omnes unius gentis. Ad Cremeram flumen perveniunt. Is opportunus visus est focus communiendo praesidio. Hostes non semel fusi pacem supplices petunt.

Veientes pacis impetratae brevi poenituit. Itaque, redintegrato bello, inierunt consilium insidiis ferocem hostem captandi. Multo successu Fabiis audacia crescebat: cum igitur palati passim agros popularentur, pecora a Veientibus obviam acta sunt; ad quae progressi Fabii, in insidias circa ipsum iter locatas delapsi sunt, et omnes ad unum perierunt. Dies quo id factum est inter nefastos relatus fuit: porta qua profecti fuerant, Scelerata est appellata. Unus omnino superfuit ex ea gente, qui, propter aetatem impuberem, domi relictus fuerat. Is genus propagavit ad Quintum Fabium Maximum qui Annibalem mora fregit.

AULUS POSTHUMIUS DICTATOR

Tarquinius ejectus ad Mamilium Tusculanum generum suum confugerat: cum ille Romanos graviter urgeret, nova Romae dignitas creata est quae Dictatura appellata est, major quam consulatus. Tunc creatus est magister equitum, qui dictatori etiam obsequeretur. Aulus Posthumius dictator factus, cum hostibus apud Regillum lacum conflixit, ubi cum victoria nutaret, magister equitum equis frenos detrahi jussit, ut irrevocabili impetu ferrentur: itaque et aciem Latinorum fuderunt, et castra ceperunt. Tarquinius Cumas se contulisse dicitur, in eaque urbe senio et aegritudine esse confectus.

MENENIUS AGRIPPA

Menenius Agrippa concordiam inter patres plebemque restituit: nam cum plebs a patribus secessisset, quod tributum et militiam non toleraret, Agrippa vir facundus, ad plebem missus est; qui intromissus in castra nihil aliud quam narrasse fertur: "Olim humani artus, cum ventrem otiosum cernerent, ab eo discordarunt, conspiraruntque ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. At dum ventrem domare volunt, ipsi quoque defecerunt, totumque corpus ad extremam tabem venit: inde apparuit ventris haud segne ministerium esse, eumque acceptos cibos per omnia membra disserere, et cum eo in gratiam redierunt. Sic senatus et populus quasi unum corpus discordia pereunt concordia valent."

Hac fabula, Menenius flexit hominum mentes: plebs in urbem regressa est. Creavit tamen tribunos, qui libertatem suam adversus nobilitatis superbiam defenderent. Paulo post mortuus est Menenius, vir omni vita pariter patribus ac plebi carus; post restitutam civium concordiam carior plebi factus. Is tamen in tanta paupertate decessit, ut eum populus collatis quadrantibus sepeliret, locum sepulcro senatus publice daret. Potest consolari pauperes Menenius, sed multo magis docere locupletes, quam non sit necessaria solidam laudem cupienti nimis anxia divitiarum comparatio.

QUINCTIUS CINCINNATUS

Aequi consulem Minucium atque exercitum ejus circumcessos tenebant: id ubi Romae nunciatum est, tantus pavor, tanta trepidatio fuit, quanta si urbem ipsam, non castra, hostes obsiderent: cum autem in altero consule parum esse praesidii videretur, dictatorem dici placuit, qui rem afflictam restitueret. Quinctius Cincinnatus, omnium consensu, dictator est dictus. Ille spes unica imperii Romani trans Tiberim quatuor jugerum colebat agrum. Ad quem missi legati nudum eum arantem offenderint. Salute data invicem redditaque, Quinctius togam propere e tugurio proferre uxorem Raciliam jussit, ut senatus mandata togatus audiret.

Postquam absterso pulvere ac sudore, toga indutus processit Quinctius, dictatorem eum legati gratulantes consalutant, quantus terror in exercitu sit exponunt. Quinctius igitur Romam venit, et antecedentibus litoribus domum deductus est. Postero die profectus, caesis hostibus, exercitum Romanum liberavit. Urbem triumphant ingressus est. Ducti ante currum hostium duces, militaria signia praelata: secutus est exercitus praeda onustus; epulae instructae ante omnium domos. Quinctius sexto decimo die dictatura, quam in sex menses acceperat, se abdicavit, et ad boves rediit triumphalis agricola.

CAIUS MARCIUS CORIOLANUS

Caius Marcius gentis patriciae, a captis Coriolis urbe Volscorum Coriolanus dictus est. Patre orbatus adhuc puer sub matris tutela adolevit. Sortitus erat a natura nobiles ad laudem impetus; sed quia doctrina non accessit, irae impotens, obstinataeque pervicaciae fuit. Cum prima stipendia facere coepisset adolescens, e multis proeliis quibus interfuit nunquam rediit, nisi donatus coroni aliove militari praemio. In omni vitae ratione nihil aliud sibi proponebat quam ut matri placeret: cumque illa audiret filium laudari, aut corona donari videret, tum demum felicem se putabat. Ea oblectanda et colenda satiari non poterat. Illa cupiente, uxorem duxit: illius in aedibus cum uxore habitavit.

Coriolanum, post victoriam ejus opera maxime partam, Posthumius consul apud milites laudavit: eum militaribus donis onerare voluit; agri centum jugera, decem captivos, totidem ornatos equos, centum boves et argenti pondus quantum sustinere potuisset, offerebat. Coriolanus vero nihil ex his omnibus accepit, praeter unius hospitis captivi salutem et equum. Consul factus, gravi annona advectum e Sicilia frumentum magno pretio, dandum populo curavit, ut plebs agros, non

seditiones coleret. Qua de causa damnatus ad Volscos concessit, eosque adversus Romanos concitavit. Imperator a Volscis factus, ad quartum ab urbe lapidem castra posuit, et agrum Romanum est populatus.

Missi sunt Roma ad Coriolanum oratores de pace, sed atrox responsum retulerunt; iterum deinde missi, ne in castra quidem recepti sunt. Sacerdotes quoque suis infulis velati ad eum iverunt supplices, nec magis animum ejus flexerunt: stupebat senatus, trepidabat populus, viri pariter ac mulieres exitium imminens lamentabantur. Tum Veturia Coriolani mater, et Volumnia uxor duos parvos filios secum trahens, castra hostium petierunt. Ubi matrem aspexit Coriolanus: "O patria inquit, vicisti iram meam admotis matris meae precibus, cui tuam in me injuriam condono." Complexus inde suos castra movit, et exercitum ex agro Romano abduxit. Coriolanus postea a Volscis, ut proditor, occisus dicitur.

LUCIUS VIRGINIUS CENTURIO

Anno trecentesimo ab urbe condita, pro duobus consulibus decemviri creati sunt, qui allatas e Graecia leges populo proponerent. Unus ex eis Appius Claudius virginem plebeiam adamavit, quam cum Appius non posset pretio ac spe pellicere, clienti suo negotium dedit, ut eam in servitutem deposceret: facile victurus cum ipse esset et accusator et judex. Lucius Virginius puellae pater tunc aberat militiae causa. Cliens igitur virgini venienti in forum injecit manum, affirmans suam esse servam: eam sequi se jubet; ni faciat, minatur se cunctantem vi abstracturum. Pavida puella stupente, ad clamorem nutricis fit concursus. Cum ille puellam non posset abducere eam, vocat in jus ipso Appio judice.

Interea missi nuncii ad Virginium properant. Is prima luce Romam advenit, cum jam civitas in foro expectatione erecta staret. Virginius statim in foruni lacrymabundus et civium opem implorans filiam suam deducit. Appius obstinatum gerens animum in tribunal ascendit, et Virginiam clienti suo addixit. Tum pater, ubi nihil usquam auxilii vidit; "Quaeso, inquit, Appi, ignosce patrio dolori, sine me filiam ultimo alloqui." Data venia, pater filiam in secretum abducit. Ab lanio cultrum arripit, et pectus puellae transfigit. Tum ferro sibi viam facit, et respersus cruore ad exercitum profugit. Concitatus exercitus montem Aventinum occupavit; decem tribunos militum creavit; decemviros magistratu se abdicare coegit, eosque omnes aut morte aut exitio mulctavit: ipse Appius Claudius in carcere necatus est.

CAIUS LICINIUS STOLO

Fabius Ambustus ex duabus filiabus majorem Aulo Sulpitio patricio, minorem Licinio Stoloni plebeio, conjugem dedit. Aulus Sulpitius tribunus militum erat potestate consulari. Cum in ejus domo sorores Fabiae inter se tempus sermonibus tererent, forte incidit ut Sulpitius de foro domum se reciperet, et ejus lictor forem, ut mos est, virga percuteret; minor Fabia moris ejus insueta id expavit: risus sorori fuit miranti sororem id ignorare. Confusam eam cum pater vidisset, sciscitanti confessa est eam esse causam doloris, quod viro plebeio juncta esset. Consolatur filiam Ambustus, polliceturque eosdem honores domi propediem visuram quos apud sororem videat. Inde consilia inire coepit cum genero, qui, ubi tribunatum plebis aggressus est, legem tulit ut alter consul ex plebe crearetur. Lex resistentibus patribus lata tamen est, et primus Licinius Stolo consul e plebe factus.

MARCUS FURIUS CAMILLUS

Cum Marcus Furius Camillus urbem Falerios obsideret, ludi magister plurimos et nobilissimos inde pueros, velut ambulandi gratia, eductos, in castra Romanorum perduxit: quibus Camillo

traditis, non erat dubium quin Falisci, deposito bello, sese Romanis dedituri essent; sed Camillus perfidiam proditoris detestatus: "Non ad similem tui inquit, venisti; sunt belli sicut et pacis jura: arma habemus non adversus eam aetatem cui etiam captis urbibus parcitur, sed adversas armatos qui castra Romana oppugnaverunt." Denudari deinde ludi magistrum jussit, eum manibus post tergum alligatis in urbem reducendum pueris tradidit, virgasque eis dedit, quibus euntem verberarent. Statim Falisci, beneficio magis quam armis victi, portas Romanis aperuerunt.

Camillus post multa in patriam merita judicio populi damnatus exsulatum abiit. Urbe egrediens ab Diis precatus esse dicitur, ut si innoxio sibi ea injuria fieret, desiderium sui facerent ingratae patriae quamprimum: neque multo postea res evenit. Nam Galli Senones Clusium Etruriae oppidum obsederunt. Clusini novo bello exterriti ab Romanis auxilium petierunt. Missi sunt Roma tres legati, qui Gallos monerent ut ab oppugnatione desisterent. Ex his legatis unus contra jus gentium in aciem processit, et ducem Senonum interfecit. Qua re commoti Galli, petitis in deditionem legatis nec impetratis, ad urbem venerunt et exercitum Romanum apud Alliam fluvium ceciderunt die decimo sexto calendas augusti: qui dies inter nefastos relatus, Alliensis dictus est.

Galli victores paulo ante solis occasum ad urbem Romam perveniunt. Postquam hostes adesse nunciatum est, juventus Romana duce Manlio in arcem conscendit; seniores vero domos ingressi adventum Gallorum obstinato ad mortem animo expectabant. Qui inter eos curules magistratus gesserant, ornati honorum insignibus in vestibulis aedium eburneis sellis insedere ut cum venisset hostis, in sua dignitate morerentur. Interim Galli domos patentes ingressi vident viros ornatu et vultus maiestate Diis simillimos: cum Galli ad eos veluti simulacra, conversi starent, unus ex his senibus dicitur Gallo barbam suam permulcenti scipionem eburneum in caput incussisse. Iratus Gallus eum occidit: ab eo initium caedis ortum est. Deinde ceteri omnes in sedibus suis trucidati sunt.

Galli deinde impetum facere in arcem statuunt. Primo, militem qui tentaret viam praemiserunt. Tum nocte sublustri sublevantes invicem et trahentes alii alios in summum saxum evaserunt, tanto silentio ut non solum custodes fallerent, sed ne canes quidem, sollicitum animal excitarent. Anseres non fefellere, quibus in summa inopia Romani abstinuerant, quia aves erant Junoni sacrae; quae res Romanis saluti fuit. Namque clangore anserum alarumque crepitu excitus, Manlius vir bello egregius, ceteros ad arma vocans Gallos ascendentes dejecit: unde mos iste incessit ut solemni pompa, canis in furca suffixus feratur; anser vero velut triumphans in lectica et veste stragula gestetur.

Tunc consensu omnium placuit ab exilio Camillum acciri; missi igitur ad eum legati ipseque dictator absens dictus est. Interim fames utrumque exercitum urgebat: at, ne Galli putarent Romanos ea necessitate ad deditionem cogi, multis locis de Capitolio panis jactatus est in hostium stationes. Ea re adducti sunt Galli ut haud magna mercede obsidionem relinquerent. Pactum est pretium mille pondo auri. Nondum omni auro appenso Camillus dictator intervenit, collectis Romani exercitus reliquiis; auferri aurum de medio jubet, denunciatque Gallis ut se ad proelium expediant. Instruit deinde aciem, et Gallos internecione occidit. Ne nuncius quidem cladis relictus est. Dictator, recuperati, ex hostibus patria, triumphans urbem ingressus est, et a militibus parens patriae, conditorque alter urbis appellatus est.

TITUS MANLIUS TORQUATUS

Titus Manlius ob ingenii et linguae tarditatem a patre rus relegatus fuerat. Cum audisset patri diem dictam esse a Pomponio tribuno plebis, cepit consilium rudis quidem et agrestis animi, sed pietate laudabile. Cultro succinctus mane in urbem, atque a porta confestim ad Pomponium

pergit: introductus cultrum stringit, et super lectum Pomponii stans, se eum transfixurum minatur, nisi ab incoepta accusatione desistat. Pavidus tribunus, quippe qui cerneret ferrum ante oculos micare, accusationem demisit. Ea res adolescenti honori fuit, quod animum ejus acerbitas paterna a pietate non avertisset, ideoque eodem anno tribunus militum factus est.

Cum postea Galli ad tertium lapidem trans Anionem fluvium castra posuissent, exercitus Romanus ab urbe profectus est, et in citeriore ripa fluvii constitit. Pons in medio erat: tunc Gallus eximii corporis magnitudine in vacuum pontem processit, et quam maxima voce potuit: "Quem nunc, inquit, Roma fortissimum habet, is procedat ad pugnam, ut eventus ostendat utra gens bello sit melior " Diu inter primores juvenum Romanorum silentium fuit. Tum Titus Manlius ex statione ad imperatorem pergit: "Injussu tuo, inquit, imperator, extra ordinem nunquam pugnaverim, non, si certam victoriam videam. Si tu permittis, volo isti belluae ostendere me ex ea familia ortum esse, quae Gallorum agmen ex rupe Tarpeia deturbavit. Cui imperator: Macte virtute, inquit, Tite Manli, esto: perge, et nomen Romanum invictum praesta." Armant deinde juvenem aequales scutum capit, Hispano cingitur gladio ad propiorem pugnam habili. Expectabat eum Gallus solide laetus et linguam ab irrisu exerens. Ubi constitere inter duas acies, Gallus ensem cum ingenti sonitu in arma Manlii dejecit. Manlius vero insinuavit sese inter corpus et arma Galli, atque uno et altero ictu ventrem transfodit: jacenti torquem detraxit, quem cruore respersum collo circumdedit suo. Defixerat pavor cum admiratione Gallos; Romani alacres obviam militi suo progrediuntur, et gratulantes laudantesque ad imperatorem perducunt. Manlius inde Torquati nomen accepit.

Idem Manlius, postea consul factus bello Latino ut disciplinam militarem restitueret, edixit ne quis extra ordinem in hostes pugnaret. Forte filius ejus accessit prope stationem hostium: is qui Latino equitatui praeerat ubi consulis filium agnovit, "Visne, inquit, congredi mecum ut singularis proelii eventu cernatur quantam eques Latinus Romano praestet?" Movit ferocem animum juvenis seu ira, seu detractandi certaminis pudor. Oblitus itaque imperii paterni in certamen ruit, et Latinum ex equo excussum transfixit, spoliisque lectis in castra ad patrem venit. Extemplo filium aversatus consul milites classico advocat: qui postquam frequentes convenere: "Quandoquidem inquit, tu, fili, contra imperium consulis pugnasti oportet ut disciplinam poena tua restituas. Triste exemplum, sed in posterum salubre juventuti eris. "I, lictor, deliga ad palum." Metu omnes obstupuere; sed postquam cervice caesa fusus est cruor, in questus et lamenta erupere. Manlio Romam redeunti seniores tantum obviam exierunt: juventus et tunc eum et omni deinde vita exsecrata est.

PUBLIUS DECIUS PUBLIUS

Decius sub Valerio consule tribunus militum fuit. Cum exercitus Romanus in angustiis clausus esset, Decius conspexit editum collem imminentem hostium castris. Accepto praesidio verticem occupavit, hostes terruit, et spatium consuli dedit ad subducendum agmen in aequiorem locum. Ipse intempesta nocte per medias hostium custodias somno oppressas incolumis evasit. Quare ab exercitu donatus est corona civica, quae dabatur ei qui obsidione cives liberasset. Consul fuit bello Latino cum Manlio Torquato. Tunc cum utrique consuli somnio obvenisset eum populum victorem fore, cujus dux in proelio cecidisset, convenit inter eos, ut is cujus cornu in acie laboraret, Diis se Manibus devoveret: inclinante sua parte, Decius se et hostes Diis Manibus devovit. Armatus in equum insiluit, ac se in medios hostes immisit. Corruit obrutus telis, et victoriam suis reliquit.

VALERIUS CORVINUS

Bello Gallico, cum Romani in stationibus quieti tempus tererent, Gallus quidam magnitudine atque armis insignis ante alios progressus est; quatiensque scutum hasta, cum silentium fecisset, unum e Romanis per interpretem provocavit, qui secum ferro decernere, Marcus erat Valerius tribunus militum adolescens, qui prius sciscitatus consulis voluntatem, in medium armatus processit: tunc res visu mirabilis accidisse fertur; nam cum jam manum consereret Valerius, repente in galea ejus corvus insedit in hostem versus. Ales non solum captam semel sedem tenuit, sed quotiescumque certamen initum est, levans se alis, os oculosque Galli rostro et unguibus appetiit. Hostem territum talis prodigii visu, oculisque simul ac mente turbatum Valerius obtruncat. Corvus e conspectu elatus orientem petit. Inde Valerius Corvinus dictus est.

Valerius Corvinus annos tres et viginti natus consul creatus, Samnites bis proelio fudit. Non alias dux militi carior fuit, quia nullus militi familiarior. Omnia inter infimos militum munia haud gravate obibat. In ludo etiam militari, cum velocitatis viriumque certamina inter se aequales ineunt, Valerius ipse cum eis certabat, nec quemquam aspernabatur parem qui se offerret. Semper comis et eodem vultu seu vinceret, seu vinceretur. Cum postea in exercitu orta esset gravis seditio, parsque militum a ceteris defecisset, et ducem sibi fecisset, adversus eos Valerius dictator missus est: qui ubi in conspectum venit, benigne milites allocutus, extemplo omnium iras permulsit, seditionemque compressit: adeo hominum animos conciliat comitas affabilitasque sermonis!

SPURIUS POSTHUMIUS

Spurius Posthumius consul cum bellum adversus Samnites gereret, a Pontio Thelesino duce hostium in insidias inductus est: is namque simulatos transfugas misit qui Romanos monerent Luceriam Apuliae urbem a Samnitibus obsideri. Non erat dubium quin Romani Lucerinis bonis ad fidelibus sociis opem ferrent. Luceriam duae viae ducebant, altera longior et tutior, altera brevior et periculosior. Festinatio breviorem elegit. Itaque cum in insidias venissent, qui locus Furculae Caudinae vocabatur, et fraus hostilis apparuisset, retro viam qua venerant repetunt; at eam hostium praesidio clausam inveniunt: sistunt igitur gradum, et omni spe evadendi adempta, intuentes alii alios diu immobiles silent; deinde erumpunt in querelas adversas duces, quorum temeritate in eum locum erant adducti. Ita noctem tum cibi, tum quietis immemores traduxerunt.

Nec Samnites ipsi quid sibi faciendum in re tam laeta sciebant. Pontius accitum patrem Herennium rogavit quid fieri placeret. Is, ubi audivit inter duos saltus clausum esse exercitum Romanum, dixit aut omnes esse occidendos, ut vires frangerentur, aut omnes dimittendos, esse incolumes, ut beneficio obligarentur. Neutra sententia accepta fuit: interea Romani necessitate victi legatos mittunt qui pacem petant. Pax concessa est ea lege ut omnes sub jugum traducerentur. Itaque paludamenta consulibus detracta, ipsique primi sub jugum missi, deinde singulae legiones: circumstabant armati hostes exprobrantes illudentesque, Romanis e saltu egressis lux ipsa morte tristior fuit: pudor fugere colloquia et coetus hominum cogebat. Sero Romam ingressi sunt et se in suis quisque aedibus abdiderunt. Deliberante senatu de pace Caudina, Posthumius sententiam dicere jussus: "Turpi sponsione, inquit, qua me obstrinxi, non tenetur populus Romanus, quando ejus injussu facta est; nec quidquam ex ea praeter corpus meum debetur Samnitibus. Eis dedite me nudum vinctumque: in me unum saeviant; exsolvam religione populum." Senatus hanc animi magnitudinem admiratus Posthumium laudavit, ejusque sententiam secutus est. Traditus est igitur Posthumius fecialibus, qui eum ad Samnites ducerent. Vestis ei detracta; manus post tergum vinctae sunt; cumque apparitor, verecundia maiestatis, Posthumium laxe vinciret: " Quin tu, inquit ipse Posthumius, adducis lorum, ut justa fiat deditio?" Tum ubi in coetum Samnitium venit, facta deditione, Posthumius fecialis femur genu, quanta potuit vi percussit et clara voce ait se Samnitem civem esse, illum legatum: fecialem a se contra

jus gentium violatum; eo justius bellum adversus Samnites fore. Accepta non fuit Samnitibus ista deditio, Posthumiusque in castra Romana inviolatus rediit.

LUCIUS PAPIRIUS CURSOR

Lucius Papirius, cum dictatorem se adversis ominibus contra Samnites profectum esse sensisset, ad auspicia repetenda Romam regressus est, ac prius Quinto Fabio magistro equitum edixit ut sese loco teneret neu absente se manum cum hoste consereret. Fabius post dictatoris profectionem, opportunitate ductus acie cum Samnitibus conflixit. Neque melius res geri potuisset, si adfuisset dictator. Non miles duci, non dux militi defuit. Viginti millia hostium eo die caesa traduntur. Haud multo post dictator advenit plenus minarum iraeque Statim advocata concione spoliari magistrum equitum, virgasque ac secures expediri jussit. Tam Fabius militum fidem implorare coepit. Clamor in tota concione est ortus: alibi preces, alibi minae audiebantur. Itaque es in posterum diem est dilata.

Magister equitum noctu clam ex castris Romam profugit, quem dictator ipse secutus est. Vocato senatu iterata contentio est; prehendi Fabium Papirius jussit. Tum Fabii pater ad populum provocavit. Populus Romanus ad preces et obtestationem versus, oravit dictatorem ut veniam adolescentiae Fabii daret. Ipse adolescens ejusque pater procumbere ad genus dictatoris coepeerunt, iramque deprecari. Tot precibus cessit Papirius.

Is fuit vir non animi solum vigore, sed etiam corporis viribus excellens. Praecipua pedum pernicitas inerat, quae cognomen etiam dedit. Idem comis et iocorum studiosus. Quadam die inambulans ante tabernaculum, praetorem Praenestinum, qui per timorem segnius suos in proelium duxerat, vocari jussit, et postquam cum graviter increpuit: "Lictor, expedi, inquit, secures," et cum praetorem vidisset metu mortis attonitum: "Agedum, lictor, inquit, exscinde radicem hanc incommodam ambulantibus." Deinde praetorem mulcta dicta dimisit.

PUBLIUS VALERIUS LAEVINUS

Tarentinis quod Romanorum legatis injuriam fecissent, bellum indictum est. Quibus auxilio venit Pyrrhus, rex Epirotarum qui genus ab Achille ducebat. Contra Pyrrhum missus est consul Laevinus, qui, cum exploratores regis cepisset, jussit eos per castra Romana circumduci, tumque incolumes dimitti, ut ea quae vidissent Pyrrho renuntiarent. Mox commissa pugna, cum jam hostes pedem referrent, rex elephantos in Romanorum agmen agi jussit; tuncque mutata est proelii fortuna. Romanos vastorum corporum moles, terribilisque superadstantium armatorum species turbavit. Equi etiam ad conspectum et odorem belluarum exterriti, sessores aut excutiebant, aut secum in fugam abripiebant. Nox proelio finem fecit.

Pyrrhus captivos Romanos summo honore habuit; occisos sepelivit, quos cum adverso vulnere et truci vultu etiam mortuos jacere cerneret, manus ad caelum tulisse dicitur cum hac voce. "Ego talibus viris brevi orbem terrarum subegissem." Deinde ad urbem Romam magnis itineribus contendit: omnia igne et ferro vastavit, ad vicesimum ab urbe lapidem castra posuit. Pyrrho obviam venit Laevinus cum novo exercitu; quo viso rex ait sibi eamdem adversus Romanos esse fortunam, quam Herculi adversus hydram, cui tot capita renascebantur, quot praecisa fuerant: deinde in Campaniam se recepit; missos a senatu de redimendis captivis legatos honorifice excepit; captivos sine pretio reddidit, ut Romani, cognita jam ejus virtute, cognoscerent etiam liberalitatem.

Erat Pyrrho utpote magno et forti viro mitis ac placabilis animus. Solet enim magni animi comes esse clementia: ejus humanitatem experti sunt Tarentini: ei scilicet, cum sero intellexissent se pro

socio dominum accepisse, sortem suam liberis vocibus querebantur, et de Pyrrho multa temere effutiebant, maxime ubi vino incaluerant. Itaque arcessiti ad regem sunt nonnulli, qui de eo in convivio proterve locuti fuerant; sed periculum simplex confessio culpae discussit. Nam cum rex percontatus fuisset an ea quae ad aures suas pervenerant, dixissent? "Et haec diximus, inquiunt, rex; et nisi vinum defecisset, longe plura et graviora dicturi fuimus." Pyrrhus qui malebat vini, quam hominum eam culpam videri, subridens eos dimisit. Pyrrhus igitur, cum putaret sibi gloriosum fore pacem et foedus cum Romanis post victoriam facere, Romam misit legatum Cineam, qui pacem aequis conditionibus proponeret. Erat is regi familiaris magnaque apud eum gratia valebat. Dicere solebat Pyrrhus se plures urbes Cineae eloquentia, quam armorum vi, expugnasse. Cineas tamen regiam cupiditatem non adulabatur: nam cum in sermone Pyrrhus ei sua consilia aperiret, dixissetque se velle Italiam ditioni suae subjicere, respondit Cineas: "Superatis Romanis, quid agere destinas, O rex?" Italiae vicina est Sicilia, inquit Pyrrhus, nec difficile erit eam armis occupare. Tunc Cineas: "Occupata Sicilia, quid postea acturus es?" Rex qui nondum Cineae mentem perspiciebat: In Africam, inquit, trajicere mihi animus est. Pergit Cineas: "Quid deinde, O rex?" Tum denique, Mi Cinea, ait Pyrrhus, nos quieti dabimus dulcique otio fruemur. "Quin tu, respondit Cineas, isto otio jam nunc frueris?"

Romam itaque venit Cineas, et domos principum cum ingentibus donis circumibat. Nusquam vero receptus est. Non a viris solum, sed et a mulieribus spreta ejus munera. Introductus deinde in curiam, cum regis virtutem propensumque in Romanos animum verbis extolleret, et de conditionum aequitate dissereret, sententia senatus ad pacem et foedus faciendum inclinabat; tum Appius Claudius senex et caecus in curiam lectica deferri se jussit, ibique gravissima oratione pacem dissuasit: itaque responsum Pyrrho a senatu est eum, donec Italia excessisset, pacem cum Romanis habere non posse. Senatus quoque vetuit captivos omnes, quos Pyrrhus reddiderat, ad veterem statum redire priusquam bina hostium spolia retulissent. Quare legatus ad regem reversus est: quo cum Pyrrhus quaereret qualem Romam comperisset, respondit urbem sibi templum senatum vero consessum regum esse visum.

CAIUS FABRICIUS

Caius Fabricius unus fuit ex legatis qui ad Pyrrhum de captivis redimendis venerant. Cujus postquam audivit Pyrrhus magnum esse apud Romanos nomen ut viri boni et bello egregii, sed admodum pauperis, cum prae ceteris benigne habuit, eique munera atque aurum ob. tulit. Omnia Fabricius repudiavit. Postero die cum illum Pyrrhus vellet exterrere conspectu subito elephantis, imperavit suis ut bellua post aulaeum admoveretur Fabricio secum colloquenti. Quod ubi factum est, signo dato remotoque aulaeo repente bellua stridorem horrendum emisit, et proboscidem super Fabricii caput suspendit. At ille placidus subrisit, Pyrrhoque dixit: "Non me hodie magis tua commovet bellua, quam heri tuum aurum pellexit."

Fabricii virtutem admiratus Pyrrhus, illum secreto invitavit ut patriam desereret, secumque vellet vivere, quarta etiam regni sui parte oblata; cui Fabricius respondit: "Si me virum bonum judicas, cur me vis corrumpere? Sin vero malum, cur me ambis?" Anno interjecto, omni spe pacis inter Pyrrhum et Romanos conciliandae ablata, Fabricius consul factus, contra eum missus est. Cumque vicina castra ipse et rex haberent, medicus regis nocte ad Fabricium venit, eique pollicitus est, si praemium sibi proposuisset, se Pyrrhum veneno necaturum. Hunc Fabricius vinctum reduci jussit ad dominum, et Pyrrho dici quae contra caput ejus medicus spopondisset. Tunc rex admiratus eum dixisse fertur: "Ille est Fabricius qui difficilius ab honestate, quam sol a suo cursu posset averti."

Cum Fabricius apud Pyrrhum legatus esset, Cineam audivit narrantem esse quemdam Athenis, qui se sapientem profiteretur, eumdemque dicere omnia quae faceremus ad voluptatem se referenda. Tunc Fabricium exclamasse ferunt: " Utinam id hostibus nostris persuadeatur, quo facilius vinci possint, cum se voluptatibus dederint!" Nihil magis ab ejus vita alienum quam voluptas et luxus. Tota ejus supellex argentea salino uno constabat, et patella ad usum sacrorum, quae tamen ipsa corneo pediculo sustinebatur. Cenabat ad focum radices et herbas, quas in agro repurgando vulserat, cum legati a Samnitibus ad eum venerunt, magnamque ei pecuniam obtulerunt; quibus respondit: "Quandiu cupi ditatibus imperare potero, nihil mihi ista pecunia opus erit: hanc ad illos reportate qui ea indigent."

Caius Fabricius cum Rufino viro nobili simultatem gerebat ob morum dissimilitudinem, cum ille pecuniae contemptor esset, hic vero avarus et furax existimaretur. Quia tamen Rufinus egregie fortis ac bonus imperator erat, magnumque et grave bellum imminere videbatur, Fabricius auctor fuit, ut Rufinus consul crearetur: cumque is deinde Fabricio gratias ageret, quod se homo inimicus consulem fecisset: "Nihil est, inquit Fabricius, quod mihi gratias agas, si malui compilari quam venire." Eumdem postea Fabricius censor factus senatu movit, quod argenti facti decem pondo haberet. Fabricius omnem vitam in gloriosa paupertate exegit, adeoque inops decessit, ut unde dos filiarum expediretur non reliquerit. Senatus patris sibi partes desumpsit, et datis ex communi aerario dotibus eas collocavit.

MANIUS CURIUS

Manius Curius contra Samnites profectus eos ingenibus proeliis vicit concione ait. Romam regressus in concione ait "Tantum agri cepi, ut solitudo futura fuerit, nisi tantum hominum cepissem: tantum porro hominum cepi, ut fame perituri fuerint, nisi tantam agri cepissem." Ex tam opulenta victoris, adeo ditari noluit, ut quam a malevolis interversae pecuniae argueretur, gutto ligneo, quo uti ad sacrificia consueverat, in medium prolato juraverit se nihil amplius de praeda hostili in domum suam intulisse. Legatis Samnitum aurum offerentibus, cum ipse rapas in foco torreret, "Malo, inquit, haec in fictilibus meis esse, et aurum habentibus imperare." Agri captivi septena jugera populo viritim divisit: cumque ei senatus jugera quinquaginta assignaret, plus accipere noluit, quam singulis fuerat datum, dixitque malum esse civem, cui non idem quod aliis satis esse posset.

Postea Curius consul creatus adversus Pyrrhum missus est: cumque ea de causa delectum haberet, et juniores taedio belli nomina non darent, conjectis in sortem omnibus tribubus, primum nomen urna extractum citari jussit. Cum adolescens non responderet, bona ejus hastae subjecit. Tunc ille ad tribunos plebis cucurrit, de injuria sibi facta graviter querens, eorumque opem implorans. At Curius et bona ejus et ipsum quoque vendidit, dixitque non esse reipublicae opus eo cive qui parere nesciret: neque tribuni plebis adolescenti auxilio fuerunt; posteaque res in consuetudinem abiit, ut delectu rite acto qui militiam detractaret, in servitutem venderetur. Hoc terrore ceteri adacti nomina promptius dederunt.

His copiis Curius Pyrrhi exercitum cecidit, deque eo rege triumphavit. Insignem triumphum fecerunt quatuor elephanti cum turribus suis tum primum Romae visi. Victus rex in Epirum reversus est; sed relicto in urbe Tarentina praesidio fidem sui reditus fecerat. Itaque cum bellum renovaturus putaretur, Manium Curium iterum consulem fieri placuit; sed inopinata mors regis Romanos metu liberavit. Pyrrhus enim, dum Argos oppugnat, urbem jam ingressus, a juvene quodam Argivo lancea leviter vulneratus est: mater adolescentis anus paupercula cum aliis mulieribus e tecto domus proelium spectabat; quae, cum vidisset Pyrrhum in auctorem vulneris

suo magno impetu ferri, periculo filii sui commota protinus tegulam corripuit, et utraque manu in caput regis dejecit.

PRIMUM BELLUM PUNICUM

APPIUS CLAUDIUS CAUDEX

Appio Claudio consule coeptum est primum adversus Poenos bellum. Cum Messanam Siciliae urbem Carthaginienses et Hiero rex Syracusanus obsiderent, Appius Claudius ad Messanam liberandam missus est. Consul primo ad explorandos hostes nave piscatoria, trajecit fretum inter Italiam et Siciliam interjectum. Ad quem venerunt nuncii ab Hannone Poenorum duce, hortantes ad pacem conservandam. Cum vero consul nullas conditiones admitteret, nisi Poeni ab oppugnatione desisterent, iratus Hanno exclamavit se non esse passurum Romanos vel manus in mari Siculo abluere. Non tamen potuit prohibere quin Claudius in Siciliam legionem traduceret, et Poenos Messana, expelleret. Deinde Hiero apud Syracusas victus est. Qui eo periculo territus Romanorum amicitiam petiit, et in eorum societate postea constanter permansit.

CAIUS DUILIUS

Caius Duilius Poenos navali proelio primus devicit. Is cum videret naves Romanas a Punicis velocitate superari, manus ferreas, quas corvos vocavere, instituit. Ea machina Romanis magno usui fuit nam injectis illis corvis hostilem navem apprehendebant, deinde superjecto ponte in eam insiliebant, et gladio velut in pugna terrestri dimicabant; unde Romanis, qui robore praestabant facilis victoria fuit. Inter pugnandum triginta hostium naves captae sunt, tredecim mersae. Duilius victor Romam reversus est, et primus navalem triumphum egit. Nulla victoria Romanis gratior fuit, quod invicti terra jam etiam mari plurimum possent. Itaque Duilio concessum est ut per omnem vitam praelucente funali et praecinente tibicine a cena publice rediret.

Annibal dux classis Punicae e navi, quae jam capienda erat, in scapham saltu se demisit, et Romanorum manus effugit. Veritus autem ne in patria classis amissae poenas daret, civium offensam astutia avertit: nam ex illa infelici pugna priusquam cladis nuncius domum perveniret, quemdam ex amicis Carthaginem misit; qui curiam ingressus: Vos, inquit, consulit Annibal, cum dux Romanorum magnis copiis maritimis instructus advenerit, an cum eo confligere debeat? Acclamavit universus senatus: "Non est dubium quin confligendum sit." Tum ille: "Fecit, inquit, et victus est." Ita non potuerunt factum damnare quod ipsi fieri debuisse judicaverant. Sic Annibal victus crucis supplicium effugit: nam eo poenae genere dux, re male gesta, apud Poenos afficiebatur.

AULUS ATTILIUS CALATINUS

Attilius Calatinus consul paucis navibus magnam Poenorum classem superavit: sed postea cum temere exercitum in vallem iniquam duxisset, ab hostibus circumventus est. Romanos eximia virtus Calpurnii tribuni militum servavit. Is enim ad consulem accessit eique: "Censeo, inquit, jubeas milites quadringentos ire ad hanc rupem inter medios hostes editam atque asperam, eamque occupare. Futurum enim profecto est ut hostes properent ad occursandum nostris militibus, atque ita circa eam rupem atrox pugna fiat: at tu interea tempus habebis exercitus ex loco infesto educendi. Alia nisi haec salutis via nulla est." Respondit consul: "Fidum quidem et providum hoc consilium videtur; sed quisnam erit qui ducat quadringentos illos milites ad eum locum?" - "Si alium, inquit Calpurnius, neminem reperis, me ad hoc consilium perficiendum uti potes. Ego hanc tibi et reipublicae animam do."

Consul tribuno gratias egit et quadringentos milites dedit. Quos Calpurnius admonens quem in locum deduceret, et quo consilio: "Moriamur, inquit, commilitones, et morte nostra eripiamus ex obsidione circumventas legiones." Omnes nulla spe evadendi, sed amore laudis accensi proficiscuntur. Mirati sunt primo hostes eam militum manum ad se venire. Deinde ubi cognitum est eos ad illam rupem obtinendam iter intendere, adversus illos arma verterunt. Romani repugnant: fit proelium diu anceps. Tandem superat multitudo: quadringenti omnes perfossi gladiis aut missilibus operti cadunt. Consul interim, dum ea pugna fit, se in loca edita et tuta subducit.

Virtuti par fuit Calpurnii fortuna: nam ita evenit ut, cum multis locis saucius factus esset, nullum tamen in capite vulnus acciperet. Inter mortuos multis confossus vulneribus, sed adhuc spirans inventus est: convaluit, saepeque postea operam reipublicae strenuam navavit. Ei merces egregii facinoris data est corona graminea, qua nulla nobilior corona fuit in praemium virtutis belliciae apud populum terrarum principem, et quae ab universo exercitu servato decerni solebat.

MARCUS ATILIUS REGULUS

Marcus Regulus Poenos magna clade affecit. Tunc ad eum Hanno Carthaginiensis venit quasi de pace acturus, sed revera ut tempus traheret, donec novae copiae ex Africa advenirent. Is ubi ad consulem accessit, exortus est clamor, auditaque vox: idem huic faciendum esse quod paucis ante annis Cornelio Romano a Poenis factum fuerat. Cornelius porro per fraudem veluti in colloquium evocatus a Poenis comprehensus fuerat, et in vincula conjectus. Jam Hanno timere incipiebat, sed periculum callido dicto avertit. "Hoc vos, inquit, si feceritis, nihilo eritis Afris meliores." Consul tacere jussit eos qui par pari referri volebant, et conveniens gravitati Romanae responsum dedit: "Isto te metu, Hanno, fides Romana liberat." De pace non convenit, quia nec Poenus serio agebat, et consul victoriam quam pacem malebat.

Regulus deinde in Africam primus Romanorum ducum trajecit. Clypeam urbem et trecenta castella expugnavit: neque cum hominibus tantum, sed etiam cum monstris dimicavit. Nam cum apud flumen Bagradam castra haberet, anguis mirae magnitudinis exercitum Romanum vexabat: multos milites ingenti ore corripuit; plures caudae verbere elisit; nonnullos ipso pestilentis halitus afflatu exanimavit. Neque is telorum ictu perforari poterat; quippe qui durissima squamarum lorica omnia tela facile repelleret. Confugiendum fuit ad machinas, et advectis balistis, tanquam arx quaedam munita dejiciendus hostis fuit. Tandem saxorum pondere oppressus jacuit; sed cruore suo flumen et vicinam regionem infecit, Romanosque castra movere coegit. Corium belluae centum et viginti pedes longum Romam misit Regulus.

Regulo ob res bene gestas imperium in annum proximum prorogatum est. Quod ubi cognovit Regulus, scripsit senatui villicum suum in agello, quem septem jugerum habebat, mortuum esse, et servum occasionem nactum aufugisse ablato instrumento rustico, indeoque petere se ut sibi successor in Africam mitteretur, ne deserto agro non esset unde uxor et liberi alerentur. Senatus, acceptis litteris, res quas Regulus amiserat publica pecunia redimi jussit: agellum colendum locavit, et alimenta conjugi ac liberis praebuit. Regulus deinde crebris proeliis Carthaginiensium opes contudit, eosque pacem petere coegit, quam cum Regulus nollet nisi durissimis conditionibus dare, illi a Lacedaemoniis auxilium petierunt.

Lacedaemonii Xantippum virum belli peritissimum Carthaginiensibus miserunt, a quo Regulus victus est ultima pernicie: duo tantum millia hominum ex omni Romano exercitu remanserunt: Regulus ipse captus, et in carcerem conjectus est. Deinde Romam de permutandis captivis dato jurejurando missus est, ut, si non impetrasset, rediret ipse Carthaginem: qui cum Romam venisset, inductus in senatum mandata exposuit, et primum ne sententiam diceret recusavit, causatus se,

quoniam in hostium potestatem venisset, jam non esse senatorem. Jussus tamen sententiam aperire, negavit esse utile captivos Poenos reddi, quia adolescentes essent et boni duces, ipse vero jam confectus senectute: cujus cum valuisset auctoritas, captivi retenti sunt.

Regulus deinde cum retineretur a propinquis et amicis, tamen Carthaginem rediit: neque vero tunc ignorabat se ad crudelissimum hostem et ad exquisita supplicia proficisci; sed jusjurandum conservandum putavit. Reversum Carthaginienses omni cruciatu necaverunt: palpebris enim resectis aliquandiu in loco tenebricoso tenuerunt; deinde cum sol esset ardentissimus, repente eductum intueri caelum coegerunt; postremo in arcam ligneam incluserunt, in qua undique clavi praeacuti eminebant. Ita dum fessum corpus, quocumque inclinaret, stimulis ferreis confoditur, vigiliis et dolore continuo extinctus est. Hic fuit Atilii Reguli exitus ipsa quoque vita, licet per maximam gloriam diu acta, clarior et illustrior.

APPIUS CLAUDIUS PULCHER

Appius Claudius vir stultae temeritatis, consul adversus Poenos profectus est. Priorum ducum consili palam reprehendebat, seque, quo die hostem vidisset bellum perfecturum esse jactitabat. Antequam navale proelium committeret, auspicia habuit: cumque pullarius ei nunciasset pullos non exire e cavea neque vesci irridens jussit eos in aquam mergi, ut saltem biberent, quoniam esse nollent. Quo facto militum animos vana religio incessit: commisso deinde proelio, magna clades a Romanis accepta est; quorum octo millia caesa sunt, viginti millia capta. Quare Claudius a populo condemnatus est: ea res calamitati fuit etiam Claudiae consulis sorori; nam cum illa a ludis publicis rediens turba premeretur, dixit: "Utinam frater meus viveret, classemque iterum duceret," significans optare se ut nimis magna civium frequentia minueretur. Ob istam vocem impiam Claudia quoque damnata est.

CAIUS LUTATIUS

Caius Lutatius consul finem primo bello Punico imposuit. Ei in Siciliam advenienti nunciatum est maximam classem Poenorum ex Africi venire: erant autem quadringentae naves onustae commeatu quem ad exercitum portabant, cui in Sicilia praeerat Amilcar Carthagininensis. Dux classis Hanno nobilis Poenus cui animus erat naves onere levare, easque deinde acceptis ab Amilcare delectis viris complere. At Lutatius optimum ratus praevertere Hannonis adventum, et cum classe gravi suisque oneribus impedita confligere, adversus eum ad Aegates insulas cursum intendit: nec longa fuit victoriae mora; nam omnes Carthaginiensium naves brevi aut captae aut depressae sunt. Ingens fuit praeda: Poeni victi pacem postularunt, quae eis hac conditione concessa est, ut omnibus insulis quae sunt inter Italiam et Africam decederent, et certum populo Romano vectigal per viginti annos penderent.

SECUNDUM BELLUM PUNICUM

QUINTUS FABIUS MAXIMUS

Annibal, Amilcaris filius, novem annos natus, a patre aris admotus, odium in Romanos perenne juravit. Quae res maxime videtur concitasse secundum bellum Punicum. Nam, Hamilcare mortuo, Annibal causam belli quaerens, Saguntum, urbem Romanis foederatam, evertit. Quapropter Roma missi sunt Carthaginem legati, qui populi Romani querimonias deferrent, et Annibalem mali auctorem sibi dedi postularent. Tergiversantibus Poenis, Quintus Fabius legationis princeps, sinu ex toga facto: "Hic ego, inquit, porto bellum pacemque; utrum placet, sumite." Poenis bellum succlamantibus, Fabius, excussa toga, bellum dare se dixit. Poeni accipere se responderunt, et quo acciperent animo, eodem se gesturos.

Annibal, superatis Pyrenaei et Alpium jugis, in Italiam venit. Publium Scipionem apud Ticinum amnem, Sempronium apud Trebiam, Flaminium apud Trasimenum profligavit. Adversus hostem toties victorem missus, Quintus Fabius dictator, Annibalis impetum mora fregit; namque pristinis edoctus cladibus, belli rationem mutavit. Per loca alta exercitum ducebat, neque ullo loco fortunae se committebat: castris, nisi quantum necessitas cogeret, tenebatur miles. Dux neque occasioni rei bene cogeret gerendae deerat, si qua ab hoste daretur, neque ullam ipse hosti dabat.Frumentatum exeunti Annibali opportunus aderat, agmen carpens, palentes excipiens. Ita ex levibus proeliis superior discessit, militemque coepit minus jam aut virtutis suae aut fortunae poenitere.

His artibus Annibalem Fabius in agro Falerno incluserat; sed ille callidus sine ullo exercitus detrimento se expedivit. Nempe arida sarmenta boum cornibus alligavit, eaque principio noctis incendit: metus flammae relucentis ex capite boves velut stimulatos furore agebat. Hi ergo accensis cornibus per montes, per silvas huc illuc discurrebant. Romani, qui ad speculandum concurrerant, miraculo attoniti constiterunt: ipse Fabius insidias esse ratus, militem extra vallum egredi vetuit. Interea Annibal ex angustiis evasit. Dein Annibal, ut Fabio apud suos crearet invidiam, agrum ejus, omnibus circa vastatis, intactum reliquit; at Fabius omnem ab se suspicionem propulsavit: nam eumdem agrum vendidit, ejusque pretio captivos Romanos redemit.

Haud grata tamen erat Romanis Fabii cunctatio; eumque pro cauto timidum, pro considerato segnem vocitabant. Augebat invidiam Minucius magister equitum dictatorem criminando illum in ducendo bello tempus terere, quo diutius in magistratu esset, solusque et Romae et in exercitu imperium haberet. His sermonibus accensa plebs dictarori magistrum equitum imperio aequavit. Quam injuriam aequo animo tulit Fabius, exercitumque suum cum Minucio divisit. Cum postea Minucius temere proelium commisisset, ei periclitanti auxilio venit Fabius. Cujus subito adventu compressus Annibal receptui cecinit, palam confessus abs se Minucium, a Fabio se victum esse. Eum quoque ex acie redeuntem dixisse ferunt: "Nubes ista quae sedere in jugis montium solebat, tandem cum procella imbrem dedit." Minucius periculo liberatus Fabium, cui salutem debebat, patrem appellavit, eique deinceps parere non abnuit.

Postea Annibal Tarento per proditionem potitus est. In eam rem tredecim fere juvenes nobiles Tarentini conspiraverant. Hi nocte per speciem venandi urbe egressi ad Annibalem, qui haud procul castra habebat, venerunt. Eos laudavit Annibal, monuitque ut redeuntes pascentia Carthaginiensium pecora ad urbem agerent, et praedam veluti ex hoste factam praefecto et custodibus portarum donarent. Id iterum saepiusque ab eis factum, eoque consuetudinis adducta res est, ut quocumque noctis tempore dedissent signum, porta urbis aperiretur. Tunc Annibal eos nocte media cum decem millibus hominum delectis secutus est. Ubi portae appropinquarunt, nota juvenum vox vigilem excitavit. Duo primi inferebant aprum vasti corporis. Vigil incautus, dum belluae magnitudinem miratur, venabulo occisus est. Ingressi Poeni ceteros vigiles sopitos obtruncant. Tum Annibal cum suo agmine ingreditur. Romani passim trucidantur. Livius Salinator Romanorum praefectus, cum eis, qui caedi superfuerant, in arcem confugit.

Profectus igitur Fabius ad recipiendum Tarentum, urbem obsidione cinxit. Romanos plurimum adjuvit res levis momenti. Praefectus praesidii Tarentini deperiebat amore mulierculae cujus frater in exercitu Fabii erat. Miles, jubente Fabio, pro perfugi Tarentum transiit, ac per sororem praefecto conciliatus, eum ad tradendam urbem perpulit. Fabius vigilia prima accessit ad eam partem muri quam praefectus custodiebat. Eo adjuvante, Romani muros inscenderunt. Inde proxima porta refracta Fabius cum exercitu intravit. Annibal, auditi Tarenti oppugnatione, ad opem ferendam festinavit; cumque ei esset nunciatum urbem captam esse. "Et Romani, inquit,

suum Annibalem habent: eadem qua ceperamus, arte Tarentum amisimus." Cum postea Livius Salinator coram Fabio gloriaretur quod arcem Tarentinam retinuisset, diceretque eum sua opera Tarentum recepisse. "Certe, respondit Fabius, Tarentum nunquam recepissem nisi tu perdidisses."

Quintus Fabius jam senex filio suo consuli legatus fuit; cumque in ejus castra veniret, filius obviam patri progressus est; duodecim lictores pro more anteibant. Equo vehebatur senex, nec appropinquante consule descendit. Jam ex lictoribus undecim verecundia paternae majestatis taciti praeterierant. Quod cum consul animadvertisset, proximum lictorem jussit inclamare Fabio patri ut ex equo descenderet. Pater tum desiliens: "Non ego, fili, inquit, tuum imperium contempsi, sed experiri volui an scires consulem agere." Ad summam senectutem vixit Fabius Maximus, dignus tanto cognomine. Cautior quam promptior habitus est; sed insita ejus ingenio prudentia, bello quod tum gerebatur, aptissima erat. Nemini dubium est quin rem Romanam cunctando restituerit.

PAULUS AEMILIUS ET TERENTIUS VARRO

Annibal in Apuliam pervenerat. Adversus eum Roma profecti sunt duo consules Paulus Aemilius et Terentius Varro. Paulo solers Fabii cunctatio magis placebat. Varro autem ferox et temerarius acriora sequebatur consilia.Ambo apud vicum, qui Cannae appellabatur, castra posuerunt. Ibi insitam Varronis te meritatem fortuna aliquo levium proeliorum successis aluerat: itaque invito collega aciem instruxit et signum pugnae dedit. Victus caesusque est Romanus exercitus. Nusquam graviori vulnere afflicta est respublica. Paulus Aemilius telis obrutus cecidit: quem cum media in pugna oppletum cruore conspexit quidam tribunus militum: "Cape, inquit, hunc equum, et fuge, Aemili. Quin tu potius, respondit Paulus, abi, nuncia patribus ut urbem muniant, ac priusquam hostis victor adveniat, praesidiis firment: tu me patere in hac militum meorum strage expirare." Alter consul cum paucis equitibus fugit.

Annibali victori cum ceteri gratularentur, suaderentque ut quietem ipse sumeret, et fessis militibus daret, unus ex ejus praefectis Maharbal, minime cessandum ratus, Annibalem hortabatur ut statim Romam pergeret, die quinto victor in Capitolio epulaturus. cumque Annibali illud consilium non probaretur, Maharbal adjecit: "Vincere scis, Annibal, sed victoria uti nescis." Mora hujus diei satis creditur saluti fuisse urbi et imperio. Postero die, ubi primum illuxit, ad spolia legenda Poeni insistunt. Jacebant tot Romanorum millia ut missi fuerint Carthaginem tres modii annulorum, qui ex digitis equitum et senatorum detracti fuerant. Dein Annibal in Campaniam divertit, cujus deliciis et ipse et exercitus ardor elanguit.

Numquam tantum pavoris Romae fuit, quantum ubi acceptae cladis nuncius advenit. Neque tamen ulla pacis mentio facta est; imo Varroni calamitatis auctori obviam itum est, et gratiae ab omnibus ordinibus actae, quod de republica non desperasset: qui si Carthaginiensium dux fuisset, temeritatis poenas omni supplicio dedisset. Dum Annibal Capuae segniter et otiose ageret, Romani interim respirare coeperunt. Arma non erant; detracta sunt templis et porticibus vetera hostium spolia. Egebat aerarium: opes suas senatus libens in medium protulit, patrumque exemplum imitati sunt equites. Deerant milites: nomina dederunt quidam adhuc praetextati, id est, juniores annis septemdecim, qui satis virium ad ferenda arma habere videbantur: empti sunt publice et armati servi. Id magis placuit quam captivos, licet minore pretio, redimere.

Cum Annibal redimendi sui copiam captivis Romanis fecisset, decem ex ipsis Romam ea de re missi sunt; nec pignus aliud fidei ab eis postulavit Annibal, quam ut jurarent, se, si non impetrassent, in castra redituros. Eos senatus non censuit redimendos cum id parva pecunia fieri potuisset, ut militibus Romanis insitum esset aut vincere aut mori. Unus ex eis legatis e castris

egressus, velut aliquid oblitus paulo post reversus fuerat in castra, deinde comites ante noctem assecutus fuerat. Is ergo, re non impetrata, domum abiit. Reditu enim in castra se liberatum esse jurejurando interpretabatur. Quod ubi innotuit, jussit senatus illum comprehendi, et vinctum duci ad Annibalem. Ea res Annibalis audaciam maxime fregit, quod senatus populusque Romanus rebus afflictis tam excelso esset animo.

MARCUS CLAUDIUS MARCELLUS

Claudius Marcellus praetor Annibalem vinci posse primus docuit. Cum enim ad Nolam Annibal accessisset, spe urbis per proditionem recipiendae, Marcellus instructa ante urbis portam acie cum eo conflixit, et Poenos fudit. Pulsus Annibal exercitum ad Caslilinum parvam Campaniae urbem duxit. Parvum erat in ea praesidium et tamen penuria frumenti efficiebat ut nimium hominum esse videretur. Annibal primo cives verbis benignis ad portas aperiendas coepit allicere: deinde cum in fide Romana perstarent, moliri portas el claustra refringere parat. Tam ex urbe ingenti cum tumultu erumpunt cohortes duae intus instructae, stragemque Poenorum faciunt. Pudor Annibalemab incoepto avertit. Italique relicto circa Casilinum praesidio ne omissa res videretur, ipse in hiberna Capuam concessit, partemque majorem hiemis exercitum in tectis habuit.

Mitescente jam hieme, Annibal Casilinum rediit, ubi obsidio continuata oppidanos ad ultimum inopiae adduxerat. Marcellum cupientem obsessis ferre auxilium Vulturnus amnis inflatus aquis tenebat; at Gracchus, qui cum equitatu Romano Casilino assidebat, farre ex agris undique convecto complura dolia implevit, deinde nuncium ad magistratum Casilinum misit, ut exciperet dolia quae amnis deferret. Insequenti nocte dolia medio missa amne defluxerunt. Aequaliter inter omnes frumentum divisum: id postero quoque die ac tertio factum est. Re detecta, Annibal, catena per medium flumen injecta, intercepit dolia. Tum nuces a Romanis sparsae, quae aqua defluente Casilinum deferebantur, et cratibus excipiebantur. Eo commeatu sociorum necessitas aliquandiu sublevata est.

Postremo ad id ventum est inopiae, ut Casilinates lora manderent detractasque scutis pelles, quas fervida molliebant aqua, nec muribus aliove animali abstinuerunt. Quidam ex his avarus murem captum maluit ducentis denariis vendere, quam eo ipse vesci, leniendae famis gratia. Utrique venditori nempe et emptori, sors merita obtigit nam avaro fame consumpto non licuit sui pecuniae frui; emptor vero cibo comparato vixit. Tandem omne herbarum radicumque genus infimis aggeribus muri eruerunt; et cum hostes locum exarassent, Casilinates raporum semen injecerunt. Miratus Annibal exclamavit: Eone, usque dum ea nascantur, ad Casilinum sessurus sum! Et qui nullam antea pactionem auribus admiserat, tum demum aequas deditionis conditiones non repudiavit.

Postea cum Sicilia a Romanis ad Poenos defecisset, Marcellus consul creatus Syracusas, urbem Siciliae nobilissimam, oppugnavit. Diuturna fuit obsidio; nec eam nisi post tres annos cepit Marcellus. Item confecisset celerius nisi unus homo ea tempestate Syracusis fuisset. Is erat Archimedes, mirabilis inventor machinarum, quibus omnia Romanorum opera brevi disturbabat. Captis Syracusis, Marcellus eximia hominis prudentia delectatus, utcapiti illius parceretur edixit. Archimedes, dum in pulvere quasdam formas describeret attentius, patriam suam captam esse non senserat. Miles praedandi causa a in domum ejus irrupit, et minantis voce quisnam esset eum interrogavit. Archimedes propter cupiditatem illud investigandi quod requirebat, non respondit. Qua propter a, milite obtruncatus est. Ejus mortem aegre tulit Marcellus, sepulturaeque curam habuit.

Marcellus, recepta Sicilia, cum ad urbem venisset, postulavit ut sibi triumphanti Romam inire liceret. Id non impetravit; sed tantum ut ovans ingrederetur. Pridie injussu senatus in monte Albano triumphavit; inde ovans multam prae se praedam in urbem intulit. Cum simulacro captarum Syracusarum perlata sunt multa urbis ornamenta, nobiliaque signa quibus abundabant Syracusae; quae omnia ad aedem Honoris atque Virtutis contulit; nihil in suis aedibus, nihil in hortis posuit. In sequenti anno iterum Annibalem missus est. Tumulus erat inter Punica et Romana castra, quem occupare Marcellus cupiebat; at prius locum ipse explorare voluit. Eo cum paucis equitibus proficiscitur; sed in insidias delapsus est, et lancea transfixus occubuit. Annibal inventum Marcelli corpus magnifice sepeliri jussit.

CLAUDIUS NERO ET MARCUS LIVIUS SALINATOR

Asdrubal frater Annibalis ex Hispania, profectus cum ingentibus copiis in Italiam trajicere parabat. Actum erat de imperio Romano, si jungere so Annibali potuisset. Itaque Roma profecti sunt duo consules Claudius Nero et Livius Salinator; hic in Galliam Cisalpinam, ut Asdrubali ad Alpibus descendenti occurreret, ille vero in Apuliam, ut Annibali se opponeret. Fuerant Livio cum Nerone veteres inimicitiae tamen ubi ei collega datus est, injuriae quamgravissimam acceperat oblitus est; et amicitiam cum eo junxit, ne propter privatam discordiam respublica male administraretur. Ea gratiae reconciliatione laetus senatus digredientes in provincias consules prosecutus est. Eiporro id in mente habebant, ut uterque in sua provincia hostem contineret, neque conjungi aut conferre in unum vires pateretur.

Inter haec Asdrubal Italiam ingressus, quatuor equites cum litteris ad Annibalem misit: qui capti ad Neronem sunt perducti. Consul, cognito Asdrubalis consilio, audendum aliquid improvisum ratus, cum delectis copiis profectus est nocte, et inscio Annibale, paene totam Italiam emensus sex dierum spatio ad castra Livii pervenit, amboque collatis signis Asdrubalem apud Senam vicerunt. Caesa sunt eo proelio quinquaginta sex hostium millia. lpse Asdrubal, netantae cladi superesset, concitato equo se in cohortem Romanam immisit, ibique pugnans cecidit. Nero ea nocte, quae pugnam secuta est, pari celeritate qua venerat, in castra sua rediit, antequam Annibal eum discessissesentiret. Caput Asdrubalis, quod servatum cum cura attulerat, projici ante hostium stationes jussit. Annibal, viso fratris occisi capite, dixisse fertur: "Agnosco fortunam Carthaginis."

PUBLIUS CORNELIUS SCIPIO AFRICANUS

Publius Cornelius Scipio nondum annos pueritiae egressus patrem singulari virtute servavit: nam cum is in pugna. apud Ticinum contra Annibalem commissa graviter vulneratus esset, et in hostium manus jamjam venturus esset, filius, interjecto corpore, Poenis irruentibus se opposuit, et patrem periculo liberavit. Quae pietas Scipioni postea Aedilitatem petenti favorem populi conciliavit; cum obsisterent tribuni plebis negantes rationem ejus esse habendam, quod nondum ad petendum legitima aetas esset: "Si me, inquit Scipio, omnes quirites aedilem facere volunt, satis annorum habeo." Tanto inde favore ad suffragia itum est, ut tribuni incepto destiterint.

Post cladem Cannensem, Romani exercitus reliquiae Canusium perfugerant: cumque ibi tribuni militum quatuor essent, tamen omnium consensu ad Publium Scipionem admodum adolescentem summa imperii delata est. Tunc Scipioni nunciatum est nobiles quosdam juvenes de Italia deserenda conspirare. Statim in hospitium Metelli, quiconspirationis erat princeps, se contulit Scipio; cumque concilium ibi juvenum de quibus allatum erat, invenisset, stricto super capita consultantium gladio. "Jurate, inquit, vos neque rempublicam populi Romani deserturos, neque alium civem Romanum deserere passuros; qui non juraverit, in se hunc gladium strictum

esse sciat." Haud secus pavidi, quam si victorem Annibalem cernerent, jurant omnes, custodiendosque semetipsos Scipioni tradunt.

Cum Romani duas clades in Hispania accepissent, duoque ibi summi imperatores cecidissent, placuit exercitum augeri, eoque proconsulem mitti; nec tamen quem mitterent satis constabat. Ea de re indicta sunt comitia. Primo populus exspectabat, ut qui se tanto dignos imperio crederent, nomina profiterentur; sed nemo audebat illud imperium suscipere. Moesta itaque civitas erat, et prope consilii inops. Subito Cornelius Scipio quatuor et viginti ferme annos natus, professus est se petere, et in superiore, unde conspici posset, loco constitit: in quem omnium ora conversa sunt. Deinde ad unum omnes Scipionem in Hispania, proconsulem esse jusserunt. At postquam animorumimpetus resedit, populum Romanum coepit facti poenitere. Aetati Scipionis maxime diffidebant. Quod ubi animadvertit Scipio, advocata concione, ita magno elatoque animo disseruit de bello quod gerendum erat, uthomines cura liberaverit, speque certa impleverit.

Profectus igitur in Hispaniam Scipio Carthaginem novam, qua die venit, expugnavit. Eo congestae erant omnes paene Africae et Hispaniae opes, quibus potitus est. Inter captivos ad eum adducta est eximiae formae adulta virgo. Postquam comperit eam illustri loco inter Celtiberos natam, principique ejus gentis adolescenti desponsam fuisse, arcessitis parentibus et sponso eam reddidit. Parentes virginis qui ad eam redimendam satis magnum auri pondusattulerant Scipionem orabant ut id ab se donum reciperet. Scipio aurum poni ante pedes jussit vocatoque ad se virginis sponso: "Super dotem, inquit quam accepturus a socero es, haec tibi a me dotalia dona accedent"; aurumque tollere ac sibi habere jussit. Ille domum reversus, ad referendam Scipioni gratiam, Celtiberos Romanis conciliavit.

Deinde Scipio Asdrubalem victum ex Hispania expulit. Castris hostium potitus, omnem praedam militibus concessit: captivos Hispanos sine pretio domum dimisit. Afros vero vendi jussit. Erat inter eos puer adultus regii generis forma insigni, quem percunctatus est Scipio quis et cujas esset, et cur id aetatis in castris fuisset? Respondit puer: "Numida sum; Massivam populares vocant: orbus a patre relictus apud avum maternum Numidiae regem educatus sum: cum avunculo Masinissa, qui nuper subsidio Carthaginiensibus venit, in Hispaniam trajeci; prohibitus propter aetatem a Masinissa ante proelium inii. Eo die quo pugnatum est cum Romanis, inscio avunculo, clam armisequoque sumpto in aciem exivi: prolapso equo, captus sum a Romanis." Scipio eum interrogavit velletne ad avunculum reverti? Id vero cupere se dixit puer, effusis gaudio lacrymis. Tam Scipio eum annulo aureo et equo ornato donavit, datisque, qui tuto deducerent, equitibus dimisit.

Cum Publius Cornelius Scipio se erga Hispanos clementer gessisset, circumfusa multitudo eum regem ingenti consensu appellavit; at Scipio, silentio per praeconem facto, dixit: Nomen imperatoris, quo me mei milites appellarunt, mihi maximum est: regium nomen alibi magnum, Romae intolerabile est. Si id amplissimum judicatis quod regale est, vobis licet existimare regalem in me esse animum; sed oro vos ut a regis appellatione abstineatis. Sensere etiam barbari magnitudinem animi, qua Scipio id aspernabatur quod ceteri mortales admirantur et concupiscunt.

Scipio, recepta Hispania, cum jam bellum in ipsam Africam transferre meditaretur, conciliandos prius regum et gentium animos existimavit. Syphacem Maurorum regem primum tentare statuit. Eum regem totius Africa opulentissimum magno usui sibi fore sperabat. Itaque legatum cum donis ad eum misit. Syphax amicitiamRomanorum se accipere annuit, sed fidem nec dare nec accipere nisi cum ipso coram duce Romano voluit. Scipio igitur in Africam trajecit. Forte incidit ut eo ipso tempore Asdrubal ad eumdem portum appelleret, Syphacis amicitiam pariter petiturus.

Uterque a rege in hospitium invitatus. Cenatum simul apud regem est, et eodem lecto Scipio atque Asdrubal accubuerunt. Tanta autem inerat comitas Scipioni, ut non Syphacem modo sed etiam hostem infensissimum Asdrubalem sibi conciliaverit. Scipio, foedere icto cum Syphace, in Hispaniam ad exercitum rediit.

Masinissa quoque amicitiam cum Scipione jungere jamdudum cupiebat. Quare ad eum tres Numidarum principesmisit, ad tempus locumque colloquio statuendum. Duos pro obsidibus retineri a Scipione voluit, remisso tertio, qui Masinissam in locum constitutum adduceret. Scipio et Masinissa cum paucis in colloquium venerunt. Ceperat jam ante Masinissam ex fama rerum gestarum admiratio viri, sed major praesentis veneratio cepit: erat enim in vultu multa majestas; accedebat promissa caesaries, habitusque corporis non cultus munditiis, sed virilis vere ac militaris, et florens juventa. Prope attonitus ipso congressu Numida gratias de filio fratris remisso agit: affirmat se ex eo tempore eam quaesivisse occasionem, quam tandem oblatam non omiserat; cupere se illi et populo Romano operam navare. Laetus eum Scipio audivit, atque in societatem recepit.

Scipio deinde Romam rediit, et ante annos consul factus est. Ei Sicilia provincia decreta est, permissumque est ut in Africam inde trajiceret. Qui cum vellet ex fortissimis peditibus Romanis trecentorum equitum numerum complere, nec posset illos statim armis et equis instruere, id prudenti consilio perfecit. Trecentos juvenes ex omni Sicilia nobilissimos et ditissimos legit, velut eos ad oppugnandam Carthaginem secum ducturus, eosque jussit quam celerrime arma et equos expedire. Edicto imperatoris paruerunt juvenes, sed longinquum et grave bellum reformidabant. Tunc Scipio remisit illis istam expeditionem, si arma et equos militibus Romanis vellent tradere. Laeti conditionem acceperunt juvenes Siculi. Ita Scipio sine publica impensa suos instruxit ornavitque equites.

Tunc Scipio ex Sicilia in Africam vento secundo profectus est. Tantus erat militum ardor, ut non ad bellum duci viderentur, sed ad certa victoriae praemia. Celeriter naves e conspectu Siciliae ablatae sunt, conspectaque brevi Africae littora. Expositis copiis, Scipio in proximis tumulis castra metatus est. Ibi speculatores hostium in castris deprehensos et ad se perductos nec supplicio affecit, nec de consiliis ac viribus Paenorum percontatus est; sed circa omnes Romani exercitus manipulos curavit deducendos: dein interrogavit an ea satis considerassent quae jussi erant speculari; tum, prandio dato, eos incolumes dimisit. Qua sui fiducia prius animos hostium, quam arma contudit.

Scipioni in Africam advenienti Masinissa se conjunxit cum parva, equitum turma. Syphax vero a Romanis ad Poenos defecerat. Asdrubal Poenorum dux Syphaxque se Scipioni opposuerunt: at Scipio utriusque castra una nocte perrupit et incendit. Syphax ipse captus est, et vivus ad Scipionem pertractus. Quem cum in castra Romana adduci nunciatum esset, omnis, velut ad spectaculum triumphi, multitudo effusa est: praecedebat is vinctus; sequebatur nobilium Numidarum turba. Movebat omnes fortuna viri, cujus amicitiam olim Scipio petierat. Regem aliosque captivos Romam misit Scipio: Masinissam, qui egregie rem Romanam adjuverat, aurea corona donavit.

Haec clades Carthaginiensibus tantum terroris intulit, ut Annibalem ex Italia ad tuendam patriam revocaverint: qui frendens gemensque ac vix lacrymis temperans, mandatis paruit. Respexit saepe Italiae littora, semet accusans quod non exercitum victorem statim a pugna Cannensi Romam duxisset. Jam Zamam venerat Annibal (quae urbs quinque dierum iter a Carthagine abest), inde nuncium ad Scipionem misit, ut colloquendi secum potestatem faceret. Colloquium haud abnuit Scipio. Dies locusque constituitur. Itaque congressi sunt duo clarissimi suae aetatis

duces. Steterunt aliquandiu mutua admiratione defixi. Cum vero de conditionibus pacis inter illos non convenisset, ad suos se receperunt renunciantes armis rem esse dirimendam. Proelium commissum est, victusque Annibal cum quatuor tantum equitibus fugit.

Carthaginienses metu perculsi, ad petendam pacem oratores mittunt triginta seniorum principes: qui ubi in castra Romana venerunt, more adulantium procubuere. Conveniens oratio tam humili adulationi fuit. Veniam civitati petebant non culpam purgantes, sed initium culpae in Annibalem transferentes. Victis leges imposuit Scipio. Legati, cum nullas conditiones recusarent, Romam profecti sunt, ut quae a Scipione pacta essent, ea patrum ac populiauctoritate confirmarentur. Ita pace terra marique parta, Scipio, exercitu in naves imposito, Romam reversus est. Ad quem advenientem concursus ingens factus est. Effusa non ex urbibus modo, sed etiam ex agris turba vias obsidebat. Scipio inter gratulantium plausus triumpho omnium clarissimo urbem est invectus, primusque nomine victae se gentis est nobilitatus, Africanusque appellatus.

Annibal a Scipione victus, suisque invisus, ad Antiochum Syriae regem confugit, eumque hostem Romanis fecit. Missi sunt Roma legati ad Antiochum, in quibus erat Scipio Africanus, qui cum Annibale collocutus, ab eo quaesivit quem fuisse maximum imperatorem crederet? Respondit Annibal Alexandrum Macedonum regem maximum sibi videri, quod parva manu innumerabiles exercitus fudisset. Interroganti deinde quem secundum poneret; Pyrrhum, inquit, quod primus castra metari docuit, nemoque illo elegantius loca cepit, et praesidia disposuit. Sciscitanti demum quem tertium duceret, semetipsum dixit. Tum ridens Scipio: Quidnam, inquit, igitur tu diceres, si me vicisses? "Me vero, respondit Annibal, et ante Alexandrum et ante Pyrrhum et ante alios omnes posuissem." Ita improviso assentationis genere, Scipionem e grege imperatorum velut inaestimabilem secernebat.

Decreto adversas Antiochum bello, cum Syria provincia obvenisset Lucio Scipioni, quia parum in eo putabatur esse animi, parum roboris, senatus belli hujus gerendi curam mandari volebat collegae ejus Caio Laelio. Surrexit tunc Scipio Africanus frater major Lucii Scipionis, et illam familiae ignominiam deprecatus est: dixit in fratre suo summam esse virtutem, summum consilium, seque ei legatum fore promisit; quod cum ab eo esset dictum, nihil est de Lucii Scipionis provincia commutatum: itaque frater natu major minori legatus in Asia profectus est, et tandiu eum consilio operaque adjuvit, donec ei triumphum et cognomen Asiatici peperisset.

Eodem bello filius Scipionis Africani captus fuit, et ad Antiochum deductus. Benigne et comiter adolescentem rex habuit, quamvis ab ejus patre tunc finibus imperii pelleretur. Cum deinde pacem Antiochus a Romanis peteret, legatus ejus Publium Scipionem adiit; eique filium sine pretio redditurum regem dixit, si per eum pacem impetrasset. Cui Scipio respondit: "Abi, nuncia regi me pro tanto munere gratias agere; sed nunc aliam gratiam non possum referre, quam ut ei suadeam bello absistere, nullamque pacis conditionem recusare." Pax non convenit; Antiochus tamen Scipioni filium remisit, tantique viri majestatem venerari, quam dolorem ulcisci maluit.

Victo Antiocho, cum praedae Asiaticae ratio a duobus, Scipionibus reposceretur, Africanus prolatum a fratre discerpsit librum, quo acceptae et expensae summae continebantur, indignatus scilicet ea de re dubitari quae sub ipso legato administrata fuisset, et ad eum modum verba fecit: "Non est quod quaeratis, patres conscripti, an parvam pecuniam in aerarium retulerim, qui antea illud Punice auro repleverim, neque mea innocentia potest in dubium vocari. Cum Africam totam potestati vestrae subjecerim, nihil ex ea praeter cognomen retuli. Non igitur me punicae, non fratrem meum Asiaticae gazae avarum reddiderunt; sed uterque nostrum magis invidia quam pecunia,est onustus." Tum constantem defensionem Scipionis universus senatus comprobavit.

Deinde Scipioni Africano duo tribuni plebis diem dixerunt quasi praeda ex Antiocho capta, aerarium fraudasset: ubi causae dicendae dies venit, Scipio magna hominum frequentia in forum est deductus. Jussus causam dicere, sine ulla criminis mentione, magnificam orationem de rebus a se gestis habuit. "Hac die, inquit, Carthaginem vici: eamus in Capitolium, et Diis supplicemus." E foro statim in Capitolium ascendit. Simul se universa concio ab accusatoribus avertit, et secuta Scipionem est, nec quisquam praeter praeconem, qui reum citabat, cum tribunis mansit. Celebratior is dies favore hominum fuit, quam quo triumphans de Syphace rege et Carthaginiensibus urbemest ingressus. Inde, ne amplius tribunitiis injuriis vexaretur, in Literninam villam concessit, ubi reliquam egit aetatem sine urbis desiderio.

Cum Scipio Africanus Liternii degeret, complures praedonum duces ad eum videndum forte confluxerunt. Scipio eos ad vim faciendam venire ratus, praesidium servorum in tecto collocavit, aliaque parabat quae ad eos repellendos opus erant. Quod ubi praedones animadverterunt, abjectis armis, januae appropinquant, nunciantque se non vitae ejus hostes, sed virtutis admiratores venisse conspectum tanti viri expetentes; proinde ne gravaretur se spectandum praebere. Id postquam audivit Scipio, fores reserari eosque introduci jussit. Illi postes januae tanquam religiosissimam aram venerati, cupide Scipionis dexteram apprehenderunt, ac diu deosculati sunt: deinde positis ante vestibulum donis, laeti quod Scipionem videre contigisset, domum reverterunt. Paulo post mortuus est Scipio, moriensque ab uxore petiit ne corpus suum Romam referretur.

LUCIUS SCIPIO ASIATICUS

Lucius Scipio frater Africani infirmo erat corpore; tamen consul, legato fratre, contra Antiochum missus est. Cum in Asiam advenisset, ad duo ferme millia ab hoste castra posuit. Antiochus coepit aciem instruere, nec Scipio detrectavit certamen. Cum autem duae acies in conspectu essent, coorta nebula caliginem dedit, quae nihil admodum Romanis, eadem plurimum regiis nocuit; nam humor gladios aut pila Romanorum non hebetabat; arcus vero quibus Antiochi milites utebantur, fundasque et jaculorum amenta emollierat. Itaque fusus est regis exercitus fugatusque. Ipse Antiochus, cum paucis fugiens, in Lydiam concessit. Tam Asiae urbes victori se dediderunt. Lucius Scipio Romam reversus, ingenti gloria triumphavit, et Asiatici cognomen accepit.

Postea Lucius Scipio simul cum fratre accusatus est acceptae ab Antiocho pecuniae, et quamvis contenderet omnem praedam in aerarium fuisse illatam, damnatus tamen est et in carcerem duci coeptus. Tunc Tiberius Gracchus, licet Scipionis inimicus, dixit sibi quidem esse cum Scipione simultatem, nec se quidquam gratiae quaerendae causa facere; sed non passurum Lucium Scipionem in carcere atque in vinculis esse, jussitque eum dimitti. Gratiae ingentes a senatu actae sunt Tiberio Graccho, quod rempublicam privatis simultatibus potiorem habuisset. Missi deinde quaestores in domum Scipionis nullum pecuniae regiae vestigium repererunt. Lucio Scipioni collata est ab amicis propinquisque ea pecunia qua mulctatus fuerat; eam vero Scipio noluit accipere.

PUBLIUS SCIPIO NASICA

Publius Scipio Nasica patrui Scipionis Africani filius, cum adolescens aedilitatem peteret, manumque cujusdam civis Romani rustico opere duratam, more candidatorum, apprehendisset, jocans interrogavit eum, num manibus solitus esset ambulare: quod dictum a circumstantibus exceptum ad populum manavit, causamque repulsae Scipioni attulit. Namque omnes rusticae tribus paupertatem sibi ab eo exprobratam judicantes, iram suam adversus contumeliosum ejus

dicterium exercuerunt. Quae repulsa nobilis adolescentis ingenium ab insolentia revocavit, eumque magnum et utilem civem fecit.

Cum Annibal Italiam devastaret, responsum ab oraculo editum esse ferunt: hostem Italia pelli vincique posse, si mater Idaea a Pessinunte Romam advecta foret, et hospitio apud civem optimum reciperetur. Legati ea de re ad Attalum Pergami regem missi sunt. Is legatos comiter acceptos Pessinuntem deduxit. Quaerendus deinde fuit vir qui eam rite hospitio exciperet. Publium Scipionem Nasicam senatus judicavit virum esse in tota civitate optimum. Idem consul imperatoris nomen a militibus, et triumphum a senatu oblatum recusavit, dixitque satis gloriae sibi in omnem vitam eo die quaesitum esse, quo vir optimus a senatu judicatus fuerat: hoc titulo, etsi nec consulatus, nec triumphus addatur, satis honoratam publii Scipionis Nasicae imaginem fore.

Scipio Nasica censor factus, gravem se ac severum praebuit. Cum equitum censum ageret, equitem quemdam vidit obeso et pingui corpore, equum vero ejus strigosum et macilentum. "Quidnam causae est, inquit censor, cur sis tu, quam equus pinguior?" - "Quoniam, respondit eques, ego me ipse curo, equum vero servus." Minus verecundum visum est responsum, itaque graviter objurgatus eques, et mulcta damnatus. Idem Scipio Nasica cum Ennio poeta vivebat conjunctissime. Cum ad eum venisset, eique ab ostio quaerenti ancilla dixisset Ennium domi non esse, Nasica sensit illam domini jussu dixisse, et illum intus esse. Paucis post diebus cum ad Nasicam venisset Ennius, et eum a janua quaereret, exclamavit ipse Nasica se domi non esse. Tum Ennius: "Quid! ego non cognosco, inquit, vocem tuam?" Hic Nasica: "Homo es impudens: ego cum te quaererem, ancillae tuae credidi te domi non esse; tu non mihi credis ipsi."

MARCUS PORCIUS CATO

Marcus Porcius Cato ortus municipio Tusculo, adolescentulus priusquam honoribus operam daret, rure in praediis paternis versatus est, deinde Romam demigravit, et in foro esse coepit. Primum stipendium meruit annorum decem septemque, Quinto Fabio consule, cui postea semper adhaesit. Inde castra secutus est Claudii Neronis, ejusque opera magni aestimata est in proelio apud Senam, quo cecidit Asdrubal frater Annibalis. Ab adolescentia frugalitatem temperantiamque coluit. Pellibus haedinis pro stragula veste utebatur; eodem cibo quo milites vescebatur; aquam in bellicis expeditionibus potabat; si nimio aestu torqueretur, acetum; si vires deficerent, paululum vilis vini.

Quaestor Scipioni Africano obtigit, et cum eo parum amice vixit. Nam parcimoniae amans haud probabat sumptus, quos Scipio faciebat. Quare, eo relicto, Romam rediit, ibique Scipionis vitam palam et aperte re reprehendit, quasi militarem disciplinam corrumperet. Dictitabat illum cum pallio et crepidis solitum ambulare in Gymnasio, palaestrae operam dare, militum licentiae indulgere. Quod crimen non verbo, sed facto diluit Scipio. Nam cum ea de re legati Roma Syracusas missi essent, Scipio exercitum omnem eo convenire et classem expedire jussit, tanquam dimicandum eo die terra marique cum Carthaginiensibus esset, postridie, legatis inspectantibus, pugnae simulacrum exhibuit. Tam eis armamentaria, horrea, omnemque belli apparatum ostendit. Reversi Romam legati, omnia apud exercitum Scipionis praeclare se habere renuntiarunt.

Eadem asperitate Cato matronarum luxum insectatus est. Scilicet in medio ardore belli Punici, Oppius tribunus plebis legem tulerat, qua vetabantur mulieres Romanae plus semuncia auri habere, vestimento varii coloris uti, et juncto vehiculo in urbe vehi. Confecto autem bello, et florente republica, matronae pristina ornamenta sibi reddi postulabant; omnes vias urbis

obsidebant, virosque ad forum descendentes orabant, ut legem Oppiam, abrogarent. Quibus acerrime restitit Cato, sed frustra; nam lex fuit abrogata.

Cato creatus consul, in Hispaniam adversas Celtiberos profectus est. Quos acri proelio vicit, et ad deditionem compulit: eo in bello Cato cum ultimis militum parcimonia vigiliis et labore certavit, nec in quemquam gravius severiusque imperium exercuit, quam in semetipsum. Cum Hispanos ad defectionem pronos videret, cavendum judicavit ne deinceps rebellare possent. Id autem effecturus sibi videbatur, si eorum muros dirueret. Sed veritus ne, si id universis civitatibus imperaret communi edicto, non obtemperarent, scripsit ad singulas separatim ut muros diruerent, epistolasque omnibus simul eodemque die reddendas curavit. Cum unaquaeque sibi soli imperari putaret, universae paruerunt. Cato Romam reversus de Hispania triumphavit.

Postea Cato censor factus, severe ei praefuit potestati. Nam, et in complures nobiles animadvertit, et imprimis Lucium Flaminium virum consularem senatu movit. Cui inter alia facinora illud objecit. Cum esset in Gallia Flaminius, mulierem, cujus amore deperibat, ad cenam vocavit, eique forte inter cenandum dixit multos capitis damnatos in vinculis esse, quos securi percussurus esset. Tum illa negavit se unquam vidisse quemquam securi ferientem, et pervelle id videre. Statim Flaminius unum ex his, qui in carcere detinebantur, adduci jussit, et ipse securi percussit. Tam perditam libidinem eo magis notandam putavit Cato, quod cum probro privato conjungeret imperii dedecus. Quid enim crudelius quam inter pocula et dapes ad spectaculum mulieris humanam victimam mactare, et mensam cruore respergere?

Cum in senatu de tertio Punico bello ageretur, Cato jam senex delendam Carthaginem censuit, negavitque ea stante salvam esse posse rempublicam. Cum autem id, contradicente Scipione Nasica, non facile patribus persuaderet, deinceps quoties de re aliqua sententiam dixit in senatu, addidit semper: "Hoc censeo, et Carthaginem esse delendam." Tandem in curiam intulit ficum praecocem, et excussa toga effudit: cujus cum pulchritudinem patres admirarentur, interrogavit eos Cato quandonam ex arbore lectam putarent? Illis ficum recentem videri affirmantibus: "Atqui, inquit, tertio abhinc die scitote decerptam esse Carthagine; tam prope ab hoste absumus." Movit ea res patrum animos, et bellum Carthaginiensibus indictum est.

Fuit Cato ut senator egregius, ita bonus pater: cum ei natus esset filius, nullis negotiis nisi publicis impediebatur quominus adesset matri infantem abluenti et fasciis involventi. Illa enim proprio lacte filium alebat. Ubi aliquid intelligere potuit puer, eum pater ipse in literis instituit, licet idoneum et eruditum domi servum haberet. Nolebat enim servum filio maledicere, vel aurem vellicare, si tardior in discendo esset; neque etiam filium tanti beneficii, hoc est doctrinae, debitorem esse servo. Ipse itaque ejus ludi magister, ipse legum doctor, ipse lanista fuit. Conscripsit manu sua, grandibus literis historias, ut etiam in paterna domo ante oculos proposita haberet veterum instituta et exempla.

Cum postea Catonis filius in exercitu Pompili tiro militaret, et Pompilio visum esset unam dimittere legionem, Catonis quoque filium dimisit; sed cum is amore pugnandi in exercitu remansisset, Cato pater ad Pompilium scripsit, ut, si filium pateretur in exercitu remanere, secundo eum obligaret militiae sacramento, quia, priore amisso, cum hostibus jure pugnare non poterat. Exstat quoque Catonis patris ad filium epistola, in qua scribit se audivisse eum missum factum esse a Pompilio imperatore monetque eum ut caveat ne proelium ineat. Negat enim jus esse, qui miles non sit, eum pugnare cum hoste.

Agricultura plurimum delectabatur Cato, malebatque agrorum et pecorum fructu, quam foenore ditescere. Cum ab eo quaereretur quid maxime in re familiari expediret. Respondit, bene pascere. Quid secundum? Satis bene pascere. Quid tertium? Male pascere. Quid quartum? Arare. Et cum

ille qui quaesierat dixisset, quid foenerari? Tum Cato: "Quid, inquit, hominem occidere?" Scripsit ipse villas suas, ne tectorio quidem fuisse perlitas, atque postea addidit: "Neque mihi aedificatio neque vas, neque vestimentum ullum est pretiosum; si quid est, quo uti possim, utor; si non est, facile careo. Suo quemque uti et frui per me licet: mihi vitio quidam vertunt, quod multis egeo; at ego illis vitio tribuo, quod nequeunt egere."

Injuriarum patientissimus fuit Cato. Cum ei causam agenti, protervus quidam, pingui saliva quantum poterat attracta, in frontem mediam inspuisset, tulit hoc leniter: "Et ego, inquit, o homo! affirmabo falli eos qui te negant os habere." Ab alio homine improbo contumeliis proscissus: "Iniqua, inquit, tecum mihi est pugna: tu enim probra facile audis, et dicis libenter; mihi vero et dicere ingratum, et audire insolitum." Dicere solebat acerbos inimicos melius de quibusdam mereri quam eos amicos qui dulces videantur; illos enim saepe verum dicere, hos nunquam.

Cato ab adolescentia usque ad extremam aetatem inimicitias, reipublicae causa, suscipere non destitit: ipse a multis accusatus, non modo nullum existimationis detrimentum fecit, sed, quoad vixit, virtutum laude crevit. Quartum et octogesimum annum agens, ab inimicis capitali crimine accusatus suam ipse causam peroravit, nec quisquam, aut memoriam ejus tardiorem, aut lateris firmitatem imminutam, aut os haesitatione impeditum animadvertit. Non ilium enervavit, nec afflixit senectus: ea aetate aderat amicis, veniebat in senatum frequens. Graecas etiam literas senex didicit. Quando obreperet senectus, vix intellexit. Sensim sine sensu aetas ingravescebat; nec subito fracta est, sed diuturnitate quasi extincta. Annos quinque et octoginta natus excessit e vita.

TITUS QUINCTIUS FLAMINIUS

Titus Quinctius Flaminius filius ejus, qui apud Trasimenum periit, consul missus est adversus Philippum Macedonum regem, qui Annibalem pecunia et copiis juverat, Atheniensesque populi Romani socios armis lacessiverat. Contraxerant autem bellum cum Philippo Athenienses haudquaquam digna causa. Duo juvenes Acarnanes non initiati templum Cereris cum cetera turba ingressi sunt. Facile eos sermo prodidit. Perducti ad antistites templi, etsi manifestum erat eos per errorem ingressos, tanquam ob infandum scelus interfecti sunt: Acarnanes suorum nece commoti, ad vindicandos illos auxilium a Philippo petierunt, qui terram Atticam igne ferroque vastavit, urbes complures cepit, Athenas ipsas oppugnavit.

Quinctius exercitu conscripto maturius quam soliti erant priores consules profectus, in Graeciam magnis itineribus contendit. Tunc caduceator ab rege venit, locum ac tempus colloquendi postulans. Flaminius victoriae quam pacis avidior, tamen ad constitutum tempus venit in colloquium, postulavitque ut Philippus omni Graecia decederet. Accensus indignatione rex exclamavit: "Quid victo imperares gravius, Tite Quincti?" Et cum quidam ex circumstantibus oculis aeger adjecisset, aut bello vincendum, aut melioribus parendum esse. "Apparet id quidem, inquit Philippus, etiam caeco", jocans in ejus valetudinem oculorum. Erat quippe Philippus dicacior natura, quam regem decet, et ne inter seria quidem satis risu temperans. Dein, re infecta, se ex colloquio proripuit. Eum Flaminius bis proelio fudit castrisque exuit.

Quinctius Flaminius Graeciae veterem statum reddidit ut legibus suis viveret, et antiqua libertate frueretur. Aderat ludorum Isthmiorum tempus, ad quod spectaculum Graecia universa convenerat. Tam praeco in mediam arenam processit, tubaque silentio facto, haec verba pronunciavit: "Senatus, populusque Romanus et Titus Quinctius Flaminius imperator, Philippo rege et Macedonibus devictis, omnes Graeciae civitates liberas esse jubet." Audita voce praeconis, majus gaudium fuit, quam quantum homines possent capere: vix satis credebat se

quisque audivisse, alii alios intuebantur mirabundi revocatus praeco, cum unusquisque non audire tantum, sed videre etiam libertatis suae nuncium averet, iterum pronunciavit eadem. Tum tantus clamor ortus est, ut certo constet aves, quae supervolabant, attonitas paventesque decidisse.

Quinctio Flaminio triumphus a Senatu decretus est. Postea cum Prusias Bithyniae rex legatos Romam mississet, casu accidit ut legati apud Flaminium cenarent atque ibi de Annibale mentione facta, ex his unus diceret eum in Prusiae regno esse. Id postero die Flaminius senatui detulit. Patres, qui, vivo Annibale, nunquam metu vacui erant, legatos in Bithyniam miserunt, in his Flaminium, qui Annibalem sibi dedi poscerent. A primo colloquio Flaminii, ad domum Annibalis custodiendam, milites a rege missi sunt. Annibal septem exitus e domo fecerat, ut semper aliquod iter fugae praeparatum haberet. Postquam nunciatum est ei milites regios in vestibulo esse, conatus est postico occulto fugere: ubi vero id quoque obseptum sensit, et omnia clausa esse, hausto, quod sub annuli gemma habebat, veneno absumptus est.

LUCIUS PAULUS AEMILIUS MACEDONICUS

Paulus Aemilius ejus qui ad Cannas cecidit filius erat. Consul sortitus est Macedoniam provinciam, in qua Perseus Philippi filius paterni in Romanos odii haeres bellum renovaverat. Cum adversus Perseum profecturus esset, et domum suam ad vesperum rediret, filiolam suam Tertiam, quae tunc erat admodum parva, osculans, animadvertit tristiculam: "Quid est, inquit, mea Tertia, quid tristis es?" - "Mi pater, inquit illa, Perse periit." (Erat autem mortua catella eo nomine). Tum ille arctius puellam complexus: "Accipio omen, inquit, mea filia." Ita ex fortuito dicto quasi spem certam clarissimi triumphi animo praesumpsit. Ingressus deinde Macedoniam recta ad hostem perrexit.

Cum duae acies in conspectu essent, Sulpicius Gallus, tribunus militum, Romanum exercitum magno metu liberavit. Is enim, cum lunae defectionem nocte sequenti futuram praesciret, ad concionem vocatis militibus dixit: "Nocte proxima, ne quis id pro portento accipiat, ab hora secunda usque ad quartam luna defectura est. Id, quia naturali ordine et statis fit temporibus, et sciri ante et praedici potest. Itaque, quemadmodum nemo miratur lunam nunc pleno orbe, nunc senescentem exiguo cornu fulgere, sic mirum non est eam obscurari, quando umbra terrae conditur." Quapropter Romanos non movit illa defectio; Macedones vero eadem, ut triste prodigium, terruit.

Paulus Aemilius cum Perseo acerrime dimicavit tertio nonas septembris. Macedonum exercitus caesus fugatusque est: rex ipse cum paucis fugit. Fugientes persecutus est Aemilius usque ad initium noctis. Tum se in castra victor recepit. Reversum gravis cura angebat quod filium in castris non invenisset. Is erat Publius Scipio, postea Africanus deleta Carthagine appellatus, qui decimum septimum tunc annum agens, dum acrius sequitur hostes, in partem aliam turba abreptus fuerat. Media tandem nocte in castra rediit. Tunc, recepto sospite filio, pater tantae victoriae gaudium sensit. Victus Perseus in templum confugerat, ibique in angulo obscuro delitescebat: deprehensus, et cum filio natu maximo ad consulem perductus est.

Perseus pulla veste amictus castra ingressus est. Non alias ad ullum spectaculum tanta multitudo occurrit. Rex captivus progredi prae turba non poterat, donec consul lictores misit, qui submovendo circumfusos iter ad praetorium facerent. Paulus Aemilius, ubi audivit Perseum adesse, consurrexit, progressusque paulum introeunti regi manum porrexit: ad genua procumbentem erexit; introductum in tabernaculum suo lateri assidere jussit. Deinde eum interrogavit qua inductus injuria bellum contra populum Romanum tam infesto animo suscepisset? Rex, nullo dato responso, terram intuens diu flevit. Tum consul: "Bonum, inquit,

animum habe: populi Romani clementia non modo spem tibi, sed prope certam fiduciam salutis praebet."

Postquam Perseum consolatus est Paulus Amilius sermonem ad circumstantes Romanos convertit: "Videtis, inquit, exemplum insigne mutationis rerum humanarum: vobis haec praecipue dico, juvenes; ideo neminem decet in quemquam superbe agere, nec praesenti credere fortunae." Eo die Perseus a consule ad cenam invitatus est, et alius omnis ei honos habitus est, qui haberi in tali fortuna, poterat. Deinde cum ad consulem multarum gentium legati gratulandi causa venissent Paulus Aemilius ludos magno apparatu fecit, lautumque convivium paravit: qua in re curam et diligentiam adhibebat, dicere solitus et convivium instruere et ludos parare viri ejusdem esse, qui sciret bello vincere.

Confecto bello, Paulus Aemilius regia nave ad urbem est subvectus. Completae erant omnes Tiberis ripae obviam effusa multitudine. Fuit ejus triumphus omnium longe magnificentissimus. Populus, exstructis per forum tabulatis in modum theatrorum, spectavit in candidis togis. Aperta templa omnia et sertis coronata thure fumabant. In tres dies distributa est pompa spectaculi. Primus dies vix suffecit transvehendis signis tabulisque; sequenti die translata aunt arma, galeae, scuta, loricae, pharetrae, argentum aurumque. Tertio die, primo statim mane ducere agmen coepere tibicines, non festos solemnium pomparum modos, sed bellicum sonantes, quasi in aciem procedendum foret. Deinde agebantur pingues cornibus auratis et vittis redimiti boves centum et viginti.

Sequebantur Persei liberi, comitante educatorum et magistrorum turba qui manus ad spectatores cum lacrymis miserabiliter tendebant, et pueros docebant implorandam suppliciter victoris populi misericordiam. Pone filios incedebat cum uxore Perseus stupenti et attonito similis. Inde quadringentae coronae aureae portabantur, ab omnibus fere Graeciae civitatibus dono missae. Postremo ipse in curru Paulus auro purpuraque fulgens eminebat, qui magnam cum dignitate alia corporis, tum senecta ipsa majestatem prae se ferebat. Post currum inter alios illustres viros filii duo Aemilii; deinde equites turmatim, et cohortes peditum suis quaeque ordinibus. Paulo a senatu et a plebe concessum est ut in ludis Circensibus veste triumphali uteretur, eique cognomen Macedonici inditum.

Tantae huic laetitiae gravis dolor admixtus est. Nam Paulus Aemilius, duobus filiis in adoptionem datis, duos tantum nominis haeredes domi retinuerat. Ex his minor ferme duodecim annos natus, quinque diebus ante triumphum patris, major autem triduo post triumphum decessit. Erat porro Aemilius liberorum amantissimus; eos erudiendos curaverat non solum Romana veteri disciplina, sed etiam Graecis literis. Optimos adhibuerat magistros, eorumque exercitiis omnibus ipse interfuerat, cum eum respublica alio non vocaret. Eum tamen casum fortiter tulit, et in oratione, quam de rebus a se gestis apud populum habuit: "Optavi, inquit, ut si quid adversi immineret ad expiandam nimiam felicitatem, id in domum meam potius quam in rempublicam recideret. Nemo jam ex tot liberis superest, qui Pauli Aemilii nomen ferat; sed hanc privatam calamitatem vestra felicitas, et secunda fortuna publica consolatur."

Paulus Aemilius omni Macedonum gaza, quae fuit maxima, potitus erat: tantam in aerarium populi Romani pecuniam invexerat, ut unius imperatoris praeda finem attulerit tributorum; at hic non modo nihil ex thesauris regiis concupivit, sed ne ipse quidem spectare eos dignatus est. Per alios homines cuncta administravit, nec quidquam in domum suam intulit, praeter memoriam nominis sempiternam: mortuus est adeo pauper, ut dos ejus uxori, nisi vendito, quem unum reliquerat, fundo, non potuerit exsolvi. Exsequiae ejus non tam auro et ebore, quam omnium benevolentia et studio fuerunt insignes. Macedoniae principes, qui tunc Romae erant

legationis nomine, humeros suos funebri lecto sponte subjecerunt. Quem enim in bello ob virtutem timuerant, eumdem in pace ob justitiam diligebant.

CAIUS POPILIUS LAENAS

Paulo Aemilio consule, Romam venerunt legati a Ptolemaeo rege Aegypti, qui, pulso fratre majore, Alexandriam tenebat. Nam Antiochus rex Syriae, per speciem reducendi in regnum majoris Ptolemaei, Aegyptum invadere conabatur. Jam navali proelio vicerat minorem Ptolemaeum, et Alexandriam obsidebat; nec procul abesse videbatur quin regno opulentissimo potiretur, Legati sordidati, barba et capillo promisso, cum ramis oleae ingressi curiam procubuerunt. Oratio fuit etiam miserabilior quam habitus. Orabant senatum ut opem regno Aegypti ferret. Moti patres legatorum precibus, extemplo legationem miserunt, cujus princeps Caius Popilius Laenas, ad bellum inter fratres componendum. Jussus est Popilius adire prius Antiochum, deinde Ptolemaeum, eisque denunciare ut bello absisterent: qui secus fecisset, eum pro hoste a senatu habitum iri.

Prope Alexandriam Antiocho occurrerunt legati, quos advenientes Antiochus amice salutavit, et Popilio dextram porrexit; at Popilius suam regi noluit porrigere, sed tabellas, in quibus erat senatusconsultum, ei tradidit, atque statim legere jussit. Quibus perlectis, Antiochus dixit se, adhibitis amicis, consideraturum quid faciendum sibi esset. Indignatus Popilius, quod rex aliquam moram interponeret, virga, quam manu gerebat, regem circumscripsit; ac: "Prius, ait, quam hoc circulo excedas, da responsum, quod senatui referam." Obstupefactus Antiochus, cum parumper haesitasset: "Faciam, inquit, quod censet senatus." Tum demum Popilius dextram regi tanquam socio et amico porrexit. Eadem die, cum Antiochus excessisset Aegypto, legati concordiam inter fratres auctoritate sua firmaverunt. Clara ea legatio fuit, quod Egyptus Antiocho adempta, redditumque regnum patrium stirpi Ptolemaei fuerat.

PUBLIUS SCIPIO AEMILIANUS

Publius Scipio Aemilianus Pauli Macedonici filius, adoptione Scipionis Africani nepos, a tenera aetate Graecis literis a Polybio praestantis ingenii viro eruditus est. Ex ejus doctrina tantos fructus tulit, ut non modo aequales suos, sed etiam majores natu omni virtutum genere superaret. Temperantiae et continentiae laudem ante omnia comparare studuit, quod quidem tunc difficile erat. Mirum enim est quo impetu ad libidines et epulas juvenes Romani et tempore ferrentur. At Scipio contrarium vitae institutum secutus, publicam modestiae et continentiae famam est adeptus. Polybium semper domi militiaeque secum habuit: semper inter arma ac studio versatus; aut corpus periculis, aut animum disciplinis exercuit.

Scipio Aemilianus primum in Hispania, Lucullo duce, militavit; eoque in bello egregia fuit ejus opera. Nam rex quidam barbarus mirae proceritatis splendidis armis ornatus, saepe Romanos provocabat, si quis singulari certamine secum vellet congredi. Cumque nemo contra eum exire auderet, suam Romanis ignaviam cum irrisu et ludibrio exprobrabat. Non tulit indignitatem rei Scipio, progressusque ad hostem, conserta pugna eum prostravit, pari Romanorum laetitia et hostium terrore, quod ingentis corporis virum ipse exiguae staturae dejecisset. Scipio multo majus etiam adiit periculum in expugnatione urbis, quam tunc obsidebant Romani: nam ipse primus murum conscendit, viamque aliis militibus aperuit. Ob haec praeclare gesta, Lucullus dux juvenem pro concione laudatum murali corona donavit.

TERTIUM BELLUM PUNICUM

Tertio bello Punico, cum clarum esset Scipionis nomen, juvenis adhuc factus est consul, eique Africa provincia extra sortem data est, ut quam urbem avus ejus concusserat, eam nepos evertere. Tunc enim Romani suadente Catone, deliberatum habebant Carthaginem diruere. Carthaginiensibus igitur imperatum est ut, si salvi esse vellent, ex urbe migrarent, sedemque alio in loco, a mari remoto, constituerent. Quod ubi Carthagine auditum est, ortus statim est ululatus ingens, clamorque bellum esse gerendum, satiusque esse extrema omnia pati, quam patriam relinquere. Cum vero neque naves neque arma haberent, in usum novae classis tecta domosque resciderunt; aurum et argentum pro aere ferroque conflatum est; viri, feminae, pueri, senes simul operi instabant: non die, non noctu labor intermissus. Ancillas primo totonderunt, ut ex earum crinibus funes facerent; mox etiam matronae ipsae capillos suos ad eumdem usum contulerunt.

Scipio exercitum ad Carthaginem admovit, eamque oppugnare coepit: quae urbs, quanquam summa vi defenderetur, tandem expugnata est. Rebus desperatis, quadraginta millia hominum se victori tradiderunt. Dux ipse Asdrubal inscia uxore, ad genua Scipionis cum ramis oleae supplex procubuit. Cum vero ejus uxor se a viro relictam vidisset, diris omnibus eum devovit; tum duobus liberis dextra laevaque comprehensis, a culmine domus se in medium flagrantis urbis incendium immisit. Deleta Carthagine, Scipio victor Romam reversus est. Splendidum egit triumphum, Africanusque est appellatus. Ita cognomen Africani Carthago capta Scipioni majori, eadem eversa Scipioni minori peperit.

Postea Scipio iterum consul creatus, contra Numatinos in Hispaniam profectus est. Ibi multiplex clades priorum ducum inscitia a Romanis accepta fuerat. Scipio, ubi primum advenit, corruptum licentia exercitum ad pristinam disciplinam revocavit. Omnia deliciarum instrumenta castris ejecit. Qui miles extra ordinem fuisset deprehensus, eum virgis caedebat: jumenta omnia vendi jussit, ne oneribus portandis usui essent: militem quemque triginta dierum frumentum ac septenos vallos ferre coegit. Cuidam propter onus aegre incedenti dixit: "Cum te gladio vallare sciveris, tunc vallum ferre desinito." Ita redacto in disciplinam exercitu, urbem Numantiam obsedit. Numantini fame adacti, se ipsi trucidaverunt. Captam urbem Scipio delevit, et de ea triumphavit.

Scipio censor fuit cum Mummio viro nobili, sed segniore. Tribu movit quemdam, qui ordines ducens proelio non interfuerat. Cumque ille quaereret cur notaretur, qui custodiae causa in castris remansisset, Scipio respondit: "Non amo nimium diligentes." Equum ademit adolescenti, qui in obsidione Carthaginis, vocatis ad cenam amicis, diripiendam sub figura urbis Carthaginis placentam in mensa posuerat: quaerentique causam: "Quia, inquit Scipio, me prior Carthaginem diripuisti." Contra Mummius Scipionis collega neque ipse notabat quemquam, et notatos a collega, quos poterat, ignominiae eximebat. Unde Scipio, cum ei cupienti censuram ex majestate reipublicae gerere impedimento esset Mummii segnities, in senatu ait: "Utinam mihi collegam dedissetis, aut non dedissetis!"

In Scipione Aemiliano etiam multa privatae vitae dicta factaque celebrantur. Caio Laelio familiariter usus est. Ferunt cum eo Scipionem saepe rusticatum fuisse, eosque incredibiliter repuerascere solitos esse, cum rus ex urbe, tanquam e vinculis evolavissent. Vix audeo dicere de tantis viris; sed ita narratur conchas eos ad litus maris legere consuevisse, et ad omnem animi remissionem ludumque descendere. Mortuo Paulo Aemilio, Scipio cum fratre haeres relictus animum vere fraternum in eum ostendit; nam universam ei haereditatem tradidit quod illum videret re familiari minus quam se instructum. Pariter, defuncta matre, omnia bona materna sororibus concessit, quanquam nulla pars haereditatis ad eas lege pertineret.

Cum in concione interrogaretur quid sentiret de morte Tiberii Gracchi, qui populi favorem pravis largitionibus captaverat, palam respondit cum jure caesum videri. Quo responso exacerbata concio acclamavit; tum Scipio clamorem ortum a vili plebecula animadvertens: "Taceant, inquit, quibus Italia noverca est, non mater." Cum magis etiam obstreperet populus, ille vultu constanti: "Hostium, inquit, armatorum toties clamore non territus, qui possum vestro moveri?" Tunc constantia et auctoritate viri perculsa plebs conticuit. Deinde quasi vim sibi mox inferendam animo praesagiret, malam sibi rependi gratiam laborum pro republica susceptorum ab ingratis civibus questus est. Maxima patrum frequentia domum deductus est.

Postridie quam domum se validus receperat, Scipio repente in lectulo exanimis est inventus. De tanti viri morte nulla habita est quaestio, ejusque corpus velato capite est elatum, ne livor in ore appareret. Metellus, licet Scipionis inimicus, hanc necem adeo graviter tulit, ut, ea audita in forum advolaverit, ibique moesto vultu clamaverit: "Concurrite, cives; moenia urbis nostrae eversa sunt: Scipioni intra suos penates quiescenti nefaria vis illata est." Idem Metellus filios suos jussit funebri ejus lecto humeros subjicere, eisque dixit: "Nunquam a vobis id officium majori viro praestari poterit." Scipionis patrimonium tam exiguum fuit, ut triginta duas libras argenti, duas et selibram auri tantum reliquerit.

Cum duo consules, quorum alter inops erat, alter autem avarus, in senatu contenderent uter in Hispaniam ad bellum gerendum mitteretur, ac magna inter patres esset dissensio, rogatus sententiam Scipio Aemilianus: "Neutrum, inquit, mihi mitti placet; quia alter nihil habet; alteri nihil est satis." Scilicet ad rem bene gerendam judicabat pariter abesse debere et inopiam et avaritiam. Alioquin maxime verendum est ne publicum munus quaestui habeatur, et praeda communis in privatum imperatoris lucrum convertatur. Longe ab hac culpa alienus fuit Scipio; nam post duos consulatus et totidem triumphos officio legationis fungens, septem tantum servos secum duxit. E Carthaginis et Numantiae spoliis comparare plures certe potuerat; sed nihilo locupletior Carthagine eversa fuit, quam ante. Itaque cum per populi Romani socios et exteras nationes iter faceret, non mancipia ejus, sed victoriae numerabantur, nec quantum auri et argenti, sed quantum dignitatis atque gloriae secum ferret, aestimabatur.

TIBERIUS GRACCHUS ET CAIUS GRACCHUS

Tiberius Gracchus et Caius Gracchus Scipionis Africani ex filia nepotes erant. Horum adolescentia bonis artibus et magna omnium spe floruit. Ad egregiam quippe indolem accedebat optima educatio. Exstant Corneliae matris epistolae, quibus apparet eos non solum in gremio matris educatos fuisse, sed etiam ab ea sermonis elegantiam hausisse. Maximum matronis ornamentum esse liberos bene institutos merito putabat sapientissima illa mulier: cum Campana matrona, apud illam hospita, ornamenta sua, quae erant illa aetate pretiosissima, ostentaret ei muliebriter, Cornelia traxit eam sermone, quousque a schola redirent liberi; quos reversos hospitae exhibens: "En haec, inquit, mea ornamenta". Nihil quidem istis adolescentibus neque a natura neque a doctrina defuit; sed ambo rempublicam, quam tueri potuissent, impie perturbare maluerunt.

Tiberius Gracchus, cum esset tribunus plebis, a senatu descivit: populi favorem profusis largitionibus sibi conciliavit; agros plebi dividebat, dabat civitatem omnibus Italicis; provincias novis coloniis replebat: quibus rebus viam sibi ad regnum parare videbatur. Quare convocati patres deliberabant quidnam faciendum esset. Tiberius in Capitolium venit, manum ad caput referens; quo signo salutem suam populo commendabat: hoc nobilitas ita accepit quasi diadema posceret. Tum Scipio Nasica, cum esset consobrinus Tiberii Gracchi, patriam cognationi praetulit, sublataque dextera proclamavit: Qui rempublicam salvam esse volunt me sequantur; dein

Gracchum fugientem persecutus in eum irruit, suaque manu eum interfecit. Mortui Tiberii corpus in flumen projectum est.

Caium Gracchum idem furor, qui fratrem Tiberium, invasit: seu vindicandae fraternae necis, seu comparandae regiae potentiae causa, vix tribunatum adeptus est, cum pessima coepit inire consilia: maximas largitiones fecit; aerarium effudit; legem de frumento plebi dividendo tulit. Perniciosis Gracchi consiliis, quanta poterant contentione, obsistebant omnes boni, in quibus maxime Piso vir consularis. Is cum multa contra legem frumentariam dixisset, lege tamen lata, ad frumentum cum ceteris accipiendum venit; Gracchus animadvertit in concione Pisonem stantem; eum sic compellavit, audiente populo Romano. "Qui tibi constas, Piso, cum ea lege frumentum petas quam dissuasisti?" Cui Piso: "Nolim quidem, Grache, inquit, mea bona tibi viritim dividere liceat: sed si facias, partem petam." Quo responso aperte declaravit vir gravis et sapiens lege quam tulerat Gracchus patrimonium publicum dissipari.

Decretum a senatu latum est, ut videret consul Opimius ne quid detrimenti respublica caperet; quod decretum, nisi in maximo discrimine, ferri non solebat. Caius Gracchus, armata familia, Aventinum occupaverat. Quamobrem consul, vocato ad arma populo, Caium aggressus est qui pulsus, dum a templo Dianae desilit, talum intorsit, et cum jam a satellitibus Opimii comprehenderetur, jugulum servo praebuit, qui dominum et mox semetipsum super domini corpus interemit. Consul promiserat se pro capite Gracchi aurum repensurum esse; quare Septimuleius quidam lancea praefixum Caii caput attulit, eique aequale auri pondus persolutum est. Aiunt etiam illum prius cervice perforata, cerebroque exempto, plumbum infudisse, quo gravius efficeretur.

Occiso Tiberio Graccho, cum senatus consulibus mandasset ut in eos qui cum Tiberio consenserant animadverteretur, Blosius quidam Tiberii amicus pro se deprecatum venit; hancque, ut sibi ignosceretur, causam afferebat, quod tanti Gracchum fecisset, at quidquid ille vellet, sibi faciendtim putaret. Tum consul: "Quid? ait, si te in Capitolium faces ferre vellet, obsecuturusne voluntati illius fuisses propter istam quam jactas familiaritatem?" - "Nunquam, inquit Blosius, id quidem voluisset; sed, si voluisset, paruissem." Nefaria est ista vox; nulla enim est excusatio peccati, si amici causa peccaveris.

LUCIUS MUMMIUS ACHAICUS

Cum Corinthii adversus Romanos rebellassent, eorumque legatis injuriam fecissent, Lucius Mummius consul, conscripto exercitu, Corinthum profectus est. Corinthii, veluti nihil negotii bello Romano suscepissent omnia neglexerant. Praedam, non proelium cogitantes, vehicula duxerant ad spolia Romanorum reportanda. Conjuges liberosque ad spectaculum certaminis in montibus posuerunt. Quam vecordiam celerrima poena consecuta est; nam proelio ante oculos suorum commisso caesi, lugubre his spectaculum et gravem luctus memoriam reliquerunt. Conjuges et liberi eorum de spectatoribus captivi facti praeda victorum fuere. Urbs ipsa Corinthus direpta primum, deinde tuba praecinente diruta est: populus omnis sub corona venditus; dux eorum victus domum refugit eamque incendit; conjugem interfecit, et in ignem praecipitavit; ipse veneno interiit.

Erat Corinthi magna vis signorum tabularumque pretiosarum, quibus Mummius urbem et totam replevit Italiam nihil vero in domum suam intulit: sed harum rerum adeo rudis et ignarus erat Mummius, at, cum eas tabulas Romam portandas locaret, edixerit conducentibus, si eas perdidissent, novas esse reddituros. Una eximii pictoris tabella ludentibus alea militibus alvei vicem praestitit. Quae tabella deinde, cum praeda venderetur, ab Attalo rege sex millibus

nummorum empta est. Mummius pretium admiratus, ex alieno judicio pulchritudinem tabellae suspicatus est, atque venditionem rescidit et tabellam jussit Romam deferri.

QUINTUS METELLUS MACEDONICUS

Quintus Metellus a domita Macedonia dictus Macedonicus missus est adversas pseudo-Philippum, hominem humili loco natum qui se Persei regis filium mentiebatur, eaque fraude Macedoniam occupaverat. Fabulam autem hujusmodi finxerat: praedicabat se ex Perseo rege ortum, et ab eo fidei cuiusdam viri Cretensis commissum, ut in belli casus, quod tunc ille cum Romanis gerebat, aliquod veluti semen stirpis regiae reservaretur; datum ei insuper libellum signo Persei impressum, quem puero traderet, cum ad puberem aetatem venisset. Mortuo Perseo, se Adrumeti educatum usque ad duodecimum aetatis annum, ignarum fuisse generis sui, eumque existimavisse patrem a quo educaretur. Ab eo tandem morti proximo detectam fuisse originem suam, sibique libellum traditum. Erat praeterea juveni forma, quae Persei filium non dedeceret. Hunc Metellus bis proelio fudit, et die triumphi ante currum egit.

Postea Quintus Metellus bellum in Hispania contra Celtiberos gessit; et cum urbem, quae erat caput gentis obsideret, jamque admota machina, partem muri, quae sola convelli poterat brevi dijecturus videretur, humanitatem certae victoriae praetulit. Vir quidam in obsessa civitate nobilis, nomine Rethogenes, ad Metellum transierat, relictis in oppido filiis. Irati cives Rethogenis filios Machinae ictibus objecerunt. Nihil motus periculo filiorum pater hortabatur Metellum ut ne oppugnatione desisteret; at Metellus obsidionem maluit solvere, quam pueros in conspectu patris crudeli nece interfici: atque hujus mansuetudinis fructum tulit; namque multae aliae urbes admiratione hujus facti se sponte ei dediderunt.

Metellus, cum urbem Contebriam viribus expugnare non posset, ad fallendum hostem convertit animum, et viam reperit qua propositum ad exitum perduceret. Itinera magno impetu ingrediebatur, deinde alias atque alias regiones petebat: modo hos occupabat montes, modo ad illos transgrediebatur. Cum interim et suis et hostibus ignota esset causa cur sic sua mutaret consilia, a quodam amico interrogatus quid ita incertum belli genus sequeretur: Absiste, inquit Metellus, ista quaerere; namque tunicam meam exurerem, si eam consilium meum scire existimarem. Postquam vero et exercitum suum ignorantia et, hostes errore implicavit, cum alio cursum direxisset, subito ad Contebriam reflexit, eamque inopinatam et attonitam oppressit.

Raram Metelli Macedonici felicitatem multi scriptores concelebrant: ea quidem ipsi omnia contigerunt, qua beatam vitam videntur efficere. Fortuna eum nasci voluit in urbe terrarum principe: parentes nobilissimos dedit; adjecit animi eximias dotes et corporis vires, quae tolerandis laboribus sufficere possent; multa decora in ejus domum congessit: nam cum ipse consul, censor etiam augurque fuisset, et triumphasset, tres filios consules vidit, e quibus unum etiam et censorem et triumphantem quartum autem praetorem; tres quoque filias bene nuptas. Hunc autem vitae cursum consentaneus finis excepit; nam Metellum ultimae senectutis spatio defunctum, et leni mortis genere inter oscula complexusque natorum extinctum filii et generi humeris suis, per urbem sustulerunt, et rogo imposuerunt.

QUINTUS METULLUS NUMIDICUS

Quintus Metellus consul cum Jugurtha Numidarum rege bellum gessit: is a Micipsa adoptatus, duos ejus filios fratres suos interfecerat, ut solus Numidiae imperio potiretur. Micipsa in amicitia et societate populi Romani semper permanserat. Postquam igitur Romae cognitum est nefarium Jugurthae scelus, placuit illud ulcisci. Metellus cum exercitu in Africam navigavit, et cum hoste manus conseruit. Qua in parte Jugurtha affuit; ibi aliquandiu certatum est, neque hic ullum boni

ducis aut militis officium praetermisit. Ceteri vero ejus milites primo congressu pulsi fugatique sunt; Jugurtha in oppidum munitum perfugit. Paucis post diebus Metellus eum insecutus, iterum proelio fudit: Numidiam vastavit, urbes amplas et munitissimas cepit; quae victoria ei nomen Numidici fecit.

Postea Quintus Metellus censor factus est, ejusque egregia fuit censura, et omnis vita plena gravitatis. Cum ab inimicis accusatus, causam de pecuniis repetundis diceret, et ipsius tabulae circumferrentur judicibus inspiciendae, nemo ex illis fuit qui non removeret oculos, et se totum averteret, ne quisquam dubitare videretur verumne an falsum esset quod ille retulerat in tabulas. Cum Saturninus tribunus plebis legem senatus majestati adversam et reipublicae perniciosam tulisset, Metellus in eam legem jurare noluit, eaque de causa in exilium actus est. Honestum Rhodi secessum invenit ibique litteris operam dedit. Ita vir fortissimus de civitate maluit decedere, quam de sententia, eique salus patriae dulcior quam conspectus fuit.

Metelli filius precibus et lacrymis a populo impetravit ut pater ab exilio revocaretur. Is forte ludos spectabat, cum ei redditae sunt litterae, quibus scriptum erat, maximo senatus et populi consensu, reditum illi in patriam datum esse. Nihil eo nuncio moveri visus est: non prius e theatro abiit, quam spectaculum ederetur; non laetitiam suam proxime sedentibus ulla ex parte ostendit, sed summum gaudium intra se continuit, parique vultu in exilium abiit, et fuit restitutus; adeo moderatum inter secundas et adversas res gessit animum! Tantus vero ad eum advenientem concursus est factus, ut dies totus consumptus sit in gratulationibus illum ad portam urbis excipientium; inde in Capitolium ascendentem, et lares repetentem universa propemodum civitas deduxit.

MARCUS AEMILIUS SCAURUS

Marcus Aemilius Scaurus nobili familia ortus est, sed paupere. Nam pater ejus, quamvis patricius, ob rei familiaris inopiam carbonarium negotium exercuisse dicitur. Filius ipse dubitavit primo utrum honores peteret, an argentarium faceret; sed cum eloquentia valeret, ex ea gloriam et opes peperit. Consul factus, severum se pro tuenda militari disciplina praebuit; disciplinae exemplum admiratione dignum referebat ipse in eis libris quos de vita sua scripserat. Cum in eo loco ubi posuerat castra, arbor esset maturis fructibus onusta, postridie abeunte exercitu, arbor intactis fructibus relicta est. Idem Publio Decio praetori, quod se transeunte sederet et assurgere jussus non paruisset, vestem scidit, sellam fregit, et ne quis ad eum in jus iret, edixit.

Marcus Scaurus, ut in tuenda militari disciplina, sic in punienda filii sui ingnavia fuit severus. Cum enim in quodam proelio Romani equites pulsi, deserto imperatore, Romam pavide repeterent, in quibus erat ipse Scauri filius, misit pater, qui ei dicerent se libentius occursurum esse filii in acie interfecti ossibus, quam visurum reducem reum tam turpis fugae, ideoque conspectum irati patris degeneri filio esse vitandum, si quid verecundiae in animo superesset. Non tulit juvenis. ignominiae dolorem et moerore confectus interiit.

Marcus Scaurus, cum esset summa senectute et adversa valetudine, pristinum animi vigorem retinuit. Varius quidam patria Hispanus, vetus Scauri inimicus, senem opprimere conatus est. Accusabat eum acceptae ab hostibus pecuniae ad prodendam rempublicam. Scaurus nobilissimis juvenibus innixus descendit in forum, dataque respondendi facultate, paucis verbis ita causam egit: "Varius Hispanus ait Marcum Scaurum senatus principem ab hoste corruptum esse, et populi Romani imperium prodidisse; Marcus vero Scaurus princeps senatus, negat se esse huic culpae affinem: testis nemo est; utri vos potius credendum putatis?" Qua dicti gravitat periculum intentatum propulsavit: nam statim populus accusatorem ab illa actione depulit.

PUBLIUS RUTILIUS RUFUS

Publius Rutilius Rufus vitae innocentia enituit: cum nemo esset in civitate illo integrior, omni honore dignus est habitus, et consul factus. Cum eum amicus quidam rem injustam aliquando rogaret, et Rutilius constanter negaret, indignatus amicus dixit: "Quid igitur mihi opus est tua amicitia, si quod rogo non facis?" - "Immo, respondit Rutilius, quid mihi tua, si propter te aliquid inhoneste facere me oporteat?" Sciebat quippe vir sanctus tam contra officium esse amico tribuere quod aequum non sit, quam non tribuere id quod recte possimus; atque si forte amici a nobis postulent quae honesta non sunt. religionem et fidem esse amicitiae anteponendam.

Rutilius tamen in invidiam equitum Romanorum venit quod ab eorum injuriis Asiam, cui tunc praeerat, defendisset: quare ab eis repetundarum accusatus est. Rutilius, innocentia fretus senatoris insignia non deposuit; judicibus non supplicavit: ne ornatius quidem causam suam dici voluit, quam simplex veritatis ratio ferebat; itaque damnatus est, et Mitylenas exsulatum abiit. Illi Asiam petenti omnes hujus provinciae civitates legatos miserunt. Hospitio eum, opibus, omni auxilio juverunt. Cum Rutilium quidam consolaretur, et diceret instare arma civilia, brevique futurum ut omnes exsules reverterentur: "Quid tibi, inquit Rutilius, mali feci, ut mihi pejorem reditum optares, quam exitum? Malo patria meo exilio erubescat, quam reditu maereat."

MARCUS LIVIUS DRUSUS

Marcus Livius Drusus patre consulari genitus, relictum sibi patrimonium profusis largitionibus dissipavit, adeo ut ipse profiteretur nemini se ad largiendum quidquam reliquisse praeter caelum et coenum. Unde cum pecunia egeret, multa contra dignitatem fecit. Tribunus plebis primo senatus causam suscepit; sed audax et vehemens, ut propositum assequeretur, leges perniciosas tulit: quibus cum Philippus consul obsisteret, ei Drusus in comitio ita collum obtorsit, ut plurimus sanguis efflueret e naribus; vique addita contumelia, non cruorem, sed muriam de turdis esse dixit. Philippus enim deliciarum amans turdorumque imprimis edax habebatur. Alium etiam virum consularem eisdem legibus pariter adversantem ait Drusus se de saxo Tarpeio praecipitaturum.

Nec observantior erga senatum fuit Drusus. Nam cum senatus ad eum misisset ut in curiam veniret: "Quare, inquit Drusus, non ipse senatus ad me venit in Hostiliam propinquam Rostris?" Paruitque tribuno senatus: quibus rebus factum est ut Drusus nec senatui, nec plebi placeret. Unde cum e foro magna hominum frequentia stipaus rediret, in atrio domus suae cultello percussus est; cultellus lateri ejus affixus relictus est, auctor vero necis in turba latuit: Drusus intra paucas horas decessit. Quem ne morti quidem proximum ea deseruit superbia, quae eum in exitium impulerat; cum extremum jam redderet spiritum, circumstantium multitudinem intuens: "Ecquando, inquit, amici, similem mei civem habebit respublica?"

Hunc vitae finem habuit juvenis clarissimus quidem, sed quem sua semper inquietum ac turbulentum fecerat ambitio: ipse queri solitus est sibi uni, ne puero quidem, ferias unquam contigisse; nam adhuc praetextatus per ambitionem coepit reos judicibus commendare: laudantur tamen Drusi quaedam facta dictaque. Cum Philippo consuli insidiae pararentur, ejusque vita in maximo esset periculo, Drusus, re cognita, Philippum licet inimicum monuit ut sibi caveret. Extat etiam Drusi vox egregia: cum enim domum aedificaret, promitteretque architectus, si quinque talenta sibi darentur, ita se eam aedificaturum ut nemo in eam despicere posset: "Immo, inquit Drusus, decem dabo, si eam ita componas ut quidquid agam non a vicinis tantum, sed ab omnibus etiam civivus possit perspici."

CAIUS MARIUS

Caius Marius humili loco natus militiae tirocinium in Hispania duce Scipione posuit; erat imprimis Scipioni carus ob singularem virtutem, et impigram ad pericula et labores alacritatem. Scipio, cum inspicere voluisset quemadmodum ab unoquoque equi curarentur, Marii equum validum et bene curatum invenit: quam diligentiam imperator plurimum laudavit. Quadam die cum forte post cenam Scipio cum amicis colloqueretur, dixissetque aliquis, si quid Scipioni accidisset, ecquemnam alium similem imperatorem habitura esset respublica? Scipio, percusso leniter Marii humero, "Fortassis istum", inquit. Quo dicto excitatus Marius dignos rebus, quas postea gessit, spiritus concepit.

Marius legatus Metello in Numidia, criminando eum adeptus est consulatum, et in ejus locum suffectus. Bellum Jugurthinum a Metello prospere coeptum confecit. Jugurtha ad Getulos profugerat, eorumque regem Bocchum adversus Romanos concitaverat. Marius Getulos et Bocchum agressus fudit. Castellum in excelsa rupe positum, ubi regii thesauri erant, non sine multo labore expugnavit. Bocchus bello defessus legatos ad Marium misit, pacem orantes. Sylla quaestor a Mario ad regem remissus, qui Boccho persuasit ut Jugurtham Romanis traderet. Jugurtha igitur vinctus ad Marium deductus est, quem Marius triumphans ante currum egit, et in carcerem coenosum inclusit, quo cum Jugurtha veste detracta ingrederetur, os diduxit ridentis in modum et stupens similisque desipienti exclamavit: "Proh! quam frigidum est vestrum balneum!"

Marius post expeditionem Numidicam iterum consul creatus est, eique bellum contra Cimbros et Teutones decretum est. Hi novi hostes ab extremis Germaniae finibus profugi, novas sedes quaerebant. Gallia exclusi, in Italiam transgressi sunt; nec primum impetum barbarorum tres duces Romani sustinuerant; sed Marius primo Teutones sub ipsis Alpium radicibus assecutus proelio oppressit: vallem fluviumque medium hostes tenebant, unde militibus Romanis nulla aquae copia: aucta necessitate virtus causa victoriae fuit; namque Marius sitim metuentibus ait digitum protendens: "Viri estis: en illic aquam habebitis." Itaque tam acriter pugnatum est, tantaque caedes hostium fuit, ut Romani victores de cruento flumine non plus aquae biberent, quam sanguinis barbarorum.

Deletis Teutonibus Caius Marius in Cimbros convertitur: hi ex alia parte Italiam ingressi, Athesim flumen non ponte nec navibus, sed ingesta obrutum sylva transiluerant; quibus occurrit Marius. Tum Cimbri legatos ad consulem miserunt, agros sibi suisque fratribus postulantes. Ignorabant scilicet Teutonum cladem. Cum Marius ab eis quaesivisset quos illi fratres dicerent; Teutones nominaverunt. Ridens Marius: "Omittite, inquit, fratres; tenent hi acceptam a nobis terram aeternumque tenebunt." Legati sensere se ludibrio haberi, ultionemque Mario minati sunt, statim atque Teutones advenissent. "Atqui adsunt, inquit Marius, decetque vos hinc non discedere, nisi salutatis vestris fratribus." Tum vinctos adduci jussit Teutonum duces qui, in proelio capti fuerant.

His rebus auditis, Cimbri castris egressi ad pugnam prodierunt. Marius aciem ita instituit, ut pulvis in oculos et ora hostium ferretur. Incredibili strage prostrata est illa Cimbrorum multitudo. Caesa traduntur centum et octoginta hominum millia. Nec minor cum uxoribus pugna, quam cum viris fuit: illae enim objectis undique plaustris altae desuper, quasi e turribus, pugnabant lanceis contisque. Victae tamen legationem ad Marium miserunt libertatem orantes, quam cum non impetrassent, suffocatis elisisque infantibus, aut mutuis concidere vulneribus, aut vinculo, e crinibus suis facto, ab arboribus jugisque plaustrorum subrectis pependerunt. Ferant unam conspectam fuisse quae pedibus suis duos filios, seipsam vero ex arbore suspenderat.

PRIMUM CIVILE BELLUM

Tunc Romae primum civile bellum ortum est. Cum enim Sylla consul contra Mithridatem regem Ponti missus fuisset, ei Marius illud imperium eripuit, fecitque ut loco Syllae imperator crearetur; qua re commotus Sylla cum exercitu Romam venit, eam armis occupavit, Mariumque expulit. Marius in palude aliquandiu delituit; sed ibi paulo post deprehensus, et, ut erat, nudo corpore caenoque oblitus, injecto in collum loro raptus est, et in custodiam conjectus. Missus etiam est ad eum occidendum servus publicus, natione Cimber, quem Marius vultus majestate deterruit. Cum enim hominem ad se gladio stricto venientem vidisset: "Tune, inquit, Marium audebis occidere?" Ille attonitus ac tremens, abjecto ferro, fugit. Marius postea, ab eis etiam, qui prius eum occidere voluerant, e carcere emissus est.

Marius accepta navicula in Africam trajecit, et in agrum Carthaginiensem pervenit. Ibi cum in locis solitariis sederet, venit ad eum lictor Sextilii praetoris, qui hanc provinciam administrabat. Marius ab eo, quem nunquam laeserat, aliquod humanitatis officium exspectabat; at lictor decedere eum provincia jussit, nisi vellet in se animadverti. Torvis oculis eum intuens Marius nullum dabat responsum. Interrogavit igitur eum lictor, ecquid praetori vellet renuntiari. Cui Marius: "Abi, inquit, nuntia te vidisse Caium Marium in Carthaginis magnae ruinis sedentem." Duplici exemplo insigni eum admonebat de inconstantia rerum humanarum, cum et urbis maximae excidium, et viri clarissimi casum ob oculos poneret.

Profecto ad bellum Mithridaticum Sylla, in Italiam rediit Marius efferatus magis calamitate quam domitus. Cum exercitu Romam ingressus, eam caedibus et rapinis vastavit; omnes adversae factionis nobiles variis suppliciorum generibus affecit: quinque dies, totidemque noctes ista scelerum omnium duravit licentia. Hoc tempore admiranda sane fuit populi Romani abstinentia: cum enim Marius objecisset domos occisorum diripiendas, nemo fuit qui ullam ex his rem attingeret; quae populi misericordia erat tacita quaedam Marii crudelitatis vituperatio. Tandem Marius senio et laboribus confectus in morbum incidit, et ingenti omnium laetitia vitam finivit. Cujus viri si expendantur cum virtutibus vitia, haud facile dictu erit utrum in bello hostibus, an in otio civibus fuerit infestior: quam enim rempublicam contra hostes virtute servaverat, eam togatus ambitione evertit.

Erat Mario ingenuarum artium et liberalium studiorum contemptor animus. Cum aedem Honoris de manubus hostium vovisset, spreta peregrinorum marmorum nobilitate artificumque Graecorum peritia, eam vulgari lapide per artificem Romanum curavit aedificandam. Graecas etiam litteras aspernabatur, quod, inquiebat, suis doctoribus parum ad virtutem prodessent; ad idem fortis, validus et adversus dolorem confirmatus. Cum ei varices in crure secarentur, vetuit se a alligari. Acrem tamen fuisse doloris morsum ipse ostendit; nam medico alterum crus postulanti noluit praebere, quod majorem esse remedii quam morbi dolorem judicaret.

LUCIUS CORNELIUS SYLLA

Lucius Cornelius Sylla patricio genere natus, bello Jugurthino quaestor Marii fuit. Vitam antea ludo, vino, libidineque inquinatam duxerat; quapropter Marius moleste tulit quod, sibi gravissimum bellum gerenti, tam delicatus quaestor sorte obtigisset Ejusdem tamen, postquam in Africam venit, virtus enituit. Bello Cimbrico legatus consulis bonam operam navavit. Consul ipse deinde factus, pulso in exsilium Mario, adversus Mithridatem profectus est; ac primum illius regis praefectos duobus proeliis profligavit; dein transgressus in Asiam, Mithridatem ipsum fudit, et oppressisset, nisi adversus Marium festinans, qualemcumque pacem maluisset componere. Mithridatem tamen pecunia multavit; Asia aliisque provinciis, quas occupaverat, decedere coegit, eumque paternis finibus contentum esse jussit.

Sylla propter motus urbanos cum victore exercitu Romam properavit. Eos qui Mario favebant omnes superavit: nihil illa victoria fuit crudelius. Sylla dictator creatus novo et inaudito exemplo tabulam proscriptionis proposuit, qua nomina eorum qui occidendi essent continebantur: cumque omnium esset orta indignatio, postridie plura etiam adjecit nomma. Ingens caesorum fuit multitudo. Saevitiae causam avaritia etiam praebuit, multoque plures propter divitias, quam propter odium victoris necati sunt. Civis quidam innoxius, cui fundus in agro Albano erat, legens proscriptorum nomina, se quoque adscriptum vidit: "Vae, inquit, misero mihi; me fundus Albanus persequitur!" Neque longe progressus, a quodam agnitus et percussus est.

Depulsis prostratisque inimicorum partibus, Sylla Felicem se edicto appellavit: cumque ejus uxor geminos eodem partu tunc edidisset, puerum Faustum puellamque Faustam nominari voluit. Tum repente, contra omnium expectationem, dictaturam deposuit, dimissisque lictoribus, diu in foro deambulavit. Stupebat populus eum privatum videns cujus modo tam formidolosa fuerat potestas: quodque non minus mirandum fuit, sua ei privato non solum salus, sed etiam dignitas constitit, qui cives innumeros occiderat. Unus tantum fuit adolescens qui auderet queri, et recedentem usque ad fores domus maledictis incessere. Cujus injurias Sylla patienti animo tulit; sed domum ingrediens dixit: "Hic adolescens efficiet ne quis posthac tale imperium deponat."

Sylla deinde in villam profectus, rusticari et venando vitam ducere coepit. Ibi morbe pediculari correptus interiit, vir ingentis animi, cupidus voluptatum, sed gloriae cupidior; litteris graecis atque latinis eruditus, et virorum litteratorum adeo amans, ut sedulitatem etiam mali cujusdam poetae aliquo praemio dignam duxerit: nam cum ille epigramma ipsi obtulisset, jussit Sylla praemium ei statim dari, ea tamen lege ne quid postea scriberet. Ante victoriam laudandus, in eis vero quae secuta sunt nunquam satis vituperandus: urbem enim et Italiam civium sanguine inundavit. Non solum in vivos saeviit, sed ne mortuis quidem pepercit; nam Caii Marii, cujus, etsi postea inimicus, aliquando tamen quaestor fuerat, erutos cineres in flumen projecit. Qua crudelitate rerum praeclare gestarum gloriam corrupit.

LUCIUS LUCULLUS

Lucius Lucullus ingenio, doctrina et virtute claruit. In Asiam quaestor profectus, huic provinciae per multos annos cum laude praefuit. Postea consul factus ad Mithridaticum bellum a senatu missus, opinionem omnium, quae de virtute ejus erat, vicit: nam ab eo laus imperatoria non admodum expectabatur, qui adolescentiam in pacis artibus consumpserat; sed incredibilis quaedam ingenii magnitudo non desideravit tardam et indocilem usus disciplinam. Totum iter consumpsit partim in percontando a peritis, partim in rebus gestis legendis. Habebat porro admirabilem quamdam rerum memoriam; unde factum est ut in Asiam doctus imperator venerit, cum esset Roma profectus rei militaris rudis.

Lucullus eo bello magnas ac memorabiles res gessit: Mithridatem saepe multis locis fudit, Tigranem regum maximum in Armenia vicit, ultimamque bello manum magis noluit imponere, quam non potuit; sed alioqui per omnia laudabilis, et bello paene invictus pecuniae cupidini nimium deditus fuit, quam tamen ideo expetebat, ut deinde per luxuriam effunderet; itaque postquam de Mithridate triumphasset, abjecta omnium rerum cura, coepit delicate ac molliter vivere, otioque et luxu diffluere; magnifice et immenso sumptu villas aedificavit, atque ad earum usum mare ipsum vexavit. Nam in quibusdam locis moles mari injecit, in aliis vero, suffossis montibus, mare in terras induxit; unde eum haud infacete Pompeius vocabat Xerxem togatum. Xerxes enim Persarum rex, cum pontem in Hellesponto fecisset, et ille tempestate ac fluctibus esset disjectus, jussit mari trecentos flagellorum ictus infligi, et compedes dari.

Habebat Lucullus villam prospectu et ambulatione pulcherrimam, quo cum venisset Pompeius, id unum reprehendit quod ea habitatio esset quidem aestate peramoena, sed hieme minus commoda videretur; cui Lucullus: "Putasne, inquit, me minus sapere quam hirundines, quae adveniente hieme sedem commutant?" Villarum magnificentiae respondebat epularum sumptus: cum aliquando modica ei, utpote soli, cena esset posita, coquum graviter objurgavit, eique excusanti ac dicenti se non debuisse lautum parare convivium, quod nemo esset ad cenam invitatus: "Quid ais, inquit iratus Lucullus, au nesciebas Lucullum hodie cenaturum esse apud Lucullum?"

QUINTUS SERTORIUS

Quintus Sertorius ignobili loco natus, prima stipendia bello Cimbrico fecit, in quo honos ei virtutis causa habitus est. In prima adversus Cimbros pugna licet vulneratus, et equo amisso, Rhodanum flumen rapidissimum nando trajecit, lorica et scuto retentis. Egregia etiam fuit ejus opera bello sociali: dum enim nullum periculum refugit, alter ei oculus effossus est; idque ille non dehonestamentum ori, sed ornamentum merito arbitrabatur: dicebat enim cetera bellicae fortitudinis insignia, ut armillas, coronasve, nec semper nec ubique gestari; se vero, quotiescumque in publicum prodiret, suae virtutis pignus, vulnus scilicet ob rempublicam acceptum in ipsa fronte ostentare, nec quemquam sibi occurrere, qui non esset laudum suarum admirator.

Postquam Sylla ex bello Mithridatico in Italiam reversus, coepit dominari, Sertorius qui partium Marianarum fuerat, in Hispaniam se contulit. Ibi virtutis admiratione et imperandi moderatione Hispanorum simul ac Romanorum, qui in eis locis consederant, animos sibi conciliavit, magnoque exercitu collecto, quos adversus eum Sylla miserat duces profligavit. Missus deinde a Sylla Metellus a Sertorio fusus quoque ac fugatus est. Pompeium etiam, qui in Hispaniam venerat ut Metello opem ferret, levibus proeliis lacessivit Sertorius. Is enim non minus cautus quam acer imperator universae dimicationis discrimen vitabat, quod imparem se universo Romanorum exercitui sentiret; interim vero hostem crebris damnis fatigabat.

Cum aliquando Sertorii milites pugnam inconsulte flagitarent, nec jam eorum impetus posset cohiberi, Sertorius duos in eorum conspectu equos constituit, praevalidum alterum, alterum vero admodum exilem et imbecillum: deinde equi infirmi caudam a robusto juvene totam simul abrumpi jussit; validi autem equi singulos pilos ab imbecillo sene paulatim velli. Irritus adolescentis labor risum omnibus movit; senex autem, quamvis tremula manu, id perfecit quod imperatum sibi fuerat. Cumque milites non satis intelligerent quorsum ea res spectaret, Sertorius ad eos conversus: "Equi caudae, inquit, similis est hostium exercitus: qui partes aggreditur, facile potest opprimere; contra nihil proficiet qui universum conabitur prosternere."

Erat Sertorio cerva candida eximiae pulchritudinis, quae ipsi magno usui fuit, ut obsequentiores haberet milites. Hanc Sertorius assuefecerat se vocantem audire et euntem sequi. Dianae donum esse omnibus persuasit, seque ab ea moneri quae facto opus essent. Si quid durius vellet imperare, se a cerva monitum praedicabat, statimque libentes parebant. Cerva in quadam hostium incursione amissa est ac periisse credita; quod aegerrime tulit Sertorius. Multis post diebus a quodam homine inventa est. Sertorius eum, qui id sibi nuntiabat, tacere jussit, cervamque repente in locum, ubi jus reddere solebat, immitti. Ipse vultu hilari in publicum progressus, dixit sibi in quiete visam esse cervam, quae perierat, ad se reverti. Tunc emissa ex composito cerva, ubi Sertorium conspexit, laeto saltu ad tribunal fertur, ac dexteram sedentis ore lambit; undo clamor factus, ortaque omnium admiratio est.

Victus postea a Pompeio Sertorius pristinos mores mutavit, et ad iracundiam deflexit. Multos ob suspicionem proditionis crudeliter interfecit; unde odio esse coepit exercitui. Romani moleste ferebant quod Hispanis magis quam sibi confideret, hosque haberet corporis custodes. In hac animorum aegritudine non deserebant Sertorium, quem necessarium sibi ducem judicabant, sod eum amare desierant. Deinde in Hispanos quoque saeviit Sertonus, quod ei tributa non tolerarent ipse etiam Sertorius curis jam et laboribus fessus, ad obeunda ducis munia segnior, ad luxum et libidines declinavit. Quare, alienatis omnium animis, jussa imporatoris contemnebantur; tandem facta adversus eum conjuratione, Sortorius in convivio a suis est interfectus.

CNAEUS POMPEIUS MAGNUS

Cnaeus Pompeius stirpis senatoriae adolescens, in bello civili se et patrem consilio servavit. Pompeii pater suo exercitui ob avaritiam erat invisus; itaque facta est in eum conspiratio. Terentius quidam, Cnaei Pompeii contubernalis, eum occidendum susceperat, dum alii tabernaculum patris incenderent. Quae res juveni Pompeio cenanti nuntiata est. Ipse nihil periculo motus, solito hilarius bibit, et cum Terentio eadem, qua antea, comitate usus est. Deinde cubiculum ingressus, clam subduxit se tentorio, et firmam patri circumposuit custodiam. Terentius tum districto ense, ad lectum Pompeii accessit, multisque ictibus stragula percussit. Orta mox seditione, Pompeius se in media conjecit agmina, militesque tumultuantes precibus et lacrimis placavit, ac suo duci reconciliavit.

Pompeius eodem bello civili partes Syllae secutus, ita egit, ut ab eo maxime diligeretur. Annos tres et viginti natus, ut Syllae auxilio veniret, paterni exercitus reliquias collegit, statimque dux peritus exstitit. Illius magnus apud militem amor, magna apud omnes admiratio fuit; nullus ei labor taedio, nulla defatigatio molestiae erat. Cibi vinique temperans, somni parcus, inter milites corpus exercebat. Cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis lucta certabat. Tum ad Syllam iter intendit, non per loca devia, sed palam incedens, tres hostium exercitus aut fudit, aut sibi adjunxit. Quem ubi Sylla ad se accedere audivit, egregiamque sub signis juventutem aspexit, desiliit ex equo, Pompeiumque salutavit imperatorem: deinceps ei venienti solebat assurgere de sella et caput aperire; quem honorem nemini nisi Pompeio tribuebat.

Postea Pompeius in Siciliam profectus est, ut eam a Carbone Syllae inimico occupatam reciperet. Carbo comprehensus, et ad Pompeium ductus est. Quem Pompeius, postquam acerbe in eum invectus fuisset, ad supplicium duci jussit. Tunc ille, qui ter consul fuerat, demisse ac muliebriter mortem extimuit: voce flebili petiit ut sibi alvum levare liceret, sicque brevem miserrimae vitae usuram rapuit, donec miles morae impatiens caput in sordido loco sedentis amputavit. Longe moderatior fuit Pompeius erga Sthenium Siculae cujusdam civitatis principem. Cum enim in eam civitatem animadvertere decrevisset qua sibi adversata fuerat, exclamavit Sthenius, eum inique facturum si ob culpam unius omnes plecteret. Interroganti Pompeio quisnam ille unus esset, "Ego, inquit Sthenius, qui meos cives ad id induxi." Tam libera voce delectatus Pompeius, omnibus et Sthenio ipsi pepercit.

Transgressus inde in Africam Pompeius, Iarbam Numidiae regem, qui Marii partibus favebat, bello persecutus est. Intra dies quadraginta hostem oppressit, et Africam subegit adolescens quattuor et viginti annorum. Tum ei litterae a Sylla redditae sunt, quibus jubebatur exercitum dimittere, et cum una tantum legione successorem exspectare. Id aegre tulit Pompeius paruit: tamen, et Romam reversus est. Revertenti incredibilis multitudo obviam ivit. Sylla quoque eum laetus excepit, et Magni cognomine appellavit: nihilominus Pompeio triumphum petenti restitit; neque ea re a proposito deterritus est Pompeius; aususque est dicere plures solem orientem

adorare, quam occidentem: quo dicto innuebat Syllae potentiam minui, suam vero crescere. Ea voce audita, Sylla juvenis constantiam admiratus, exclamavit: Triumphet, triumphet.

Metello jam seni et bellum in Hispania segnius gerenti collega datus est Pompeius, ibique adversus Sertorium vario eventu dimicavit. In quodam proelio maximum subiit periculum: cum enim in eum vir vasta corporis magnitudine impetum fecisset, Pompeius manum hostis amputavit, sed multis in eum concurrentibus, vulnus in femore accepit, et a suis fugientibus desertus in hostium potestate erat. At praeter spem evasit: illi scilicet equum Pompeii auro phalerisque eximiis instructum ceperant. Dum vero praedam inter se altercantes partiuntur, Pompeius illorum manus effugit. Altero proelio, cum Metellus Pompeio laboranti auxilio venisset, fususque esset Sertorii exercitus, is dixisse fertur: "Nisi ista anus supervenisset, ego hunc puerum verberibus castigatum Romam dimisissem." Metellum anum appellabat, quia is jam senex ad mollem et effeminatam vitam deflexerat. Tandem Sortorio interfecto Pompeius Hispaniam recepit.

Cum piratae maria omnia infestarent, et quasdam etiam Italiae urbes diripuissent, ad eos opprimendos, cum imperio extraordinario missus est Pompeius. Nimiae viri potentiae obsistebant quidam ex optimatibus, et imprimis Quintus Catulus; qui cum in contione dixisset esse quidem praeclarum virum Cnaeum Pompeium, sed non esse uni omnia tribuenda, adjecissetque: "Si quid ei acciderit, ecquemnam in ejus locum substituetis?"

Acclamavit universa contio: "Te ipsum, Quinte Catule." Tam honorifico civium testimonio victus Catulus e contione discessit. Pompeius, disposito per omnes maris recessus navium praesidio, brevi terrarum orbem illa peste liberavit; praedones multis locis victos fudit; eosdem in deditionem acceptos in urbibus et agris procul a mari collocavit. Nihil hac victoria celerius; nam intra quadragesimum diem piratas toto mari expulit.

Confecto bello piratico, Cnaeus Pompeius contra Mithridatem profectus est, et in Asiam magna celeritate contendit. Proelium cum rege conserere cupiebat, neque opportuna dabatur pugnandi facultas, quia Mithridates interdiu castris se continebat, noctu vero haud tutum orat congredi cum hoste in locis ignotis. Quadam tamon nocto Mithridatem Pompeius aggressus est. Luna magno fuit Romanis adjumento: nam cum eam Romani a tergo haberent, umbrae corporum longius projectae ad primos usque hostium ordines pertinebant; unde decepti regii milites, in umbras tanquam in propinquum hostem tela mittebant. Victus Mithridates in Pontum profugit. Adversus eum filius Pharnaces rebellavit, quia, occisis a patre fratribus, vitae suae ipse timebat. Mithridates a filio obsessus venenum sumpsit, quod cum tardius subiret, quia adversus venena multis antea medicaminibus corpus firmaverat, a milite Gallo volens interfectus est.

Pompeius deinde Tigranem Armeniae regem, qui Mithridatis partes secutus fuerat, ad deditionem compulit; quem tamen ad genua procumbentem erexit, benignis verbis recreavit, et in regnum restituit, aeque pulchrum esse judicans et vincere reges et facere. Tandem rebus Asiae compositis in Italiam rediit. Ad urbem venit, non, ut plerique timuerant, armatus, sed demisso exercitu, et tertium triumphum biduo duxit. Insignis fuit multis novis inusitatisque ornamentis hic triumphus; sed nihil illustrius visum, quam quod tribus triumphis tres orbis partes devictae causam praebuerunt Pompeius enim, quod antea contigerat nemini, primo ex Africa, iterum ex Europa, tertio ex Asia triumphavit, felix opinione hominum futurus, si quem gloriae, eumdem vitae finem habuisset, neque adversam fortunam esset expertus jam senex.

SECUNDUM CIVILE BELLUM

Postea orta est inter Pompeium et Caesarem gravis dissensio, quod hic superiorem, ille vero parem ferre non posset: et inde bellum civile exarsit. Caesar cum infesto exercitu in Italiam venit. Pompeius relicta urbe ac deinde Italia ipsa, Thessaliam petiit, et cum eo consules senatusque omnis: quem insecutus Caesar apud Pharsaliam acie fudit. Victus Pompeius ad Ptolemaeum Alexandriae regem, cui tutor a senatu datus fuerat, profugit; sed ille Pompeium interfici jussit. Latus Pompeii sub oculis uxoris et liberorum mucrone confossum est, caput abscissum, truncus in Nilum conjectus. Dein caput velamine involutum ad Caesarem delatum est, qui eo viso lacrimas fudit, et illud multis pretiosissimisque odoribus cremandum curavit.

Is fuit viri praestantissimi post tres consulatus et totidem triumphos vitae exitus. Erant in Pompeio multae ac magnae virtutes, ac praecipue admiranda frugalitas. Cum ei aegrotanti praecepisset modicus ut turdum ederet, negarent autem servi eam avem usquam aestivo tempore posse reperiri, nisi apud Lucullum, qui turdos domi saginaret, vetuit Pompeius turdum inde peti, medicoque dixit: "Ergo nisi Lucullus perditus deliciis esset, non viveret Pompeius?" Aliam avem, quae parabilis esset, sibi jussit apponi.

Viris doctis magnum honorem habebat Pompeius. Ex Syria decedens, confecto bello Mithridatico, cum Rhodum venisset, nobilissimum philosophum Posidonium cupiit audire: sed cum is diceretur tunc graviter aegrotare, quod maximis podagrae doloribus cruciabatur, voluit saltem Pompeius eum visere. Mos erat ut, consule aedes aliquas ingressuro, lictor fores virga percuteret, admonens consulem adesse: at Pompeius vetuit fores Posidonii percuti, honoris causa. Quem ut vidit et salutavit, moleste se ferre dixit, quod eum non posset audire. At ille: "Tu vero, inquit, potes, nec committam ut dolor corporis efficiat ut frustra tantus vir ad me venerit." Itaque cubans graviter et copioso disseruit de hoc ipso: nihil esse bonum nisi quod honestum esset, et nihil malum dici posse quod turpe non esset. Cum vero dolor interdum acriter eum pungeret, saepe dixit: "Nihil agis, dolor, quamvis sis molestus; nunquam te esse malum confitebor"

CAIUS JULIUS CAESAR

Caius Julius Caesar nobilissima genitus familia, annum agens sextum et decimum, patrem amisit: paulo post Corneliam duxit uxorem, cujus cum pater esset Syllae inimicus, voluit Sylla Caesarem compellere, ut eam dimitteret; neque id potuit efficere. Ob eam causam Caesar bonis spoliatus, cum etiam ad mortem quaereretur, mutata veste, noctu elapsus est ex urbe, et quanquam tunc quartanae morbo laboraret, prope per singulas noctes latebras commutare cogebatur; sic quoque comprehensus a Syllae liberto, vix data pecunia evasit. Postremo per proximos suos veniam impetravit, diu repugnante Sylla, qui cum deprecantibus ornatissimis viris denegasset, atque illi pertinaciter contenderent, expugnatus tandem dixit eum, quem salvum tantopore cuperent, aliquando optimatum partibus, quas simul defendissent, exitio futurum, multosque in eo puero inesse Marios.

Caesar, mortuo Sylla et composita seditione civili, Rhodum secedere statuit, ut per otium Apollonio, tunc clarissimo dicendi magistro, operam daret; sed in itinere a piratis captus est, mansitque apud eos quadraginta dies. Ita porro per illud omne spatium se gessit, ut piratis terrori pariter ac venerationi esset; atque ne eis suspicionem ullam daret, qui oculis tantummodo eum custodiebant, nunquam aut nocte, aut die excalceatus est. Interim comites servosque dimiserat ad expediendas pecunias quibus redimeretur. Viginti talenta piratae postulaverant; ille vero quinquaginta daturum se spopondit. Quibus numeratis, expositus est in litore. Caesar liberatus confestim Miletum, quae urbs proxime aberat, properavit; ibique contracta classe stantes adhuc in eodem loco praedones noctu adortus, aliquot naves, mersis aliis, cepit, piratasque ad

deditionem redactos eo affecit supplicia quod illis saepe per jocum minatus fuerat dum ab eis detineretur; crucibus illos suffigi jussit.

Julius Caesar quaestor factus in Hispaniam profectus est; cumque Alpes transiret, et ad conspectum pauperis cujusdam vici comites ejus per jocum inter se disputarent an illic etiam esset ambitioni locus, serio dixit Caesar malle se ibi primum esse quam Romae secundum. Ita animus dominationis avidus a prima aetate regnum concupiscebat, semperque in ore habebat hos Euripidis, Graeci poetae, versus: Nam si violandum est jus; regnandi gratia violandum est: aliis rebus pietatem colas. Cum vero Gades, quod est Hispaniae oppidum, venisset, visa Alexandri Magni imagine, ingemuit, et lacrimas fudit: causam quaerentibus amicis: "Nonne, inquit, idonea dolendi causa est, quod nihildum memorabile gesserim, eam aetatem adeptus qua Alexander jam terrarum orbem subegerat?"

Julius Caesar in captanda plebis gratia, et ambiendis honoribus patrimonium effudit: aere alieno oppressus ipse dicebat sibi opus esse millies sestertium, ut haberet nihil. His artibus consulatum adeptus est; collegaque ei datus Marcus Bibulus, cui Caesaris consilia haud placebant. Inito magistratu, Caesar legem agrariam tulit, hoc est de dividendo egenis civibus agro publico: cui legi cum senatus repugnaret, Caesar rem ad populum detulit. Bibulus collega in forum venit ut legi ferendae obsisteret, sed tanta commota est seditio, ut in caput consulis cophinus stercore plenus effunderetur, fascesque frangerentur. Tandem Bibulus a satellitibus Caesaris foro expulsus, domi se continere per reliquum anni tempus coactus est, curiaque abstinere. Interea unus Caesar omnia ad arbitrium in republica administravit: unde quidam homines faceti, quae eo anno gesta sunt, non ut mos erat, consulibus Caesare et Bibulo acta esse dicebant, sed Julio et Caesare, unum consulem nomine et cognomine pro duobus appellantes.

Julius Caesar functus consulatu, Galliam provinciam sorte obtinuit. Gessit autem novem annis, quibus in imperio fuit, haec fere. Galliam in provinciae Romanae formam redegit; Germanos, qui trans Rhenum incolunt, primus Romanorum ponte fabricato aggressus, maximis affecit cladibus. Britannos antea ignotos vicit, eisque pecunias et obsides imperavit; quo in bello multa Caesaris facta egregia narrantur. Inclinante in fugam exercitu, rapuit e manu militis fugientis scutum, et in primam aciem volitans, pugnam restituit. In alio proelio aquiliferum terga vertentem faucibus comprehendit, in contrariam partem retraxit, dexteramque ad hostem protendens: "Quorsum tu, inquit, abis? Illic sunt cum quibus dimicamus." Quo facto militibus animos addidit.

Caesar cum adhuc in Gallia detineretur, ne imperfecto bello discederet, postulavit ut sibi liceret, quamvis absenti, secundum consulatum petere; quod ei a senatu est negatum. Ea re commotus in Italiam rediit, armis injuriam acceptam vindicaturus, plurimisque urbibus occupatis Brundusium contendit, quo Pompeius consulesque confugerant. Tunc summa audaciae facinus Caesar edidit: a Brundusio Dyrrachium inter oppositas classes gravissima hieme transmisit, cessantibusque copiis quas subsequi jusserat, cum ad eas arcessendas frustra misisset, morae impatiens, castris noctu egreditur, clam solus naviculam conscendit obvoluto capite, ne agnosceretur. Mare adverso vento vehementer flante intumescebat; in altum tamen protinus dirigi navigium jubet; cumque gubernator paene obrutus fluctibus adversae tempestati cederet, "Quid times? ait: Caesarem vehis."

Deinde Caesar Thessaliam petiit, ubi Pompeium Pharsalico proelio fudit, fugientem persecutus est, eumque in itinere cognovit occisum fuisse. Tum bellum Ptolomaeo Pompeii interfectori intulit, a quo sibi quoque insidias parari videbat; quo victo, Caesar in Pontum transiit, Pharnacemque Mithridatis filium rebellantem aggressus, intra quintum ab adventu diem, quattuor vero quibus in conspectum venerat horis, uno proelio profligavit. Quam victoriae celeritatem inter

triumphandum notavit inscripto inter pompae ornamenta trium verborum titulo, "Veni, vidi, vici". Sua deinceps Caesarem ubique comitata est fortuna. Scipionem et Jubam Numidiae regem, reliquias Pompeianarum partium in Africa refoventes, devicit. Pompeii liberos in Hispania superavit. Clementer usus est victoria, et omnibus qui contra se arma tulerant pepercit. Regressus in urbem quinquies triumphavit.

Bellis civilibus confectis, Caesar dictator in perpetuum creatus agere insolentius coepit: senatum ad se venientem sedens excepit, et quemdam ut assurgeret monentem irato vultu respexit: cum Antonius, Caesaris in omnibus expeditionibus comes, et tunc in consulatu collega, ei in sella aurea sedenti pro rostris diadema, insigne regium, imponeret, non visus est eo facto offensus. Quare conjuratum est in eum a sexaginta et amplius viris, Cassio et Bruto ducibus conspirationis. Cum igitur Caesar idibus martiis in senatum venisset, assidentem specie officii circumsteterunt, illicoque unus e conjuratis, quasi aliquid rogaturus, propius accessit, renuentique togam ab utroque humero apprehendit. Deinde clamantem: "Ista quidem vis est", Cassius vulnerat paulo infra jugulum. Caesar Cassii brachium arreptum graphio trajecit, conatusque prosilire aliud vulnus accepit. Cum Marcum Brutum, quem loco filii habebat, in se irruentem vidisset, dixit: "Tu quoque fili mi!" Dein ubi animadvertit undique se strictis pugionibus peti, toga caput obvolvit, atque ita tribus et viginti plagis confossus est.

Erat Caesar excelsa statura, nigris vegetisque oculis, capite calvo: quam calvitii deformitatem aegre ferebat, quod saepe obtrectantium jocis esset obnoxia. Itaque ex omnibus honoribus sibi a senatu populoque decretis non aliud recepit aut usurpavit libentius, quam jus laureae perpetuo gestandae. Eum vini parcissimum fuisse ne inimici quidem negarunt: unde Cato dicere solebat unum ex omnibus Caesarem ad evertendam rempublicam sobrium accessisse. Armorum et equitandi peritissimus erat; laboris ultra fidem patiens: in agmine nonnunquam equo, saepius pedibus anteibat, capite detecto, sive sol, sive imber esset. Longissimas vias incredibili celeritate confecit, ita ut persaepe nuntios de se praevenerit, neque eum morabantur flumina, quae vel nando vel innixus inflatis utribus trajiciebat.

MARCUS CATO UTICENSIS

Marcus Cato, adhuc puer, invictum animi robur ostendit. Cum in domo Drusi avunculi sui educaretur, Latini de civitate impetranda Romam venerunt. Popedius Latinorum princeps, qui Drusi hospes erat, Catonem puerum rogavit ut Latinos apud avunculum adjuvaret. Cato vultu constanti negavit id se facturum. Iterum deinde ac saepius interpellatus in proposito perstitit. Tunc Popedius puerum in excelsam aedium partem levatum tenuit, et abjecturum inde se minatus est, nisi precibus obtemperaret; neque hoc metu a sententia eum potuit dimovere. Tunc Popedius exclamasse fertur: "Gratulemur nobis, Latini, hunc esse tam parvum; si enim senator esset, ne sperare quidem jus civitatis nobis liceret."

Cato, cum salutandi gratia ad Syllam a paedagogo duceretur, et in atrio cruenta proscriptorum capita vidisset, Syllae crudelitatem exsecratus est; seque eodem esse animo significavit, quo puer alius nomine Cassius, qui tunc publicam scholam cum Fausto Syllae filio frequentabat. Cum enim Faustus proscriptionem paternam in schola laudaret, diceretque se, cum per aetatem posset, eamdem rem esse facturum, ei sodalis gravem colaphum impegit.

Insignis fuit et ad imitandum proponenda Catonis erga fratrem benevolentia. Cum enim interrogaretur quem omnium maxime diligeret, respondit, fratrem. Iterum interrogatus quem secundum maxime diligeret, iterum fratrem respondit. Quaerenti tertio idem responsum dedit, donec ille a percunctando desisteret. Crevit cum aetate ille Catonis in fratrem amor: ab ejus latere non discedebat; ei in omnibus rebus morem gerebat. Annos natus viginti nunquam sine

fratre cenaverat, nunquam in forum prodierat, nunquam iter susceperat. Diversum tamen erat utriusque ingenium: in utroque probi mores erant, sed Catonis indoles severior.

Cato, cum frater, qui erat tribunus militum, ad bellum profectus esset, ne eum desereret, voluntana stipendia fecit. Accidit postea ut Catonis frater in Asiam proficisci cogeretur, et iter faciens in morbum incideret: quod ubi audivit Cato, licet tunc gravis tempestas saeviret, neque parata esse magna navis, solvit e portu Thessalonicae exigua navicula cum duobus tantum amicis tribusque servis, et paene haustus fluctibus tandem praeter spem incolumis evasit. At fratrem modo defunctum vita reperit. Tunc questibus et lacrimis totum se tradidit: mortui corpus quam magnificentissimo potuit funere extulit, et marmoreum tumulum exstrui curavit suis impensis. Vela deinde daturus, cum suaderent amici ut fratris reliquias in alio navigio poneret, animam se prius quam illas relicturum respondit, atque ita solvit.

Cato quaestor in insulam Cyprum missus est ad colligendam Ptolemaei regis pecuniam, a quo populus Romanus haeres institutus fuerat. Integerrima fide eam rem administravit. Summa longe major, quam quisquam sperare potuisset, redacta est. Fere septem milia talentorum navibus imposuit Cato: atque ut naufragii pericula vitaret, singulis vasis, quibus inclusa erat pecunia, corticem suberis longo funiculo alligavit, ut si forte mersum navigium esset, locum amissae pecuniae cortex supernatans indicaret. Catoni advenienti senatus et tota ferme civitas obviam effusa est, nec erat res triumpho absimilis. Actae sunt Catoni a senatu gratiae, praeturaque illi et jus spectandi ludos praetextato extra ordinem data. Quem honorem Cato noluit accipere, iniquum esse affirmans sibi decerni quod nulli alii tribueretur.

Cum Caesar consul legem reipublicae perniciosam tulisset, Cato solus, ceteris exterritis, huic legi obstitit. Iratus Caesar Catonem extrahi curia, et in vincula rapi jussit: at ille nihil de libertate linguae remisit, sed in ipsa ad carcerem via de lege disputabat, civesque commonebat ut talia molientibus adversarentur Catonem sequebantur maesti patres, quorum unus objurgatus a Caesare quod nondum misso senatu discederet: "Malo, inquit, esse cum Catone in carcere, quam tecum in curia." Exspectabat Caesar dum ad humiles preces Cato sese demitteret: quod ubi frustra a se sperari intellexit, pudore victus, unum e tribunis misit qui Catonem dimitteret.

Cato Pompeii partes bello civili secutus est, eoque victo exercitus reliquias in Africam cum ingenti itinerum difficultate perduxit. Cum vero ei summum a militibus deferretur imperium, Scipioni, quod vir esset consularis, parere maluit. Scipione etiam devicto, Uticam Africae urbem petivit, ubi filium hortatus est ut clementiam Caesaris experirvetur; ipse vero cenatus deambulavit, et cubitum iturus, artius diutiusque in complexu filii haesit, deinde ingressus cubiculum, ferro sibi ipse mortem conscivit. Caesar, audita Catonis morte, dixit illum gloriae suae invidisse, quod sibi laudem servati Catonis eripuisset. Catonis liberos, eisque patrimonium incolume servavit.

MARCUS TULLIUS CICERO

Marcus Tullius Cicero equestri genere, Arpini, quod est Volscorum oppidum, natus est. Ex ejus avis unus verrucam in extremo naso sitam habuit ciceris grano similem, inde cognomen Ciceronis genti inditum. Cum id Marco Tullio a nonnullis probro verteretur: "Dabo operam, inquit, ut istud cognomen nobilissimorum nominum splendorem vincat." Cum eas artes disceret quibus aetas puerilis ad humanitatem solet informari, ingenium ejus ita eluxit, ut eum aequales e schola redeuntes medium, tanquam regem, circumstantes deducerent domum: immo eorum parentes pueri fama commoti, in ludum litterarium ventitabant, ut eum viserent. Ea res tamen quibusdam rustici et inculti ingenii stomachum movebat, qui ceteros pueros graviter objurgabant quod talem condiscipulo suo honorem tribuerent.

Tullius Cicero adolescens eloquentiam et libertatem suam adversus Syllanos ostendit. Chrysogonum quemdam Syllae libertum acriter insectatus est, quod dictatoris potentia fretus in bona civium invadebat. Ex quo veritus invidiam Cicero, Athenas petivit, ubi Antiochum philosophum studiose audivit. Inde eloquentiae gratia Rhodum se contulit, ubi Molone, rhetore tum disertissimo, magistro usus est. Qui, cum Ciceronem dicentem audivisset, flevisse dicitur, quod praevideret per hunc Graecos a Romanis ingenii et eloquentiae laude superatum iri. Romam reversus, quaestor in Sicilia fuit. Nullius vero quaestura aut gratior, aut clarior fuit: cum in magna annonae difficultate ingentem frumenti vim inde Romam mitteret, Siculos initio offendit; postea vero ubi diligentiam, justitiam et comitatem ejus experti fuerunt, majores quaestori suo honores, quam ulli unquam praetori detulerunt.

Cicero consul factus Sergii Catilinae conjurationem singulari virtute, constantia curaque compressit. Is nempe indignatus quod in petitione consulatus repulsam passus esset, et furore amens, cum pluribus viris nobilibus Ciceronem interficere, senatum trucidare, urbem incendere, aerarium diripere constituerat. Quae tam atrox conjuratio a Cicerone detecta est. Catilina metu consulis Roma ad exercitum, quem paraverat, profugit; socii ejus comprehensi in carcere necati sunt. Senator quidam filium supplicio mortis ipse affecit. Juvenis scilicet ingenio, litteris et forma inter aequales conspicuus, pravo consilio amicitiam Catilinae secutus fuerat, et in castra ejus properabat: quem pater ex medio itinere retractum occidit, his eum verbis increpans: "Non ego te Catilinae adversus patriam, sed patriae adversus Catilinam genui."

Non ideo Catilina ab incepto destitit, sed infestis signis Romam petens, cum exercitu caesus est. Adeo acriter dimicatum est, ut nemo hostium proelio superfuerit: quem quisque in pugnando ceperat, eum, amissa anima, tegebat locum. Ipse Catilina longe a suis inter eorum quos occiderat cadavera cecidit, morte pulcherrima, si pro patria sua sic occubuisset. Senatus populusque Romanus Ciceronem patriae patrem appellavit: ea res tamen Ciceroni postea invidiam creavit, adeo ut abeuntem magistratu verba facere ad populum vetuerit quidam tribunus plebis, quod cives indicta causa damnavisset, sed solitum duntaxat juramentum praestare ei permiserit. Tum Cicero magna voce: "Juro, inquit, rempublicam atque urbem Romam mea unius opera salvam esse": qua voce delectatus populus Romanus et ipse juravit verum esse Ciceronis juramentum.

Paucis post annis Cicero reus factus est a Clodio tribuno plebis eadem de causa, quod nempe cives Romanos necavisset. Tunc maestus senatus, tanquam in publico luctu, vestem mutavit. Cicero, cum posset armis salutem suam defendere, maluit urbe cedere, quam sua causa caedem fieri. Proficiscentem omnes boni flentes prosecuti sunt. Dein Clodius edictum proposuit, ut Marco Tullio igni et aqua interdiceretur: illius domum et villas incendit; sed vis illa diuturna non fuit: mox enim maximo omnium ordinum studio Cicero in patriam revocatus est. Obviam ei redeunti ab universis itum est. Domus ejus publica pecunia restituta est. Postea Cicero Pompeii partes secutus a Caesare victore veniam accepit. Quo interfecto, Octavium haeredem Caesaris fovit atque ornavit, ut eum Antonio rempublicam vexanti opponeret; sed ab illo deinde desertus est et proditus.

Antonius, inita cum Octavio societate, Ciceronem jamdiu sibi inimicum proscripsit. Qua re audita, Cicero transversis itineribus fugit in villam quae a mari proxime aberat, indeque navem conscendit, in Macedoniam transiturus. Cum vero jam aliquoties in altum provectum venti adversi retulissent, et ipse jactationem navis pati non posset, regressus ad villam: "Moriar, inquit, in patria saepe servata." Mox adventantibus percussoribus, cum servi parati essent ad dimicandum fortiter, ipse lecticam, qua vehebatur, deponi jussit, eosque quietos pati quod sors iniqua cogeret. Prominenti ex lectica et immotam cervicem praebenti caput praecisum est. Manus quoque abscissae: caput relatum est ad Antonium, ejusque jussu inter duas manus in

rostris positum. Fulvia Antonii uxor, quae se a Cicerone laesam arbitrabatur, caput manibus sumpsit, in genua imposuit, extractamque linguam acu confixit.

Cicero dicax erat, et facetiarum amans, adeo ut ab inimicis solitus sit appellari "Scurra consularis". Cum Lentulum generum suum exiguae staturae hominem vidisset longo gladio accinctum: "Quis, inquit, generum meum ad gladium alligavit?" Matrona quaedam juniorem se, quam erat, simulans dictitabat se triginta tantum annos habere. Cui Cicero: "Verum est, inquit, nam hoc viginti annos audio." Caesar, altero consule mortuo die decembris ultima, Caninium consulem hora septima in reliquam diei partem renuntiaverat: quem cum plerique irent salutatum de more: "Festinemus, inquit Cicero, priusquam abeat magistratu." De eodem Canimo scripsit Cicero: "Fuit mirifica vigilantia Caninius, qui toto suo consulatu somnum non viderit."

MARCUS BRUTUS

Marcus Brutus ex illa gente quae Roma Tarquinios ejecerat oriundus, Athenis philosophiam, Rhodi eloquentiam didicit. Sua eum virtus valde commendavit: ejus pater, qui Syllae partibus adversabatur, jussu Pompeii interfectus fuerat; unde Brutus cum eo graves gesserat simultates: bello tamen civili Pompeii causam, quod justior videretur, secutus est, et dolorem suum reipublicae utilitati posthabuit. Victo Pompeio, Brutus a Caesare servatus est, et praetor etiam factus. Postea cum Caesar superbia elatus senatum contemnere, et regnum affectare coepisset, populus jam praesenti statu haud laetus vindicem libertatis requirebat. Subscripsere quidam primi Bruti statuae: "Utinam viveres!" Item ipsius Caesaris statuae: "Brutus quia reges ejecit, primus consul factus est; hic, quia consules ejecit, postremo rex factus est." Inscriptum quoque est Marci Bruti praetoris tribunali: "Dormis, Brute!" Marcus Brutus, cognita populi Romani voluntate, adversus Caesarem conspiravit. Pridie quam Caesar est occisus, Porcia Bruti uxor consilii conscia cultellum tonsorium, quasi unguium resecandorum causa, poposcit, eoque velut forte e manibus elapso se ipsa vulneravit. Clamore ancillarum vocatus in cubiculum uxoris Brutus objurgare eam coepit, quod tonsoris officium praeripere voluisset; at Porcia ei secreto dixit: "Non casu, sed de industria, mi Brute, hoc mihi vulnus feci: experiri enim volui an satis mihi animi esset ad mortem oppetendam, si tibi propositum ex sententia parum cessisset." Quibus verbis auditis, Brutus ad caelum manus et oculos sustulisse dicitur, et exclamavisse: "Utinam dignus tali conjuge maritus videri possim!"

Interfecto Caesare, Antonius vestem ejus sanginolentam ostentans, populum veluti furore quodam adversus conjuratos inflammavit. Brutus itaque in Macedoniam concessit, ibique apud urbem Philippos adversus Antonium et Octavium dimicavit. Victus acie, cum in tumulum se nocte recepisset, ne in hostium manus veniret, uni comitum latus transfodiendum praebuit. Antonius, viso Bruti cadavere, ei suum injecit purpureum paludamentum, ut in eo sepeliretur. Quod cum postea subreptum audivisset, requiri furem, et ad supplicium duci jussit. Cremati corporis reliquias ad Serviliam Bruti matrem deportandas curavit. Non eadem fuit Octavii erga Brutum moderatio: is enim avulsum Bruti caput Romam ferri jussit, ut Caii Caesaris statuae subjiceretur.

OCTAVIUS CAESAR AUGUSTUS

Octavius Juliae Caii Caesaris sororis nepos, patrem quadrimus amisit. A majore avunculo adoptatus, eum in Hispaniam profectum secutus est. Deinde ab eo Apolloniam missus est, ut liberalibus studiis vacaret. Audita avunculi morte, Romam rediit, nomen Caesaris sumpsit, collectoque veteranorum exercitu, opem Decimo Bruto tulit, qui ab Antonio Mutinae obsidebatur. Cum autem urbis aditu prohiberetur, ut Brutum de omnibus rebus certiorem faceret, primo litteras laminis plumbeis inscriptas misit, quae per urinatorem sub aqua fluminis deferebantur; ad id postea columbis usus est: eis nempe diu inclusis et fame affectis litteras ad collum alligabat,

easque a proximo moenibus loco emittebat. Columbae lucis cibique avidae, summa aedificia petentes, a Bruto excipiebantur, maxime cum ille disposito quibusdam in locis cibo, columbas illuc devolare instituisset.

Octavius bellum Mutinense duobus proeliis confecit, in quorum altero non ducis modo, sed militis etiam functus est munere: nam aquilifero graviter vulnerato, aquilam humeris subiit, et in castra reportavit. Postea reconciliata cum Antonio gratia, junctisque cum ipso copiis, ut Caii Caesaris necem ulcisceretur, ad urbem hostiliter accessit, inde quadringentos milites ad senatum misit, qui sibi consulatum nomine exercitus deposcerent.

Cunctante senatu, centurio legationis princeps, rejecto sagulo, ostendens gladii capulum, non dubitavit in curia dicere: "Hic faciet, si vos non feceritis." Cui respondisse Ciceronem ferunt: "Si hoc modo petieritis Caesari consulatum, auferetis." Quod dictum ei deinde exitio fuit: invisus enim esse coepit Caesari, quod libertatis esset amantior.

Octavius Caesar nondum viginti annos natus consulatum invasit, novamque proscriptionis tabulam proposuit; quae proscriptio Syllana longe crudelior fuit: ne tenerae quidem aetati pepercit. Puerum quemdam nomine Atilium Octavius coegit togam virilem sumere, ut tanquam vir proscriberetur. Atilius, protinus ut e Capitolio descendit, deducentibus ex more amicis, in tabulam relatus est. Desertum deinde a comitibus ne mater quidem prae metu recepit. Puer itaque fugit, et in silvis aliquandiu delituit. Cum vero inopiam ferre non posset, e latebris exivit, seque praetereuntibus indicavit, a quibus interfectus est. Alius puer etiam impubes, dum in ludum litterarium iret, cum paedagogo, qui pro eo corpus objecerat, necatus est.

Octavius, inita cum Antonio societate, Marcum Brutum Caesaris interfectorem bello persecutus est. Quod bellum, quanquam aeger atque invalidus, duplici proelio transegit, quorum priore castris exutus vix fuga evasit; altero victor se gessit acerbius. In nobilissimum quemque captivum saeviit, adjecta etiam supplicio verborum contumelia. Uni suppliciter precanti sepulturam respondit jam illam in volucrum atque ferarum potestate futuram. Ambo erant captivi pater et filius; cum autem Octavius nollet, nisi uni, vitam concedere, eos sortiri jussit utri parceretur. Pater, qui se pro filio ad mortem subeundam obtulerat, occisus est; nec servatus filius, qui prae dolore voluntaria occubuit nece neque ab hoc tristi spectaculo oculos avertit Octavius, sed utrumque spectavit morientem.

Octavius ab Antonio iterum abalienatus est, quod is repudiata Octavia sorore, Cleopatram Aegypti reginam duxisset uxorem: quae mulier cum Antonio luxu et deliciis certabat. Gloriata est aliquando se centies sestertium una cena absumpturam. Antonio id fieri posse neganti magnificam apposuit cenam, sed non tanti sumptus quanti promiserat. Irrisa igitur ab Antonio jussit sibi afferri vas aceto plenum: exspectabat Antonius quidnam esset actura. Illa gemmas pretiosissimas auribus appensas habebat; protinus unam detraxit, et aceto dilutam absorbuit. Alteram quoque simili modo parabat absumere, nisi prohibita fuisset.

ACTIACA PUGNA

Octavius cum Antonio apud Actium, qui locus in Epiro est, navali proelio dimicavit; victum et fugientem Antonium persecutus, Aegyptum petiit, obsessaque Alexandria, quo Antonius cum Cleopatra confugerat, brevi potitus est. Antonius, desperatis rebus, cum in solio regali sedisset regio diademate cinctus, necem sibi conscivit. Cleopatra vero, quam Octavius magnopere cupiebat vivam comprehendi triumphoque servari, aspidem sibi in cophino inter ficus afferendam curavit, eamque ipsa bracbio applicuit: quod ubi cognovit Octavius, medicos vulneri remedia

adhibere jussit. Admovit etiam psyllos, qui venenum exsugerent, sed frustra. Cleopatrae mortuae communem cum Antonio sepulturam tribuit.

Tandem Octavius, hostibus victis, solusque imperio potitus, clementem se exhibuit. Omnia deinceps in eo plena mansuetudinis et humanitatis. Multis ignovit a quibus saepe graviter laesus fuerat, quo in numero fuit Metellus unus ex Antonii praefectis. Cum is inter captivos senex squalidus sordidatusque processisset, agnovit eum filius ejus, qui Octavu partes secutus fuerat, statimque exiliens, patrem complexus, sic Octavium allocutus est: "Pater meus hostis tibi fuit; ego miles: non magis ille poenam, quam ego praemium meriti sumus. Aut igitur me propter illum occidi jube, aut illum propter me vivere. Delibera, quaeso, utrum sit moribus tuis convenientius." Octavius postquam paulum addubitavisset, misericordia motus hominem sibi infensissimum propter filii merita servavit.

Octavius in Italiam rediit, Romamque triumphans ingressus est. Tum bellis toto orbe compositis, Jani gemini portas sua manu clausit quae tantummodo bis antea clausae fuerant, primo sub Numa rege, iterum post primum Punicum bellum. Tunc omnes praeteritorum malorum obilivio cepit, populusque Romanus praesentis otii laetitia perfruitus est. Octavio maximi honores a senatu delati sunt. Ipse Augustus cognominatus est et in ejus honorem mensis sextilis eodem nomine est appellatus, quod illo mense bellis civilibus finis esset impositus. Equites Romani natalem ejus biduo semper celebrarunt: senatus populusque Romanus universus cognomen Patris patriae maximo consensu ei tribuerunt. Augustus prae gaudio lacrimans respondit his verbis: "Compos factus sum votorum meorum; neque aliud mihi optandum est, quam ut hunc consensum vestrum ad ultimum vitae finem videre possim."

Dictaturam, quam populus magna vi offerebat, Augustus genu nixus dejectaque ab humeris toga, deprecatus est. Domini appellationem semper exhorruit, eamque sibi tribui edicto vetuit, immo de restituenda republica non semel cogitavit; sed reputans et se privatum non sine periculo fore, et rempublicam plurium arbitrio commissum iri, summam retinuit potestatem, id vero studuit, ne quem novi status paeniteret. Bene de eis etiam, quos adversarios expertus fuerat, et sentiebat et loquebatur. Legentem aliquando unum e nepotibus invenit; cumque puer territus volumen Ciceronis, quod manu tenebat, veste tegeret, Augustus librum cepit, eoque statim reddito: "Hic vir, inquit, fili mi, doctus fuit et patriae amans."

Pedibus saepe per urbem incedebat, summaque comitate adeuntes excipiebat: unde cum quidam libellum supplicem porrigens, prae metu et reverentia nunc manum proferret, nunc retraheret: "Putasne, inquit jocans Augustus, assem te elephanto dare?" Eum aliquando convenit veteranus miles, qui vocatus in jus periclitabatur, rogavitque ut sibi adesset. Statim Augustus unum e comitatu suo elegit advocatum, qui litigatorem commendaret. Tum veteranus exclamavit: "At non ego, te periclitante bello Actiaco, vicarium quaesivi, sed ipse pro te pugnavi"; simulque detexit cicatrices. Erubuit Augustus, atque ipse venit in advocationem.

Cum post Actiacam victoriam Augustus Romam ingrederetur, occurrit ei inter gratulantes opifex quidam corvum tenens, quem instituerat haec dicere: "Ave, Caesar victor, imperator." Augustus avem officiosam miratus, eam viginti milibus nummorum emit. Socius opificis, ad quem nihil ex illa liberalitate pervenerat, affirmavit Augusto illum habere et alium corvum, quem afferri postulavit. Allatus corvus verba quae didicerat expressit: "Ave, Antoni victor, imperator." Nihil ea re exasperatus Augustus jussit tantummodo corvorum doctorem dividere acceptam mercedem cum contubernali. Salutatus similiter a psittaco, emi eum jussit.

Exemplo incitatus sutor quidam, corvum instituit ad parem salutationem; sed, cum parum proficeret, saepe ad avem non respondentem dicebat: "Opera et impensa periit." Tandem corvus

coepit proferre dictatam salutationem: qua audita dum transiret, Augustus respondit: "Satis domi talium salutatorum habeo." Tum corvus illa etiam verba adjecit, quibus dominum querentem audire solebat: "Opera et impensa periit"; ad quod Augustus risit, atque avem emi jussit quanti nullam adhuc emerat.

Solebat quidam Graeculus descendenti e palatio Augusto honorificum aliquod epigramma porrigere. Id cum frustra saepe fecisset, et tamen rursum eumdem facturum Augustus videret, sua manu in charta breve exaravit graecum epigramma, et Graeculo venienti ad se obviam misit. Ille legendo laudare coepit, mirarique tam voce quam vultu, gestuque. Dein cum accessit ad sellam qua Augustus vehebatur, demissa in pauperem crumenam manu, paucos denarios protulit, quos principi daret; dixitque se plus daturum fuisse, si plus habuisset. Secuto omnium risu, Graeculum Augustus vocavit, eique satis grandem pecuniae summam numerari jussit.

Augustus fere nulli se invitanti negabat. Exceptus igitur a quodam cena satis parca et paene quotidiana, hoc tantum insusurravit: "Non putabam me tibi esse tam familiarem." Cum aliquando apud Pollionem quemdam cenaret, fregit unus ex servis vas crystallinum: rapi illum protinus Pollio jussit, et ne vulgari morte periret, abjici muraenis, quas ingens piscina continebat. Evasit e manibus puer, et ad pedes Caesaris confugit, non recusans mori, sed rogans ne piscium esca fieret. Motus novitate crudetitatis Augustus, servi infelicis patrocinium suscepit: cum autem veniam a viro crudeli non impetraret, crystallina vasa ad se afferri jussit; omnia manu sua fregit; servum manumisit, piscinamque compleri praecepit.

Augustus in quadam villa aegrotans noctes inquietas agebat, rumpente somnum ejus crebro noctuae cantu; qua molestia cum liberari se vehementer cupere significasset, mites quidam aucupii peritus noctuam prehendendam curavit, vivamque Augusto attulit, spe ingentis praemii; cui Augustus mille nummos dari jussit: at ille minus dignum praemium existimans, dicere ausus est: "Malo ut vivat", et avem dimisit. Imperatori nec ad irascendum causa deerat, nec ad ulciscendum potestas. Hanc tamen injuriam aequo animo tulit Augustus, hominemque impunitum abire passus est.

Augustus amicitias non facile admisit, et admissas constanter retinuit: imprimis familiarem habuit Maecenatem equitem Romanum, qui ea, qua apud principem valebat gratia, ita semper usus est, ut prodesset omnibus quibus posset, noceret nemini. Mira erat ejus ars et libertas in flectendo Augusti animo, cum eum ira incitatum videret. Jus aliquando dicebat Augustus, et multos morte damnaturus videbatur. Aderat tunc Maecenas, qui circumstantium turbam perrumpere, et ad tribunal propius accedere conatus est; cum id frustra tentasset, in tabella scripsit haec verba: "Surge tandem, carnifex"; eamque tabellam ad Augustum projecit, qua lecta, Augustus statim surrexit, et nemo est morte multatus.

Habitavit Augustus in aedibus modicis neque laxitate neque cultu conspicuis, ac per annos amplius quadraginta in eodem cubiculo hieme et aestate mansit. Supellex quoque ejus vix privatae elegantiae erat. Idem tamen Romam, quam pro majestate imperii non satis ornatam invenerat, adeo excoluit, ut jure sit gloriatus marmoream se relinquere, quam lateritiam accepisset. Raro veste alia usus est quam confecta ab uxore, sorore, filia, neptibusque. Altiuscula erant ejus calceamenta, ut procerior quam erat videretur. Cibi minimi erat atque vulgaris. Secundarium panem et pisciculos minutos et ficus virides maxime appetebat.

Augustus non amplius quam septem horas dormiebat, ac ne eas quidem continuas, sed ita ut in illo temporis spatio ter aut quater expergisceretur. Si interruptum somnum recuperare non posset, lectorres arcessebat, donec resumeret. Cum audisset senatorem quemdam, licet aere

alieno oppressum, arte et graviter dormire solitum, culcitram ejus magno pretio emit, mirantibus dixit: "Habenda est ad somnum culcitra in qua homo qui tantum debebat dormire potuit."

Exercitationes campestres equorum et armorum statim post bella civilia omisit, et ad pilam primo folliculumque transiit: mox animi laxandi causa, modo piscabatur hamo, modo talis nucibusque ludebat cum pueris minutis, quos facie et garrulitate amabiles undique conquirebat. Alea multum delectabatur; idque ei vitio datum est. Tandem afflicta valetudine in Campaniam concessit, ubi remisso ad otium animo, nullo hilaritatis genere abstinuit. Supremo vitae die, petito speculo, capillum sibi comi jussit; et amicos circumstantes percontatus est num vitae mimum satis commode egisset; adjecit et solitam clausulam: "Edite strepitum, vosque omnes cum gaudio applaudite." Obiit Nolae sextum et septuagesimum annum agens. SOURCE: THE LATIN LIBRARY- NEOLATIN.

« Utraque de causa, ut cetera omittamus, liquet clerum, ante alios, latinae linguae perstudiosum esse oportere; neque enim hic laudes persequimur, quibus hoc commendatur loquendi genus, pressura, locuples, numerosum, maiestatis plenum et dignitatis quod mire dixeris comparatum ad serviendum Romani Pontificatus gloriae, ad quem ipsa Imperii sedes tamquam hereditate pervenerit. PIUS PP. XI LITTERAE APOSTOLICAE OFFICIORUM OMNIUM. »

,,,

Marcello et L. Arruntio consulibus non accepi. Non recusavi in summa frumenti penuria curationem annonae, quam ita administravi, ut intra paucos dies metu et periclo praesenti populum universum liberarem impensa et cura mea. Consulatum quoque tum annuum et perpetuum mihi delatum non recepi. [6] Consulibus M. Vinicio et Q. Lucretio et postea P. Lentulo et Cn. Lentulo et tertium Paullo Fabio Maximo et Q. Tuberone senatu populoque Romano consentientibus ut curator legum et morum summa potestate solus crearer, nullum magistratum contra morem maiorum delatum recepi. Quae tum per me geri senatus voluit, per tribuniciam potestatem perfeci, cuius potestatis conlegam et ipse ultro quinquiens a senatu depoposci et accepi. [7] Triumvirum rei publicae constituendae fui per continuos annos decem. Princeps senatus fui usque ad eum diem quo scripseram haec per annos quadraginta. Pontifex maximus, augur, XV virum sacris faciundis, VII virum epulonum, frater arvalis, sodalis Titius, fetialis fui. [8] Patriciorum numerum auxi consul quintum iussu populi et senatus. Senatum ter legi, et in consulatu sexto censum populi conlega M. Agrippa egi. Lustrum post annum alterum et quadragensimum feci, quo lustro civium Romanorum censa sunt capita quadragiens centum millia et sexaginta tria millia. Tum iterum consulari cum imperio lustrum solus feci C. Censonno et C. Asinio cos., quo lustro censa sunt civium Romanorum capita quadragiens centum millia et ducenta triginta tria millia. Et tertium consulari cum imperio lustrum conlega Tib. Caesare filio meo feci Sex. Pompeio et Sex. Appuleio cos., quo lustro censa sunt civium Romanorum capitum quadragiens centum millia et nongenta triginta et septem millia. Legibus novis me auctore latis multa exempla maiorum exolescentia iam ex nostro saeculo reduxi et ipse multarum rerum exempla imitanda posteris tradidi. [9] Vota pro valetudine mea suscipi per consules et sacerdotes quinto quoque anno senatus decrevit. Ex iis votis saepe fecerunt vivo me ludos aliquotiens sacerdotum quattuor amplissima collegia, aliquotiens consules. Privatim etiam et municipatim universi cives unanimiter continenter apud omnia pulvinaria pro valetudine mea supplicaverunt. [10] Nomen meum senatus consulto inclusum est in saliare carmen, et sacrosanctus in perpetum ut essem et, quoad viverem, tribunicia potestas mihi esset, per legem sanctum est. Pontifex maximus ne fierem in vivi conlegae mei locum, populo id sacerdotium deferente mihi quod pater meus habuerat, recusavi. Quod sacerdotium aliquod post annos, eo mortuo qui civilis motus occasione occupaverat, cuncta ex Italia ad comitia mea confluente multitudine, quanta Romae nunquam fertur ante id tempus fuisse, recepi, P. Sulpicio C. Valgio consulibus. [11] Aram Fortunae Reducis ante aedes Honoris et Virtutis ad portam Capenam pro reditu meo senatus consacravit, in qua pontifices et virgines Vestales anniversarium sacrificium facere iussit eo die quo, consulibus Q. Lucretio et M. Vinicio, in urbem ex Syria redieram, et diem Augustalia ex cognomine nostro appellavit. [12] Ex senatus auctoritate pars praetorum et tribunorum plebi cum consule Q. Lucretio et principibus viris obviam mihi missa est in Campaniam, qui honos ad hoc tempus nemimi praeter me est decretus. Cum ex Hispania Galliaque, rebus in iis provincis prospere gestis, Romam redi, Ti. Nerone P. Qintilio consulibus, aram Pacis Augustae senatus pro reditu meo consacrandam censuit ad campum Martium, in qua magistratus et sacerdotes virginesque Vestales anniversarium sacrificium facere iussit. [13] Ianum Quinnum, quem claussum esse maiores nostri voluerunt cum per totum imperium populi Romani terra marique esset parta victoriis pax, cum priusquam nascerer, a condita urbe bis omnino clausum fuisse prodatur memoriae, ter me principe senatus claudendum esse censuit. [14] Filios meos, quos iuvenes mihi eripuit fortuna, Gaium et Lucium Caesares honoris mei caussa senatus populusque Romanus annum quintum et decimum agentis consules designavit, ut eum magistratum inirent post quinquennium, et ex eo die quo deducti sunt in forum ut interessent consiliis publicis decrevit senatus. Equites autem Romani universi principem iuventutis utrumque eorum parmis et hastis argenteis donatum appellaverunt. [15] Plebei Romanae viritim HS trecenos numeravi ex testamento patris mei et nomine meo HS quadringenos ex bellorum manibiis consul quintum

dedi, iterum autem in consulatu decimo ex patrimonio meo HS quadringenos congiari viritim pernumeravi, et consul undecimum duodecim frumentationes frumento privatim coempto emensus sum, et tribunicia potestate duodecimum quadringenos nummos tertium viritim dedi. Quae mea congiaria pervenerunt ad hominum millia numquam minus quinquaginta et ducenta. Tribuniciae potestatis duodevicensimum, consul XII, trecentis et viginti millibus plebis urbanae sexagenos denarios viritim dedi. Et colonis militum meorum consul quintum ex manibiis viritim millia nummum singula dedi; acceperunt id triumphale congiarium in colonis hominum circiter centum et viginti millia. Consul tertium decimum sexagenos denarios plebei quae tum frumentum publicum accipiebat dedi; ea millia hominum paullo plura quam ducenta fuerunt. [16] Pecuniam pro agris quos in consulatu meo quarto et postea consulibus M. Crasso et Cn. Lentulo Augure adsignavi militibus solvi municipis; ea summa sestertium circiter sexsiens milliens fuit quam pro Italicis praedis numeravi, et circiter bis milliens et sescentiens quod pro agris provincialibus solvi. Id primus et solus omnium qui deduxerunt colonias militum in Italia aut in provincis ad memoriam aetatis meae feci. Et postea, Ti. Nerone et Cn. Pisone consulibus itemque C. Antistio et D. Laelio cos. et C. Calvisio et L. Pasieno consulibus et L. Lentulo et M. Messalla consulibus et L. Camnio et Q. Fabricio cos., militibus quos emeriteis stipendis in sua municipia deduxi praemia numerato persolvi, quam in rem sestertium quater milliens circiter impendi. [17] Quater pecunia mea iuvi aerarium, ita ut sestertium milliens et quingentiens ad eos qui praerant aerario detulerim. Et M. Lepido et L. Arruntio cos. in aerarium militare, quod ex consilio meo constitutum est ex quo praemia darentur militibus qui vicena aut plura stipendia emeruissent, HS milliens et septingentiens ex patrimonio meo detuli. [18] Ab eo anno quo Cn. et P. Lentulli consules fuerunt, cum deficerent vectigalia, tum centum milibus hominum tum pluribus multo frumentarios et nummarios tributus ex horreo et patrimonio meo edidi. [19] Curiam et continens ei Chalcidicum templumque Apollinis in Palatio cum porticibus, aedem divi Iuli, Lupercal, porticum ad circum Flaminium, quam sum appellari passus ex nomine eius qui priorem eodem in solo fecerat, Octaviam, pulvinar ad circum maximum, aedes in Capitolio Iovis Feretri Iovis Tonantis, aedem Quirini, aedes Minervae et Iunonis Reginae et Iovis Libertatis in Aventino, aedem Larum in summa sacra via, aedem deum Penatium in Velia, aedem Iuventatis, aedem Matris Magnae in Palatio feci. [20] Capitolium et Pompeium theatrum utrumque opus impensa grandi refeci sine ulla inscriptione nominis mei. Rivos aquarum compluribus locis vetustate labentes refeci, et aquam quae Marcia appellatur duplicavi fonte novo in rivum eius inmisso. Forum Iulium et basilicam quae fuit inter aedem Castoris et aedem Saturni, coepta profligataque opera a patre meo, perfeci et eandem basilicam consumptam incendio, ampliato eius solo, sub titulo nominis filiorum meorum incohavi, et, si vivus non perfecissem, perfici ab heredibus meis iussi. Duo et octoginta templa deum in urbe consul sextum ex auctoritate senatus refeci nullo praetermisso quod eo tempore refici debebat. Consul septimum viam Flaminiam ab urbe Ariminum refeci pontesque omnes praeter Mulvium et Minucium. [21] In privato solo Martis Ultoris templum forumque Augustum ex manibiis feci. Theatrum ad aedem Apollinis in solo magna ex parte a privatis empto feci, quod sub nomine M. Marcelli generi mei esset. Dona ex manibiis in Capitolio et in aede divi Iuli et in aede Apollinis et in aede Vestae et in templo Martis Ultoris consacravi, quae mihi constiterunt HS circiter milliens. Auri coronari pondo triginta et quinque millia municipiis et colonis Italiae conferentibus ad triumphos meos quintum consul remisi, et postea, quotienscumque imperator appellatus sum, aurum coronarium non accepi decernentibus municipiis et colonis aeque benigne adque antea decreverant. [22] Ter munus gladiatorium dedi meo nomine et quinquiens filiorum meorum aut nepotum nomine, quibus muneribus depugnaverunt hominum circiter decem millia. Bis athletarum undique accitorum spectaculum populo praebui meo nomine et tertium nepotis mei nomine. Ludos feci meo nomine quater, aliorum autem magistratuum vicem ter et viciens. Pro conlegio XV virorum magister

conlegii collega M. Agrippa ludos saeclares C. Furnio C. Silano cos. feci. Consul XIII ludos Martiales primus feci quos post id tempus deinceps insequentibus annis s.c. et lege fecerunt consules. Venationes bestiarum Africanarum meo nomine aut filiorum meorum et nepotum in circo aut in foro aut in amphitheatris populo dedi sexiens et viciens, quibus confecta sunt bestiarum circiter tria millia et quingentae. [23] Navalis proeli spectaclum populo dedi trans Tiberim in quo loco nunc nemus est Caesarum, cavato solo in longitudinem mille et octingentos pedes, in latitudinem mille et ducenti, in quo triginta rostratae naves triremes aut biremes, plures autem minores inter se conflixerunt; quibus in classibus pugnaverunt praeter remiges millia hominum tria circiter. [24] In templis omnium civitatium provinciae Asiae victor ornamenta reposui quae spoliatis templis is cum quo bellum gesseram privatim possederat. Statuae meae pedestres et equestres et in quadrigeis argenteae steterunt in urbe XXC circiter, quas ipse sustuli, exque ea pecunia dona aurea in aede Apollinis meo nomine et illorum qui mihi statuarum honorem habuerunt posui. [25] Mare pacavi a praedonibus. Eo bello servorum qui fugerant a dominis suis et arma contra rem publicam ceperant triginta fere millia capta dominis ad supplicium sumendum tradidi. Iuravit in mea verba tota Italia sponte sua, et me belli quo vici ad Actium ducem depoposcit; iuraverunt in eadem verba provinciae Galliae, Hispaniae, Africa, Sicilia, Sardinia. Qui sub signis meis tum militaverint fuerunt senatores plures quam DCC, in iis qui vel antea vel postea consules facti sunt ad eum diem quo scripta sunt haec LXXXIII, sacerdotes circiter CLXX. [26] Omnium provinciarum populi Romani quibus finitimae fuerunt gentes quae non parerent imperio nostro fines auxi. Gallias et Hispanias provincias, item Germaniam, qua includit Oceanus a Gadibus ad ostium Albis fluminis pacavi. Alpes a regione ea quae proxima est Hadriano mari ad Tuscum pacificavi nulli genti bello per iniuriam inlato. Classis mea per Oceanum ab ostio Rheni ad solis orientis regionem usque ad fines Cimbrorum navigavit, quo neque terra neque mari quisquam Romanus ante id tempus adit. Cimbrique et Charydes et Semnones et eiusdem tractus alii Germanorum populi per legatos amicitiam meam et populi Romani petierunt. Meo iussu et auspicio ducti sunt duo exercitus eodem fere tempore in Aethiopiam et in Arabiam quae appellatur Eudaemon, magnaeque hostium gentis utriusque copiae caesae sunt in acie et complura oppida capta. In Aethiopiam usque ad oppidum Nabata perventum est, cui proxima est Meroe; in Arabiam usque in fines Sabaeorum processit exercitus ad oppidum Mariba. [27] Aegyptum imperio populi Romani adieci. Armeniam maiorem interfecto rege eius Artaxe cum possem facere provinciam malui maiorum nostrorum exemplo regnum id Tigrani regis Artavasdis filio, nepoti autem Tigranis regis, per Ti. Neronem tradere, qui tum mihi privignus erat. Et eandem gentem postea desciscentem et rebellantem domitam per Gaium filium meum regi Ariobarzani regis Medorum Artabazi filio regendam tradidi, et post eius mortem filio eius Artavasdi; quo interfecto Tigranem qui erat ex regio genere Armeniorum oriundus in id regnum misi. Provincias omnis quae trans Hadrianum mare vergunt ad orientem Cyrenasque, iam ex parte magna regibus ea possidentibus, et antea Siciliam et Sardiniam occupatas bello servili reciperavi. [28] Colonias in Africa, Sicilia, Macedonia, utraque Hispania, Achaia, Asia, Syria, Gallia Narbonensi, Pisidia militum deduxi. Italia autem XXVIII colonias quae vivo me celeberrimae et frequentissimae fuerunt mea auctoritate deductas habet. [29] Signa militaria complura per alios duces amissa devictis hostibus recepi ex Hispania et Gallia et a Dalmateis. Parthos trium exercitum Romanorum spolia et signa reddere mihi supplicesque amicitiam populi Romani petere coegi. Ea autem signa in penetrali quod est in templo Martis Ultoris reposui. [30] Pannoniorum gentes, quas ante me principem populi Romani exercitus nunquam adit, devictas per Ti. Neronem, qui tum erat privignus et legatus meus, imperio populi Romani subieci, protulique fines Illyrici ad ripam fluminis Danui. Citra quod Dacorum transgressus exercitus meis auspicis victus profilgatusque est, et postea trans Danuvium ductus exercitus meus Dacorum gentes imperia populi Romani perferre coegit. [31] Ad me ex India regum legationes saepe missae sunt non

visae ante id tempus apud quemquam Romanorum ducem. Nostram amicitiam appetiverunt per legatos Bastarnae Scythaeque et Sarmatarum qui sunt citra flumen Tanaim et ultra reges, Albanorumque rex et Hiberorum et Medorum. [32] Ad me supplices confugerunt reges Parthorum Tiridates et postea Phrates regis Phratis filius, Medorum Artavasdes, Adiabenorum Artaxares, Britannorum Dumnobellaunus et Tincommius, Sugambrorum Maelo, Marcomanorum Sueborum . . . rus. Ad me rex Parthorum Phrates Orodis filius filios suos nepotesque omnes misit in Italiam non bello superatus, sed amicitiam nostram per liberorum suorum pignora petens. Plurimaeque aliae gentes expertae sunt p. R. fidem me principe quibus antea cum populo Romano nullum extiterat legationum et amicitiae commercium. [33] A me gentes Parthorum et Medorum per legatos principes earum gentium reges petitos acceperunt: Parthi Vononem, regis Phratis filium, regis Orodis nepotem, Medi Ariobarzanem, regis Artavazdis filium, regis Ariobarzanis nepotem. [34] In consulatu sexto et septimo, postquam bella civilia exstinxeram, per consensum universorum potitus rerum omnium, rem publicam ex mea potestate in senatus populique Romani arbitrium transtuli. Quo pro merito meo senatus consulto Augustus appellatus sum et laureis postes aedium mearum vestiti publice coronaque civica super ianuam meam fixa est et clupeus aureus in curia Iulia positus, quem mihi senatum populumque Romanum dare virtutis clementiaeque et iustitiae et pietatis caussa testatum est per eius clupei inscriptionem. Post id tempus auctoritate omnibus praestiti, potestatis autem nihilo amplius habui quam ceteri qui mihi quoque in magistratu conlegae fuerunt. [35] Tertium decimum consulatum cum gerebam, senatus et equester ordo populusque Romanus universus appellavit me patrem patriae, idque in vestibulo aedium mearum inscribendum et in curia Iulia et in foro Aug. sub quadrigis quae mihi ex s.c. positae sunt censuit. Cum scripsi haec annum agebam septuagesimum sextum. Appendices: Summa pecuniae quam dedit vel in aerarium vel Plebei Romanae vel dimissis militibus: denarium sexiens milliens. Opera fecit nova aedem Martis, Iovis Tonantis et Feretri, Apollinis, divi Iuli, Quirini, Minervae, Iunonis Reginae, Iovis Libertatis, Larum, deum Penatium, Iuventatis, Matris Magnae, Lupercal, pulvinar ad circum, curiam cum Chalcidico, forum Augustum, basilicam Iuliam, theatrum Marcelli, porticum Octaviam, nemus trans Tiberim Caesarum. Refecit Capitolium sacrasque aedes numero octoginta duas, theatrum Pompei, aquarum rivos, viam Flaminiam. Impensa praestita in spectacula scaenica et munera gladiatorum atque athletas et venationes et naumachiam et donata pecunia colonis, municipiis, oppidis terrae motu incendioque consumptis aut viritim amicis senatoribusque quorum census explevit innumerabilis.

19

Prior = Rerum gestarum divi Augusti, post = De immortalitate linguae latinae

19. POPULORUM PROGRESSIO LITTERAE ENCYCLICAE PAULUS PP. VI

*1. **Populorum Progressio, qui maxime ab iniuria famis**, egestatis, morborum domesticorum, ignorationis rerum abesse nituntur; qui largiorem bonorum societatem ab humanitate vitae profectorum expetunt, atque humanas suas proprietates postulant in opere ipso pluris aestimari; qui denique ad maiora incrementa constanter mentes intendunt: horum videlicet popolorum progressio a catholica Ecclesia alacri et erecto animo spectatur. Cum enim, post Concilium Oecumenicum Vaticanum II conclusum, Ecclesia clarius etiam altiusque iudicavisset et expendisset quid hac de re Christi Iesu Evangelium flagitaret, suum esse duxit hominibus magis etiam egregiam navare operam, ut non modo gravissimae huius quaestionis ii momenta omnibus*

vestigiis indagarent, sed etiam sibi persuaderent, hac summi discriminis hora, communi omnium actione vehementer opus esse.

2. Decessores Nostri Leo XIII, scriptis Litteris Encyclicis Rerum Novarum (1), Pius XI missis Encyclicis Quadragesimo anno (2), atque - ut nuratios praetereamus a Pio XII ad universas gentes radiophonice directos (3) - Ioannes XXIII, datis Encyclicis Mater et Magistra (4) et Pacem in terris (5), pro sui muneris partibus, haud quaquam intermiserunt, quin, tam praeclaris editis actis, Evangelii luce sociales huius temporis quaestiones illustrarent.

3. Illud hodie maxime interest omnes pro certo habere ac veluti sentire, socialem quaestionem nunc ad universam coniunctionem inter homines hominum magnopere pertinere. Quod Decessor Noster fel. rec. Ioannes XXIII positis ambagibus asseveravit (6), et Concilium Vaticanum II edita Constitutione pastorali de Ecclesia in mundo huius temporis comprobavit (7). Quarum praeceptionum cum gravissimum sit pondus et momentum, iis propterea mature parere necesse prorsus est. Fame laborantes populi hodie divitiis praepollentes populos miserabili quadam voce compellant. Quapropter Ecclesia, anxiis huiusmodi clamoribus quodammodo cohorrescens, singulos omnes vocat, ut amore impulsi quasi fratribus opem implorantibus tandem suas dedant aures.

4. Antequam catholicae Ecclesiae gubernacula Nobis permitterentur, susceptis itineribus sive in Americam australem anno MDCCCCLX, sive in Africam anno MDCCCCLXII, odiosas difficultates ipsi animadvertimus, quibus continentes illae terme, alioqui et corporis et animi viribus divites, implicarentur et veluti circumvallarentur. Postquam vero, ad Summum Pontificatum electi, omnium Patris locum adepti sumus, cum in Palaestinam et in Indiam Nos contulissemus, quasi oculis et manibus experti sumus, quantum oneris et laboris illis populis antiquitus humanitate excultis esset sustinendum, ut ad progressionen rerum suarum contenderent. Accedit etiam quod, fere in Concilii Vaticani II exitu, rerum adiuncta disponente Deo, licuit Nobis sedem omnium Consociatarum Nationum petere, ibique, veluti in honestissimo Areopago, populorum pauperiorum causam publice suscipere.

5. Extremum, ut simul optata Concilii efficeremus, simul ostenderemus quantopere Apostolica Sedes iustae atque magnae causae faveret populorum ad progressionem nitentium, recens Nostrarum esse partium censuimus, ad cetera Romanae Curiae primaria officia Pontificiam Commissionem adicere, quae sibi proponit populum Dei universum excitare ad plenam adipiscendam conscientiam muneris sibi hisce temporibus demandati; ita quidem, ut hinc pauperiorum populorum progressus promoveatur, ac socialis iustitia inter nationes foveatur, illinc vero subsidia nationibus minus progressis praebeantur, quorum ope eaedem incrementis suis per se ipsae consulere possint (8). Quae Commissio a Iustitia et Pace iam appellationem, iam agendarum rerum indicem consecuta est. Ad huiusmodi autem cogitatas res efficiendas non dubitamus, quin cum filiis Nostris catholicis cumque fratribus christianis homines quiviscumque bonite voluntatis suos conatus, suos labores consociare velint. Quamobrem graviter omnes universos hodie hortamur, ut, collatis consiliis, compositis operibus, eo contendant, ut sive singulus quisque homo plene excolatur, sive hominum coniunctio communiter progrediatur.

6. Nostris hisce diebus dum homines id appetere videmus, ut exploratius inveniant quo alantur, quo aegroti curentur, quo firmiter occupati teneantur; ut ab omni vexatione tuti, ab omnique liberi deformitate, hominis dignitatem labefactante, maiora in dies de se praestare possint; ut se doctrina magis expoliant: hoc est, ut magis operentur, discant, possideant, ut ideo pluris valeant; interea magnam eorum partem videmus in eiusmodi vitae condicionibus versari, quae iustas eorum appetitiones frustrentur. Ceterum populi, qui recens suis legibus suisque iudiciis uti

coeperunt, quasi necessitate cupiunt ad civilem adeptam libertatem sociales et oeconomicos processus addi, homine dignos suisque viribus sibi partos, ut primum cives iusta incrementa, uti homines, capiant, ut deinde ipsi in nationum consortione debitum sibi locum consequantur.

7. Licet ad arduum huiuscemodi gravissimumque perficiendum opus, quae a praeteritis temporibus quasi hereditate acceptae sunt open, satis non sint, omnino tamen deesse eae non sunt dicendae. Fatendum sane est, nationes colonico more populos quosdam regentes nihil nonnumquam nisi sua commoda, suum imperium, suam gloriam quaesivisse, atque, dicione deposita, eas terras in dispari rerum oeconomicarum condicione reliquisse, utpote quae, ut exemplum supponamus, in unius culturae genere consisteret, cuius fructuum pretia essent maximis et repentinis mutationibus obnoxia. Sed quamquam suscipiendum est, ex colonialismo, quem appellant, aliqua maleficia manavisse, unde alia postmodo nocumenta orta sunt, necesse tamen est grato animo colonorum agnoscere laudes, quippe qui, doctorum technicorumque adhibitis artibus, in non paucas horridiores terras vera contulerint benefacta, quorum adhuc utilitates constant. Quamvis enim machinales structurae, quas nationes eaedem reliquas ibi fecerunt, non sint expletae absolutaeque existimandae, per eas tamen fieri potuit, ut inscitia et morbi inde recederent, ut populis illis opportuni commeatus paterent, ut vitae denique status procederet.

8. Porro tametsi ea quae modo exposuimus concedenda plane sunt, perspicuum tamen est, machinales eiusmodi structuras non idoneas prorsus esse ad gravem rerum oeconomicarum statum nostris diebus subeundum. Nisi enim machinales, quae hodie obtinet, civilium rerum ratio consilio quodam temperetur, necessario sequitur, ut populorum inaequalitates, quod ad bonorum incrementa, nedum tollantur, potius ingravescant: atque idcirco ditiores nationes festinatos habeant processus, egentiores vero populi nonnisi lente proficiant. Quae civitatum inaequalitates cotidie magis augentur, cum aliae esculentas merces copiosiores quam pro numero civium fundant, aliae vero vel iis indigne egeant, vel, quas ipsae paucas fuderint, in incerto habeant, an ad reliquas nationes exportare possint.

9. Eodem autem tempore de rebus socialibus contentiones per universum fere mundum serpserunt. Atque perturbationes, quae in regionibus ad artes operosas spectantibus pauperiores civium classes circumvaserunt, etiam in regiones mearunt, quarum res oeconamicae in agrorum cultura fere unice positae sunt; ita ut ipsi ruricolae hodie miserae calamitosaeque fortunae (9) suae conscii sint. Adde eodem et illud, quod indignae illae atque invidiosae inaequalitates, de quibus loquimur, non solum ad bonorum possessionem, sed magis etiam ad imperii functionem attinent. Fit enim in quibusdam territoriis ut, dum pauci et optimates cultu mollissimo fruuntur, interea egentes ac dissipati per agros incolae omni paene possibilitate careant propria initiativa ac responsabilitate agendi, saepe etiam in condicionibus vitae et laboris persona humana indignis versantes (10).

10. De reliquo quoniam traditus humanitatis cultus cum humano cultu pugnat novissime in artificia meritoria inducto, utique accidit, ut sociales structurae ab horum dierum necessitatibus discrepantes fere comminuantur. Quare dum adultae aetatis homines in illius humani cultus quasi provincia, saepe saepius angusta, sive singulorum sive familiarum vitam esse collocandam putant, ab eaque nunc non esse discedendum opinantur, interim iuvenes se ab eadem removent, quam uti vanum quendam obicem iudicant, ne sitienter ad novas vitae socialis rationes progrediantur. Ex qua quidem inter duas aetates conflictione tristis ea civibus fertur condicio, ut aut instituta et opiniones maiorum servent, et vitae socialis auctus missos faciant, aut technicorum artes excultioresque consuetudines peregre invectas amplexentur, et maiorum instituta relinquant, humanitate uberrima. Re autem vera saepenumero videmus morales,

spirituales, religiosas quorundam provectioris aetatis hominum vires difficultatibus inflecti, neque eos illud consegui, ut in novum huiusmodi mundum se insinuent.

11. In re tam trepida, quidam magnificis sed dolosis eorum pollicitationibus vehementer inescantur, qui se veluti alteros Messias iactant. Ex quo quis non videat, quot pericula efferantur, ne multitudinis conversiones erumpant, ne turbae seditiosae concitentur, ne consilia gliscant ad unius dominatum pertinentia? En igitur quaestionis, de qua agimus, variae partes, quarum pondus ac momentum neminem profecto fugere censemus.

12. Praeceptorum et exemplorum Conditoris sui Christi servantissima, qui mandatum sibi divinitus delatum eo argumento probabat quod pauperes evangelizarentur (11), catholica Ecclesia numquam populorum, in quibus christianam fidem sevisset, humanos etiam profectus promovere omisit. Catholici enim Missionales una cum sacris aedibus, domos hospitales, valetudinaria, scholas, studiorumque universitates eo locorum exstruenda curaverunt. Cumque iidem autochthones docerent quibus modis maximas utilitates e suae terrae opibus caperent, eos propterea ab alienigenarum cupiditate saepe tutos fecerunt. Non infitiamur quidem eorum opera, uti hominum, manca aliquando videri potuisse, eorumque aliquos et vivendi et cogitandi rationes, suae patriae proprias, cum vero Christi nuntio commiscere nonnumquam potuisse. Attamen simul populorum illorum instituta non modo coluerunt, sed etiam altius provexerunt; ita scilicet ut de ipsis non pauci in primorum virorum numero habendi sint, qui plurimum ad incrementa sive bonorum sive doctrinarum contulerint. Quod ut pro certo habeatur, exemplum supponere satis sit Religiosi viri Caroli de Foucauld, qui ob suam caritatem dignus est existimatus, quem omnium Fratrem appellarent, quique aureum linguae Tuaregiae lexicon scripsit. Hisce de causis Nostrarum esse partium ducimus, debito honore augere sive eos viros qui, divini Redemptoris amore impulsi, veluti eius praenuntii sunt putandi, aequo saepius ignorati, sive eos qui, illorum exempla aemulati, vestigia persecuti, nostro etiam tempore se iis quodammodo in magnanimam gratuitamque servitutem dicant, quibus Christi Evangelium nuntiant.

13. Sed quae hodie in illis terris cum a singulis tum a plurimis suscipiuntur incepta, iam satis ad rem non sunt, cum praesens mundi status communem omnium operam postulet, quibus universae rerum oeconomicarum, socialium, spiritualium atque doctrinarum facies sint dilucide perspectae. Quapropter Christi Ecclesia, iam rerum humanarum peritissima, iam ab omni civitatum administrandarum parte longissime aliena, unum tantum intendit: nempe, Spiritus Paracliti ductu, opus ipsius continuare Christi, qui in mundum venit, ut testimonium perhiberet veritati (cf Io 18,37), ut salvaret, non ut iudicaret, ut ministraret, non ut sibi ministraretur (cf Io 3,17; Mt 20,28; Mc 10,45) (12). Cum enim Ecclesia eo consilio condita sit, ut iam nunc hisce in terris regnum caelorum constituat, non autem ut potestatem terrestrem obtineat, aperte asseverat, duas potestates esse alteram ab altera distinctas, atque utramque auctoritatem, ecclesiasticam dicimus et civilem, esse in genere suo supremam (13). Verumtamen, quoniam Ecclesia inter homines reapse versatur, ei idcirco officium incumbit signa temporum perscrutandi et sub Evangelii luce interpretarsdi (14). Hinc, siquidem Ecclesiae cum hominibus meliores appetitiones sunt coniunctae, eidemque magnus dolor inuritur, quod eorum spes saepe ad irritum cadunt, has ob causas iis adesse excupit, ut maximis auctibus crescant, cuius rei gratia, id ipsis proponit, quod uni sibi est proprium, hoc est, universalem sive hominis sive rerum humanarum conspectum.

14. Progressio, de qua loquimur, non unice ad rei oeconomicae incrementum contendit. Nam, ut vera dici possit, eadem integra sit oportet: scilicet cuiuslibet hominis ac totius hominis profectui consulere debet. Qua de re egregius vir quidam, in hac disciplina versatus, iure merito haec prae se tulit: nobis id minus probatur, rationem oeconomicam a ratione humana disiungi, aut a civili

cultu, ad quem pertinet, seorsim considerari. Nostra sententia, magni aestimandus est homo, quivis homo, quaevis hominum congregatio, atque etiam universa hominum societas (15).

15. Ex divino consilio, quilibet homo ad sui ipsius profectum promovendum natus est, cum cuiusvis hominis vita ad munus aliquod a Deo destinetur. Inde enim a nativitate unicuique insita sunt facultatum virtutumque germina, quae excolenda sunt, ut fructus edere possint; plena autem eorum maturitas, quam homo adipiscitur sive educatione in suo ipsius sociali convictu sive suo proprio nisu, efficiet ut singuli ad finem contendant sibi a Creatore praestitutum. Intellectu ac libertate praeditus, homo in se periculum cum sui ipsius profectus, tum suae salutis recipit. Adiutus et quandoque etiam impeditus ab iis qui eum instituunt ac circumstant, unusquisque, quantumcumque apud eum valent externae sollicitationes, sortis suae prosperae vel infelicis praecipuus artifex exstat; ac solummodo ingenii voluntatisque vires intendens, quivis homo potest humanitate crescere, plus plusque valere, seipsum perficere.

16. Huiusmodi autem personae humanae incrementum non in hominis arbitrio positum est. Quemadmodum res creatae universae ad Conditorem suum ordinantur, ita creatura ratione praedita officio tenetur vitam suam ad Deum, veritatem primam supremumque bonum, sua sponte dirigendi. Quare hic personae humanae profectus quasi officiorum nostrorum summa putanda est. Huc accedit quod pulchra huiusmodi naturae humanae cohaerentia, quam singuli labore suo suique officii conscientia ducti magis magisque perficiunt, ad superioris dignitatis gradum destinatur. In Christum vivificantem insertus, homo novum vitae augmentum accipit, et quendam humanismum, uti vocant, attingit, qui eius naturam transcendit, eique maximam vitae plenitudinem confert; ad quam, veluti ad supremum suum finem, profectus hominis spectat.

17. Sed quilibet homo membrum societatis est, atque adeo ad universam hominum consortionem pertinet. Quapropter non hic vel ille dumtaxat homo, sed omnes prorsus ad plenam totius humanae societatis progressionem promovendam vocantur. Omnes civilis cultus formae oriuntur, florent, atque occidunt. At quemadmodum maris fluctus, aestu crescente, alius alio ulterius litus invadunt, haud secus, in historias cursu, humanum genus procedit. Nos, qui superioribus aetatibus quasi quidam heredes successimus, quique ex aequalium nostrorum labore fructus percepimus, universis prorsus hominibus obligati sumus. Hanc ob causam fas non est nobis omnem curam eorum dimittere, per quos, nobis vita functis, in posterum humana familia amplificabitur. Mutua universorum hominum necessitudo, quae res vera est, nobis non modo beneficia confert, sed etiam gignit offici.

18. Quae singulorum hominum ac totius humani generis progressio in discrimen adduci possit, eisi rectus praestantiorum bonorum ordo pro suo momento aestimetur. Cum hominis studium necessaria sibi bona parandi profecto sit legitimum, sequitur ut labor ipse, quo bona illa nobis proveniunt, se vertat in officium: si quis non vult operari, sec manducet (16). Sed terrestrium bonorum adeptio homines perducere potest ad immoderatam cupiditatem, ad copiosiores usque opes appetendas, ad voluntatem potentiae suae adaugendam. Singulorum hominum, familiarum, nationumque avaritia non minus tenuiores quam locupletiores afficere potest, et utrosque ad materialismum, quem dicunt, impellere, animos opprimentem.

19. Augescens in dies bonorum copia neque a populis neque a singulis hominibus ita existimanda est, ut pro supremo fine habeatur. Quaevis enim progressio ad utramque partem valet; hinc necessaria homini est, ut magis magisque humanitate crescat, illinc hominem ipsum quasi in vinculis detinet, si ut supremum bonum appetatur, ultra quod prospicere non liceat. Quod postremum si accidat, corda occallescunt, animi ad alios nullo modo patent, atque homines non iam se congregant amicitiae fovendae causa, sed utilitatis adipiscendae; propter quam iidem

facile inter se opponuntur atque disiunguntur. Quam ob rem sola oeconomicorum bonorum conquisitio non modo prohibet, quominus homo humanitate crescat, sed eius etiam germanae granditati adversatur. Cum enim nationes tum homines, qui avaritiae labe inficiantur, mores minus progressos quam manifestissime ostendunt.

20. Quodsi ad progressionen promovendam necessarii sunt technici viri in dies numero crebriores, multo magis requiruntur viri sapientes, ad cogitandum acuti, qui ad novum humanismum investigandum se conferant, vi cuius nostrae aetatis homines, praestantissima bona amoris, amicitiae, precationis et contemplationis in se recipientes (17), se ipsos quasi invenire possint. Quae si praestita erupt, plane atque integre perfici poterit veri nominis progressio, quae scilicet in eo sita est, ut sive singuli sive universi homines a minus humanis vitae condicionibus in humaniores transeant.

21. In vitae vero condicione minus humana versari dicendi sunt: primum qui aut tali inopia rerum premuntur, ut vel minimo subsidio careant ad vitam necessario, aut morali egestate fere comminuuntur, quam ob nimium sui amorem, sibimetipsis attulerint; qui deinde civitatis structuris vexantur, quas vel pravus proprietatis imperiive usus, vel quaestus ex operariorum labore dolose perceptus, vel iniustae negotiationes creaverint. Ex contrario adeptas humaniores vitae condiciones satis perspicue significant: primum ab egestate ad bonorum necessariorum possessionem processus, malorum socialium depulsio, latior rerum cognitio, ingenii culturae adeptio, deinde aucta alienae dignitatis aestimatio, propensio ad paupertatis studium (18), conspiratio ad bonum commune, pacis voluntas; tum agnita ab homine suprema bona, agnitusque ipse Deus, eorundem bonorum auctor et finis; postremo ac praesertim fides, Dei donum, a bonae voluntatis hominibus acceptum, animorumque coniunctio in caritate Christi, qui nos advocat, ut non secus atque filii vitam Dei viventis, omnium hominum Patris, participemus.

22. Iam in prima Sacrarum Scripturarum pagina haec verba legimus: Replete terrant et subicite eam (19); quibus docemur, res mundi universas pro homine creatas esse, eique id muneris esse concreditum, ut ingenii sui viribus earum momentum proferat, easdemque suo labore suaeque utilitatis causa absolvat atque perficiat. At si terra eo fine condita est, ut singulis hominibus sive necessaria ad victum sive progressionis instrumenta suppeditet, hinc sequitur, cuilibet homini ius esse, ut quae sibi necessaria sint, ex ea percipiat. Cuius rei memoriam Concilium Oecumenicum Vaticanum II hac sententia redintegravit: Deus terram cum omnibus quae in ea continentur in usum universorum hominum et populorum destinavit, ita ut bona creata aequa ratione ad omnes affluere debeant, iustitia duce, caritate comite (20). Huic normae cetera iura omnia, quaecumque ea sunt, ne proprietatis quidem et liberi commercia iuribus exceptis, sunt postponenda, quin immo tantum abest ut eius effectionem impedire debeant, ut eam potius expedire teneantur; ea autem iura revocare ad suum primigenium finem, grave atque urgens sociale officium censendum est.

23. Qui habuerit substantiam huius mundi et viderit fratrem suum necessitatem habere et clauserit vissera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? (21) Inter omnes constat quant firmiter Ecclesiae Patres officia descripserint hominum opibus affluentium erga eos qui in necessitate versantur: Non de tuo largiris pauperi - ait S. Ambrosius - sed de suo reddis. Quod enim commune est in omnium usum datum, tu solus usurpas. Omnium est terra, non divitum (22). Quae verba declarant, privatam bonorum proprietatem nemini ius tale concedere, quod supremum sit nullique condicioni obnoxium. Nemini licet bona, quae sibi superent, unire ad privata commoda seponere, cum alii rebus careant vitae necessariis. Ne multa, secundum traditan doctrinam Ecclesiae Patrum praeclarorumque Theologorum, numquam proprietatis iure utendum est cum boni communis detrimento. Quodsi forte inter se discrepeat iura quaesita

privatorum ac primae communitatis necessitates, ad publicas auctoritates pertinet operam dare his quaestionibus dissolvendis, rem operose communicantibus civibus ac socialibus coetibus (23).

24. Bonum igitur commune quandoque deiectionem de fundi possessione postulat, si forte contingat, ut fundi quidam communem impediant prosperitatem, quia vel nimis patent, vel parum aut nihil excoluntur, vel egestatem gignunt incolis, vel civitati gravia inferunt nocumenta. Consilium Vaticanum II dum id, missis ambagibus, declarat (24) non minus clare docet, tum fructus inde perceptor non esse libero hominum arbitrio relinquendos, tum nimii quaestus consilia, in suam dumtaxat utilitatem capta, prohibenda esse. Quare nullo modo licet, cives reditibus abundantes, sibi ex opibus et labore nationis suae provenientibus, magnam eorum partem apud exteras gentes collocare, ad privatas utilitates unice spectantes, nulla suae patriae ratione habita, in quam hoc agendi modo manifestam contumeliam iaciunt (25).

25. Artium et artificiorum invectio, quae sive ad rei oeconomicae incrementum, sive ad humanum profectum necessaria est, progressionem et demonstrat et promovet. Etenim vim ingenii sui summumque laborem impendens, homo occultas naturae leges paulatim detegit, eiusque opes in utiliorem usum convertit. Quapropter homo, dum suam vivendi rationem moderatur, interea magis magisque accenditur ad nova investiganda atque invenienda, ad prudens agendarum rerum in se periculum recipiendum, ad opera audacter aggredienda, ad generosa incepta ineunda, ad conscientiam officii exacuendam.

26. Sed ex novis huiusmodi condicionibus in hominum societatem, nescimus quo pacto, opiniones irrepserunt, iuxta quas emolumentum ducebatur pro praecipuo incitamento ad fovendam oeconomicam progressionem, libera competitorum aemulatio pro suprema rerum oeconomicarum norma, privata possessio instrumentorum bonis gignendis pro iure absoluto, quod nec fines nec conexum sociale muntis acciperet. Huiusmodi effreni liberalismi forma ad quoddam tyrannidis genus viam muniebat, a Decessore Nostro Pio XI iure merito improbatum, utpote ex quo rei nummariae internationalismus seu imperialismus internationalis (26) originem duceret. Pravi huiusmodi bonorum oeconomicorum usus numquam satis, ut oportet, respuentur, cum res oeconomicas, quod rursus graviter admonere iuvat, homini dumtaxat inservire oporteat (27). At si fatendum est, e quadam capitalismi, uti aiunt, forma ortum duxisse tot aerumnas, tot patratas iniquitates fraternasque dimicationes, quarum effectus etiam nunc experimur, falso tamen quis tribuat artium et artificiorum incremento mala illa, quae verius calamitosis de re oeconomica opinionibus vitio vertenda sunt, quae cum eodem incremento coniungebantur. Immo vero iustitia postulat, ut suscipiamus, non modo laboris temperationem, sed etiam artium et artificiorum profectum ad progressionem provehendam necessarium adiumentum conferre.

27. Item, quamvis quandoque plus aequo extollatur mystica quaedam de labore doctrina, tamen non minus constat Deum laborem iussisse atque bene ei dixisse. Ad imaginem Dei conditus, homo oportet Creatori sociam navet operam ad creationis opus perficiendum, idemque spiritualem imaginem in se impressam vicissim in terram referat (28). Deus, tum hominem intellectu, cogitatione atque sensibus ornavisset, instrumenta ei praebuit, quibus opus a se inchoatum veluti absolveret perficeretque: nam quicumque labore se exercet, sive artifex, sive opifex, sive operis conductor, sive operarius, sive agricola, quodammodo creat. Pronus in materiam, quae suis nisibus obsistit, homo sui ipsius quasi vestigia quaedam in ea imprimit, pariter in se tenaciam, ingenium, vim cogitandi excolens. Quin etiam tum labor, quem homines coniunctim subeunt, spes, dolores, desideria, gaudia communia reddat, id propterea dat, ut voluptates iungat, animos propinquiores faciat, corda vinculis astringat. Etenim, tum laborem homines sustinent, inter se fratres agnoscunt (29).

28. Profecto labor vim habet in utramque partem; nam eo quod pollicetur pecuniam, voluptates, potentiam, hos ad nimium sui ipsius amorem, illos ad seditionem impellit; sed efficit etiam ut conscientia muneris, religio officii, caritas erga proximos excolantur. Quamvis hodie labor magis ad scientiarum normas sit redactus atque efficaciore ratione ordinatus, in discrimen tamen votare potest ipsam hominis dignitatem, qui eius veluti servus fiat; nam tunc solum labor humanus dicendus est, si ab intellectu et libertate hominis oriatur. Decessor Noster fel. rec. Ioannes XXIII graviter admonuit opus omnino esse, operarios ad suam dignitatem restitui, eosque reapse effici communis operis participes: societates bonis gignendis perfectam induant humanae consortionis speciem, cuius afflatu singulorum necessitudines, munerum officiorumque varietates penitus afficiantur (30). Labor hominum denique notionem longe altiorem habet, si christiana luce illustratus consideretur, cum illuc etiam spectet, ut hisce in terris ad mundum condendum supernaturalem conducat (31), qui sane perfectus absolutusque non erit, donec eo nos perveniamus, ut una omnes perfectum illum Hominem effingamus, de quo S. Paulus meminit hisce verbis: in mensuram aetatis plenitudinis Christi (32).

629. Oportet rem festinare, siquidem hommes numero nimii doloribus sunt obnoxii, et quasi intervallum amplificatur quo progressio aliorum secernitur ab aliorum statu iacente, immo etiam in peius ruente. Oportet praeterea opus perficiendum apte et convenienter procedat, ne temperamentum tam necessarium amittatur. Subitaria enim emendatio agriculturae fortasse id non assequetur ad quod tendit; nimis properatus artium et artificiorum proventus potest adhuc necessaria instituta turbare et sociales miserias parare, atque adeo humanum cultum retroagere.

30. Sunt sine dubio rerum condiciones quae, utpote iniustae, Dei animadversionem acerrime petant. Cum enim populi toti, necessariis ad vivendum destituti, ita sint sub aliorum dicione, ut quodvis inceptum sua sponte finire, munera cum onere suscipere, ad altiores etiam humani cultus gradus ascendere, vitam socialem et publicam participare vetentur, facile homines sollicitantur, ut humanae dignitati iniuriam allatam vi repellant.

31. Est quidem res pernota, seditiones et motus - visi agatur de tyrannide aperta ac diuturna, qua primaria iura personae humanae laedantur et bono communi alicuius civitatis grave iniungatur detrimentum - novas parere iniurias, novas ingerere inaequalitates, ad novas strages homines accendere. Malum autem, quod revera est, non ea licet condicione propulsari, ut maior inducatur calamitas.

32. Volumus ut sententia Nostra plane intellegatur: huic, qui nunc obtinet, rerum statui, animo forti occurri debet et, quas secum fert, iniuriae impugnari debent atque evinci. Progressio mutationes postulat audacter aggrediendas, quibus rerum forma penitus renovetur. Sine ulla mora annitendum est, ut eaedem res, quae tantopere urgent, in melius corrigantur. Unusquisque animo magno et alacri in eo habeat partem, ii praesertim qui pro ingenii cultu, munere, potestate plurimum possint. Exemplum praebentes, de suis bonis aliquid in hoc impendant, quemadmodum nonnulli Fratres Nostri in Episcopatu fecerunt (33). Ita hominum exspectationi respondebunt atque fideliter Spiritui Sancto obsequentur, quoniam Evangelicum fermentum in corde hominis irrefrenabilem dignitatis exigentiam excitavit atque excitat (34).

33. Incepta vero unius cuiusvis et aemulationis vices progressionem ad felicem exitum non perdurent. Non enim eo licet procedere, ut divitum opes et potentia etiam augeantur, miseriae vero egentium confirmentur et servitus aggravetur oppressorum. Itaque rerum agendarum rationes sunt necessariae, quae foveant, excitent, ordinent, suppleant atque compleant (35) actionem singulorum et institutorum se interponentium. Publicarum vero potestatum est statuere et iniungere fines expetendos, proposita assequenda, vias quibus eo perveniatur, earum

scilicet est vires omnium stimulare, ad quos communis haec actio pertinet. Sed curent oportet, ut eiusmodi operi privatorum iungant incepta et instituta interposita. Sic enim absoluta rerum communio ac temere praestituta rerum oeconomicarum dispensatio devitantur, quae, cum libertati refragentur, usum primariorum personae humanae iurium auferunt.

34. Omnis enim ratio rerum agendarum, cui proventuum auctus sit propositus, non alio debet spectare quam ut personae humanae inserviat; scilicet eo pertinere, ut inaequalitates minuantur, removeantur discrimina, a servitutis vinculis homines liberentur, atque adeo ipsi valeant, in rerum temporalium regione, condicionem suam mutare in melius, profectum moralem suum persequi, spirituales dotes explicare. Cum progressionem dicimus, cura intendatur oportet et in profectum socialem et in profectum rerum oeconomicarum. Non autem satis est communes opes augere, ut cum aequitate distribuantur; non satis est technicis artibus incrementa afferre, ut terra, quasi humanior effecta, aptior sit ad habitandum. Erratis eorum qui antecesserunt, ii moneantur qui ad progressionem nituntur ut, ad haec quod attinet, declinent pericula. Technicorum dominatus seu, uti appellant, technocratia, si proxime futura aetate praeponderabit, mala non minus miseranda poterit inferre quam ea, quae liberalismus, uti dicunt, prius invexit. Rerum enin oeconomicarum ratio et technicae artes omni notione carent, nisi ad bonum hominis, cui inservire debent, convertantur. Hic vero eatenus tantum est homo, quatenus, actionibus suis imperans ac de earum indicans momento, sui profectus ipse est artifex; quod quidem congruenter fiat oportet naturae, quam ei summus dedit Auctor, et cuius vires et postulata libere ille assumit.

35. Affirmari etiam licet oeconomicarum rerum incrementum sociali potissimum progressu contineri, ad quem illud nititur, et primam institutionem, qua litterarum tradantur initia, praecipue ab iis affectari, qui de progressione ineunt consilia. Illa enim veluti fames, qua eruditio esuritur, non minus acerba est quam cibi desiderium: nesciens enim litteras est quasi spiritus inedia laborans; sed cum quis legendi atque scribendi callet artem, ad opus faciendum munusve obeundum rite componitur, sibi iterum fidit seque una cum ceteris posse proficere percipit. Quemadmodum Nos ediximus, cum Teheranianum Conventum sodalium Consilii, quod compendiariis litteris UNESCO appellatur, nuntio alloqueremur, disciplina elementorum scribendi est primaria ac primigenia ratio, qua homo non solum societati inseritur, sed etiam ipse ditatur, eaque praestantissimum subsidium est pro societate ad augendas res oeconomicas et ad progressionem efficiendam (36). Gaudemus sane quod, ad hoc quod attinet, multa sunt patrata inceptu privatorum, a publicis potestatibus, ab institutis gentium: hi profecto sunt praecipui effectores progressionis, quoniam homines idoneos reddunt ad eam suapte virtute persequendam.

36. Verumtamen homo non est plane suus, nisi in societate, ad quam pertinet, et in qua momentum maximum et primigenium familia obtinet. Quod nimium fortasse fuit, si tempora et loca in quibus viguit, respicimus, quatenus primaria libertatis iura humanae personae passa sunt detrimentum. Vetera autem societatis instituta, propria regionum ad progressionem nitentium, adhuc sunt in aliquod tempus necessaria, sed nimia eorum vis oportet gradatim minuatur. Familia vero naturalis, monogamiae indole insignis, stabilis, quemadmodum a mente divina est formata (37) christianaque religione consecrata, in qua diversae generationes conveniunt, ac sese mutuo adiuvant ad pleniorem sapientiam acquirendam atque iura personarum cum aliis vitae socialis exigentiis componenda, fundamentum societatis constituit (38).

37. Non est diffitendum, maturata natorum incrementa nimis crebro difficultates addere ad progressionis rationes, quod multitudo celerius augetur quam opes, quae sunt in promptu, ita ut omnes viae intercludi videantur. Tunc facile quis ad consilium descendit incrementum natorum

minuendi, gravissimis adhibitis remediis. Non est dubium quin potestates publicae, quantum ad eas pertinet, in haec se queant interponere, cives hac de re docentes et accommodata rei consilia capientes, dummodo haec praescriptis legis moralis congruant, et iusta coniugum libertas absolutissime servetur. Cum vero ius firmissimum matrimonii et procreationis demitur, actum est de humana dignitate. Est denique parentum, re plane perspecta, de numero liberorum statuere; quod mursus illi in se recipiunt coram Deo, coram se ipsis, coram liberis iam genitis, coram communitate ad quam pertinent, praecepta secuti conscientiae suae, de lege divina, authentice interpretata, edoctae et fiducia Dei roboratae (39).

38. In opere progressionis faciendae, homo, qui in familia constitutus vitae rationem praecipuam ac primigeniam suscepit, saepe adiuvatur institutis artes profitentium. Quodsi haec propterea condita sunt, ut sodalium commodo utilitatique servirent, magnum est eorum officium et opus, quoad mursus educandi, quod exsequi possunt ac debent. Eadem enim instituta, cum homines doceant atque excolant, multum valent ad eos imbuendos intellectu boni communis et obligationum, quibus idem bonum omnes devincit.

39. Quaevis autem actio socialis aliqua doctrina obstringitur: christianus quidem eam respuit, quae in philosophia materialismi et atheismi innititur, quae videlicet neque mentis religiosae dirigentis vitam ad finem aeternum supremumque, neque libertatis, neque humanae dignitatis habet respectum. Sed, dummodo eiusmodi res praestantissimae in tuto sint collocatae, multiplicitas sodalitatum artes profitentium et collegiorum opificum potest probari, et, quadam ex parte utilis est, si libertatem tuetur et ad aemulationem impellit. Libentissime ergo iis omnibus adhibemus honorem, qui in iis societatibus, sui immemores commodi, fratribus operose deserviunt.

40. Praeter hasce consociationes artes profitentium, etiam instituta humano cultui provehendo vigent industria, quorum mursus non minus valet ad progressionem faciendam. Gravibus his verbis usum, asseverat Concilium: Periclitatur enim sors futura mundi nisi sapientiores suscitentur homines; et haec addit: Insuper notandum est plures nationes, bonis quidem oeconomicis pauperiores, sapientia vero ditiores, ceteris eximium emolumentum praestare posse (40). Quaelibet civitas, sive dives est sive pauper, humanitatis cultum obtinet a maioribus traditum: scilicet instituta vitae terrenae necessaria et altiores ingenii significationes, utpote ad artes, doctrinas, religionem pertinentes. Quando in his humana veri nominis bona insunt, vehementer aliquis erret, si haec propter ille dimittat, populusque, qui hoc fieri patiatur, optimam sui ipsius partem proiciat, atque, ut vivat, vitae ipsius rationes neglegat. Hortamentum Christi etiam ad populos est referendum: Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? (41)

41. Gentes minus locupletes numquam satis ab illecebra cavebunt, qua, populorum opibus florentium causa, irretiuntur. Hi enim, felices eventus ostendentes, quos in vita sua artibus technicis et humanitate exculta sunt adepti, specimina dant laboris et industriae, qua temporalem prosperitatem praecipue consequantur. Id non propterea dicitur, quod per se mentis agitationem impediat; quin immo hac praeditus animus hominis, a rerum servitute magis solutus, expeditius ad ipsum Creatoris cultum et contemplationem evehi potest (42). Attamen ipsa civilizatio hodierna non ex se, sed utpote nimis rebus terrestribus intricata accessum ad Deum saepe difficiliorem reddere potest (43). Itaque ex rebus sibi propositis populi ad progressionem nitentes probe eligant: coarguant et abiciant falsa bona, quibus optima forma vitae humanae deminuitur, accipiant vero munera egregia et utilia, quae una cum rebus praeclaris sibi propriis secundum indolem suam provehere studeant.

42. Haec est humanitatis ratio perfecta, quae promoveatur oportet (44); numquid aliud est quam omnimodo profectui totius hominis et cunctorum hominum consulere? Humanitatis vero ratio artioribus finibus circumscripta, a bonis animi atque a Deo aliena, qui illorum est fons et origo, specie tantum potior esse potest. Profecto homo res terrenas sine Deo ordinare potest, sed, remoto Deo, eas nonnisi contra hominem demum dirigere potest. Quapropter humanus cultus, a ceteris rebus omnibus secretus, fit certe inhumanus (45). Vera igitur humanitatis species non est nisi ea quae ad summum Deum intendit, dum munus agnoscitur ad quod sumus vocati et quo vera vitae humanae forma praebetur. Nequaquam igitur homo est sui ipsius ultima regula, ipse autem is tantum efficitur qui esse debet, si se ipsum supergreditur, secundum illam verissimam Blasii Pascal sententiam: mirum quantum homo hominem transcendit (46).

43. Omnimoda singuli hominis progressio coniungi debet cum progressione generis humani, mutuo peragenda conatu. In urbe Bombaya haec sumus elocuti: Oportet homo homini occurrat, nationes inter se, ut fratres et sorores, ut filii Dei, occurrant. Hac mutua cum benevolentia et amicitia, hac sacra cum animorum concordia nos pariter aggredi debemus opus, communem prosperitatem futuram humani generis apparandi (47). Suasimus etiam ut subsidia certa et efficacia exquirerentur, quibus recte disposita instituta conderentur et incepta sociarentur ad opes, quae praesto essent, cum aliis communicandas, atque adeo vera inter nationes constabiliretur necessitudo.

44. Locupletiores primum hisce devinciuntur officiis, quorum partes fraternitate humana et supernaturali continentur, triplicem exhibente rationem: prius est officium mutuae necessitudinis, auxilium nempe a divitioribus nationibus afferendi iis, quae ad progressionem adhuc nituntur; deinde occurrit officium iustitiae socialis, quae in eo est posita, ut rationes mercatoriae, populis fortunatioribus cum infirmioribus intercedentes, in melius restituantur; denique officium caritatis universalis, qua pro omnibus consortio humanior promovetur, in qua cuncti dare debeant et accipere, neque aliorum processus progressionem praepediat aliorum. Gravis sane est haec causa, cum ex ea cunctorum hominum cultus civilis, qui futuris erit temporibus, pendeat.

45. Si autem frater et soror - ut ait S. Iacobus - nudi sint et indigeant victu quotidiano, divat autem aliquis ex vobis: Ite in pace, calefacimini et saturamini, non dederitis autem eis quae necessaria sunt corpori, quid proderit? (48) Hisce temporibus nemo iam potest ignorare, in nonnullis continentibus terris innumerabiles viros et feminas fame vexari; innumerabiles pueros puellasque inedia languere, ita ut non pauci eorum in ipso flore aetatis morte absumantur; apud multos alios corporis incrementum et mentis profectum ea de causa impediri, ideoque totarum regionum incolas, in maerore iacentes, deficere animis.

46. Anxie edita voce iam sunt postulata auxilia. Rogatus Decessoris Nostri fel. rec. Ioannis XXIII cum alacritate est auditus (49); Nos ipsi cum iteravimus nuntio ob sollemnia Nativitatis Domini anno MDCCCCLXIII prolato (50), ac denuo anno MDCCCCLXVI Indiam iuvaturi (51). Incepto omnium nationum Consilii victui et agriculturae accurandae, compendiariis litteris FAO appellati - cui proposito Apostolica Sedes studiose favit - liberaliter est obsecundatum. Institutum Nostrum, cui nomen Caritas internationalis, ubique terrarum suscipit labores, ac multi catholici, a Fratribus Nostris in Episcopatu adacti, nihil sibi parcentes conituntur, ut egentibus opitulentur, ac paulatim eorum amplificent numerum, quos ut proximos foveant.

47. Sed haec, perinde ac pecuniae privatim et publice collocatae, dona et creditae summae, non sufficiunt. Non enim solum de fame agitur depellenda ac de minuenda paupertate. Non satis est contra miseriam niti, licet res urgeat et necessaria sit; agitur de hominum consortione stabilienda,

in qua quivis, nullo discrimine stirpis, religionis, nationis, vitam vere humanam vivere possit, liberam a servitute, cuius auctores sunt homines et natura non satis domita; de consortione dicimus, in qua libertas non sit inane nomen, et Lazarus vir indigens ad eandem mensam possit considere ac dives (52). Quod ab ipso divite non paulum magnanimitatis postulat, multa incommoda sponte toleranda, assiduam contentionem. Unusquisque conscientiam suam percontetur, quae novo veluti vocis sono ad haec nostra tempora fertur. Estne unusquisque paratus suo impendio adiuvare opera et missiones disposite constituta ad relevandos egenos? plus tributorum solvere, ut publicae potestates progressionem maiore nisu amplificent? res peregre invectas pluris emere, ut is qui eas effecerit aequiorem mercedem accipiat? ipse de patria migrare, si oporteat et florens sit aetas, ut opem ferat nationibus ad humanitatis emergentibus cultum?

48. Cum officium coniunctionis inter homines etiam inter populos obtineat, gentium ... progressarum officium gravissimum est progredientes populos adiuvandi (53). Hoc sane documentum Concilii ad effectum est adducendum. Quodsi consentaneum est, ut gens aliqua ante ceteras donis fruatur a providenti Deo sibi concessis quasi operae suae proventu, nullus tamen populus audeat ad suum tantum usum divitias sibi seponere. Singuli populi plura et meliora opera et artificia edere debent, ut cunctorum civium vita dignitate vere humana sit praedita, et auxilia afferantur ad generis humani progressionem communiter assequendam. Cum in regionibus humanitatis cultu minus provectis egestas augeatur, consentaneum est, ut civitas aliqua opibus affluens partem bonorum, quae pepererit, cedat ad illarum sublevandas necessitates, consentaneum quoque est, ut instruat educatores, machinarios, technicos, sapientes, qui scientia et peritia sua illis ministrent.

49. Hoc praeterea est iterandum: quae in regionibus divitioribus supersunt, ea indigentibus regionibus debent prodesse. Praeceptum, iuxta quod olim necessitudine coniunctiores erant iuvandi, nunc ad universitatem pertinet egentium, qui sunt per orbem terrarum; ex qua re locupletes primi afficientur beneficiis. Horum autem avaritia diutius producta divinam adducet animadversionem et pauperum eliciet iram, nec praevideri possunt eventus inde secuturi. Civitates opibus nunc florentes, sed suarum tantum utilitatum studiosae, summa, quae habent, bona laedunt, si voluntatem magis rectiusque excellendi postponunt voluntati plus possidendi. Parabola de homine divite, e cuius agris messis tam copiosa percipitur, ut nesciat ubi reponat, ad eos merito transfertur: Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te (54).

50. Hi vero conatus, ut ad exitum plane deducantur, nequeunt dissipari et ab aliis seiungi, nedum queant alii aliis opponi propter quorundam dignitatis studium atque potentiam; haec enim tempora conspiratas rerum agendarum exigunt rationes, quae efficaciores sunt et meliores iis adiumentis, quae, oblata occasione, cuiusque bonae voluntati permittuntur. Quemadmodum supra diximus, necesse est studia subtiliter exerceantur, definiantur proposita, subsidia et viae indicentur, labores a delectis hominibus simul suscipiantur, ut necessitatibus huius aetatis satisfiat et quae prospiciantur, requisita perficiantur. Quin immo, eiusmodi rationes superant fines incrementi rerum oeconomicarum et progressionis socialis, siquidem operi patrando vim ac momentum attribuunt, et, dum recto ordine humanitatem componunt, homini ipsi plus dignitatis ac roboris impertiunt.

51. Sed ultra progrediendum est. Cum Bombayae essemus, Eucharisticum ex omnibus gentibus Conventum celebrandi gratia, a supremis civitatum rectoribus petivimus, ut sumptuum partem, quos in militares apparatus impenderent, ad universale quoddam aerarium constituendum converterent, ut populis, opibus destitutis, auxilium praeberetur (55). Quod autem primum ad

debellandam inopiam valet, id ad populorum etiam progressionem promovendam valet. Nam concors quaedam omnium populorum actio, cuius universale illud aerarium et imago esset et instrumentum, id una efficeret, ut hinc inanes dirimerentur contentiones, hinc mutua colloquia, fructuosa sane atque pacata, inter omnes populos initium tandem caperent.

52. Dubium profecto non est, quin stipulationes inter duas vel plures partes contractae servandae sint: hac enim id praestant, ut illis inferioris condicionis rationibus atque simultatibus, quas colonicae dicionis aetas secum tulit, salutares amicitiae necessitudines, in iurium et rerum politicarum aequalitate positae, feliciter succedant. Quae stipulationes, si cum generali coniungantur consilio mutuae adiutricis operae ab omnibus terrae populis navandae, nulli prorsus suspicioni locum dant. Ii enim, qui earum commodis fruuntur, minus habent, cur diffidant, curque timearet, ne, specie vel pecuniarii subsidii vel technicorum adiumenti ferendi, novum quoddam colonicae dicionis genus, ut dicitur, subeant, quo simul sibi libertas in re publica minuatur et gravia in re oeconomica pondera imponantur, simul paucorum dominatus ibidem vel firmetur, vel constituatur.

53. Quis autem non videat, ex illo, quod memoravimus, universali aerario facultatem datum iri aliquid ex dispendiis deducendi, quae sive timor sive contumacia suaserit? Dum tot esuriunt populi, dum tot familiae omnium rerum penuria laborant, dum tot homines inscientiae tenebris demersi vitam degunt, dum tot desiderantur scholae, valetudinaria, domus, hoc nomine digna, interea quaevis vel publica vel privata dispendia, quivis sumptus aut nationis aut singulorum hominum ostentationis gratia facti, quaevis denique exinaniens ad congerenda arma certatio: haec omnia, dicimus, in famosum intolerandumque fiagitium transeunt. Gravissimum Nobis iniunctum munus requirit, ut id aperte notemus. Utinam ii, quos penes summa est rerum, aures Nobis praebeant, antequam res ad extrema veniat.

54. Quam ob causam prorsus necesse est, ut omnes populi in illud veniant colloquium, quod flagrantibus expetivimus votis, cum primas Nostras Encyclicas Litteras, a verbis incipientes Ecclesiam Suam (56), dedimus. Si huiusmodi colloquium instituatur inter eos qui adiumenta comparant, et eos qui hisce auxiliis fruuntur, facile fiat, ut conferenda subsidia aequa lance expendantur, non modo pro illorum largitate et copia, sed etiam pro horum et vera subsidiorum necessitate et subsidiorum adhibendorum facultate. Exinde iam non erit periculum, ne nationes, quae ad progressionem nituntur, aere demergantur alieno, ad quod solvendum suos praecipuos quaestus impendant. Utraque pars astipulari sane poterit de usuris itemque de tempore, quo pecuniae mutuo acceptae sint reddendae, iis tamen condicionibus quae ab utraque parte ferantur, aequando scilicet gratuita dona, pecunias sine ullo fenore vel parvis tantum usuris sumptas, atque annos, quibus credita gradatim solvantur. Iis procul dubio, qui subsidia conferunt, pro creditae pecuniae usu satisdandum erit, ut id secundum pactam rationem et aequis cum fructibus fiat: non enim cessatoribus neque parasitis favendum est. Ii autem, qui auxiliis utuntur, iure merito postulare poterunt, ne quis in suam rem publicam administrandam se interponat, neve suum socialem ordinem perturbet. Cum enim de civitatibus agatur, quae sui iuris sunt, ad ipsas tantummodo pertinet propria gerere negotia, rerum civilium rationem statuere, atque rei publicae eligere conformationem, quam praeoptent. Hoc igitur necesse est, ut nationes adiutricem sibi operam mutuo neque coactae navent, eaedemque, pari pollentes dignitate, feliciter simul allaborent ad civilem efficiendam consortionem, vere hominibus dignam.

55. Sed huiusmodi propositum in regionibus effici non posse videtur, ubi cotidiani victus una sollecitudine familiae distinentur, quae propterea animo complecti nesciunt, quomodo opera suscipere possint, quibus reliquum vitae tempus minus aerumnosum sibi parent. Hi ergo viri atque mulieres omni ope adiuvandi sunt, iidemque hortandi, ut simul suae progressionis iter ipsi

libentes ingrediantur, simul adiumenta ad proficiendum necessaria ipsi sibi quaerant. Huiusmodi communis opera procul dubio virium contentionem consociatam, constantem strenuamque poscit. Omnes tamen sibi persuasum habeant, ad id incunctanter aggrediendum esse: egentiorum enim populorum vita, et civium concordia in nationibus ad progressionem nitentibus, immo universi mundi pax agitur.

56. Omnes autem conatus, sane non mediocres, qui ad iuvandas civitates gradatim progredientes sive pecuniariis sive technicis auxiliis capiuntur, fallaces inanesque plane evadant, si ab his comparata remedia magna ex parte irrita fiant ob mutabiles negotiationum rationes, quae inter ditiores et tenuiores populos intercedant. Etenim alteri omni exspectatione et fiducia destituantur, ubi manant, ne alteri id ab ipsis repetant, quod iam dederint.

57. Nam civitates, quae operosorum artificiorum numero et efficientia praestant, res potissimum exportant, in suis territoriis manu factas; nationes autem inferiores opibus nihil aliud venale habent, nisi infectam rerum materiam et ea, quae terra gignit. Ob technicas progredientes artes priorum operum pretium celeriter augetur, eademque percommode veneunt. Illae autem res primigenae, quae a minus progressis civitatibus subministrantur, maximis repentinisque pretii mutationibus obnoxiae sunt, ac propterea longe absunt ab illa crescente operum aestimatione. Exinde graves difficultates afferuntur nationibus, in operosis artificiis apparandis paulum progresses, cum ipsis spes in exportandis rebus magna ex parte collocanda sit, ut publici aerarii administrationem et dispensationem compensent, atque oeconomicae progressionis consilia ad effectum deducant. Quam ob rem populi inopia conflictati maiore usque inopia conflictantur, ii autem, qui bonis omnibus praediti sunt, potioribus usque divitiis augentur.

58. Patet igitur, liberae negotiationis normam iam non sufficere, si sola adhibeatur in publicis regendis omnium populorum necessitudinibus. Ea ex contrario prodest, quotiescumque partes inter se opibus non nimium differunt; inumo ad ultra progrediendum exstimulat, atque conatus merito afficit praemio. Hanc ob causam civitates, quae in operosis artificiis plurimum profecerunt, in hac liberae negotiationis norma quandam iustitiae legem inesse iudicant. Aliter tamen dicendum est, cum rerum condiciones inter nationes nimis impares flunt: pretia enim, de quibus inter negotiatores libero pacto convenit, exitus prorsus iniquos habere possunt. Fatendum quidem est, in hac rerum provincia praecipuuin caput liberalismi, quem appellant, uti negotiationum normam in dubium vocari.

59. Iamvero doctrina, quam Decessor Noster imm. mera. Leo XIII per Encyclicas Litteras tradidit, quibus initium Rerum Novarum, hoc etiam tempore est in pretio, secundum quam partium consensus, rerum condicionibus inter se nimis distantium, haud quaquam sufficit ad tuendam pactionum aequitatem, ac liberae consensionis lex ad ius naturale dirigenda est (57). Quod vero de iusta singulorum opificum mercede illic docetur, id ad pactiones quoque accommodari merito debet, quae inter orbis terrarum populos conflantur: nam negotiandarum rerum ratio et disciplina in sola lege liberae immoderataeque competitorum aemulationis iam nequit consistere, quippe quae oeconomicum imperium quam saepissime etiam pariat. Quam ob rem liber mercaturae usus tunc tantum aequus dicendus est, cum socialis iustitiae postulatis congruit.

60. Ceteroqui, ipsae quae in rebus oeconomicis profecerunt civitates id iam intellexerunt, quandoquidem, accommodis captis consiliis, in sua quaeque rerum oeconomicarum procuratione quandam aequabilitatem instaurari annituntur, quam competitorum aemulatio plerumque perturbat, cum ad suum cuiusque arbitrium grassetur. Fit propterea, ut hae nationes suae agriculturae saepe consulant, onera transferentes in cetera oeconomica incepta, quae maiora incrementa susceperint. Fit pariter, ut eaedem, ad mutua commercia fovenda,

praesertim intra fines communis cuiusdam consociatique mercatus, disciplinam sumptuum insumendorum, fisci administrandi et socialis vitae provehendae rationes eo dirigant, ut operosis artificiis, quae imparibus opibus praedita inter se aemulentur, emendi vendendique occasiones, suae condicioni convenientes, praebeantur.

61. Qua in re aequis omnino mensuris opus est. Quae de administrandis bonis in singulis nationibus servantur, quaeque civitatibus oeconomica progressione praestantibus conceduntur, eadem sane servari debent ad negotiationum rationes inter ditiores et egentiores populos quod attinet. Competitorum aemulatio a mercatura non est quidem pellenda, sed iis continenda modis, quibus reapse iusta et honesta, atque adeo homine digna efficiatur. In negotiationibus autem exercendis inter oeconomicas procurationes ditiores et procurationes egentiores, rerum condiciones nimis dissimiles, atque agendi facultates nimis dispares sunt. Iustitiae ratio, ut sit homine digna et honesta, postulat, ut in commerciis, quae inter varias mundi nationes exercentur, competitoribus aliqua saltem emendi ac vendendi aequa et par conditio tribuatur. Quae quidem par condicio, quamvis haud cito haberi possit, ad eam tamen maturandam iam nunc necesse est germanam exstare aequalitatem in deliberationibus atque in aestimandis pretiis. Qua in materia, etiam pacta inter nationes conventa valde prodesse possunt, quae satis amplum populorum numerum comprehendant: hisce enim conventionibus generales normae constitui possunt, eo spectantes, ut pretia contineantur, apparatus bonis gignendis foveantur, et quaedam promoveantur nascentia operosa artificia. Nemo autem non videt quam efficax sit auxilium, quod concordi hat ad maiorem iustitiam contentione, in commerciorum rationibus inter populos moderandis, civitatibus ad progressionem nitentibus praebeatur, quippe cuius effectus non tantum sint praesentes, sed diu etiam valeant.

62. Sed alia quoque obstant et impediunt, quominus humana societas, quae nunc vivit, aequior efficiatur, eademque firmius pleniusque in mutua universorum hominum necessitudine consistat: obstant videlicet cum propriae civitatis gloriatio tum suae cuiusque stirpis veluti cultus. Nam inter omnes constat, populos, qui recens tantum in re publica administranda sui iuris facti sint, adeptae sed nondum confirmatae suae gentis unitatis retinentissimos esse, eamque omnibus viribus tueri; itemque nationes, vetusto civili cultu praestantes, de institutis a patribus veluti hereditate traditis gloriari. Attamen haec animi sensa, minime sane improbanda, ad quandam perfectionis summam evehantur oportet, per caritatem scilicet, universum hominum genus complectens. Suae vero nationis gloriatio populos inter se disiungit, eorumque germanis commodis obstat; at ibi imprimis gravissima infert detrimenta, ubi ex contrario administrandorum bonorum penuria postulat in unum conferri sive virium contentiones, sive rerum notitias sive pecuniarum subsidia, ut consilia de oeconomicarum rerum incremento ad effectum adducantur, et commerciorum civilisque cultus necessitudines increscant ac solidentur.

63. Nunc studium suae cuiusque stirpis non est proprium earum nationum tantum, quae recens sui iuris factae sunt, ubi huiusmodi cultus post odia vel tribuum vel politicarum partium se abdit, non solum iustitiae maxime officiens, sed etiam civium tranquillitatem salutemque periclitans. Quod studium, cum colonicae vigerent diciones, saepe discidia inter colonos et autochthones concitavit, pariter impediens ne iidem ad mutuam fructuosamque animorum concordiam pervenirent, pariter animos ad acerbam invidiam ob veras acceptas iniurias inflammans. Idem plurimum obstat, quominus populi a fortunis inopes mutuam adiutricem operam sibi volentes navent, atque discidiorum et inimicitiarum semen in mediis civitatibus serit, quotiescumque, contemptis hominum iuribus, quae remitti nequeunt, sive singuli sive familiae, stirpis vel coloris causa, a praecipuis ceterorum civium iuribus iniuste sese exclusos animadvertunt.

64. Haeo rerum adiuncta, cum in posterum multa pericula portendant, animum Nostrum angore maestitiaque complent. Spem tamen alimus bonam, fore ut mutuae populorum suspiciones nimiaque sui ipsorum studia aliquando sive impensiore sociatae operae cupiditate, sive flagrantiore mutuae necessitudinis conscientia vincantur. Neque non speramus fore ut populi, in rebus oeconomicis paulum progressi, incitamentum et fructum ex eo capiant, quod ad alios eiusdem condicionis adiacent, quibuscum ampla sua territoria in unum coniungant, ubi collatis studiis suae cuiusque regionis progressioni faveant. Confidimus etiam eosdem et communia agendi consilia esse inituros, et pecunias in efficienda opera apte et ordine esse collocaturos, et procreanda bona pro rata parte unicuique constituturos, et horum bonorum exercituros commercia. Quin etiam ad spem erigimur fore ut consociationes, vel quasdam vel omnes fere nationes inter se copulantes, rebus, uti necessarium est, compositis, rationes ineant ad populos nunc egentiores adiuvandos, ut hi ab omnibus repagulis se expediant, quibus adhuc detineri videntur, et sive humanitatis cultus, sive socialis progressionis vias, summ quisque nativum ingenium fideliter servans, ipsi inveniant.

65. Ad id omnino contendendum est. Cum mutua voluntatum coniunctio inter orbis terrarum populos in dies efficientior videatur, ea omnibus populis permittat necesse est, ut suae cuiusque fortunae auctores, ut ita dicamus, ipsi fiant. Mutuae nationum rationes in vi iusto saepius adhuc constiterunt, idque praeteritorum temporum, pro dolor, veluti praecipua nota fuit. Utinam serena adveniat aetas, qua necessitudines inter populos his tantum insignibus distinguantur, hoc est observantia, amicitia, in adiutrice opera praestanda mutuo obsequio, atque concordi actione in eo posita, ut singuli populi, sua quisque onera et officia in se summa ducti conscientia recipientes, communia incrementa provehant. Populi nunc emergentes copiisque inferiores id postulant, ut certas partes ad aptiorem rerum humanarum compositionem sibi agere liceat, qua scilicet propria cuiusque iura atque munera sanctius defendantur. Quorum optatum cum plane iustum sit, idcirco ab omnibus est audiendum et explendum.

66. Humana societas gravi quodam morbo laborat, cuius causa potius quam in naturae opibus extenuatis vel a paucis avidissime coëmptis, verius in resolutis fraternae necessitudinis vinculis cum inter homines tum inter populos continetur.

67. Quare numquam non instabimus suadere, liberale hospitium - quod est humanae simul consensionis christianaeque caritatis officium - praeterquam in domesticos convictus, etiam in instituta disciplines excolendis civitatum, tale munus praestantium, cadere. Oportet enim ad iuvenes potissimum excipiendos familiae domusque hospitales multiplicentur. Quae ideo condenda sunt, primum ut iuvenes a solitudine, desperatione et angore, ipsorum vires debilitantibus, prohibeantur; deinde ut a corrupto vitae statu, in quo versentur, arceantur, dum fatalis quaedam necessitas impellit ad extremam suae patriae egestatem cum luxu sumptuque effusissimo, quo paene obvolvuntur, comparandam; item ut custodiantur a seditiosis opinionibus consiliisque pugnacibus, quae eorum subeant mentes, dum de misera calamitosaque fortuna sua recogitant (58); ut denique iis fraterno veluti amore receptis praebeantur integrae vitae exempla, quibus sive christiana caritas, germana sane et efficax, sive summa animi bona debito in honore habeantur.

.68. Hoc enim reputantibus Nobis est dolendum, quod plurimi iuvenes, qui civitates opulentiores petunt ad eas disciplinas, artium intellegentiam, optima studia assequenda, quibus ornati possint aliquando egregiam suae patriae operam navare, si eximia ibidem institutione conformantur, desinunt tamen saepe saepius summa illa bona probare, quae in humano civilique cultu terrae, ubi adoleverunt, veluti magni pretii hereditas, plerumque insunt.

69. Oportet etiam benigno recipiantur hospitio operarii, domo emigrantes, qui saepenumero perferunt vivendi condiciones homine indignas, atque mercede sibi soluta parcissime uti coguntur, ut familiam sustentent, quae adhuc in natali solo manet inopiaque premitur.

70. Nostra praeterea hortatione eos omnes appellamus, qui in civitates, recens artibus et artificiis instructas, negotiorum causa se conferunt: fabricatores dicimus mercatoresque atque maximarum huius generis societatum sive magistros sive procuratores. Fieri quidem potest, ut ii in patria sua socialium rationum sensu praediti sint; cur igitur nunc ad atrociores descendant rationes suis tantum commodis serviendi, cum in nationes se conferunt minus progressas, artifciis suis operaturi? Immo vero maior, qua fruuntur, fortuna iis quasi stimulos debet addere, ut, ubi quaestuosa gerant negotia, ibidem auctores evadant socialis progressionis humanique profectus. Quin etiam ipsa, qua abundant, sagacitas in rebus ordinandis opportunas iis vias debet ostendere, quibus autochthonum opus utiliter exerceant, operarios arte peritiaque praestantes instituant, machinales doctores ceterosque officinarum praepositos erudiant, horum navitatem et incepta foveant, hosque ad munera in dies graviora evocent; ita ut haud longo temporis spatio idoneos efficiant, qui secum opus regimenque rerum participent. Interea tamen iustitia semper mutuis praesit rationibus, quae dominis cum administris intercedunt. Atque pactiones legitime initae, omnibus descriptis officiis, easdem rationes moderentur. Ne quis denique, quicumque eius est locus, aliorum arbitrio iniuste subiciatur!

71. Ceterum est cur valde laetemur: nam crescit in dies eorum numerus, qui arte periti sive a consociationibus, vel generalibus vel mutuis, sive a quibusdam privatorum consiliis peregre mittuntur, ut terrarum illarum progressiones incitent. Qui profecto oportet non ut dominatores se gerant, sed ut adiutores et cooperatores (59). Quaevis enim gens statim intellegit, utrum ii, qui ad afferendum sibi auxilium advenerint, benevolentiae studio ducantur necne, utrum velint novas tantum artium rationes inducere an veram etiam hominis dignitatem provehere. Neque est dubitandum quin gens illa eorum nuntium sit reiectura, nisi fraterna inde spiret caritas.

72. Si ergo artium peritia est necessaria, vestigia etiam ac testimonia germani amoris sunt cum illa coniungenda. Periti, quos diximus, viri, ab immoderato suae nationis studio alieni et a quavis specie iniqui inter gentes discriminis abhorrentes, cum omnibus quibusque hominibus suam operam et navitatem consociare assuescant, persuasum sibi probe habentes, ob scientiam et rerum usum, quibus praestant, nullum prorsus principatum in omnibus vitae provinciis sibi tribuendum esse. Quamvis enim civilis cultus, qui eorum mores conformavit, quandam quasi formam humanitatis ubique obtinentis complectatur, neque unicus tamen est putandus neque aliorum cultuum fastidiosus esse debet, atque adeo, si in exteras regiones invehatur, ad earum naturam est plane accommodandus. Qui ergo huiusmodi munus suscipiunt, id curent, ut civitatis, in qua tamquam hospites versentur, antiquiorem memoriam et proprium ingenium et doctrinae copiam studiose perspiciant. Ex quo sequetur, ut alter hominum cultus cum altero cohaereat, uberesque inde fructus uterque percipiat.

73. Etenim cum inter diversarum gentium cultus, ut inter singulos homines, sincerum seritur colloquium, fraterna tum facile animorum coniunctio exoritur. Tum inita de humana progressione consilia ad opera communi labore efficienda populos inter se conectent, si omnes omnino cives, primores scilicet et magistratus et humillimus quisque artifex, fraterno accendantur amore flagranterque cupiant unum universumque in toto orbe terrarum cultum humanitatis constabiliri. Tum initium capiet colloquium in homine, non autem in iis quae terra gignit vel praebet ars, positum. Quod plurimum sane utilitatis afferet, si colloquentibus populis viae ostendentur, quibus et oeconomicos progressus et maiorem suorum animorum cultum adipiscantur; si technici se pro educatoribus ac praeceptoribus gerent; si disciplinae denique

institutio excellentiorem quandam notam praeferet, quae, cum animos moresque attingat, non solum oeconomicas, sed humanas etiam res incrementis augeat. Tum colligata necessitudinis vincula in sua manebunt firmitate, auxilio etiam subsidioque intermisso. Quisnam non videat quantum artiores huiusmodi necessitudines ad pacem in terris servandam conferant?

74. Novimus sane plurimos iuvenes iam libenter alacriterque invitationi Decessoris Nostri fel. rec. Pii XII respondisse, laicorum ordinem ad missionale opus adhortantis (60). Novimus praeterea alios iuvenes nomen et operam sponte dedisse institutis, quae sive publice sive privatim adiutricem navant operam populis, ad profectum civilem contendentibus. Quapropter non mediocri laetitia comperimus in quibusdam nationibus munus militare cum ministerio sociali, vel brevissime cum ministerio aliqua saltem ex parte posse commutari. Quibus profecto inceptis atque hominibus bonae voluntatis, qui eadem perficiunt, bene ex animo precamur. Utinamque omnes, qui se Christi esse discipulos profitentur, ci roganti obsequantur: Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me; nudus, et cooperuistis me; infirmus et visitastis me; in carcerem eram, et venistis ad me (61). Siquidem nemini licet neglegenter respicere fratrum suorum condicionem, qui tanta adhuc inopia sunt obruti rerumque imperitia laborant nullaque vitae securitate percunt. His porro aerumnis moveatur animus cuiuslibet christiani, ad similitudinem Christi dicentis: Misereor super turbam (62).

75. Supplici ergo omnes deprecatione Deum Patrem omnipotentem exorent, ut genus humanum, tantorum haud ignarum malorum, et mente et animo ad ea delenda totum insistat. Sed cum omnium studio precandi constans cuiusque voluntas consentiat oportet, ut, quantum vires opesque sinant, contra perexiguam populorum progressionem repugnet. O utinam singuli homines et societatis ordines nationesque universae fraterna inter se consuetudine iungant dexteras, fortesque in progrediendo opitulentur infirmis, omnem sapientiam et alacritatem et caritatem, sui commodi obliti, ad opus conferentes! Qui enim germano ducitur amore quam qui maxime intendit sui aciem ingenii ad miseriarum causas detegendas inveniendosque modos, quibus eas oppugnet ac fortiter evincat. Cum auctor sit pacis, is suum perget iter, facem laetitiae praeferens lumenque ac gratiam effundens in corda hominum per totum orbem terrarum, eos adiuvans ut, quoslibet transgressi fines, vultus fratrum vultusque amicorum usquequaque agnoscant (63).

76. Quae nimiae inter populos sive rerum oeconomicarum ac socialium sive doctrinarum discrepantiae exstant, eae simultatem atque dissensionem concitant pacemque saepius in discrimen adducunt. Quapropter, ut ex illo reversi itinere, quod ad Sociatarum Nationum sedem pacis causa habueramus, coram Oecumenici Concilii Patribus professi sumus, in condicionem populorum, qui ad profectum civilem adhuc nituntur, animos oportet intendamus; scilicet, quo apertius rem dicamus, caritas nostra erga pauperes, qui sunt in mundo quorumque est innumerabilis numerus, oportet fiat sollicitior, efficacior, generosior (64). Cum ergo miseriae obsistimus et contra iniquam rerum condicionem contendimus, non solum prosperae hominum fortunae consulimus, sed eorundem etiam animorum morumque progressioni atque adeo totius humani generis utilitati favemus. Siquidem pax non est prorsus ad belli omnis privationem dumtaxat revocanda, tamquam si in quadam virium aequilibritate et inconstantia consistat. Pax diem de die assiduo perficitur labore, modo is rerum spectetur ordo, qui a Deo statutus perfectiorem iustitiae formam inter homines flagitat (65).

77. Quoniam enim populi fabri sunt suae quisque progressionis, tantum in se onus munusque ipsi recipiunt, quod nullo tamen modo praestare poterunt, si alii ab aliis dissociati vivent. Pactiones ergo inter populos pauperiores eiusdem regionis factae de mutuo sibi auxilio afferendo, et

communia amplioraque consilia ad eos adiuvandos, itemque maioris momenti foedera alia inter alios icta ad certas agendi rationes componendas: totidem hi sunt quasi paxilli huiusce viae, quae, dum civili favet profectui, ducit ad pacem.

78. Haec autem mutua inter nationes opera ad totum pertinens orbem terrarum sane poscit Instituta, quae eam praeparent, disponant, regant, donec novus iurium ordo statuatur, quem ratum ac firmum omnes ubique habeant. Equidem libentissime publicis suffragamur consiliis, quae iam dudum hanc operam ad civilem gentium progressionem assequendam curant, votisque expetimus, ut eadem maiore usque auctoritate floreant. Qua de re cum Neo-Eboraci versantes ad Sociatarum Nationum Legatos sermonem haberemus, haec, inter alia, iis diximus: Vestrarum est profecto partium non unum vel alterum dumtaxat populum fraternis vinculis coniungere, sed omnes ad unum ... Quis enim non videat omnino oportere eo sensim perveniatur, ut auctoritas quaedam ad mundum universum spectans constituatur, quae sive in re iudiciali sive in re politica efficaciter agere possit? (66)

79. Nonnulli fortasse huiusmodi exspectationes quasi vana opinionum commenta censeant. Fieri enim potest, ut eorum consuetudo res ipsas ut sunt spectandi aliquid vitii habeat, quod nondum animadverterint citatissimum huius aetatis cursum, in qua homines artiore fratrum necessitudine vivere cupiunt atque, licet ignorantiis, erroribus noxisque detineantur ac saepe in efferatos recidant mores vel longe a salutis via aberrent, lente tamen ac vel etiam sine sensu ad suum accedunt Creatorem. Atqui huiusmodi contentio ad humaniorem vitae rationem labores quidem postulat, incommoda iniungit; sed ipsae res adversae, amoris erga fratres eorumque utilitatis causa susceptae, quam maxime ad humani generis progressionem conducere possunt. Nam christifideles compertum perspectumque habent se, pro eo quod cum piaculari divini Servatoris immolatione coniungantur, plurimum conferre in aedificationem Corporis Cristi (67), ut suam nempe plenitudinem accipiat, in populi Dei congregatione.

80. Cum vero hoc iter mutua omnium animi voluntatisque consensione pergendum sit, Nostrum idcirco esse existimamus omnes monere de gravissima amplissimaque hac causa deque summa efficiendi operis necessitate. Iam tempus advenit agendi, quandoquidem in discrimine est, num tot infantes culpae expertes vita superent, num tam multae familiae inopia afflictae ad vivendi condicionem accedere possint cum homine consentaneam, num denique in orbe terrarum pax atque ipse civilis cultus sarta tecta servari queant. Ad universos igitur homines populosque pertinet, ut causam tanti momenti in se recipiant.

81. Quam ob rem haec hortatio ad filios Nostros imprimis spectat. Nam etiam in nationibus, quae ad progressionem nituntur, perinde ut in ceteris, oportet laici suas esse partes sentiant temporalium rerum ordinem in melius convertere. Etenim, si sacrae Hierarchiae est leges praeceptaque moralia docere atque cum auctoritate explanare, quibus hac in re obtemperandum est, laicorum officium est suis liberis consiliis inceptisque id efficere - haud quaquam aliunde normis aut praescriptis desidiose exspectatis - ut non tantum hominum mores mentisque habitus, sed etiam civilis communitatis leges et structuras christiano vitae sensu imbuant (68). Necesse profecto est, res quasdam mutari ac praesentis vitae condiciones pepitus emendari. Quod qui facient, iidem summopere enitantur oportet mutationes easdem spiritu Evangelii perfundere. Catholicos praesertim viros e florentioribus nationibus flagitamus, ut suam rerum peritiam atque adiutricem sedulamque operam publicis vel privatis praestent Institutis, sive civilibus sive religiosis, quae in civitatum ad progressionem nitentium angustias vincendas incumbant. Pro certo quidem habemus iis cordi fore se primum tenere locum in eorum agmine, qui nulli parcunt labori, ut reapse apud populos universos ex morum praescriptis leges iustae et aequae condantur.

82. Minime deinde dubitamus, quin omnes, qui christiano censentur nomine ac propterea fratres Nostri sunt, socia compositaque opera id magis magisque moliri velint, ut homines immodicum sui amorem animique arrogantiam coerceant, contentiones simultatesque deponant, ambitiones et iniquitates cohibeant, adeo ut omnibus viae patefiant humanioris vitae, in qua unusquisque sicut frater a fratribus diligatur atque adiuvetur. Praeterea suavi adhuc affecti recordatione illius colloquii, quod cum viris e variis religiosis communitatibus non christianis Bombayae habuimus, iterum illos fratres Nostros hortamur, ut totis animi ingeniique viribus contendant ad vivendi condiciones omnibus hominibus parandas, filiis Dei dignas.

83. Animum denique convertimus Nostrum ad universos bonae voluntatis viros, qui conscii sint, ad pacem nisi per civilis cultus progressionem opumque incrementum non posse perveniri. Velimus igitur animum vos inducatis, sive Legati apud Consilia inter nationes obtinentia, sive rebus publicis administrandis periti, sive diurnarii scriptionumque editores, sive demum educatores praeceptoresque, ut omnes, pro vestro cuiusque munere, operam detis novo rerum ordini componendo. Quod ad Nos, Omnipotentem Deum pro vobis suppliciter precamur, ut vos illuminet vosque roboret, ut omnium animos ad graves has quaestiones considerandas excitetis, populosque ad eas solvendas impellatis. Vobis, praeceptores, sit certum atque statutum iuventuti amorem inicere populorum inopia oppressorum. In hoc vos, diurnarii, elaborate, ut nobis ante oculos proponatis cum incepta, quibus nituntur mutua populorum auxilia, tum lamentabile tot miseriarum spectaculum, quod homines facile aversantur, ne animi tranquillitate careant. Nam id saltem opus est divites cognoscant, pauperes ad suas veluti ianuas stare atque epularum comissationumque reliquias aucupari.

84. Vestrum est, rerum publicarum rectores, communitates trahere vestras ad artiorem cum omnibus hominibus necessitudinem, iisque hoc persuadere, ut nonnihil de suis effusis sumptibus necessario deduci patiantur ad populorum progressionem provehendam pacemque tuendam. In vobis denique magnam partem positum est, Viri legatorum munere fungentes apud multarum nationum Consilia, illud consequi, ut infestos inanesque virium armorumque concursus excipiat socia omnium gentium opera, amica, pacis studiosa suarumque utilitatum incuriosa; quae nimirum spectet ad conspirantem humani generis progressionem incitandam, qua universi homines se magis magisque excolere queant.

85. Quoniam vero - hoc fatendum est - saepe saepius homines male se habent, quod satis de his rebus non cogitant neque meditantur, idcirco consideratos sapientesque viros, catholicos, christianos, Dei cultores, supremae veritatis et iustitiae cupidos, hoc est omnes bona voluntate praeditos, appellamus, eosque, Iesu Christi verba usurpantes, vehementer rogamus: quaerite et invenietis (69); vias patefacite, per quas homines, invicem datis acceptisque auxiliis, rebus altius usque exploratis atque caritatis sensibus latius latiusque manantibus, magis fraternam vitae rationem instituant, ita ut humana societas reapse in omnium consensione innitatur.

86. Vos denique omnes, qui, egenorum populorum ploratibus auditis, eorum necessitatibus subvenire conamini, vos, inquimus, fautores et quasi apostolos existimamus salutaris verique nominis progressionis, quae quidem tantum abest, ut in divitiis contineatur, ad singulorum commodum pertinentibus vel per se expetitis, ut potius ponenda sit in rerum oeconomicarum ratione ad humanae personae bonum composita, in victuque cotidiano cunctis parato, unde fraterna caritas quasi efflorescat providentisque Dei auxilium perspicue significetur.

87. Extremum, dum toto pectore bene vobis precamur, cunctos bonae voluntatis homines vocamus, ut suas cum vestris viribus fratrum more coniungant. Nam si hodie nemo dubitat progressionem idem valere ac pacem, quis nolit, quaesumus, in eam progressionem sua studia

suosque labores impendere? Nemo scilicet. Omnes ergo vos hortamur, ut Nostrae anxiae implorationi egregia animi alacritate, in nomine Domini, respondeatis. Datum Romae, apud S. Petrum, die XXVI mensis Martii, in festo Resurrectionis D. N. I. C., anno MDCCCCLXVII, Pontificatus Nostri quarto. Paulus Pp. VI.

20

Prior = Populorum progressio, post = De pontifícia academia latinitatis condenda

20. DE IMMORTALITATE LINGUAE LATINAE WILFRIED STROH

Opus hoc, infeliciter, in orthographia restaurata scriptum est, modus scribendi quod et lecturam et intelligentiam textuum latinorum modernorum difficultat.
Ce travail est écrit en orthographe restaurée que difficulte tant la lecture comme la comprehension des textes latins modernes.
This work is written in the restored spelling that makes it difficult to read and understand modern Latin texts.
Diese Arbeit ist in restaurierter Schreibweise verfasst, was das Lesen und das Verstehen moderner lateinischer Texte erschwert.
Это произведение написано с восстановленной орфографией, что затрудняет чтение и понимание современных латинских текстов.
Darcy Carvalho.

DE IMMORTALITATE LINGUAE LATINAE WILFRIED STROH

Raro euenit, ut his quidem temporibus oratio aliqua Latina omnium gentium homines commoueat. Id tamen nuper factum est. Inde recitabo uobis ipsa prooemii uerba: Fratres carissimi, non solum propter tres canonizationes ad hoc Consistorium uos conuocaui, sed etiam ut uobis decisionem magni momenti pro Ecclesiae uita communicem. Conscientia mea iterum atque iterum coram Deo explorata ad cognitionem certam perueni uires meas ingrauescente aetate non iam aptas esse ad munus Petrinum aeque administrandum. His uerbis abhinc paucas septimanas sanctissimus papa Benedictus XVI se renuntiare uelle muneri siue ministerio suo indicauit, et id quidem uerbis Latinis. Quem tum, ut uere fatear, pauci cardinales bene intellexerunt non solum propter uocem nimis submissam et pronuntiationem ex Italicis Bauaricisque sonis commixtam, sed etiam quod summi illi clerici Latinam orationem neque exspectauerant nec cito percipere consueuerant. Vna tamen diurnaria, Giovanna siue Ioanna Chirri, quia statim et uerba et uerborum momentum perspexerat, cum ea urbi et orbi diuulgaret, gloriam breuiusculam adepta est.

Quid igitur? Cur omnino Latine papa locutus est? Nonne praestabat aut Italico aut, quod etiam magis conuenisse uidetur, Anglico sermone tanti ponderis consilium aperire et declarare? Cur ille ista lingua paene iam obsoleta usus est? Responderat autem papa ipse breui tempore antea, cum ad augenda studia Latina Pontificiam Academiam Latinitatis conderet. Nam sic tum disputauit: Quamquam inde a Pentecoste omnibus hominum linguis locuta et precata esset

Ecclesia, tamen iam primis saeculis Christianos Graecam Latinamque linguam praesertim usurpauisse, cum ea uniuersalia essent communicationis instrumenta; postea uero, inquit, Romano Imperio occidentali exstincto Romana Ecclesia non modo lingua Latina uti perrexit, verum etiam quodammodo custos eiusdem et fautrix fuit. Per eam enim linguam Benedictus censet fieri, ut uniuersalis Ecclesiae natura pateat.

Dixerit sane quispiam, etsi ea lingua magis uniuersalis sit quam una aliqua e uernaculis, tamen Ecclesiae, si ea uitalis esse uelit, uiua magis lingua opus esse quam ea, quae nunc quidem mortua sit, quoniam non iam in uulgari usu uersetur, aut, si paucis quibusdam in usu sit, certe non ut ceterae linguae domi disci queat, sed e scholis petenda sit. Huic ego, ut papam, quamquam sum euangelicus, meis uerbis defendam, respondeo hanc ipsam mortem Latinae linguae, si recte iudicare uelimus, non mortem esse uerissimam, sed genus quoddam uitae, immo causam immortalitatis, qua inter omnes fere linguas excellere uideatur. Idne incredibile uidetur ? Explicabo.

Atque ut uia ac ratione disputatio procedat, Cicerone duce a finitione uerbi incipiamus. Immortalitas igitur duplicem uel triplicem sensum habet. Nam primum id significat, quod per se non esse non queat, quod sua natura perpetuo 2

uiuat, ut Deus Christianorum, atomi Epicuri, anima Platonis, quae omnia fuerunt semper semperque futura sunt. Talis, concedo, Latina lingua certe non est. Nam Deum ipsum cum Adam et Eua Hebraice locutum esse ueri simile uidetur; Latina lingua autem, quae ante opificium mundi nimirum in usu esse nullo potuit, post turrim Babyloniam nata in Latio primum a Faunis nymphisque et incolis Latinis colebatur.

Immortalia autem etiam ea dici solent quae, cum non semper fuissent, ita orta siue creata sunt, ut postea denique mori non iam queant. Tales fuerunt di paganorum siue gentilium, qui, quamquam nati fuerunt, a Romanis semper di immortales appellabantur. Sic Iuppiter ipse a Saturno et Ope genitus esse inque cunis uagiisse creditur; idem adultus genuit Apollinem, Dianam, Bacchum alios, qui non modo ab omni exitio ac morte tuti sunt, sed etiam iuuentute aeterna fruuntur. Sic etiam, si Christianos auctores sequimur catholicos, anima hominis immortalis est; quae cum a Deo e nihilo creata sit, tamen caelo et aeterno aeuo destinata est. Quod genus immortalitatis interdum audacius transferimus ad opera ex humano ingenio nata, ut cum Homeri Iliadem, Ceruantis Don Quixote, Bachii Fugas immortales nuncupamus. Neque enim fieri posse putamus, ut umquam homines tantae artis opera uenerari desinant.

Sed nunc nos potius de dis immortalibus loquamur. Horum enim uel harum in numero mihi etiam lingua Latina quodam modo uidetur esse ponenda. Quae cum aliquando nata sit, postea adoleuerit, adulta iam duo milia annorum quasi Venus aliqua e mari emersa aeternam pulchritudinem ac uenustatem sortita sine mutatione immobilis uiuit ac uiget. Natae sunt interea plurimae linguae, creuerunt, mutatae, conuersae sunt, non nullae etiam perierunt (quoniam secundum Aristotelem et Apuleium terrena omnia mutationes et conuersiones, postremo interitus habent): Vna lingua Latina exempta hac lege mutationis et mortalitatis perpetuum decus suum seruat.

Nam cogitate mecum de linguis Hispanicis. Si quis ex inferis existat aut Seneca aut Quintilianus, quos disertissimos olim ciues suos Hispania urbi litterisque Romanis donauit, facile nos nunc eos post tantum temporis interuallum intellegere possimus, si quidem Latine loquantur; si autem una ex illis linguis uetustis uti uelint, quae ante Romanos hic in usu fuerunt, absurdum uideatur atque absonum. Sed hoc exemplum fortasse minus aptum uidetur, quoniam illae linguae Hispanicae succedente Latina e maxima parte perierunt. Transeamus igitur ad nos Germanos, qui semper

quodam modo Germanice locuti sumus. Si ad nos nunc redeat Arminius ille, qui Germaniae liberator dicitur, quod Vari ducis Romani legiones deuicit effecitque, ut nos lingua Romanica careamus, si is, inquam, nunc ex Orco restitutus nobiscum colloqui in animo habeat, minime id per Germanicam linguam fieri possit, quoniam ea his uiginti saeculis tantas mutationes subiit, ut fere nihil quale tum fuerat remanserit. Sin autem Latine loquatur – quam linguam eum satis didicisse tradunt –, cum eo quoque Latine nobis expedite loqui liceat: Salue, Armini, quid agis, quid Thusnelda, uxor tua?... 3

Ergo id quod inde ab aetate Ciceronis Romani de urbe sua dixerunt, nempe aeternam eam esse, ut cui imperium sine fine Iuppiter destinauerit, id iustius etiam de lingua eorum iudicari potest. Quod iam poetae Romani ipsi quodammodo sensisse uel diuinauisse uidentur, cum de suorum carminum sempiterna fama dixerunt. Atque Ennium, qui hoc loco primus laudari solet, fortasse excipiendum puto. Nam cum gloriatur: Nemo me lacrimis decoret nec funera fletu faxit. Cur? Volito uiuo' per ora uirum – superstitem quidem esse se suo funeri credit, quod sui uersus uiuis hominum uocibus, etiam cum ipse exstinctus sit, celebrentur, sed non aperte de aeternitate aliqua futura dicere uidetur. Magis diuturnam gloriam Catullus plus uno saeculo post Allio suo promittit, cum suas Musas hortatur, ne Alli merita fugiens saeclis obliuiscentibus aetas caeca nocte tegat. Hic, ut uidemus, omnium saeculorum memoriam respicit.

Horatius uero loco notissimo dicit: non omnis moriar multaque pars mei uitabit Libitinam; usque ego postera crescam laude recens recte id quidem, nisi uim uerborum minuisset his additis: ... dum Capitolium scandet cum tacita uirgine pontifex. Nam pontifici illi maximo, de quo cogitat, iam diu alius pontifex successit, modo Benedictus, nunc Franciscus, non is quidem in Capitolio, sed in Vaticano; Horati autem carmina etiam nunc dudum dissoluto imperio Romano laudantur et, quod plus est, leguntur. Item Vergilius cum in Aeneide Nisum Euryalumque fortunatos dicit, quod ui carminis eos nulla dies umquam memori eximere possit aeuo, id cum imperii Romani aeternitate copulat, cum subiungit: ... dum domus Aeneae Capitoli immobile saxum accolet imperiumque pater Romanus habebit.

Ouidius quoque, qui plurimis locis immortalitatem suorum carminum iactat, in fine Metamorphoseon illam modeste circumscribit artioribus terminis: ... quaque patet domitis Romana potentia terris, ore legar populi perque omnia saecula fama, si quid habent ueri uatum praesagia, uiuam. Quam miretur is uates, si nunc uideat suos uersus non in Hispania olim tamen Romana, sed etiam in Germania barbara, immo in America barbariore cantari!

Sed id minus refert. Alio nunc mea oratio spectat. Vix potuissent illi poetae talia de aeternitate poematum uaticinari, nisi clandestino iudicio etiam aliquid de linguae suae aeternitate praesensissent. Nam quomodo futurum esse poterat, ut Ouidius per omnia saecula legeretur et uiueret, si forma linguae Latinae illis futuris saeculis in communi usu aut ad deformitatem deprauata esset aut omnino interisset? Non igitur ualde mirum uidetur, quod eo ipso tempore, quo illi poetae scripserunt, dico aetatem Ciceronianam et Augustam, Latina lingua subito mutari et quasi progredi desiit, quasi aliqua Niobe e muliere uiua conuersa in lapidem. Nam id negari non potest: Eae leges grammaticae, quas Cicero eiusque aequales sequuntur, et posteris saeculis et usque ad hunc diem ualidiores manserunt quam ulla saxea effigies. Eo ipso tempore Ciceronis et Vergilii, aetate classica, quam dicimus, sic Latina lingua mortua est, si hac uoce uti uolumus, ut ad immortalitatem perueniret.

Longior esse nolo in re manifesta. Comparate, si uultis, comoediam aliquam Plautinam cum epistula Ciceronis, quae uno dimidioque saeculo postea scripta est: utrobique inuenietis sermonem urbanum et lepidum, multis locis tamen diuersum: pro faxit Plautino Cicero semper

faciat, pro possiet dicit possit, pro indicatiuo saepissime ponit coniunctiuum. Comparate contra epistulam aliquam Senecae, qui uno saeculo postea scripsit, aut librum Symmachi aut Hieronymi, qui saeculo quarto fuerunt: eaedem uigent illic quoque grammaticae leges atque eae quibus Cicero paruit. Quin etiam nos, cum Latine scribimus, eis obtemperamus, tamquam de caelo dictatae sint. Non igitur dubium est: Eo fere tempore, quo Christus natus est, Latina lingua aut mortem, si uultis, aut, quod dicere malim, immortalitatem adepta est. Nam nisi hoc modo uiuere destitisset, perpetuam uitam sortita non esset.

Sed cur aut quomodo id factum est? Credamusne aut scriptores aut grammaticos quosdam coniurauisse inter se, ut inde a certo tempore leges grammaticae inuiolatae semperque eaedem ualere deberent? Nam nuper uir doctus quidam Romanos id quasi consulto amore patriae suae fecisse opinatus est, ut firmum stabilemque sermonem, quem Graeciae in litteris superbienti opponerent, sibi compararent. Sed nihil tale in testimoniis scriptorum inuenimus. Aliud ibi legitur. Inde a primo post Chr. natum saeculo, quae dicitur aetas Caesarea aut imperatoria, summam admirationem atque adeo adorationem fuisse Ciceronis et Vergilii eorumque scriptorum qui circum illos floruerunt comperimus. Nec fere quisquam tum dubitauit, quin post aetatem illam classicam cum poesis tum eloquentia ad peius declinauisset. Illos igitur auctores sequi, illos imitari optimo cuique propositum erat. Non igitur mirum est, quod (non aliquo consilio, sed tacito occultoque quodam sensu) inter se omnes doctiores consenserunt, ut lingua illa, qua Ciceronis Philippicae aut immortalis Vergili Aeneis scriptae essent, ipsa quoque immutabilis esse inque eo statu, quem semel adepta esset, permanere deberet.

Ergo, nisi fallor, tunc ipse genius linguae Latinae subsistere eam iussit: Remane qualis es, mane! Pulchrior non fies. Ea autem obsecuta est, in statu suo constitit, similis dis immortalibus illis, de quibus dixi, e quibus Apollo semper isdem capillis intonsis gaudet, Mercurius eodem alarum remigio. Sunt qui mihi 5

aduersentur, cum dicunt: „Si Latinus sermo propter singularem formam, quam in Cicerone Vergilioque nactus erat, mutari noluit, cur non idem in aliis linguis litterisque euenit? Cur non factum est in Anglica lingua post Gulielmum Shakespeare, in Teutonica post Martinum Luther? Cuius Biblia Germanica, cum uim ac pulchritudinem eximiam habeat, tamen nunc, nisi curis iteratis retractata temporique saepe adaptata sit, uix a plurimis intelligatur.“ Respondeo hanc, quam dixi, non generalem esse legem, quae ubique ualeat, sed coniunctam esse quodam modo cum illa ueneratione, qua Romani semper exempla moresque maiorum coluerint imitatique sint. Sed utcumque de causis iudicatur, de re satis constat. Tantummodo copia uerborum decursu saeculorum neologismis necessariis aucta et ornata est – nam et religio Christiana et multa artificum inuenta id secum ferebant –, ipsa linguae uerissima indoles ac structura his incrementis non tangitur.

Nec tamen, ut uere fateamur, tota uel uniuersa lingua sic immobilis stare potuit. Exstitit enim eodem tempore, quo lingua eruditorum quasi in saxeum rigorem concreuit, genus illud sermonis commune et populare, quam nunc linguarum studiosi Latinitatem uulgarem appellant. Quae multa sibi permisit, a quibus eruditiores abhorrebant: pro genitiuo praepositiones inrepebant, pro ablatiuo abundabat accusatiuus, in pronuntiatione uocales acutae producebantur, ut pro Vĕnere diceretur Vēnus. Ab his etiam cultiores homines uix abstinere poterant, nisi in scholis grammatici optimam loquendi eis consuetudinem inculcauissent. Qui, ut Augustinus ait, tum custodes historiae facti sunt. Possis etiam dicere eos custodes immortalitatis – qui hoc munere usque ad haec tempora nostra funguntur.

Quo maiore in discrimine Latina lingua tum uersabatur, cum inde a saeculo quinto imperium Romanum occidentale Gotis siue Germanis incurrentibus ac grassantibus dissolueretur, non quo barbari illi litteris bonis omnino infesti essent, sed quod illis saeculis grammaticorum disciplina propter tumultum temporum lapsa est et concidit. Quae in Hispania tamen diutissime mansit. Nam unus in Europa Isidorus Hispalensis, quem nuper patronum Telae Totius Terrae (World Wide Web) consecrauerunt, suis Etymologiis demonstrauit, quam fortiter Hiberi barbariae temporum resisterent – eheu, ne ii quidem perpetuo. Ac tum etiam clerici multi uerba concepta non rite, sed perperam pronuntiabant, nedum scriptor aliquis Latine id est grammatice disserere posset. Sic etiam factum est, ut tum Romanicae linguae omnes nascerentur breuissimo tempore, non tamen eadem celeritate. Nam quis non sentit Italorum Hispanorumque linguam etiam nunc multo propius accedere ad Ciceronis sermonem quam Dacoromanorum aut Francogallorum? Vt nuper Siluius Berlusconi arrogantissime hariolatus sit facili negotio se cum Caesare ipso, si opus esset, colloqui posse. Sed id ne asseclae quidem eius crediderunt.

Eratne igitur actum de lingua illa immortali, cum Romanicae filiae speciosae uetulae matri suae iam contemptae successissent? Minime. Exstitit uindex neglecti numinis Carolus ille Romani imperii restitutor et imperator, quem iure 6

ac merito Magnum nuncupant. Is enim, cum uidisset quam utilis ac necessaria esset imperio ecclesiaeque administrandis uetus illa lingua, magistris ex Anglia arcessitis, quae aliquanto humanior manserat, nouisque scholis conditis multos imperii sui ciues, praesertim clericos, Latine ad auctoritatem ueterum grammaticorum instituebat. Quam tunc continuo effloruerunt litterae Latinae! Quin Augustam aetatem nouam redisse multi poetae oratoresque illo tempore gaudebant. Quod litterarum incrementum tamen propter imperii terminos magis ad Germaniam et Galliam, non tam ad Italiam, etiam minus ad Angliam et Hispaniam pertinebat. Quamquam ne in Germania quidem Latinitas ad uitam uulgarium linguarum reuocari potuit. Non enim tantum non mutabatur illa, ut iam antea, sed tunc etiam e solis libris et a grammaticis discebatur, non iam a nutrice aut matre. Vt inde ab hoc tempore per millenium fere ea fuit in Europa, post etiam in Russia et America, linguarum condicio, ut quiuis doctior primum uernaculam linguam ad domesticum usum cognosceret, deinde Latinam addisceret, qua cum aliis nationibus et cum antiquis sapientiae auctoribus communicaret. Sed id immortalitati Latinae linguae nil nocebat.

Ergo omne litterarum genus tunc a scriptoribus doctis tractabatur, ut iniuria quidam de medio aeuo quasi toto barbaro et obscuro aut de Latinitate tum uigente culinaria somnient. Id tamen non sine aliquo iure postea ab humanistis qui dicuntur eis obiciebatur, qui exeunte medio aeuo, id est inde a XIII saeculo, in uniuersitatibus theologiae et philosophiae scholasticae operam dabant. Quorum genus dicendi tam siccum fuit et aridum, tam ab omni elegantia sermonis remotum, ut nunc quoque Ciceronis aut Senecae amatoribus nauseam moueat. Fuerunt sane etiam tunc nonnulli, qui aliquod cum Musis commercium haberent. Vt ille ipse Thomas Aquinas scholasticae disciplinae princeps scripsit etiam canorum illum hymnum, qui nunc quoque cantatur:

Pange, lingua, gloriosi corporis mysterium sanguinisque pretiosi, quem in mundi pretium fructus ventris generosi rex effudit Gentium. Quod canticum rhythmice, non metrice, ut aiunt, compositum mutatae pronuntiationi mediaeuali, qua longae a breuibus syllabis uix distinguebantur, morem gessit. Nam in ueteris grammaticae renouatione Carolus Magnus hanc partem, syllabarum rectam productionem et correptionem, neglexerat.

Quas tamen leges metricas seruat uester Petrus Hispanus, hoc nomine semper uocatus, qui eodem tempore ac S. Thomas scripsit suas Summulas logicales, quae per multa saecula in

omnium Europae uniuersitatum usu uersaturae erant. Ibi enim praeter multa ieiuna ac dialectica insunt etiam illi uersus iocosi qui, cum sensu careant, utiles tamen sunt ad syllogismorum ordinem memoria tenendum: Barbara, Celarent primae, Darii Ferioque. Cesare, Camestres, Festino, Baroco secundae. Tertia grande sonans recitat Darapti, Felapton etc. Hosce ego uersiculos, cum adolescens primis elementis artis logicae imbuerer, arripui, deuoraui, perdidici ut egregium quoddam exemplum eius carminis, quod Angli nonsense poetry uocant, nos poesin ineptissimam rite dicamus. Nonne iucunde sonant? Aequales certe Petrum Hispanum suum tanta admiratione ferebant, ut cardinales eum sanctissimum papam nomine Ioannis XXI crearent. At tum desiisse illum puto tam ingeniosis nugis operam dare.

Ergo ne tunc quidem immortalis illa lingua Latina, quamquam aegre sese sustinebat, tota mortua in puluere iacebat. Quae sane ornata et aucta est ab eis, qui inde a saeculo XIV Petrarca duce denuo optimis artibus et eloquentiae puriori studebant. Nempe is se iam puerum captum dixit Ciceronis scriptis, non propter eorum sensum et sapientiam, quam nondum intellexit, sed quia arridebat dulcedo quaedam et sonoritas uerborum. Quam bene id dixit! Nemo enim magis proprie id expressit, quod nos quoque in optimi scriptoris uerbis, si modo aures habemus, tenet. Ergo inde a Petrarca uiri docti non solum grammatice scribere studebant, sed etiam Latine et, si fieri posset, Ciceroniane. Latina autem lingua tanto in honore erat, quanto numquam fere antea. Tunc primum eam habere aliquod numen diuinum senserunt, ut Laurentius Valla saeculo post Petrarcam haec scriberet: Latinum sermonem gentes nationesque [...] omni nectare suauiorem, omni serico splendidiorem, omni auro gemmaque pretiosiorem putauerunt et quasi Deum quendam e coelo demissum apud se retinuerunt. Magnificentius, puto, de Romanorum lingua nemo iudicauit.

Tum etiam Hispania, quae antiquis temporibus tam ferax fuerat Latinae eloquentiae, medio aeuo autem illustrissimis scriptoribus caruerat, nouo amore linguae immortalis incensa est. Sed quid apud uos laudem Antonium Nebrissensem? Qui non modo Castillanae linguae grammaticam primus scripsit, sed iam antea inter plurima alia Introductiones Latinas utilissimas confecerat. Sed eius gloriam nunc quidem uincit Ioannes Ludouicus Viues, scriptor elegantissimus, qui etiam pueris Latine erudiendis operam nauauit. Id autem fecit dialogis quibusdam scholasticis, quos sub titulo Linguae Latinae exercitationis edidit. Habet is liber XXV facetissima puerorum colloquia, unde non solum omnis ad usum cottidianum aptus uerborum locutionumque apparatus hauritur, sed etiam puerilis aetatis mores et ineptiae festiue illustrantur. Neque enim ei pueri semper loquuntur, ut pios probosque decet, sed rixantur, cauillantur, etiam paedagogis molesti sunt. Voluit autem Viues hoc genere institutionis efficere, ut obsoleti illi grammatici libri, unde medio aeuo exeunte Latine didicerant, nouo magisque grato docendi more tollerentur.

Ac tum primum, cum humanistae illi, qui dicuntur, nimis operose e libris ueterum Latinissima quaeque expiscari uiderentur, saec. XVI extiterunt quidam, qui, ut nunc multi, Latinae linguae ut mortuae detrahebant. Quod antea, quod sciam, nemini in mentem uenerat; nec tum fieri potuisset, nisi uernaculae litterae iam ad aliquem splendorem uenissent. Eis tamen diserte respondit Antonius Muretus poeta et orator egregius. Ergo eum ad uerbum laudare iuuat: Aiunt Graecam Latinamque linguam iam pridem mortuas esse. Ego uero eas nunc demum non tantum uiuere et uigere contendo, sed, si in tralatione perstandum est, firma ualetudine uti, postquam esse in potestate plebis desierunt. Quamdiu enim populari imperio regebantur, assidue agitabantur, fluctuabant, nihil habebant certum, nihil stabile, unum saeculum eodem uultu durare non poterant. Nunc, ex quo ad optimates, ut ita dicam, redactae sunt et certis a scriptoribus petuntur, certis regulis ac praeceptionibus continentur, multis iam saeculis fixae atque immutabiles permanent: non uiuunt tantum, sed immortalitatem quodammodo adeptae

sunt. Quam uere hoc dictum, quam arroganter tamen et superbe! Eripit plebi dulcissimam linguam, quam optimatibus, ut ait, id est eruditissimo cuique reseruat! Tantine ipsa immortalitas fuit?

Simili uia ac ratione grammaticus quidam Hispanus per duo saecula celeberrimus, Franciscus Sanctius, in sua Minerua linguam Latinam non solum ex usu plebeio, sed ex omni consuetudine loquendi eximere uolebat, non quo illam sperneret, sed quod ut deam sanctissimam uenerabatur. Loquendo enim fieri adseuerauit, ut male loqueremur; non nisi scribendo nos peruenire posse ad usum rectissimum linguae. Nam, qui Latine garriunt, inquit, corrumpunt ipsam latinitatem. Quod ex parte uerum esse nemo negauerit, qui nunc quoque nonnullos, qui se uoce uiua optime latinizari opinantur, auscultare cogitur. Multo humanius tamen Ioannes Amos Comenius Bohemus lumen paedagogorum siue educatorum eodem fere tempore de institutione Latina iudicauit: Discamus primo Latine balbutire, tum loqui; tandem Ciceronem, ut nobis dicendi quoque commonstret artificia, adibimus. Sic ipsa natura poscit, ut per gradus ad eloquentiam Latinam ascendamus, quam Sanctius paene contempsit. Sic enim ille statuit: Non discimus Graeca uel Hebraea, ut loquamur, sed ut docti efficiamur. Cur igitur in Latinis non idem efficiemus? Id est, nisi fallor: Curemus pro uiribus, ut ea lingua in puluere librorum quidem immortalis sit, moriatur autem in uita hominum nec iam, ut Ennius uoluit, uolitet uiua per ora uirum.

Praelusit hic Sanctius eis quae futura erunt. Nam usus Latinae linguae saeculo XVIII ualde diminutus est. Iam exeunte saeculo XVII pauciores extiterunt in Europa poetae Latini, plures uernaculi; iam antea philosophi et physici quidam paternis linguis sua scripta conficere coeperant. Negotiatores in Pace Guestphalica componenda e magna parte Francogallice inter se disserebant, cum tamen ipsa Pacis foedera, ut sancta et immortalia essent, etiam tum Latine perscriberentur. In Germania primus Thomasius quidam professor Lipsiensis saeculo XVII ad finem uergente Germanico sermone praelectiones habere coepit, qui usus, quamquam a multis damnatus est, proximo tamen saeculo ita praeualebat, ut saeculo XIX ineunte fere soli theologi philologique ex aliqua parte, paucissimi autem medici, physici, iuris periti Latinam linguam in academica institutione retinerent. Quorum numerus usque ad hos dies nostros paene quotannis decreuit, non tamen ita, ut omnino euanuerit. Nam, ut de me loquar, nil tam mihi gratum et iucundum nunc quoque est quam de artibus meis grammaticis et rhetoricis Latine et scribere et dicere. Nec discipuli id improbant, quare in uniuersitate nostra Monacensi singulis septimanis binae horae eis scholis reseruatae sunt, quae Latino sermone solo explicantur.

Quare autem factum est, ut illa lingua immortalis et uniuersalis in usu communi tanta damna subierit? Sunt qui propter inopiam quandam ex ipsa uetustate ortam id factum esse credant. „Quomodo enim, aiunt, illa lingua Ciceronis et Caesaris par esse potuit omnibus nouis inuentis, quae artium praesertim physicarum progressio his proximis tulit saeculis? Num Seneca ille in Naturalibus quaestionibus de microscopiis, ne dicam de atomorum displosione cogitauit? Iure igitur ex usu recessit lingua antiqua tempore recenti.“ Sed id minime uerum esse uel ea opera demonstrant, quae a nobilissimis physicis Latine conscripta sunt. Legite, ut unum afferam, Galuanium, qui de electricitate in ranarum membris luculentissime et iucundissime scripsit. Equidem ego cum tot libros Latinos aetate recenti conscriptos legissem, neminem umquam inueni, qui quereretur se aliquid Latine dicere non posse. Nam de neologismis semper necessariis nunc non disputamus.

Alia igitur causa quaerenda est. Eo ipso saeculo, quo machinae uaporifera et Guillotiniana repertae sunt, ualde augebatur amor ille eximius patriae, qui iam antea coeperat, tum autem ad culmen ascendit. Maluerunt iam uiri docti sua sensa inuenta cogitata cum suis ciuibus

communicare etiam minus eruditis, quam in aliqua re publica litteraria Latina, ut prius solebant, lectores sibi quaerere. Res per se honesta, non nego. Sed quanto detrimento litterarum id factum est! Antea et poetae et omnes scriptores cuiusuis disciplinae, etiamsi e parua natione orti erant eamque linguam paternam didicerant, quam paucissimi callerent, tamen propter Latinum sermonem ab omnibus uiris doctis intelligebantur; nunc uero alienis linguis balbutire coguntur. „Sed enim praesto est lingua Anglica", aiunt, quam Margaretha Thatcher, ferrea domina dicta, pridem quasi nouum idioma Latinum commune et uniuersale dixit, quod sua Britannia benigne cunctis donauerit gentibus. Dicam quod sentio. Donum hoc Danaorum datum puto nobis, qui quidem in litteris humanioribus uersamur. Neque enim fieri potest, ut nos miseri qui extra Britanniam nati sumus tam accurate sensa nostra, si quidem acutiora uel subtiliora sunt, illo celeberrimo sermone Anglico explicemus quam illi felices, quibus fortuna matres patresque Anglos praebuit. Quam bene erat olim: Latine enim, ut uerum fatear, omnes nesciebamus.

Quo magis autem Latinae linguae usus in uita communi decrescebat, eo magis scholarum magistri eum in gymnasiis retinere cupiebant. Nec pessimo euentu. Saeculo XIX non solum in Germania, sed in totius Europae Americae Russiae scholis studia Latina adeo florebant, ut multi discipuli emendate non scriberent solum Latine, sed etiam loquerentur, nonnulli carmina quoque pangerent. Sed propter illud quod dixi nimium patriae studium et quasdam commercii pecuniaeque necessitates haec studia paulatim ad solam scriptorum antiquorum lectionem redigebantur. Etiam grammatici ipsi, qui nunc philologi classici dicuntur, Latine scribere e magna parte desierunt. Extiterunt nihilominus, qui contra saeculi mores Latinam linguam tamquam immortalem in pristinum honorem reducere conarentur. Nam Carolo Henrico Ulrichs Germano duce et praecone, qui Alaudarum nomine libellos Latinos ediderat, non pauca talia periodica in Europa publicabantur, quorum pars etiam nunc exstat, ut in Germania Vox Latina. Subsecutae sunt sodalitates Latine loquentium, quae nunc in tela interretiali facile reperiuntur. Quam ego nuper cum perscrutarer, hi quattuor circuli in una Hispania mihi occurrerunt: Barcinonensis, Gaditanus, Matritensis, Valentinus. Nescio an plures extent. Felicem certe Iberiam dixi. In Senecarum tempora me paene restitutum putaui.

Quid dicam de gregibus interretialiter garrientibus, de Vicipaediae Latinae mole immensa, de stationibus radiophonicis, quae e Finnia et Germania nuntios Latinos orbi distribuunt, de omnibus eis, qui Maximum et Mauritium (Max und Moritz), Regulum (Le petit prince) Robinsonem Crusoe, Harrium Potterum plurimos alios indefesso studio Latine uertunt? Quos scriptores interdum uellem suis propriis nouisque fabulis operam darent, quam ut tantum aliorum frustula lingerent. Reperiuntur tamen tales quoque nouitatis auctores ingenui. Nec desunt qui etiam fabulas cinematicas Latinitate donent, quorum uel notissimus est Mel Gibson, in cuius Passione Christi Iesus ipse cum Pontio Pilato Latine disputat – ut saluatorem nostrum clam Donatum legisse aut alium grammaticum suspicemur.

Non haec omnia – sunt enim plurima inque dies augentur – maxima admiratione digna uidentur, neque ex his nostris conatibus immortalitas Latinae linguae pendet. Di melius! Dea est, immortalitatem suam uindicat et obtinet, etiam si cultores deficiant. Monstrat tamen potentiam ac uirtutes suas etiam in minoribus istis experimentis eorum, qui eam uenerantur atque adorant. Eis autem, quos amat, a quibus rectissime se coli sentit, iter monstrat ad tempora paene sempiterna. Nam ei non solum cum Plauto, Cicerone, Seneca, Augustino, Petrarca, Erasmo tanto temporum interuallo remotis tamquam ciues sint et aequales loquuntur, sed etiam uiam sibi muniunt ad aeuum futurum. Quodsi id quidem non uerum est, quod Iesuita quidam suspicatus est, beatos in caelo olim Latine locuturos esse – quod tamen fieri posse minime nego –, certe ea,

quae nunc Hispanice aut Germanice scribimus, simul cum nostris linguis peribunt; quae Latine condimus, ea, si digna sunt, certae donamus aeternitati.

Quare, si me auditis, discite Latinam linguam dulcem, utilem, unam immortalem!

WILFRIED STROH (VALAHFRIDUS): DE IMMORTALITATE LINGUAE LATINAE.

ORATIONIS SUMMARIUM, MOSCOUIAE D. 9 M. NOU. MMXIII

Hoc anno oratio Latina hominum animos in toto orbe terrarum commouit:

1.Benedicti XVI. Papae Valedictio, 10.2.2013

Fratres carissimi, non solum propter tres canonizationes ad hoc Consistorium uos conuocaui, sed etiam ut uobis decisionem magni momenti pro Ecclesiae uita communicem. Conscientia mea iterum atque iterum coram Deo explorata ad cognitionem certam perueni uires meas ingrauescente aetate non iam aptas esse ad munus Petrinum aeque administrandum.

Cur Latine locutus est, quod ne cardinales plurimi quidem intellexerunt? Ipse antea responderat:

1.Litterae Apostolicae Motu Proprio datae: De Pontificia Academia Latinitatis condenda, 10.11.2012

Latina Lingua permagni ab Ecclesia Catholica Romanisque Pontificibus usque est aestimata, quandoquidem ipsorum propria habita est lingua, qui eandem cognoscendam et diffundendam assidue curauerunt [...]. Enimuero inde a Pentecoste omnibus hominum linguis locuta et precata est Ecclesia. Attamen christianae communitates primorum saeculorum linguam Graecam Latinamque affatim usurpauerunt, cum illis locis in quibus morabantur uniuersalia essent communicationis instrumenta [...]. Romano Imperio occidentali exstincto, Romana Ecclesia non modo lingua Latina uti perrexit, uerum etiam quodammodo custos eiusdem et fautrix fuit [...]. In hac praeterea lingua, ut uniuersalis Ecclesiae natura pateat, typica forma sunt scripti liturgici libri Romani Ritus, praestantiora Magisterii pontificii Documenta [...].

Quod autem contra dicunt liguam Latinam minus adhibendam esse, quia mortua sit, ueritatem obscurat. Nam mors huius linguae immortalitas quaedam putanda est.

De uerbi immortalitatis duplici aut triplici sensu: immortalia sunt (1) quae non esse non queunt (ut anima Platonica), (2) quae genita tamen non moriuntur (ut di pagani), (3) translate: opera quaedam artis. Classi secundae (2) lingua Latina ascribenda, non inter terrena habenda:

1.Apuleius, De Mundo 24

Terrena omnia mutationes et conversiones, postremo interitus habent.

Veneri similis semel genita in aeternum suam formam seruat nec nec senescens nec moriens. Arminius, abhinc II milia annorum liberator Germaniae, si nunc ex Orco rediuiuus cum suis ciuibus loqui uelit, Germanice id fieri non possit propter mutationes linguae, sed Latine – quod ille didicit.

1.Tacitus, Annales 2,10

Arminius [...] pleraque Latino sermone interiaciebat, ut qui Romanis in castris ductor popularium meruisset.

Immortalitatem linguae suae iam quodammodo ueteres poetae senserunt. Paulo obscurius ...

5. *Ennius, var. 17 sq. V.*

Nemo me lacrimis decoret nec funera fletu faxit. Cur? Volito uiuos per ora uirum.

Apertius uno saeculo postea aeternitatem Allio promittit ...

6. *Catullus 68 (B), 41-46*

Non possum reticere, deae, qua me Allius in re iuuerit aut quantis iuuerit officiis, ne fugiens saeclis obliuiscentibus aetas illius hoc caeca nocte tegat studium: sed dicam uobis, uos porro dicite multis milibus et facite haec carta loquatur anus.

Et idem Lollio Horatius ...

7.

Non ego te meis / chartis inornatum silebo / totue tuos patiar labores impune, Lolli, carpere liuidas / obliuiones.

Horatius tamen loco notissimo uim uerborum eo minuit quod aeternitatem carminum cum

imperii diuturnitate coniungit. Similiter Vergilius et Ouidius, qui sua carmina semper lectum iri intra fines imperii sperat:

8.Horatius, Carmina 3,30,6-9

Non omnis moriar multaque pars mei uitabit Libitinam; usque ego postera crescam laude recens, dum Capitolium scandet cum tacita uirgine pontifex.

8.Vergilius, Aeneis 9,446-449

Fortunati ambo! si quid mea carmina possunt, nulla dies umquam memori uos eximet aeuo, dum domus Aeneae Capitoli immobile saxum accolet imperiumque pater Romanus habebit.

8.Ouidius, Metamorphoses 15,877-879

... *quaque patet domitis Romana potentia terris, ore legar populi perque omnia saecula fama,*

si quid habent ueri uatum praesagia, uiuam.

Fierine potuit ut illa carmina immortalia essent, si lingua Latina mortalis fuisset, mutaretur,interiret quoque? Vnde non mirum est eo ipso tempore, quo illa de immortalitate carminum poetae senserunt, linguam ipsam in statu suo quasi constitisse nec progressiones fecisse. Quod facile cognoscitur, si Plautum cum Cicerone, Ciceronem autem cum Seneca aut Hieronymo compares. Ergo eo fere tempore, quo Christus natus est, Latina lingua aut mortem aut, quod uerius est, immortalitatem adepta est. Nam nisi hoc modo uiuere destitisset, perpetuam uitam sortita non esset.

Sed quomodo id factum? E consilio quodam scriptorum aut grammaticorum? Minime, puto. Fuit admiratio operum maximorum ingeniorum ut Ciceronis et Vergilii, quae effecit, ut eorum linguam tacito quodam sensu uiri docti mutare nollent. Notandum est quid Seneca de Cicerone, Statius de Vergilio iudicauerit.

11. *Seneca, Controuersiae 1 praef. 6-7*

deinde, ut possitis aestimare, in quantum cotidie ingenia decrescant et nescio qua iniquitate naturae eloquentia se retro tulerit, quidquid Romana facundia habet, quod insolenti Graeciae

aut opponat aut praeferat, circa Ciceronem effloruit; omnia ingenia, quae lucem studiis nostris attulerunt, tunc nata sunt. in deterius deinde cotidie data res est.

12. *Statius, Thebais 12,810-817*

durabisne procul dominoque legere superstes, o mihi bissenos multum uigilata per annos Thebai? [...]

uiue, precor; nec tu diuinam Aeneida tempta, sed longe sequere et uestigia semper adora.

Doctiores igitur leges ab ipsis auctoribus latas diligenter respiciebant; non item indocti: unde

nata est illa quae dicitur Latinitas uulgaris:

13*. CIL IV 5092*

Amoris ignes si sentires, mulio,

magi(s) properares, ut uideres Vēnerem.

Talia fieri uetabant grammatici.

14. *Augustinus, De musica 2,1*

[...] cum dixeris cano [...] ita ut [...] producas huius uerbi syllabam primam [...], reprehendet

grammaticus, custos ille uidelicet historiae, nihil aliud asserens cur hanc corripi oporteat, nisi quod hi,

qui ante nos fuerunt et quorum libri extant tractanturque a grammaticis, ea correpta non producta usi

fuerint.

Pessime factum est quod a saeculo VI ad saec. VIII omnis in Europa institutio grammatica

periit. Ne clerici quidem multi satis Latine sciebant.

15. *Zacharias Papa ad Bonifatium 1.7.746 (MGH Epistulae selectae I n. 68, p.141)*

Retulerunt quippe, quod fuerit in eadem provincia sacerdos, qui Latinam linguam penitus ignorabat et, dum baptizaret, nesciens Latini eloquii infringens linguam diceret: „Baptizo te in nomine patria et filia et spiritus sancti.“ Ac per hoc tua reuerenda fraternitas considerauit rebaptizare.

Sic linguae Romanicae natae sunt Latinusque sermo in summum discrimen adductus. Denuo

tamen uiguit grammatica Carolo Magno iubente. Quo tamen ipsa natura linguae funditus

mutata est. Quae ante a matre disci potuerat, tunc e solis libris hauriebatur. Tamen

effloruerunt litterae Latinae. Grammaticis studebant et e ueteribus poetis eloquentiae ligatae

praecepta petebant. Sic tempore Caroli:

16. *Theodulfus Aurelianensis: De libris quos legere solebam 17-22*

Et modo Pompeium, modo te, Donate, legebam,

Et modo Virgilium, te modo, Naso loquax.

In quorum dictis quamquam sint friuola multa,

Plurima sub falso tegmine uera latent.

Falsa poetarum stilus affert, uera sophorum,

Falsa horum in uerum uertere saepe solent.

Exeunte medio aeuo tamen scholastica quaedam lingua percrebruit, ab elegantia ualde remota:

17. *Thomas Aquinas: Summa contra gentiles 1,8*

Humana igitur ratio ad cognoscendum fidei veritatem, quae solum videntibus divinam substantiam potest esse notissima, ita se habet, quod ad eam potest aliquis verisimilitudines colligere.

Quanto melior idem Thomas in carmine!

18. *Thomas Aquinas: Ex hymno in Corpus Christi*

Pange, lingua, gloriosi corporis mysterium

sanguinisque pretiosi, quem in mundi pretium

fructus uentris generosi rex effudit Gentium.

[....]

Tantum ergo Sacramentum ueneremur cernui,

et antiquum documentum nouo cedat ritui:

praestet fides supplementum sensuum defectui.

Non sane metricus est hic hymnus, sed rhythmicus – habet tamen suam gratiam. Eloquentiam Ciceronis denuo affectabant uiri docti, qui fuerunt aetate renascentium litterarum. Quorum princeps Petrarca erat.

19. *Franciscus Petrarca, Epistolae seniles 16,1*

Ab ipsa pueritia libris Ciceronis incubui [...] Nihil intellegere poteram, sola me uerborum dulcedo quaedam et sonoritas detinebat.

Latinam linguam tum ardentissime laudauit Valla.

20. *Laurentius Valla, Elegantiarum linguae Latina l.VI, praef.*

Illud (sc. imperium) pridem tamquam ingratum onus gentes nationesque abiecerunt: hunc (sc. sermonem) omni nectare suauiorem, omni serico splendidiorem, omni auro gemmaque pretiosiorem putauerunt et quasi Deum quendam e coelo demissum apud se retinuerunt. Magnum ergo Latini sermonis sacramentum est, magnum profecto numen [...]: Amisimus Romam, amisimus regnum,

amisimus dominatum, tametsi non nostra, sed temporum culpa: uerumtamen per hunc splendidiorem

dominatum in magna adhuc orbis parte regnamus. Nostra est Italia, nostra Gallia, nostra Hispania,

Germania, Pannonia, Dalmatia, Illyricum, multaeque aliae nationes. Ibi namque Romanum imperium

est, ubicumque Romana lingua dominatur.

Sed cum quidam nimis diligenter ac meticulose optimos auctores imitarentur, extiterunt tum

primum qui Latinae linguae ut mortuae detraherent. Contra dixit Muretus

21. *Antonius Muretus, ex oratione 20 (1583)*

Aiunt Graecam Latinamque linguam iam pridem mortuas esse. Ego uero eas nunc demum non tantum uiuere et uigere contendo, sed, si in tralatione perstandum est, firma ualetudine uti, postquam esse in potestate plebis desierunt. Quamdiu enim populari imperio regebantur [...], assidue agitabantur, fluctuabant, nihil habebant certum, nihil stabile, unum saeculum eodem uultu durare non poterant.

Nunc, ex quo ad optimates, ut ita dicam, redactae sunt et certis a scriptoribus petuntur, certis regulis ac praeceptionibus continentur, multis iam saeculis fixae atque immutabiles permanent [...]: non uiuunt tantum, sed immortalitatem quodammodo [...] adeptae sunt. Alius nimio puritatis studio linguam e consuetudine loquendi eximere, scriptis reseruare uoluit.

22*. Franciscus Sanctius: Minerua sive de causis linguae Latinae (1587) IV 17*

At ego [...] nihil pestilentius posse iuueni linguae Latinae cupido euenire, quam aut uerbis Latiniseffutire cogitata aut loquentium profluentiae interesse. [...] Non discimus Hebraea uel Graeca ut loquamur, sed ut docti efficiamur. Quare igitur in Latinis non idem efficiemus? Quandoquidem iam nulla natio est, quae Latine aut Graece loquatur. Stylus exercendus est diligenter [...]. Qui Latine garriunt, corrumpunt ipsam Latinitatem.

Humanius iudicauit educatorum princeps:

23. *Johannes Amos Comenius: Novissima linguarum methodus (1648) 7,23*

Discamus primo Latine balbutire, tum loqui; tandem Ciceronem, ut nobis dicendi quoque commonstret artificia, adibimus.

Aliis de causis usus linguae Latinae saec. XVII paulatim deminutus, saec. XVIII etiam intra uniuersitates paene exstinctus est, non quo ea temporibus recentibus non sufficeret, sed quod uiri docti magis suos ciues, etiam minus eruditos, docere uolebant quam cum doctissimo quoque in re publica litteraria communicare. Scholae tamen disciplinam Latinam etiam saec. XIX retinebant. Aduersabantur sui saeculi moribus Latinamque linguam in pristinam dignitatem restituere conabantur ei qui Latinitatis vivae titulo insigniri solent. Quorum princeps fuisse uideri potest Carolus Henricus Ulrichs, iuris peritus Germanicus, qui a. 1889 edere coepit Alaudas, quas sic inscripsit:

24. *K.H. Ulrichs: Alaudae 1889, ed. I:*

Hae paginae bis mense in lucem prodeunt, paruis dedicatae studiis paruisque camoenis.

Ad meas Alaudas.

Quid, meae, quid, parua cohors, alaudae,

Vultis aut cur sic agitatis alas?

Spernitis nidum? Cupitis secare

Aera pennis?

Sic ratum. Iamiam licet. Euolate [...]

Inde ab ed. V hac sententia superscripta:

Linguae Latinae mira quaedam uis inest ad iungendas nationes. Quem multi usque ad haec tempora secuti sunt. Multi etiam Latina carmina pangunt, plurimi libros uernaculo sermone conditos in linguam Romanorum conuertunt. Nec tamen ab his conatibus nostris immortalitas linguae Latinae pendet, sed e sua natura et dignitate. Quae nostris linguis scribimus, cum eis peribunt: Latina, si digna sunt, manebunt.

,,,

technologia praecipuum obtinent locum, renovatum culturae et linguae Latinae studium invenitur, non illis in Continentibus dumtaxat quae proprias culturales radices in patrimonio Graeco et Romano habent. Id diligentius est animadvertendum eo quod non modo academiarum provincia et institutionum implicatur, sed ad iuvenes inquisitoresque etiam attinet, qui ex diversissimis Nationibus et traditionibus proveniunt.

4. Quapropter necessitas instare videtur ut linguae Latinae altius cognoscendae eiusque congruenter utendae fulciatur cura, sive in ecclesiali sive in patentiore cultus campo. Ut hic nisus extollatur et evulgetur, consentaneum prorsus est docendi rationes adhibere aptas ad novas condiciones et provehere item necessitudines inter Academicas institutiones et inquisitores, ut copiosum ac multiforme Latini cultus patrimonium efferatur.

Ad haec proposita assequenda, Decessorum Nostrorum semitas calcantes, hasce per Litteras Apostolicas Motu Proprio datas hodie Pontificiam Academiam Latinitatis condimus, quae Pontificio Consilio de Cultura erit obnoxia. Eam regit Praeses, quem Secretarius iuvat et ii a Nobis nominantur, dum Consilium Academicum illis auxilium fert. Opus Fundatum Latinitas, quod Pauli PP. VI chirographo Romani Sermonis die XXX mensis Iunii anno MCMLXXVI est constitutum, exstinguitur. Decernimus ut hae Litterae Apostolicae Motu Proprio datae, quibus ad experimentum in quinquennium adnexum Statutum comprobamus, per editionem in actis diurnis "L'Osservatore Romano" evulgentur. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die X mensis Novembris, in memoria Sancti Leonis Magni Papae, anno MMXII, Pontificatus Nostri octavo. BENEDICTUS PP. XVI

Pontificiae Academiae Latinitatis Statutum

Art. I Pontificia Academia Latinitatis conditur, cuius sedes in Statu Civitatis Vaticanae locatur, quae linguam Latinam et cultum promoveat extollatque. Academia cum Pontificio Consilio de Cultura copulatur, cui est obnoxia.

Art. II § 1. Haec sunt Academiae proposita: a) ut linguae litterarumque Latinarum, quae ad classicos, Christianos, mediaevales, humanisticos et recentissimos pertinent auctores, cognitionem iuvet studiumque provehat, praesertim apud catholica instituta, in quibus vel Seminarii tirones vel presbyteri instituuntur atque erudiuntur. b) Ut provehat diversis in provinciis Latinae linguae usum, sive scribendo sive loquendo. § 2. Ut haec proposita consequatur, Academia studet: a) scripta, conventus, studiorum congressiones, scaenica opera curare; b) curricula, seminaria aliaque educationis incepta procurare, etiam iunctis viribus cum Pontificio Instituto Altioris Latinitatis; c) hodierna quoque communicationis instrumenta in discipulis instituendis adhibere, ut sermonem Latinum perdiscant. d) expositiones, exhibitiones et certamina apparare; e) alia agere ac suscipere ad hoc Institutionis propositum assequendum.

Art. III Pontificia Academia Latinitatis Praesidem, Secretarium, Consilium Academicum ac Sodales, qui Academici quoque nuncupantur, complectitur.

Art. IV § 1. Academiae Praeses a Summo Pontifice in quinquennium nominatur. Praesidis mandatum in alterum quinquennium renovari potest. § 2. Ad Praesidem spectat: a) iure Academiae, etiam coram quavis iudiciali administrativaque auctoritate, sive canonica sive civili, partes agere; b) Consilium Academicum et Sodalium Congressionem convocare eisque praesidere; c) Congressionibus Coordinationis Academiarum Pontificiarum Sodalis loco interesse atque cum Pontificio Consilio de Cultura necessitudinem persequi; d) Academiae rebus agendis praeesse; e) ordinariae administrationi, Secretario opem ferente, atque extraordinariae administrationi, suffragante Consilio Academico necnon Pontificio Consilio de Cultura, consulere.

Art. V § 1. In quinquennium a Summo Pontifice nominatur Secretarius, qui in alterum quinquennium confirmari potest. § 2. Praeses, si forte absit vel impediatur, Secretarium delegat, ut ipsius vice fungatur.

Art. VI § 1. Consilium Academicum constituunt Praeses, Secretarius et quinque Consiliarii. Consiliarii autem a coetu Academicorum in quinquennium eliguntur, qui confirmari possunt. § 2. Consilium Academicum, cui Academiae Praeses praeficitur, de maioris ponderis quaestionibus, ad Academiam attinentibus, decernit. Ipsum Rerum agendarum ordinem comprobat, quae a Coetu Sodalium tractanda erunt, qui saltem semel in anno est convocandus. Consilium a Praeside convocatur semel in anno atque quotiescumque porro id saltem tres Consiliarii requirunt.

Art. VII. Praeses, suffragante Consilio, Archivarium, qui Bibliothecarii partes quoque agit, atque Thesaurarium nominare potest.

Art. VIII. § 1. Academiam constituunt Sodales Ordinarii, qui numerum quinquaginta non excedunt et Academici vocantur, quique studiosi sunt cultoresque linguae ac litterarum Latinarum. Ii a Secretario Status nominantur. Cum autem Sodales Ordinarii octogesimum aetatis annum complent, Emeriti fiunt. § 2. Academici Ordinarii Academiae Coetui, a Praeside convocato, intersunt. Academici Emeriti Coetui interesse possunt, at sine suffragio. § 3. Praeter Academicos Ordinarios, Academiae Praeses, Consilio audito, alios Sodales nominare potest, qui "correspondentes" nuncupantur.

Art. IX Aboliti Operis Fundati Latinitas patrimonium inceptaque,compositione editioneque commentariorum Latinitas addita, in Pontificiam Academiam Latinitatis transferuntur.

Art. X Quae hic expresse non deliberantur, Codice Iuris Canonici et Status Civitatis Vaticanae legibus temperantur. Benedictus Pp. Xvi

21

Prior = , post =

21. DE PONTIFICIA ACADEMIA LATINITATIS CONDENDA LITTERAE APOSTOLICAE
BENEDICTUS PP. XVI

1. Latina Lingua permagni ab Ecclesia Catholica Romanisque Pontificibus usque est aestimata, quandoquidem ipsorum propria habita est lingua, qui eandem cognoscendam et diffundendam assidue curaverunt, cum Evangelii nuntium in universum orbem transmittere valeret, quemadmodum in Constitutione Apostolica Veterum sapientia Decessor Noster beatus Ioannes XXIII iure meritoque edixit. Enimvero inde a Pentecoste omnibus hominum linguis locuta et precata est Ecclesia. Attamen christianae communitates primorum saeculorum linguam Graecam Latinamque affatim usurpaverunt, cum illis locis in quibus morabantur universalia essent communicationis instrumenta, quorum ope Christi Verbi novitas hereditati obviam ivit Romani et Hellenistici cultus. Romano Imperio occidentali exstincto, Romana Ecclesia non modo lingua Latina uti perrexit, verum etiam quodammodo custos eiusdem et fautrix fuit, sive in Theologiae ac Liturgiae, sive in institutionis et scientiae transmittendae provincia.

2. Nostris quoque temporibus Latinae linguae et cultus cognitio perquam est necessaria ad fontes vestigandos ex quibus complures disciplinae ceteroqui hauriunt, exempli gratia Theologia,

Liturgia, Patrologia et Ius Canonicum, quemadmodum Concilium Oecumenicum Vaticanum II docet (cfr Decretum de Institutione sacerdotali, Optatam totius, 13). In hac praeterea lingua, ut universalis Ecclesiae natura pateat, typica forma sunt scripti liturgici libri Romani Ritus, praestantiora Magisterii pontificii Documenta necnon sollemniora Romanorum Pontificum officialia Acta.

3. In hodierno tamen cultu, humanarum litterarum extenuatis studiis, periculum adest levioris linguae Latinae cognitionis, quae in curriculis philosophicis theologicisque futurorum presbyterorum quoque animadvertitur. Sed contra, in nostro ipso orbe, in quo scientia ac technologia praecipuum obtinent locum, renovatum culturae et linguae Latinae studium invenitur, non illis in Continentibus dumtaxat quae proprias culturales radices in patrimonio Graeco et Romano habent. Id diligentius est animadvertendum eo quod non modo academiarum provincia et institutionum implicatur, sed ad iuvenes inquisitoresque etiam attinet, qui ex diversissimis Nationibus et traditionibus proveniunt.

4. Quapropter necessitas instare videtur ut linguae Latinae altius cognoscendae eiusque congruenter utendae fulciatur cura, sive in ecclesiali sive in patentiore cultus campo. Ut hic nisus extollatur et evulgetur, consentaneum prorsus est docendi rationes adhibere aptas ad novas condiciones et provehere item necessitudines inter Academicas institutiones et inquisitores, ut copiosum ac multiforme Latini cultus patrimonium efferatur. Ad haec proposita assequenda, Decessorum Nostrorum semitas calcantes, hasce per Litteras Apostolicas Motu Proprio datas hodie Pontificiam Academiam Latinitatis condimus, quae Pontificio Consilio de Cultura erit obnoxia. Eam regit Praeses, quem Secretarius iuvat et ii a Nobis nominantur, dum Consilium Academicum illis auxilium fert. Opus Fundatum Latinitas, quod Pauli PP. VI chirographo Romani Sermonis die XXX mensis Iunii anno MCMLXXVI est constitutum, exstinguitur. Decernimus ut hae Litterae Apostolicae Motu Proprio datae, quibus ad experimentum in quinquennium adnexum Statutum comprobamus, per editionem in actis diurnis "L'Osservatore Romano" evulgentur. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die X mensis Novembris, in memoria Sancti Leonis Magni Papae, anno MMXII, Pontificatus Nostri octavo. BENEDICTUS PP. XVI

Pontificiae Academiae Latinitatis Statutum

Art. I Pontificia Academia Latinitatis conditur, cuius sedes in Statu Civitatis Vaticanae locatur, quae linguam Latinam et cultum promoveat extollatque. Academia cum Pontificio Consilio de Cultura copulatur, cui est obnoxia.

Art. II § 1. Haec sunt Academiae proposita: a) ut linguae litterarumque Latinarum, quae ad classicos, Christianos, mediaevales, humanisticos et recentissimos pertinent auctores, cognitionem iuvet studiumque provehat, praesertim apud catholica instituta, in quibus vel Seminarii tirones vel presbyteri instituuntur atque erudiuntur. b) Ut provehat diversis in provinciis Latinae linguae usum, sive scribendo sive loquendo. § 2. Ut haec proposita consequatur, Academia studet: a) scripta, conventus, studiorum congressiones, scaenica opera curare; b) curricula, seminaria aliaque educationis incepta procurare, etiam iunctis viribus cum Pontificio Instituto Altioris Latinitatis; c) hodierna quoque communicationis instrumenta in discipulis instituendis adhibere, ut sermonem Latinum perdiscant. d) expositiones, exhibitiones et certamina apparare; e) alia agere ac suscipere ad hoc Institutionis propositum assequendum.

Art. III Pontificia Academia Latinitatis Praesidem, Secretarium, Consilium Academicum ac Sodales, qui Academici quoque nuncupantur, complectitur.

Art. IV § 1. Academiae Praeses a Summo Pontifice in quinquennium nominatur. Praesidis mandatum in alterum quinquennium renovari potest. § 2. Ad Praesidem spectat: a) iure Academiae, etiam coram quavis iudiciali administrativaque auctoritate, sive canonica sive civili, partes agere; b) Consilium Academicum et Sodalium Congressionem convocare eisque praesidere; c) Congressionibus Coordinationis Academiarum Pontificiarum Sodalis loco interesse atque cum Pontificio Consilio de Cultura necessitudinem persequi; d) Academiae rebus agendis praeesse; e) ordinariae administrationi, Secretario opem ferente, atque extraordinariae administrationi, suffragante Consilio Academico necnon Pontificio Consilio de Cultura, consulere.

Art. V § 1. In quinquennium a Summo Pontifice nominatur Secretarius, qui in alterum quinquennium confirmari potest. § 2. Praeses, si forte absit vel impediatur, Secretarium delegat, ut ipsius vice fungatur.

Art. VI § 1. Consilium Academicum constituunt Praeses, Secretarius et quinque Consiliarii. Consiliarii autem a coetu Academicorum in quinquennium eliguntur, qui confirmari possunt. § 2. Consilium Academicum, cui Academiae Praeses praeficitur, de maioris ponderis quaestionibus, ad Academiam attinentibus, decernit. Ipsum Rerum agendarum ordinem comprobat, quae a Coetu Sodalium tractanda erunt, qui saltem semel in anno est convocandus. Consilium a Praeside convocatur semel in anno atque quotiescumque porro id saltem tres Consiliarii requirunt.

Art. VII. Praeses, suffragante Consilio, Archivarium, qui Bibliothecarii partes quoque agit, atque Thesaurarium nominare potest.

Art. VIII. § 1. Academiam constituunt Sodales Ordinarii, qui numerum quinquaginta non excedunt et Academici vocantur, quique studiosi sunt cultoresque linguae ac litterarum Latinarum. Ii a Secretario Status nominantur. Cum autem Sodales Ordinarii octogesimum aetatis annum complent, Emeriti fiunt. § 2. Academici Ordinarii Academiae Coetui, a Praeside convocato, intersunt. Academici Emeriti Coetui interesse possunt, at sine suffragio. § 3. Praeter Academicos Ordinarios, Academiae Praeses, Consilio audito, alios Sodales nominare potest, qui "correspondentes" nuncupantur.

Art. IX Aboliti Operis Fundati Latinitas patrimonium inceptaque,compositione editioneque commentariorum Latinitas addita, in Pontificiam Academiam Latinitatis transferuntur.

Art. X Quae hic expresse non deliberantur, Codice Iuris Canonici et Status Civitatis Vaticanae legibus temperantur. BENEDICTUS PP. XVI

22

Prior = De pontificia academia latinitatis , post = Imperium Romanum

22. DE SUMMA TRINITATE ET DE FIDE CATHOLICA ET UT NEMO DE EA PUBLICE CONTENDERE AUDEAT.

De summa trinitate et de fide catholica et ut nemo de ea publice contendere audeat.

Source: Corpus Juris Civilis apud https://droitromain.univ-grenoble-alpes.fr/Corpus/CJ1.htm#1

Cunctos populos, quos clementiae nostrae regit temperamentum, in tali volumus religione versari, quam divinum Petrum apostulum tradidisse Romanis religio usque ad nunc ab ipso insinuata declarat quamque pontificem Damasum sequi claret et Petrum Alexandriae episcopum

virum apostolicae sanctitatis, hoc est ut secundum apostolicam disciplinam evangelicamque doctrinam patris et filii et spiritus sancti unam deitatem sub pari maiestate et sub pia trinitate credamus. Hanc legem sequentes christianorum catholicorum nomen iubemus amplecti, reliquos vero dementes vesanosque iudicantes haeretici dogmatis infamiam sustinere, divina primum vindicta, post etiam motus nostri, quem ex caelesti arbitrio sumpserimus, ultione plectendos. Nullus haereticis mysteriorum locus, nulla ad exercendam animi obstinatioris dementiam pateat occasio. Sciant omnes, etiamsi quid speciali quolibet rescripto per fraudem elicito ab huiusmodi hominum genere impetratum sit, non valere. Arceantur cunctorum haereticorum ab illicitis congregationibus turbae: unius et summi dei nomen ubique celebretur: nicaenae fidei dudum a maioribus traditae et divinae religionis testimonio atque adsertione firmatae observantia semper mansura teneatur.

Is autem nicaenae adsertor fidei et catholicae religionis verus cultor accipiendus est, qui omnipotentem deum et Christum filium dei uno nomine confitetur, deum de deo, lumen ex lumine, qui spiritum sanctum, quem ex summo rerum parente speramus et accipimus, negando non violat, apud quem intemeratae fidei sensu viget incorruptae trinitatis indivisa substantia, quae Graeco verbo ousia recte credentibus dicitur. Haec profecto nobis magis probata, haec veneranda sunt. Qui vero isdem non inserviunt, desinant adfectatis dolis alienum verae religionis nomen adsumere et suis apertis criminibus denotentur: ab omnium submoti ecclesiarum limine penitus arceantur, cum omnes haereticos illicitas agere intra oppida congregationes vetemus. Ac si quid eruptio factiosa temptaverit, ab ipsis etiam urbium moenibus exterminato furore propelli iubemus, ut cunctis orthodoxis episcopis, qui nicaenam fidem tenent, catholicae ecclesiae toto orbe reddantur. Nemo clericus vel militans vel alterius cuiuslibet condicionis de fide christiana publice turbis coadunatis et audientibus tractare conetur in posterum, ex hoc tumultus et perfidiae occasionem requirens.

Nam iniuriam facit iudicio reverentissimae synodi, si quis semel iudicata ac recte disposita revolvere et publice disputare contendit, cum ea, quae nunc de christiana fide a sacerdotibus, qui chalcedone convenerunt, per nostra praecepta statuta sunt, iuxta apostolicas expositiones et instituta sanctorum patrum trecentorum decem et octo et centum quinquaginta definita esse noscuntur.Nam in contemptores huius legis poena non deerit, quia non solum contra fidem vere expositam veniunt, sed etiam iudaeis et paganis ex huiusmodi certamine profanant veneranda mysteria. Igitur si clericus erit, qui publice tractare de religione ausus fuerit, consortio clericorum removebitur: si vero militia praeditus sit, cingulo spoliabitur: ceteri etiam hiusmodi criminis rei, si quidem liberi sint, de hac sacratissima urbe pellentur, pro vigore iudiciario etiam competentibus suppliciis subiugandi, sin vero servi, severissimis animadversionibus plectentur.

Imperator Justinianus . Inter claras sapientiae mansuetudinis vestrae laudes, christianissime principum, puriore luce tamquam aliquod sidus irradiat, quod amore fidei, quod caritatis studio, edocti ecclesiasticis disciplinis, Romanae sedis reverentiam conservatis et ei cuncta subicitis et ad eius deducitis unitatem, ad cuius auctorem, hoc est apostolorum primum, domino loquente praeceptum est: pasce oves meas . Quam esse omnium vere ecclesiarum caput et patrum regulae et principum statuta declarant et pietatis vestrae reverentissimi testantur affatus. Patet igitur in vobis impletum fore, quod scripturae loquuntur: per me reges regnant et potentes scribunt iustitiam. Nihil est enim, quod lumine clariore praefulgeat, quam recta fides in principe: nihil est, quod ita nequeat occasui subiacere, quam vera religio. Nam cum auctorem vitae vel luminis utraque respiciant, recte et tenebras respuunt et nesciunt subiacere defectui.

Quam ob rem, gloriosissime principum, votis omnibus exorabitur divina potentia, ut pietatem vestram in hoc ardore fidei, in hac devotione mentis, in hoc integrae religionis studio sine defectu

sui in tempora longiora conservet: hoc enim et sanctis credimus ecclesiis expedire. Scriptum est enim: labiis regit rex , et iterum: cor regis in manu dei, et ubi voluerit, inclinabit illud. Hoc est enim, quod vestrum firmat imperium, hoc, quod vestra regna conservat. Nam pax ecclesiae, religionis unitas, auctorem facti in sublime provectum grata sibi tranquillitate custodit. Neque enim parva ei vicissitudo a potentia divina tribuitur, per quem nullis rugis ecclesia divisa secernitur, nullis insertis maculis variatur. Scriptum est enim: quia cum rex iustus sederit supra sedem, non adversabitur sibi quicquam malignum .

Proinde serenitatis vestrae apices per Hypatium atque demetrium sanctissimos viros fratres et coepiscopos meos reverentia consueta suscepimus: quorum etiam relatione comperimus, quod fidelibus populis proposuissetis edictum amore fidei pro submovenda haereticorum intentione secundum apostolicam doctrinam, fratrum et coepiscoporum nostrorum interveniente consensu. Quod, quia apostolicae doctrinae convenit, nostra auctoritate confirmamus. Textus autem epistulae talis est. Reddentes honorem apostolicae sedi et vestrae sanctitati, quod semper nobis in voto fuit et est, ut decet, patrem honorantes vestram beatitudinem omnia, quae ad ecclesiarum statum pertinent, festinamus ad notitiam deferre vestrae sanctitatis, quoniam semper magnum nobis fuit studium unitatem vestrae apostolicae sedis et statum sanctarum dei ecclesiarum custodiri, qui hactenus obtinet et incommote permanet nulla intercedente contrarietate. Ideoque omnes sacerdotes universi Orientalis tractus et subicere et unire sedi vestrae sanctitatis properavimus. Et in praesenti ergo quae hic commota sunt, quamvis manifesta et indubitata sint et secundum apostolicae vestrae sedis doctrinam ab omnibus semper sacerdotibus firme custodita et praedicata, necessarium duximus, ut ad notitiam vestrae sanctitatis perveniant.

Nec enim patimur quicquam, quod ad ecclesiarum statum pertinet, quamvis manifestum et indubitatum sit, quod movetur, ut non etiam vestrae innotescat sanctitati , quia caput est omnium sanctarum ecclesiarum. Per omnia enim, ut dictum est, properamus honorem et auctoritatem crescere vestrae sedis. Manifestum igitur facimus vestrae sanctitati, quod pauci quidam infideles et alieni sanctae dei catholicae atque apostolicae ecclesiae contradicere iudaice ausi sunt adversus ea, quae ab omnibus sacerdotibus secundum vestram doctrinam recte tenentur et glorificantur atque praedicantur, denegantes dominum nostrum Ihesum Christum, unigenitum filium dei et deum nostrum, incarnatum ex sancto spiritu et sancta atque gloriosa virgine et dei genetrice Maria hominem factum atque crucifixum, unum esse sanctae et consubstantialis trinitatis, coadorandum et conglorificandum patri et spiritui sancto, consubstantialem patri secundum divinitatem et consubstantialem nobis eundem ipsum secundum humanitatem, passibilem carne, eundem ipsum impassibilem deitate.

Recusantes enim dominum nostrum Ihesum Christum unigenitum filium dei et deum nostrum fateri unum esse sanctae et consubstantialis trinitatis videntur nestorii malam sequentes doctrinam, secundum gratiam dicentes eum filium dei et alium dicentes deum verbum et alium Christum. Omnes vero sacerdotes sanctae catholicae atque apostolicae ecclesiae et reverentissimi archimandritae sacrorum monasteriorum sequentes sanctitatem vestram et custodientes statum et unitatem sanctarum dei ecclesiarum, quam habent ad apostolicam vestrae sanctitatis sedem, nihil penitus immutantes de ecclesiastico statu, qui hactenus obtinuit atque obtinet, uno consensu confitentur et glorificant , praedicantes dominum nostrum Ihesum Christum, unigenitum filium et verbum dei et deum nostrum, ante saecula et sine tempore de patre natum, in ultimis diebus descendisse de caelis et incarnatum ex spiritu sancto et sancta atque gloriosa virgine et dei genetrice maria natum et hominem factum et crucifixum unum esse sanctae et consubstantialis trinitatis, coadorandum et conglorificandum patri et sancto spiritui.

Nec enim alium deum verbum et alium Christum cognoscimus, sed unum atque eundem ipsum consubstantialem patri secundum divinitatem et consubstantialem nobis eundem ipsum secundum humanitatem, passibilem carne, eundem ipsum impassibilem deitate. Ut enim est in divinitate perfectus, ita idem ipse et in humanitate perfectus est: in una enim subsistentia unitatem suscipimus et confitemur, quod dicunt Graeci tyn kav hupostasin henwsin homologumen. Et quoniam unigenitus filius et verbum dei, ante saecula et sine tempore de patre natus, idem ipse et in ultimis diebus descendens de caelis, incarnatus ex sancto spiritu et sancta atque gloriosa virgine et dei genetrice maria et homo factus, dominus noster Ihesus Christus proprie et vere deus est, ideo et sanctam et gloriosam virginem maria proprie et vere dei matrem dicimus: non quia deus verbum principium ex ipsa sumpserit, sed quod in ultimis diebus descendit de caelis et ex ipsa incarnatus et homo factus natus est.

Quem confitemur et credimus, sicut dictum est, consubstantialem esse patri secundum deitatem et consubstantialem nobis eundem ipsum secundum humanitatem, eiusdem miracula et passiones, quas sponte carne sustinuit, cognoscentes. Suscipimus autem sancta quattuor concilia, id est trecentorum decem et octo sanctorum patrum, qui in nicaea congregati sunt, et centum quinquaginta sanctorum patrum, qui in hac regia urbe convenerunt, et sanctorum patrum, qui in epheso primo congregati sunt, et sanctorum patrum, qui in Chalcedone convenerunt, sicut vestra apostolica sedes docet atque praedicat. Omnes ergo sacerdotes sequentes doctrinam apostolicae vestrae sedis ita credunt et confitentur et praedicant. Unde properavimus haec ad notitiam deferre vestrae sanctitatis per Hypatium et Demetrium, beatissimos episcopos, ut nec vestram sanctitatem lateat, quae a quibusdam paucis monachis male et iudaice secundum nestorii perfidiam denegata sunt.

Petimus ergo vestrum paternum adfectum, ut vestris ad nos destinatis litteris et ad sanctissimum episcopum huius almae urbis et patriarcham vestrum fratrem, quoniam et ipse per eosdem scripsit ad vestram sanctitatem festinans in omnibus sequi sedem apostolicam beatitudinis vestrae, manifestum nobis faciatis, quod omnes, qui praedicta recte confitentur, suscipit vestra sanctitas et eorum, qui iudaice ausi sunt recte denegare fidem, condemnat perfidiam. Plus enim ita et circa vos omnium amor et vestrae sedis crescit auctoritas et quae ad vos est unitas sanctarum ecclesiarum inturbata servabitur, quando per vos didicerint omnes beatissimi episcopi eorum, quae ad vos relata sunt, sinceram vestrae sanctitatis doctrinam. Petimus autem vestram beatitudinem orare pro nobis et dei nobis adquirere providentiam. Et alia manu: divinitas te servet per multos annos, sancte ac religiosissime pater.

Liquet igitur, gloriosissime imperator, ut lectionis tenor et legatorum vestrorum relatio patefecit, vos apostolicis eruditionibus studere, cum de religionis catholicae fide ea sapitis, ea scripsistis, ea populis fidelibus publicastis, quae, sicut diximus, et sedes apostolica docet et patrum veneranda decrevit auctoritas et nos confirmavimus in omnibus. Opportunum est ergo voce clamare prophetica; iucundetur caelum desuper, effundant montes iucunditatem et colles laetitia laetabuntur . Haec igitur in tabulis cordis fideles scribere, haec ut pupillas oculorum convenit observare. Neque enim quisquam est, in quo Christi caritas fervet, qui tam rectae, tam verae confessionis vestrae fidei refragator existat, cum impietatem evidenter nestorii eutychisque et omnium haereticorum damnantes, unam veram catholicam fidem domini et dei nostri salvatoris Ihesu Christi magisterio institutam et propheticis apostolicisque praedicationibus ubique diffusam et sanctorum per totum orbem confessionibus roboratam, patrum atque doctorum sententiis adunatam et nostrae doctrinae consentaneam inconcusse atque inviolabiliter devota deo et pia mente servatis.

Soli etenim vestris professionibus adversantur, de quibus divina scriptura loquitur dicens: posuerunt mendacium spem suam et mendacio operiri speraverunt : et iterum qui secundum prophetam dicunt domino: recede a nobis, vias tuas scire nolumus , propter quos salomon dicit: semitas propriae culturae erraverunt , colligunt autem manibus infructuosa . Haec est igitur vestra vera fides, haec certa religio, hoc beatae recordationis, ut diximus, patres omnes praesulesque Romanae ecclesiae, quos in omnibus sequimur, hoc sedes apostolica praedicavit hactenus et inconvulse custodivit: huic confessioni, huic fidei quisquis contradictor extiterit, alienum a sancta communione, alienum se ipse ab ecclesia iudicavit esse catholica. Nos enim in Romana cyrum cum sequacibus suis invenimus civitate, qui de acoemetensi monasterio fuit, quos apostolicis suasionibus ad rectam fidem et velut oves , quae perierant errantes, ad ovile contendimus revocare dominicum, ut agnoscerent secundum prophetam linguae balbutientes loqui quae ad pacem sunt.

Non credentibus autem per nos primus apostolorum Esaiae prophetae verba dicit: pergite lumini ignis vestri et flammae, quam accendistis . Sed obduratum est cor eorum, ut scriptum est, ut non intellegerent, et pastoris vocem oves, quae meae non erant, audire minime voluerunt. In quibus servantes ea, quae ab ipsorum sunt statuta pontifice, eos minime in nostra communione recepimus et ab omni ecclesia catholica esse iussimus alienos, nisi errore damnato doctrinam nostram quantocius sequi habita regulari professione signaverint. Aequum quippe est, ut, qui nostris minime oboedientiam commodant statutis, ecclesiis habeantur extorres. Sed quia gremium suum numquam redeuntibus claudit ecclesia, obsecro clementiam vestram, ut, si proprio errore deposito et prava intentione depulsa ad unitatem ecclesiae reverti voluerint, in nostra communione receptis indignationis vestrae removeatis aculeos et nobis intercedentibus benigni animi gratiam condonate.

Deum autem et salvatorem nostrum Ihesum Christum exoramus, quatenus longaevis et pacificis vos dignetur custodire temporibus in hac vera religione et unitate et veneratione apostolicae sedis, cuius principatum ut christianissimi et pii conservatis in omnibus. Praeterea, serenissime principum, laudamus legatorum vestrorum personas, Hypatii et Demetrii fratrum et coepiscoporum nostrorum, quos clementiae vestrae gratos fore ipsa manifestavit electio. Nam tantae causae pondus non nisi perfectis in Christo potuisset iis iniungi, tantae vero pietatis, tantae reverentiae plenos adfatus nisi per amantes minime dignaremini destinare. Et alia manu: gratia domini nostri Ihesu Christi et caritas dei patris et communicatio spiritus sancti sit semper vobiscum, piissime fili. Item subscriptio: omnipotens deus regnum et salutem vestram perpetua protectione custodiat, gloriosissime et clementissime fili imperator Auguste.

De sacrosanctis ecclesiis et de rebus et privilegiis earum. Habeat unusquisque licentiam sanctissimo catholicae venerabilique concilio decedens bonorum quod optavit relinquere. Non sint cassa iudicia. Nihil est quod magis hominibus debetur, quam ut supremae voluntatis, post quam iam aliud velle non possunt, liber sit stilus et licitum quod iterum non redit arbitrium. Nemo apostolorum vel martyrum sedem humandis corporibus existimet esse concessam. Nemo martyres distrahat, nemo mercetur. Non plures quam nongenti quinquaginta decani sacrosanctae huius amplissimae urbis deputentur ecclesiae nullique his addendi mutandive vel in defuncti locum substituendi pateat copia: nulli alii corporatorum praeter praedictum numerum per patrocinia immunitate concessa negataque omni novationis facultate similia vindicandi his, quae in honorem vel necessaria obsequia sacrosanctae ecclesiae indulta sunt.

Placet rationabilis consilii tenore perpenso destricta moderatione praescribere, a quibus specialiter necessitatibus ecclesiae urbium singularum habeantur immunes. Prima quippe illius usurpationis contumelia depellenda est, ne praedia usibus caelestium secretorum dedicata

sordidorum munerum faece vexentur. Nihil extraordinarium ab hac superindicticiumve flagitetur, nulla translationum sollicitudo gignatur, postremo nihil praeter canonicam illationem, quam adventiciae necessitatis sarcina repentina depoposcerit, eius functionibus adscribatur. Si quis contra venerit, post debitae ultionis acrimoniam, quae erga sacrilegos iure promenda est, exilio perpetuae deportationis uratur. Omni innovatione cessante vetustatem et canones pristinos ecclesiasticos, qui nunc usque tenuerunt, et per omnes illyrici provincias servari praecipimus, ut, si quid dubietatis emerserit, id oporteat non absque scientia viri reverentissimi sacrosanctae legis antistitis urbis Constantinopolitanae, quae Romae veteris praerogativa laetatur, conventui sacerdotali sanctoque iudicio reservari. Ad instructiones itinerum pontiumque etiam divinas domos et venerabiles ecclesias tam laudabili titulo libenter adscribimus, quia non est inter sordida munera numeratum.

Sacrosancta thessalonicensis ecclesia civitatis aperte sciat propriae tantummodo capitationis modum beneficio mei numinis sublevandum nec externorum gravamine tributorum rem publicam ecclesiastici nominis abusione laedendam. Qui sub praetextu decanorum seu collegiatorum, cum id munus non impleant, aliis se muneribus conantur subtrahere, eorum fraudibus credidimus obviandum, ne quis sub specie muneris, quod minus exsequitur, alterius muneris oneribus relevetur, ne argentariorum vel nummulariorum munera declinentur ab his, qui dici tantum collegiati vel decani festinant. Ideoque si quis eorum sub nudae appellationis velamine collegiatum se seu decanum appellat, sciat pro se alium subrogandum, qui praedicto muneri sufficiens adprobatur, subrogatione videlicet memoratorum vel eorum qui moriuntur primatum eius qui subrogatur admisso iudicio: ab hac dispositione nemine se excusante sacrosanctarum ecclesiarum reverentia.

Iubemus nullam navem ultra duorum millium modiorum capacem ante felicem embolam vel publicarum specierum transvectionem aut privilegio dignitatis aut religionis intuitu aut praerogativa personae publicis utilitatibus excusari posse subtractam: nec si caeleste contra proferatur oraculum, sive adnotatio sit sive divina pragmatica, providentissimae legis regulas expugnare debebit. Quod etiam in omnibus causis cupimus observari, ut generaliter, si quid eiusmodi contra ius vel utilitatem publicam in quolibet negotio proferatur, non valeat. Quidquid enim in fraudem istius legis quolibet modo fuerit attemptatum, id navigii quod excusatur publicatione corrigimus. Privilegia, quae generalibus constitutionibus universis sacrosanctis ecclesiis orthodoxae religionis retro principes praestiterunt, firma et illibata in perpetuum decernimus custodiri.

Omnes sane pragmaticas sanctiones, quae contra canones ecclesiasticos interventu gratiae et ambitionis elicitae sunt, robore suo et firmitate vacuatas cessare praecipimus. Et quia humanitatis nostrae est prospicere egenis ac dare operam, ut pauperibus alimenta non desint, salaria etiam, quae sacrosanctis ecclesiis in diversis speciebus de publico hactenus ministrata sunt, iubemus nunc quoque inconcussa et a nullo prorsus imminuta praestari liberalitatique huic promptissimae perpetuam tribuimus firmitatem. Generali lege sancimus, sive vidua sive diaconissa vel virgo deo dicata vel sanctimonialis mulier, sive quocumque alio nomine religiosi honoris vel dignitatis femina nuncupatur, testamento vel codicillo suo, quod tamen alia omni iuris ratione munitum sit, ecclesiae vel martyrio vel clerico vel monacho vel pauperibus aliquid vel ex integro vel ex parte in quacumque re vel specie credidit seu crediderit relinquendum, id modis omnibus ratum firmumque consistat, sive hoc institutione sive substitutione seu legato aut fideicommisso per universitatem seu speciali, sive scripta sive non scripta voluntate fuerit derelictum: omni in posterum in huiusmodi negotiis ambiguitate submota.

Iubemus nulli posthac archiepiscopo in hac urbe regia sacrosanctae ecclesiae praesidenti, nulli oeconomo, cui res ecclesiastica gubernanda mandatur, esse facultatem fundos vel praedia urbana seu rustica, res postremo immobiles aut in his praediis colonos vel mancipia constituta aut annonas civiles cuiuscumque suprema vel superstitis voluntate ad religiosam ecclesiam devolutas sub cuiuscumque alienationis specie ad quamcumque transferre personam, sed ea praedia dividere quidem, colere augere et ampliare nec ulli isdem praediis audere cedere. Verum sive testamento quocumque iure facto seu codicillo vel sola nuncupatione, legato sive fideicommisso, aut mortis causa aut alio quocumque ultimo arbitrio aut certe inter viventes habita largitate sive contractu venditionis sive donationis aut alio quocumque titulo quisque ad praefatam venerabilem ecclesiam patrimonium suum partemve certam patrimonii in fundis praediis seu domibus vel annonis mancipiis et colonis eorumque peculiis voluerit pertinere, inconcussa ea omnia sine ulla penitus imminutione conservent scientes nulla sibi occasione vel tempore ad vicissitudinem beneficii colorati vel gratiae referendae, donandi vel certe volentibus emere alienandi aliquam facultatem permissam, nec si omnes cum religioso episcopo et oeconomo clerici in earum possessionum alienatione consentiant.

Ea enim, quae ad beatissimae ecclesiae iura pertinent vel posthac forte pervenerint, tamquam ipsam sacrosanctam et religiosam ecclesiam intacta convenit venerabiliter custodiri, ut, sicut ipsa religionis et fidei mater perpetua est, ita eius patrimonium iugiter servetur illaesum. Sane, si haec nostrae perennitatis statuta audaci spiritu et mente sacrilega quisquam oeconomorum vel hominum temeranda crediderit, ipse quidem, qui protervo ausu ecclesiastica praedia donationis vel emptionis seu commutationis aut cuiuscumque contractus alterius nomine nisi eo quo nunc statuimus adquirere vel habere temptaverit, omnem huiusmodi fructum propriae temeritatis amittat: et pretia quidem et munera, quae eius rei gratia data fuerint oeconomo seu aliis quibuscumque personis, ecclesiae lucris et commodis adquirantur. Praedia autem et in his omnia constituta ab ipsis clericis et temporalibus oeconomis cum fructibus seu pensionibus et accessionibus totius medii temporis vindicentur, ut tamquam penitus a nullo empta vel vendita teneantur, quia ea, quae contra leges fiunt, pro infectis habenda sunt. Oeconumus autem, qui hoc fecerit, immo fieri passus fuerit vel in quacumque prorsus huiusmodi venditione seu donatione vel commutatione nisi ea quam praesenti lege concedimus, postremo in quacumque alienatione consenserit, commissa sibi oeconomatus administratione privetur deque bonis eius quodcumque exinde incommodum ecclesiae contigerit reformetur heredesque eius et successores ac posteri super hoc facto sive consensu competenti ab ecclesiasticis actione pulsentur.

His tabellionibus, qui huiusmodi contractuum vetitorum ausi fuerint instrumenta conscribere, irrevocabilis exilii animadversione plectendis. His quoque iudicibus vel ius gestorum habentibus, qui huiusmodi donationum vel contractuum gesta confecerint, dignitatis propriae et bonorum omnium spoliatione damnandis.Sane ne omnis religiosis oeconomis provisionis commodae via et occasio venerandis ecclesiis profutura videatur exclusa, id, quod utile plerumque iudicatur, cautelae observatione necessario procedere concedimus. Si quando igitur vir religiosus oeconomus huius regiae urbis ecclesiae perspexerit expedire, ut desideranti cuiquam certarum possessionum atque praediorum, urbanorum scilicet sive rusticorum, ad ius ecclesiasticum pertinentium temporaria usus fructus possessio pro ipsius petitione praestetur, tunc eius temporis, quod inter utrosque convenerit, sive in diem vitae suae ab eo qui desiderat postuletur, pacta cum eo qui hoc elegerit ineat oeconumus atque conscribat, per quae et tempus, intra quod hoc praestari placuerit, statuatur et manifestum sit, quid quacumque acceperit ad vicem huius beneficii gratia, praestando quidem ecclesiastici praedii pro tempore usu fructu, post statutum autem tempus et placitum temporum redituum proprietate ad ius et dominium ecclesiasticum

recurrente firmit er: ita scilicet, ut sive completo spatio, quod inter eos fuerit constitutum, seu mortis suae tempore, si hoc quoque convenerit, is, qui possessionem ecclesiasticam et certorum redituum usum fructum habendi gratia pacto interveniente susceperit, non minus quam alterius tantae quantitatis, quantae acceperat reditus, cum ipso praediorum dominio et rebus immobilibus eorumque colonis et mancipiis ecclesiae derelinquat.

Nisi enim hac condicione pacta inita fuerint, ea quoque decernimus non valere, sed possessionem ecclesiasticam tamquam nullo iure transcriptam in ipsius iure ac dominio permanere et ab ecclesiasticis sive oeconomis decernimus vindicari. Decernimus, ut antiquatis ac infirmatis funditus, quae contra ipsum orthodoxae religionis deum quodammodo facta sunt, in integrum restituantur universa et ad suum ordinem revocentur, quae ante profectionem nostrae mansuetudinis de orthodoxae religionis fide et sanctissimarum ecclesiarum et martyriorum statu firmiter obtinebant: his, quae contra haec tempore tyrannidis innovata sunt tam contra venerabiles ecclesias, quarum sacerdotium gerit beatissimus ac religiosissimus episcopus patriarcha nostrae pietatis pater acacius, quam ceteras, quae per diversas provincias collocatae sunt, nec non et reverentissimos earum antistites seu de iure sacerdotalium creationum seu de expulsione cuiusquam episcopi a quolibet illis temporibus facta seu de praerogativa in episcoporum concilio vel extra concilium ante alios residendi vel de privilegio metropolitano vel patriarch ico sub isdem impiis temporibus, penitus antiquandis, ut cassatis et rescissis, quae per huiusmodi sceleratas iussiones aut pragmaticas sanctiones aut constitutiones impias sive formas subsecuta sunt, quae a divae recordationis retro principibus ante nostrum imperium et deinceps a nostra mansuetudine indulta vel constituta sunt super sanctis ecclesiis et martyriis et religiosis episcopis clericis aut monachis, inviolata serventur.

Sacrosanctam quoque huius religiosissimae civitatis ecclesiam matrem nostrae pietatis et christianorum orthodoxae religionis omnium et eiusdem regiae urbis sanctissimam sedem privilegia et honores omnes super episcoporum creationibus et iure ante alios residendi et cetera omnia, quae ante nostrum imperium vel nobis imperantibus habuisse dignoscitur, habere in perpetuum firmiter regiae urbis intuitu iudicamus et sancimus. Imperator Justinianus . Illud, quod ex veteribus legibus licet obscure positis a quibusdam attemptabatur , ut donationes super piis causis factae, licet minus in actis intimatae sint, tamen valeant, certo et dilucido iure taxamus, ut in aliis quidem casibus vetera iura super intimandis donationibus intacta maneant: si quis vero donationes usque ad quingentos solidos in quibuscumque rebus fecerit vel in sanctam ecclesiam vel in xenodochium vel in nosocomium vel in orphanotrophium vel in ptochotrophium vel in ipsos pauperes vel in quamcumque civitatem, istae donationes etiam citra actorum confectionem convalescant: sin vero amplioris quantitatis donatio sit, excepta scilicet imperiali donatione, non aliter valeat, nisi actis intimata fuerit: nulli danda licentia quacumque alia causa quasi pietatis iure subnixa praeter eas, quas specialiter exposuimus, introducenda veterum scita super intimandis donationibus permutare.

Sancimus nemini licere sacratissima atque arcana vasa vel vestem ceteraque donaria, quae ad divinam religionem necessaria sunt (cum etiam veteres leges ea, quae iuris divini sunt, humanis nexibus non illigari sanxerunt) vel ad venditionem vel hypothecam vel pignus trahere, sed ab his, qui haec suscipere ausi fuerint, modis omnibus vindicari tam per religiosissimos episcopos quam oeconomos nec non etiam sacrorum vasorum custodes: nullam eis actionem relinquendam vel super recipiendo pretio vel fenore exigendo, pro quo res pignoratae sunt, sed omnibus huiusmodi actionibus respuendis ad restitutionem earum modis omnibus coartari. Sin autem vel conflata sunt vel fuerint vel alio modo immutata vel dispersa, nihilo minus vel ad ipsa corpora vel ad pretia eorum exactionem competere sive per in rem sive per condictionem sive per in factum actionem,

cuius tenor in multis et variis iuris articulis saepe est admissus, excepta videlicet causa captivitatis in locis, in quibus hoc (quod abominamur) contigerit. Nam si necessitas fuerit in redemptione captivorum, tunc et venditionem praefatarum rerum divinarum et hypothecam et pignorationem fieri concedimus, cum non absurdum est animas hominum quibuscumque causis vel vestimentis praeferri: hoc obtinente non solum in futuris negotiis, sed etiam in iudiciis pendentibus.

Sancimus res ad venerabiles ecclesias vel xenones vel monasteria vel ptochotrophia vel brephotrophia vel orphanotrophia vel gerontocomia vel si quid aliud tale consortium descendentes ex qualicumque curiali liberalitate sive inter vivos sive mortis causa sive in ultimis voluntatibus habita lucrativorum inscriptionibus liberas immunesque esse: lege scilicet, quae super huiusmodi inscriptionibus posita est, in aliis quidem personis suum robur obtinente, in parte autem ecclesiastica vel aliarum domuum, quae piis consortiis deputatae sunt, suum vigorem pietatis intuitu mitigante. Cur enim non faciamus discrimen inter res divinas et humanas, et quare non competens praerogativa caelesti favori conservetur? Quae oportet non solum in casibus, quos futurum tempus creaverit, sed etiam in adhuc pendentibus et iudiciali termino vel amicali compositione necdum sopitis obtinere. Ut inter divinum publicumque ius et privata commoda competens discretio sit, sancimus, si quis aliquam reliquerit hereditatem vel legatum vel fideicommissum vel donationis titulo aliquid dederit vel vendiderit sive sacrosanctis ecclesiis sive venerabilibus xenonibus vel ptochiis vel monasteriis masculorum vel virginum vel orphanotrophiis vel brephotrophiis vel gerontocomiis nec non iuri civitatum, relictorum vel donatorum vel venditorum eis sit longaeva exactio nulla temporis solita praescriptione coartanda.

Sed et si in redemptione captivorum quaedam pecuniae vel res relictae vel legitimo modo donatae sunt, et earum exactionem longissimam esse censemus. Et nobis quidem cordi erat nullis temporum metis huiusmodi actionem circumcludi. Sed ne videamur in infinitum hanc extendere, longissimum vitae hominum tempus eligimus et non aliter eam actionem finiri concedimus, nisi centum annorum curricula excesserint: tunc enim tantummodo huiuscemodi exactionem evanescere sinimus. Sive itaque memoratis religiosissimis locis vel civitatibus hereditas sive legatum sive fideicommissum fuerit relictum, vel donatio vel venditio processerit in quibuscumque rebus mobilibus vel immobilibus vel se moventibus, sive pro redemptione captivorum quaedam fuerint derelicta vel donata, sit eorum paene perpetua vindicatio et ad annos centum secundum quod dictum est extendatur, nulla alia exceptione temporis inhibenda, sive contra primas personas sive contra heredes vel successores earum moveatur. In his autem omnibus casibus non solum personales actiones damus, sed etiam in rem et hypothecariam secundum nostrae tenorem constitutionis, quae legatariis et hypothecarias donavit, et supra dictis omnibus unum tantummodo terminum vitae suae imponimus, id est centum metas annorum.

Haec autem omnia observari sancimus in iis casibus, qui vel postea fuerint nati vel iam in iudicium deducti sunt. De episcopis et clericis et orphanotrophis et brephotrophis et xenodochis et asceteriis et monachis et privilegio eorum et castrensi peculio et de redimendis captivis et de nuptiis clericorum vetitis seu permissi. Iuxta sanctionem, quam dudum meruistis, et vos et mancipia vestra nullus novis collationibus obligabit, sed vacatione gaudebitis. Praeterea neque hospites suscipietis. Omnis a clericis indebitae conventionis iniuria et iniquae exactionis repellatur improbitas nullaque conventio sit circa eos munerum sordidorum. Et cum negotiatores ad aliquam praestationem competentem vocantur, ab his universis istiusmodi strepitus conquiescat. Si quid enim vel parsimonia vel provisione vel mercatura, honestati tamen conscia, congesserint, in usum pauperum atque egentium ministrari oportet aut id, quod ex eorundem

ergasteriis vel tabernis conquiri potuerit et colligi, collectum id religionis aestiment lucrum. Verum etiam hominibus eorundem, qui operam in mercimoniis habent, divi principis, id est nostri genitoris, statuta multimoda observatione caverunt, ut idem clerici privilegiis pluribus redundarent. Itaque extraordinariorum a praedictis necessitas atque omnis molestia conquiescat. Ad parangariarum quoque praestationem non vocentur nec eorundem facultates atque substantiae.

Omnibus clericis huiusmodi praerogativa succurrat, ut coniugia clericorum ac liberi quoque et ministeria, id est mares pariter ac feminae, eorumque etiam filii immunes semper ab huiusmodi muneribus perseverent. De his clericis, qui praedia possident, sublimis auctoritas tua non solum eos aliena iuga nequaquam statuet excusare, sed etiam pro his, quae ab ipsis possidentur, eosdem ad pensitanda fiscalia perurgueri. Universos namque clericos possessores dumtaxat provinciales pensitationes fiscalium translationesque faciendas recognoscere iubemus. Officiales rationales, si exhibitione cursus seu primipili necessitate neglecta, interversa etiam ratione fiscali ad clericatus honorem putaverint transeundum, ad priorem condicionem retrahantur. Si vero obnoxii ratiociniis vel necessitatibus non sint, sub notione iudicum officiis consentientibus, si id probabilis vitae studium postularit, transferantur nec cessionem metuant facultatum.Quod si clandestinis artibus putaverint inrependum, duas concedant liberis aut, si proles defuerit, propinquis e propria substantia portiones tertiam sibimet retenturi: si vero propinquorum necessitudo defuerit, geminae portiones officiis in quibus militant relinquantur, portione tertia tantummodo retenta.

Si quis non dicam rapere, sed attemptare tantum matrimonii iungendi causa sacratissimas virgines ausus fuerit, capitali poena ferietur. Presbyteros diaconos subdiaconos atque exorcistas et lectores, ostiarios etiam personalium munerum expertes esse praecipimus. Nec honore nec legibus episcopus ad testimonium flagitatur. Item dixit: episcopum ad testimonium dicendum admitti non decet: nam et persona oneratur et dignitas sacerdotis excepta confunditur. Presbyteri citra iniuriam quaestionis testimonium dicant, ita tamen, ut falsa non simulent. Ceteri vero clerici, qui eorum gradum vel ordinem sequuntur, si ad testimonium dicendum petiti fuerint, prout leges praecipiunt, audiantur. Salva tamen sit litigatoribus falsi actio, si forte presbyteri, qui sub nomine superioris loci testimonium dicere citra aliquam corporalem iniuriam sunt praecepti, hoc ipso, quod nihil metuant, vera suppresserint. Multo magis etenim poena sunt digni, quibus cum plurimum honoris per nostram iussionem delatum est, occulto inveniuntur in crimine.

Nulla nisi emensis sexaginta annis secundum praeceptum apostoli ad diaconissarum consortium transferatur. Si quis in hoc genus sacrilegii proruperit, ut in ecclesias catholicas inruens, sacerdotibus et ministris vel ipso cultu locoque importet iniuriae, quod geritur, a provinciae rectoribus animadvertatur. Atque ita provinciae moderator sacerdotum et catholicae ecclesiae ministrorum, loci quoque ipsius et divini cultus iniuriam capitali in convictos sive confessos reos sententia noverit vindicandum nec expectet, ut episcopus iniuriae propriae ultionem deposcat, cui sanctitas ignoscendi gloriam dereliquit: sitque cunctis laudabile factas atroces sacerdotibus aut ministris iniurias veluti publicum crimen persequi ac de talibus reis ultionem mereri. Quod si multitudo violenta civilis apparitionis exsecutione et adminiculo ordinum possessorumve non potuerit praesentari, quod se armis aut locorum difficultate tueatur, praesides provinciarum etiam militari auxilio per publicas litteras appetito competentem vindicatam tali excessui imponere non morentur. Ecclesiis, quae in possessionibus, ut adsolet, diversorum, vicis etiam vel quibuslibet locis sunt constitutae, clerici non ex alia possessione vel vico, sed ex eo, ubi ecclesiam esse constiterit, ordinentur, ut propriae capitationis onus ac sarcinam recognoscant: ita ut pro magnitudine vel celebritate uniuscuiusque vici ecclesiis certus iudicio episcopi clericorum

numerus ordinetur. Si quis curialis clericus fuerit ordinatus nec statim conventione praemissa pristinae condicioni reddatur, is vigore et sollertia iudicantium ad pristinam sortem velut manu mox iniecta revocetur. Clericis enim ulterius legem prodesse non patimur, quae cessione patrimonii subsecuta decuriones clericos esse non vetabat.

Si ecclesiae venerabilis privilegia cuiusquam fuerint vel temeritate violata vel dissimulatione neglecta, commissum quinque librarum auri condemnatione plectetur. Quicumque residentibus sacerdotibus fuerit episcopali loco et nomine detrusus, si aliquid vel contra custodiam vel contra quietem publicam moliri fuerit deprehensus rursusque sacerdotium petere, a quo videtur expulsus, procul ab ea urbe, quam conturbavit, centum milibus vitam agat. Nec nostra adeat secreta nec impetrare rescripta speret, sed etiam impetratis careat: defensoribus etiam eorum indignationem subituris. Conventicula illicita extra ecclesiam in privatis aedibus celebrari prohibemus, proscriptionis domus periculo imminente, si dominus eius in ea clericos nova ac tumultuosa conventicula extra ecclesiam celebrantes susceperit. Quisquis censibus fuerit adnotatus, invito agri domino ab omni temperet clericatu, adeo ut etiam, si in eo vico, in quo noscitur mansitare, clericus fuerit, sub hac lege religiosum adsumat sacerdotium, ut et capitationis sarcinam per ipsum dominum agnoscere compellatur et ruralibus obsequiis quo maluerit subrogato fungatur, ea scilicet immunitate indulta, quae certae capitationis venerandis ecclesiis relaxatur: nullo contra hanc legem valituro rescripto.

Placet nostrae clementiae, ut nihil commune clerici cum publicis actibus vel ad curiam pertinentibus, cuius corpori non sunt adnexi, habeant. Praeterea eis, qui parabalanin vocantur, neque ad quodlibet publicum spectaculum neque ad curiae locum neque ad iudicium accedendi licentiam permittimus, nisi forte singuli ob causas proprias et necessitates iudicem adierint aliquem lite pulsantes vel ab alio ipsi pulsati vel in communi totius corporis causa syndico ordinato: sub ea definitione, ut, si quis eorum haec violaverit et brevibus parabalanin eximatur et competenti supplicio subiugetur nec umquam ad eandem sollicitudinem revertatur. Parabalanin, qui ad curanda debilium aegra corpora deputantur, sescentos constitui praecipimus, ita ut pro arbitrio viri reverentissimi Antistitis Alexandrinae urbis de his, qui ante fuerant et qui pro consuetudine curandi gerunt experientiam, sescenti parabalanin ad huiusmodi sollicitudinem eligantur, exceptis videlicet honoratis et curialibus.

Si quis autem ex his naturali sorte fuerit absumptus, alter in eius locum pro voluntate eiusdem sacerdotis exceptis honoratis et curialibus subrogetur, ita ut hi sescenti viri reverentissimi sacerdotis praeceptis ac dispositionibus obsecundent et sub eius cura consistant: reliquis, quae dudum latae legis forma complectitur, super his parabalanin vel de spectaculis vel de iudiciis ceterisque sicut iam statutum est custodiendis. Eum, qui probabilem saeculo disciplinam agit, decolorari consortio sororiae appellationis non decet. Quicumque igitur cuiuscumque gradus sacerdotio fulciuntur vel clericatus honore censentur, extranearum sibi mulierum interdicta consortia cognoscant: hac eis tantum facultate concessa, ut matres filias atque germanas intra domorum suarum saepta contineant: in his enim nihil scaevi criminis aestimari foedus naturale permittit. Illas etiam non relinqui castitatis hortatur adfectio, quae ante sacerdotium maritorum legitimum meruere coniugium: neque enim clericis incompetenter adiunctae sunt, quae dignos sacerdotio viros sui conversatione fecerunt. Si quis presbyter aut diaconus aut diaconissa aut subdiaconus vel cuiuslibet alterius loci clericus aut monachus aut mulier, quae solitariae vitae dedita est, nullo condito testamento decesserit nec ei parentes utriusque sexus vel liberi vel si qui agnationis cognationisve iure iunguntur vel uxor extiterit, bona, quae ad eum vel ad eam pertinuerint, sacrosanctae ecclesiae vel monasterio, cui fuerat destinatus aut destinata, omnifariam socientur.

Exceptis his facultatibus, quas forte censibus adscripti vel iuri patronatus subiecti vel curiali condicioni obnoxii clerici vel monachi cuiuscumque sexus relinquunt: nec enim iustum est bona seu peculia, quae aut patrono legibus debentur aut domino possessionis, cui quis eorum fuerat adscriptus, aut ad curias pro tenore dudum latae constitutionis sub certa forma pertinere noscuntur, ab ecclesiis vel monasteriis detineri: actionibus videlicet competenter sacrosanctis ecclesiis vel monasteriis reservatis, si quis forte praedictis condicionibus obnoxius aut ex gestis negotiis aut ex quibuslibet aliis ecclesiasticis actibus obligatus obierit. Ad similitudinem tam episcoporum orthodoxae fidei quam presbyteri et diaconi ii, qui honorario titulo illustrem dignitatem consecuti sunt, per substitutos periculo suarum facultatum curiae muneribus satisfacere non vetentur. Si qua per calumniam postulatio super criminalibus causis apud competentem iudicem deposita exhibitionis causa fuerit sacrosanctae religionis antistitis, triginta pondo auri condemnatione publicis calculis inferenda ut percellatur, praecipimus.

Quin etiam omnia privilegia, quae sacrosanctis ecclesiis confugarum aut clericorum, decanorum vel aliorum ecclesiasticorum causa legibus sunt praestita, intacta atque illibata servari. Praeterea iubemus, ut omnes clerici atque monachi, qui de suis civitatibus ad hanc almam urbem ecclesiastici negotii vel religionis causa proficiscuntur, litteris episcopi, cui unusquisque iter faciens obsequitur, muniti adveniant: scituri quod, si citra hanc fiduciam accesserint, sibimet imputabunt, quod non clerici vel monachi esse putabuntur. Quoniam venerabilis recordationis Flavianus huius Almae urbis episcopus cum venerabili synodo innumerabilium paene sacerdotum, qui Chalcedone convenerunt, tanto ac tali decoratus est testimonio, ut Eutyches, qui contra senserat, cum scelaeratis dictis suis ab omnibus uno ore damnaretur, aboleatur quidem Eutychetis damnosa memoria, Flaviani autem laudabilis recordatio reveletur. Id, quod pauperibus testamento vel codicillis relinquitur, non ut incertis personis relictum evanescat, sed modis omnibus ratum firmumque consistat.

Cum clericis in iudicium vocatis pateat episcopalis audientia, volentibus tamen actoribus, si actor disceptationem sanctissimi archiepiscopi noluerit experiri, eminentissimae tuae sedis examen contra catholicos sub viro reverentissimo archiepiscopo huius urbis clericos constitutos vel contra reverentissimum oeconomum tam de ipsius quam de ecclesiasticis negotiis sibimet noverit expetendum neque in ullo alio foro vel apud quemquam alterum iudicem eosdem clericos litibus inretire et civilibus vel criminalibus negotiis temptet innectere. Memorati autem reverentissimi clerici orthodoxarum ecclesiarum, quae sub viro religioso antistite huius inclitae urbis sunt, in causa, in qua vel ipsi vel procuratores, quos pro se dederint, sententiarum auctoritate pulsantur, exsecutoribus, per quos coeperint conveniri, fideiussorem sacratissimae huius urbis ecclesiae oeconomum vel defensorem praebeant, qui usque ad quinquaginta libras auri fideiussor existat. Ipse vero reverentissimus oeconomus almae huius urbis ecclesiae lite pulsatus fideiussorem pro se non praebeat, utpote qui et aliorum clericorum fideiussor futurus est, sed fidei suae committatur. Quod si lis diversorum (excepto reverentissimo oeconomo) clericorum, quae agitanda sit, memoratam summam videtur excedere, clericus lite pulsatus det exsecutori pro residua quantitate cautionem suam: cui nullum tamen insertum erit iusiurandum, quia ecclesiasticis regulis et canone a beatissimis episcopis antiquitus instituto clerici iurare prohibentur.

Statuimus autem, ut exsecutoribus idem reverentissimus oeconomus vel alii diversi clerici sub beatissimo archiepiscopo huius splendidissimae civitatis sententiarum tuarum auctoritate commoniti solidos duos tantummodo dent pro commonitione sua et pro institutione procuratoris, si per eum voluerint litigare. Quod circa alios quoque diversos apparitores eminentiae tuae in his, quae ex consuetudine praebentur officio, observari in causis praedictorum clericorum iubemus,

ut litis sumptus vel expensae a clericis pauciores humanioresve praestentur. Decernimus, ut posthac neque monachi aut quicumque alius cuiuslibet status aut fortunae in aedes publicas vel in quaecumque loca populi voluptatibus fabricata venerabilem crucem et sanctorum martyrum reliquias illicite inferre conentur vel occupare audeant ea, quae vel ad publicas causas vel ad populi oblectamenta constructa sunt. Cum enim religiosae aedes non desunt, possunt ibi, consultis prius ut oportet religiosissimis episcopis, reliquias martyrum non quorundam usurpatione, sed arbitrio reverentissimorum antistitum collocare. Ideo patientiam et modestiam suam, quam leges nostrae et publica disciplina et ipsorum monachorum nomen exposcit, studiose unusquisque tam monachus quam cuiuslibet alterius professionis retineat et perpetuo observare procuret.

Quisquis emensis militiae suae stipendiis expletisque officiis sive muneribus, quae cuicumque condicioni aut consuetudine vel lege debebat, ad consortium se contulerit clericorum et inter ministros verae orthodoxae fidei maluerit et elegerit numerari, nullius prorsus sententiae acerbitate revocetur nec a dei templis quibus se consecravit inopportunis intentionibus abstrahatur, sed isdem beatissimis ministeriis securus permaneat et quietus, ad quae post longi laboris lassitudinem ob reliquiae vitae requiem consilio meliore protractus est: his actionibus, si quae contra eum eiusque patrimonium legitima intentione competunt, pro iuris ordine responsurus: exceptis primipilaribus, quos praeceptis tui culminis et publicis utilitatibus in perpetuum esse subiectos sacratissimae constitution is statuta sanxerunt. Nulli licere decernimus, si testamento heres sit institutus seu ab intestato succedat seu fideicommissarius vel legatarius inveniatur, dispositionem pii testatoris infringere vel improba mente violare, adserendo incertum esse legatum vel fideicommissum, quod redemptioni relinquitur captivorum, sed modis omnibus exactum pro voluntate testatoris piae rei negotio proficere.

Et si quidem testator significaverit, per quem desiderat redemptionem fieri captivorum, is qui specialiter designatus est legati seu fideicommissi habeat exigendi licentiam et pro sua conscientia votum adimpleat testatoris. Sin autem persona non designata testator absolute tantummodo summam legati vel fideicommissi taxaverit, quae debeat memoratae causae proficere, vir reverentissimus episcopus illius civitatis, ex qua testator oritur, habeat facultatem exigendi, quod huius rei gratia fuerit derelictum, pium defuncti propositum sine ulla cunctatione ut convenit impleturus. Cum autem vir religiosissimus episcopus huiusmodi pecunias pio relictas arbitrio fuerit consecutus, statim gestis intervenientibus earum quantitatem et tempus quo eas susceperit apud rectorem provinciae publicare debebit. Post unius vero anni spatium et numerum captivorum et data pro his pretia eum manifestare praecipimus, ut per omnia impleantur tam piae deficientium voluntates: ita tamen, ut religiosissimi antistites gratis et sine ullo dispendio praedicta gesta conficiant, ne humanitatis obtentu relictae pecuniae iudiciorum dispendiis erogentur.

Quod si testato, qui huiusmodi legatum vel fideicommissum non designata persona reliquit, barbarae sit nationis et de eius patria aliqua emerserit ambiguitas, vir reverentissimus episcopus civitatis eius, in qua idem testator defunctus est , itidem habeat legati seu fideicommissi petitionem defuncti propositum modis omnibus impleturus. Quod si in vico vel in territorio testator mortem obierit, illius civitatis vir reverentissimus episcopus exactionem habebit, sub qua vicus vel territorium esse dignoscitur. Et ne pium defunctorum propositum improba fraudatorum calliditate celetur, quidquid pro huiusmodi causa a testatore relictum fuerit, universi, qui id quocumque modo cognoverint, vel in viri clarissimi rectoris provinciae vel in urbis episcopi notitiam deferendi habeant liberam facultatem: nec delatoris nomen suspicionemque formident,

cum fides atque industria eorum tam laude quam honestate non careat ac pariter pietate, cum veritatem in publicas aures lucemque deduxerint.

Si quemquem vel in hac urbe regia vel in ceteris provinciis, quae toto orbe diffusae sunt, ad episcopatus gradum provehi deo auctore contigerit, puris hominum mentibus nuda electionis conscientia sincero omnium iudicio proferatur. Nemo gradum sacerdotii pretii venalitate mercetur: qualiter quisque mereatur, non quantum dare sufficiat aestimetur. Profecto enim quis locus tutus et quae causa esse poterit excusata, si veneranda dei templa pecuniis expugnantur? quem murum integritati aut vallum fidei providebimus, si auri sacra fames penetralia veneranda proserpit? quid denique cautum esse poterit aut securum, si sanctitas incorrupta corrumpitur? Cesset altaribus imminere profanus ardor avaritiae et a sacris adytis repellatur piaculare flagitium. Ita castus et humilis nostris temporibus eligatur episcopus, ut, locorum quocumque pervenerit, omnia vitae propriae integritate purificet. Non pretio, sed precibus ordinetur antistes. Tantum ab ambitu debet esse sepositus, ut quaeratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat. Sola illi suffragetur necessitas excusandi. Profecto enim indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus, cum sane quisquis hanc sanctam et venerandam antistitis sedem pecuniae interventu subiise aut si quis, ut alterum ordinaret vel eligeret, aliquid accepisse detegitur, ad instar publici criminis et laesae maiestatis accusatione proposita a gradu sacerdotii retrahatur. Nec hoc solum deinceps honore privari, sed perpetuae quoque infamiae damnari decernimus, ut eos, quos facinus par coinquinat et aequat, utrosque similis poena comitetur.

Orphanotrophos huius inclitae urbis nulla subtilitate iuris obsistente eorum quidem qui pupilli sunt quasi tutores, adulescentium vero quasi curatores sine ullo fideiussionis gravamine in emergentibus causis tam in iudicio quam extra iudicium, ut opus exegerit, ad similitudinem tutoris et curatoris personas et negotia eorum, si qua possint habere, defendere ac vindicare iubemus: ita videlicet, ut praesentibus publicis personis, id est tabulariis, aut intervenientibus gestis in hac quidem inclita urbe apud virum perfectissimum magistrum census, in provinciis vero apud moderatores earum vel defensores locorum res eorum eis tradantur, a quibus sunt custodiendae: ut, si quas earundem rerum propter fenus forsitan vel aliam urguentem causam vel eo quod servari non possunt alienare perspexerint, prius habita aestimatione licebit eis alienationis inire contractum, ut pretia eorum quae exinde colliguntur, ab isdem personis custodiantur. Huiusmodi autem pium atque religiosum officium pro tempore orphanotrophos ita peragere convenit, ut minime ratiociniis tutelaribus seu curationibus obnoxii sint. Grave enim atque iniquum est callidis quorundam, si ita contigerit, machinationibus eos vexari, qui propter timorem dei a parentibus atque substantiis destitutos minores sustentare ac velut paterna adfectione educare festinant. Omnes, qui ubicumque sunt vel posthac fuerint orthodoxae fidei sacerdotes et clerici, cuiuscumque gradus sunt, monachi quoque in causis civilibus ex nullius penitus maioris minorisve sententia iudicis ad extranea iudicia pertrahantur aut provinciam vel locum aut regionem quam habitant exire cogantur.

Nullus eorum ecclesias vel monasteria propria, quae religionis intuitu habitant, relinquere miserabili necessitate iubeatur, sed apud suos iudices ordinarios, hoc est provinciarum rectores, locis quibus degunt et ecclesiarum ministeriis obsecundant, omnium contra se agentium suscipiant actiones, ut his saltem horis atque temporibus, quibus religiosos viros a turbulenta observatione praetorii vacare contigerit cumque eos ad tempus petitorum intentio calumniosa laxaverit, ad sua se monasteria et venerabiles ecclesias conferentes sapienti animo, precatione sollicita faciliusque de proximo sacrosanctis altaribus obsecundent in suis laribus et domiciliis constituti. In hac autem regia urbe si quando cuiuscumque rei causa episcopos vel presbyteros ceterosque clericos, qui sacrosanctis ecclesiis obsequuntur, sive monachos ex aliis quibuscumque

provinciis contigerit reperiri, quos tamen in litem quisquam vocare voluerit, in nullo alio sit licitum memoratos cuiquam pulsare iudicio, nisi in tuae sublimatis dumtaxat examine, ubi eis et beatitudinis honor debitus reservetur et oratorum adfluens in defensionibus copia large praestetur.

Praeterea cum in provinciis ex eius qui regit provinciam fuerint sententia vel interlocutione conventi sive illi sacerdotes seu cuiuscumque gradus clerici sive monachi habeantur, dummodo approbentur orthodoxi, qui in propriis causis contractibusve pulsantur non alios quam ecclesiae propriae defensores seu quos oeconomos appellant fideiussores praebeant, ne, dum exsecutoris pertinax et avara protervitas extraneos fideiussores flagitat, multiglex innoxiae paupertati infligatur incommodum. In hac autem regia urbe inventi ex quacumque provincia venientes, cum in tuae amplitudinis iudicio, quod eis solum delegavimus, lite pulsati fuerint, reverentissimi orthodoxae fidei sacerdotes certe oeconomi aut ecclesiae defensores seu clerici in causis civilibus suis sive ecclesiasticis nulla praebendi fideiussoris molestentur iniuria, sed aut vicariis fideiussionibus contradantur, quas tamen stipulationum sollemnis cautela vallaverit, aut cautionibus et professioni propriae ac facultatum suarum obligationibus committantur.

Hoc nihilo minus observando, ut in causis ecclesiasticis nullum alium conveniri fas sit nisi eum, quem dispensatorem pauperum, id est oeconomum ecclesiae, episcopi tractatus elegerit (hunc enim sine dubio a sacerdote convenit ordinari) : quem tamen conventum defensoris ecclesiae fidei committi praecipimus. Exsecutoribus in minoribus quidem iudiciis omnibus in ipsa conventione sacerdotum seu clericorum non amplius quam unum semissem aut sperantibus aut etiam audentibus accipere. Si vero apparitor tuae magnitudinis ex sententia tuae sedis amplissimae in provincia degentes eos monuerit, iubemus non amplius eum quam duos solidos sportularum nomine percipere. In hac vero urbe magnifica idem apparitor tuae magnitudinis uno aureo sportularum gratia a provincialibus clericis contentus sit, quantaelibet summae qui conventus fuerit exponatur obnoxius.

Praeterea nullus exsecutor vexare contumeliis clericos ullos, nullis impulsionibus molestare, nullis exprobrare conviciis aut corporalibus iniuriis fatigare conetur: his, qui huiusmodi aliquid adgressi fuerint, post amissionem cinguli et patrimonii ultima protinus animadversione plectendis. Privilegiis sane singulis quibuscumque sacrosanctis ecclesiis orthodoxae fidei, xenodochiis sive ptochiis tam generaliter quam specialiter attributis perpetuo reservandis, nullis eas earumque sacerdotes aut clericos cuiuslibet gradus aut monachos vel ptochos aut xenodochos orthodoxae fidei deputatos extraordinariis muneribus praecipimus praegravari. Eas enim sarcinas oneris, quas plerisque personis diversa ratione remittimus, imponi beatissimis viris nostro saeculo inconveniens esse iudicamus.

Praeterea ne cui temeritas sua lucrativa concedatur et ut impudens calumniantium refrenetur audacia, iubemus, quotiens ii, qui sacerdotes seu clericos seu monachos ceterosque superius designatos vel in tuae magnitudinis examine vel in provinciali iudicio proposita actione convenerint, si causa cognita convicti fuerint sine iusta eos et legitima petitione pulsasse, omnes eis legitimas expensas sumptusque, quos ab exordio coeptae controversiae ipsorum vitio tolerasse eos constiterit, redhibere cogantur, ut hac saltem censurae iustissimae formidine revocati improbis adsidue conflictationibus occupati adquiescant se iam sopitis clamoribus iurgiorum magistra deinceps necessitate retinere.

Sacrosanctae orthodoxae fidei episcopi atque presbyteri, diaconi quoque, qui semel probatis moribus integritate castissima ad hunc gradum meruerint pervenire, ea, quaecumque in eodem clericatus gradu locoque viventes adquirere et habere potuerint, etiamsi in patris avique aut

proavi potestate constituti sunt et adhuc superstites habentur, tamquam bona propria vindicent: de his, si quando eis libitum fuerit, testandi vel donandi vel quolibet alio titulo alienandi libera facultate concessa, ut ea bona quoquo tempore numquam fratribus vel sororibus aut ex his genitis conferantur, sed ad eorum filios posteros et quoscumque extraneos heredes perveniant nec a patribus avis aut proavis, sed ab ipsorum liberis tamquam praecipua vindicentur, certe his procedant, quibus ipsi id peculium vel inter vivos alienatione habita vel mortis tempore ultima et vere cognita voluntate concesserint.

Omnia privilegia, quae a retro principibus aut a nostra serenitate vel iudiciariis dispositionibus aut liberalitatibus pro singulis quibuscumque temporibus vel consuetudine sive circa ius metatorum sive in aliis quibuslibet rebus praestita sunt orphanotrophio sive asceteriis vel ecclesiis aut ptochiis seu xenodochiis aut monasteriis atque ceteris hominibus etiam ac rebus iuris eorum ad curam niconis viri religiosissimi presbyteri et orphanotrophi vel ad eos, qui post eum loco eius successerint, pertinentibus ad similitudinem zotici beatissimae memoriae, qui prius huiusmodi pietatis officium invenisse dicitur, per hanc pragmaticam sanctionem firma illibataque in perpetuum custodiri decernimus. Valde etenim hoc videtur esse necessarium, cum exinde sustentatio vel educatio orphanis atque egenis et usibus ecclesiasticis vel ptochiis vel asceteriis comparetur.

Domus etiam aliasque res superius nominatas ad curam memorati viri pertinentes vel postmodum quolibet modo ad eius sollicitudinem vel qui post eum ad eiusdem orphanotrophii curam vocati fuerint perventuras ad instar maioris venerabilis ecclesiae huius inclitae urbis omnibus privilegiis, quae eadem sancta ecclesia vel nunc adipiscitur vel postea merebitur, perpetuo potiri pietatis intuitu decernimus. Iubemus adscripticiorum creationes secundum veterem constitutionem, nisi dominorum possessionum, unde oriundi sunt, evidens concurrerit consensus, nullius penitus esse momenti, sed isdem fundorum dominis, qui faciendae creationi non sicut dictum est evidenter consenserint, ius proprium ad similitudinem ceterorum colonorum in suos adscripticios exercendi, tamquam si nulla creatio intercessisset, tribui facultatem. Idemque hoc super illis quoque agricolis decernimus observari, qui cum essent adscripticiae nexibus condicionis conscripti, solitariam vitam videlicet appetentes quibuslibet sese monasteriis contra voluntatem dominorum fundorum duxerint offerendos.

Servos sane sociari clericorum consortiis volentibus quoque et consentientibus dominis modis omnibus prohibemus, cum liceat eorum dominis, data servis prius libertate licitum eis ad suscipiendos honores clericorum iter, si hoc voluerint, aperire. Omnes praeterea virorum clarissimorum provincias moderantium sententiis absque ulla privilegii differentia (qui tamen praesidali iurisdictioni subiecti sunt, sive episcopi vel quilibet clerici aut monachi aut cuiuslibet sint condicionis) pariter respondere decernimus: nulla in posterum viris clarissimis provinciarum rectoribus ad loca, in quibus incusatae personae consistunt, perveniendi necessitate penitus imponenda, cum non solum legibus, verum etiam naturali quoque iuri conveniat, quos res exegerit, iudicialibus ad iudicium vocari sententiis, non ipsos iudices, quod dici etiam iniustum est, ad subiectos deduci, sed per datos ab his iudices causae examinationem in locis ubi incusati degunt procedere. Servis, si dominorum fuerint voluntate muniti, solitariam vitam participandi licentia non denegetur, dum tamen eorum domini non ignorent, quod, si servis suis ad monasteriorum cultum migrandi tribuerint facultatem, eorundem servorum dominio, donec idem servi in eodem monachorum habitu duraverint, spoliandos: alioquin si relicta forte vita solitaria ad aliam se condicionem transtulerint, certum est eos ad servitutis iugum, quam monachicae professionis cultu evaserant, reversuros.

Repetita promulgatione non solum iudices quorumlibet tribunalium, verum etiam defensores ecclesiarum huius almae urbis, quos turpissimum insinuandi ultimas deficientium voluntates genus irrepserat, praemonendos censemus, ne rem attingant, quae nemini prorsus omnium secundum constitutionum praecepta quam census magistro competit. Absurdum etenim clericis est, immo etiam opprobrium, si peritos se velint disceptationum esse forensium: feriendis temeratoribus huius sanctionis poena quinquaginta librarum auri. Si quis ad declinandam legem Falcidiam, cum desiderat totam suam substantiam pro redemptione captivorum relinquere, eos ipsos captivos scripserit heredes, ne videatur quasi incertis personis heredibus institutis iudicium suum oppugnandum reliquisse, sancimus huius talem institutionem pietatis intuitu valere et non esse respuendam.

Sed et si pauperes quidam scripserit heredes et non inveniatur certum ptochium vel certae ecclesiae pauperes, de quibus testator cogitaverit, sed hic incerto vocabulo pauperes fuerint heredes instituti, simili modo et huiusmodi institutionem valere decernimus. Et si quidem captivos scripserit heredes, civitatis, in qua testator larem fovere ac degere noscitur, episcopus et oeconomus hereditatem suscipiant et omnimodo in redemptione captivorum procedat hereditas sive per annuos reditus sive per venditionem mobilium seu se moventium rerum: nullo penitus ex hoc lucro vel oeconomo vel episcopo vel sacrosanctae ecclesiae relinquendo. Si enim propter hoc a speciali herede recessum est, ut non falcidiae ratio inducatur, quomodo ferendum est hoc, quod in sacro venit, per falcidiam vel aliam occasionem minui? Ubi autem indiscrete pauperes scripti sunt heredes, ibi xenonem eius civitatis omnimodo hereditatem nancisci et per xenodochum in aegrotantes fieri patrimonii distributionem, secundum quod in captivis constituimus: vel per redituum annalium erogationem vel per venditionem rerum mobilium vel se moventium, ut ex his res immobiles comparentur et annuus victus aegrotantibus accedat. Quis enim pauperior est hominibus, qui et inopia tenti sunt et in xenonem repositi et suis corporibus laborantes necessarium victum sibi non possunt adferre?

Licentia omnimodo danda et in priore et in secunda specie et actionem movere et debita exigere, ut in captivos vel in aegrotantes consumantur. Si enim heredum eis et ius et nomen dedimus, sine Falcidiae tamen legis emolumento, necesse est eos et debita exigere et creditoribus respondere. Sin autem ampliores in civitate xenones vel ptochia sint, ne incerta videatur pecuniarum datio, tunc ei xenoni vel ptochio, qui pauperior esse dignoscitur, easdem res vel pecunias adsignari: hoc videlicet discutiendo a viro reverentissimo locorum antistite et sub eo constitutis clericis. Sin autem nullus xenon in civitate inveniatur, tunc secundum de captivis sanctionem pro tempore oeconomus sacrosanctae ecclesiae vel episcopus hereditatem accipiat et sine Falcidiae ratione pauperibus, qui in civitate sunt vel penitus mendicantes vel alia sustentatione egentes, eaedem pecuniae distribuantur. Haec tamen omnia locum habere sancimus, quando non certi xenonis vel certi ptochii vel certae ecclesiae nominatio a testatore subsecuta est, sed incertus est eius sensus. Sin autem in personam certam vel in certam venerabilem domum respexit, ei tantummodo hereditatem vel legatum competere sancimus, nulla Falcidia nec in hac parte intercedente. In omnibus autem hiusmodi casibus caelestes iracundias sacrosanctarum rerum administratores expectent, si qualecumque lucrum ex huiusmodi gubernationibus sibi adquisierint vel si hoc committi ab alio senserint et non gravissima poena et interminatione quod perperam factum est studeant corrigere.

Cum lege Leoniana viris reverentissimis episcopis et presbyteris et diaconis peculium habere quasi castrense concessum est, eo addito, ut in ipso testari possint, dubitabatur, si huiusmodi testamenta debent de inofficiosi querella expugnari, cum de omnibus personis, quae huiusmodi peculia meruerunt, eadem fuerat quaestio exorta. Sancimus itaque viris reverentissimis episcopis

et presbyteris et diaconis, qui tale peculium (id est quasi castrense) possident, super his tantummodo rebus, quae quasi castrensis peculii sunt, non solum ultima condere secundum leges tamen elogia licere, quod ex Leoniana constitutione descendit, sed etiam eorum ultimas voluntates, super his tantummodo habitas, de inofficiosi querellae minime subiacere. Si quis in conscribendo instrumento sese confessus fuerit non usurum fori praescriptione propter sacerdotii praerogativam, sancimus non licere ei adversus sua pacta venire et contrahentes decipere, cum regula est iuris antiqui omnes licentiam habere his quae pro se introducta sunt renuntiare. Quam generalem legem in omnibus casibus obtinere sancimus, qui necdum per iudicialem sententiam vel amicalem conventionem sopiti sunt. Generaliter sancimus omnes viros reverentissimos episcopos nec non presbyteros seu diaconos et subdiaconos et praecipue monachos, licet non sint clerici, immunitatem ipso iure omnes habere tutelae sive testamentariae sive legitimae sive dativae: et non solum tutelae esse eos expertes, sed etiam curae, non solum pupillorum et adultorum, sed et furiosi et muti et surdi et aliarum personarum, quibus tutores vel curatores a veteribus legibus dantur.

Eos tamen clericos et monachos huiusmodi habere beneficium sancimus, qui ad sacrosanctas ecclesias vel monasteria permanent, non devagantes neque circa divina ministeria desides, cum propter hoc ipsum beneficium eis indulgemus, ut aliis omnibus derelictis dei omnipotentis inhaereant ministeriis. Et hoc non solum in vetere Roma vel in hac regia civitate, sed in omni terra, ubicumque christianorum nomen colitur, obtinere sancimus. Raptores virginum vel viduarum vel diaconissarum, quae deo fuerint dedicatae, pessima criminum peccantes capitis supplicio plectendos fuisse decernimus, quod non solum ad iniuriam hominum, sed ad ipsius omnipotentis dei inreverentiam committitur. Qui itaque huiusmodi crimen commiserint et qui eis auxilium tempore invasionis praebuerint, ubi inventi fuerint in ipsa rapina et adhuc flagrante crimine comprehensi a parentibus sanctimonialium virginum vel viduarum vel diaconissarum aut earum consanguineis vel tutoribus seu curatoribus, convicti interficiantur.

Sin autem post commissum tam detestabile crimen aut potentatu raptor se defendere aut fuga evadere potuerit, in hac quidem regia urbe tam viri excelsi praefecti praetorio quam vir gloriosissimus praefectus urbis, in provinciis autem tam viri eminentissimi praefecti praetorio per Illyricum quam magistri militum per diversas nostri orbis regiones nec non viri spectabiles praefectus Aegypti et vicarii et proconsules et nihilo minus viri spectabiles duces et viri clarissimi rectores provinciarum nec non alii cuiuslibet ordines iudices, qui in locis inventi fuerint, simile studium cum magna sollicitudine adhibeant, ut eos possint comprehendere et comprehensos in tali crimine post legitimas et iuri cognitas probationes sine fori praescriptione durissimis poenis adficiant et mortis condemnent supplicio.

Bona autem eorum, si hoc commissum fuerit vel in sanctimonialem virginem, quae in asceterio vel monasterio degit, sive eadem virgo diaconissa constituta sit sive non, eidem monasterio vel asceterio, ubi consecrata est, addicentur, ut ex his rebus et ipsa solacium habeat, dum vivit, sufficiens et res omnes sacrosanctum asceterium seu monasterium pleno habeat dominio. Sin autem diaconissa cuiuscumque ecclesiae sit, in nullo autem monasterio vel asceterio constituta est, sed per se degit, raptoris eius substantia ecclesiae, cuius diaconissa est, adsignetur, ut ex his facultatibus ipsa quidem usum fructum, dum superest, ab eadem ecclesia consequatur, ecclesia vero omnem proprietatem et plenam possessionem earundem rerum nostro habeat beneficio: nemine vel iudice vel alia quacumque persona hoc audente contemnere.

Poenas autem, quas praediximus, id est mortis et bonorum amissionis, constituimus non tantum adversus raptores, sed etiam contra eos, qui hos comitati in ipsa invasione et rapina fuerint. Ceteros autem omnes, qui conscii et ministri huiusmodi criminis reperti et convicti fuerint vel eos

susceperint vel quamcumque opem eis intulerint, sive masculi sive feminae sunt, cuiuscumque condicionis vel gradus vel dignitatis, poenae tantummodo capitali subicimus, ut huic poenae omnes subiaceant, sive volentibus sive nolentibus sanctimonialibus virginibus seu aliis supra dictis mulieribus tale facinus fuerit perpetratum. Deo nobis auxilium praebente omnia, quae pro honore sanctae catholicae ecclesiae ad dei placitum fieri properamus, legibus constituere et operibus adimplere desideramus. Et iam quidem multa cum eius auxilio statuimus, quae ecclesiasticae doctrinae statui conveniunt, in praesenti autem hoc pia deliberatione duximus corrigendum, quod hactenus contra dei timorem fiebat.Cognitum etenim nobis est, quod, si quis sponsus vel sponsa post datas aut acceptas arras voluisset se divino deputare servitio et a saeculari conversatione recedere ac sanctimonialem vitam vivere atque in dei timore permanere, compellebatur vir quidem ea quae arrarum nomine dederat amittere, sponsa vero duplum id quod acceperat reddere. Quod nostrae mansuetudini satis religioni esse contrarium visum est.

Unde per praesentem legem in perpetuum valituram iubemus, ut, si quis sponsus vel sponsa desideraverit saeculi istius vitam contemnens in sanctimonialium conversatione vivere, sponsus quidem omnia, quae arrarum nomine futuri causa coniugii dedisset, sine ulla imminutione recipiat, sponsa autem non duplum, sicut hactenus, sed hoc tantum sponso restituat, quod arrarum acceperat nomine, et nihil amplius reddere compellatur, nisi quod probata fuerit accepisse. Nam et maritis et uxoribus qui saeculo renuntiant iam anteriore lege a nobis provisum est, ut, sive maritus sive uxor religionis causa a coniugio recesserit et solitariam vitam elegerit, unusquisque eorum res suas recipiat, quas vel pro dote vel ante nuptias donatione praestiterat, et hoc tantummodo lucri nomine consequatur ab eo qui solitariam vitam elegerit, quod debuit legitime vel ex pacto per casum mortis exigere. Hoc etiam cognitum nobis correctione nostra dignum esse iudicamus, ut, si quis in parentium potestate constitutus vel constituta vel forsitan huiusmodi iure absolutus vel absoluta elegerit se vel monasterio vel clero sociare et reliquum vitae suae tempus sanctimonialiter degere voluerit, non liceat parentibus vel easdem personas quocumque modo abstrahere vel propter hanc tantummodo causam quasi ingratum a sua hereditate vel successione repellere, sed necesse sit eis omnimodo, cum ultimam voluntatem suam sive per scripturam sive alio legitimo modo conficiant, quartam quidem portionem secundum leges nostras eis relinquere; sin autem amplius voluerit largiri, hoc eius voluntati concedimus.

Sin vero ultimam voluntatem parentes neque testamento neque alio ultimo elogio declarasse monstrati fuerint, omnem parentium substantiam heredes, quibus ab intestato competit, secundum leges nostras sibi defendant: nullo eis impedimento ex sanctimoniali conversatione generando, sive soli sive cum aliis ad successionem vocantur. Huius perpetuae nostrae legis beneficia eos volumus obtinere, qui in monasterio vel clericatu perseveraverint. Nam si qui eorum, de quibus praesentem legem posuimus, sanctimonialem vitam elegerint, ad saecularem autem conservationem remeaverint, iubemus omnes eorum res ad iura eius ecclesiae vel monasterii a quo recesserint pertinere. His ita dispositis repetita lege iubemus, ut nullus iudaeus vel paganus vel haereticus servos christianos habeat. Quod si inventi in tali reatu fuerint, sancimus servos modis omnibus liberos esse secundum anteriorem nostrarum legum tenorem. In praesenti autem hoc amplius decernimus, ut, si suis de praedictis iudaeis vel paganis vel haereticis habuerit servos nondum catholicae fidei sanctissimis mysteriis imbutos, et praedicti servi desideraverint ad orthodoxam fidem venire, postquam catholicae ecclesiae sociati fuerint, in libertatem modis omnibus ex praesenti lege eripiantur: et eos tam iudices provinciarum quam sacrosanctae ecclesiae defensores nec non beatissimi episcopi defendant, nihil pro eorum pretio penitus accipientibus dominis.

Quod si forte posthac etiam ipsi domini eorum ad orthodoxam fidem conversi fuerint, non liceat eis ad servitutem reducere illos, qui eos ad fidem orthodoxam praecesserunt: sed si quis talia usurpaverit, poenis gravissimis subiacebit. Haec igitur omnia, quae pietatis intuitu nostra sanxit aeternitas, omnes iudices et religiosissimi antistites sive Africanae dioeceseos, in qua maxime huiusmodi vitia frequentari cognovimus, sive aliarum provinciarum naviter et studiosissime observare procurent. Nam contemptores non solum pecuniaria multa, sed et capitis supplicio ferientur. De episcopali audientia et de diversis capitulis, quae ad ius curamque et reverentiam pontificalem pertinent. Negotiatores, si qui ad domum nostram pertinent, ne commodum mercandi videantur excedere, christianos, quibus verus cultus est, adiuvare pauperes et positos in necessitate provideant. Si clericus ante definitivam sententiam frustratoriae dilationis causa ad appellationis auxilium convolaverit, multam quinquaginta librarum argenti, quam contra huiusmodi appellatores sanctio generalis imponit, cogatur expendere. Hoc autem non fisco nostro volumus accedere, sed pauperibus fideliter erogari. Nemo deinceps tardiores fortassis adfatus nostrae perennitatis expectet: exsequantur iudices, quod indulgere consuevimus. Ubi primum dies paschalis extiterit, nullum teneat carcer inclusum, omnium vincula solvantur.

Sed ab his secernimus eos, quibus contaminari potius gaudia laetitiamque communem, si dimittantur, animadvertimus. Quis enim sacrilego diebus sanctis indulgeat? quis adultero vel stupri vel incesti reo tempore castitatis ignoscat? quis non raptorem virginis in summa quiete et gaudio communi persequatur instantius? Nullam accipiat requiem vinculorum, qui quiescere sepultos quadam sceleris immanitate non sinit: patiatur tormenta veneficus, maleficus, adulterator violatorque monetae: homicida et parricida quod fecit semper expectet: reus etiam maiestatis de domino, adversus quem talia molitus est, veniam sperare non debet. His ergo tali quoque sub absolutione damnatis indultum nostrae serenitatis eo praecepti fine concludimus, ut remissionem veniae crimina nisi semel commissa non habeant, ne in eos liberalitatis augustae referatur humanitas, qui impunitatem veteris admissi non emendationi potius quam consuetudini deputarunt. Mimae et quae lidibrio corporis sui quaestum faciunt publice habitu earum virginum, quae deo dicatae sunt, non utantur. Archigerontes et dioecetae ergasiotanorum non nisi christiani dirigantur. Quod officium tuum sollicite observet excubiis. Addictos supplicio et pro criminum immanitate damnatos nulli clericorum vel monachorum, eorum etiam, quos synoditas vocant, per vim atque usurpationem vindicare liceat ac tenere, sed reos ad locum poenae sub prosecutione pergentes nullus teneat aut defendat.

Sed sciat se cognitor triginta librarum auri multa, primates officii capitali esse sententia feriendos, nisi usurpatio ista aut protinus vindicetur aut, si tanta clericorum aut monachorum audacia est, ut bellum potius quam iudicium futurum esse existimetur, ad clementiam nostram commissa referantur, ut nostro arbitrio mox severior ultio procedat. Ad episcoporum sane culpam ut cetera redundabit, si quid forte in ea parte regionis, in qua ipsi populos christianae religionis doctrinae insinuatione moderantur, ex his, quae fieri hac lege prohibuimus a monachis perpetratum esse cognoverint nec vindicaverint. Quibus in causa criminali humanitatis consideratione, si tempora suffragantur, interponendae provocationis copiam non negamus. Si qui ex consensu apud sacrae legis antistitem litigare voluerint, non vetabuntur, sed experientur illius (in civili dumtaxat negotio) arbitri more residentis sponte iudicium. Quod his obesse non poterit nec debebit, quos ad praedicti cognitoris examen conventos potius afuisse quam sponte venisse constiterit. Episcopale iudicium sit ratum omnibus, qui se audiri a sacerdotibus elegerint, eamque illorum iudicationi adhibendam esse reverentiam, quam vestris referre necesse est potestatibus, a quibus non licet provocare. Per iudicium quoque officia, ne sit cassa episcopalis cognitio, definitioni exsecutio tribuatur.

Iudices dominicis diebus productos reos e custodia carcerali videant interrogent , ne his humanitas clausis per corruptos carcerum custodes negetur: victualem substantiam non habentibus faciant ministrare libellis duobus aut tribus diurnis vel quot existimaverint commentarienses decretis, quorum sumptibus proficiant alimoniae pauperum: quos ad lavacrum sub fida custodia duci oportet. Multa iudicibus viginti librarum auri et officiis eorum eiusdem ponderis constituta, ordinibus quoque trium librarum auri multa proposita, si saluberrima statuta contempserint. Nec deerit antistitum christianae religionis cura laudabilis, quae ad observationem constituti iudicis hanc ingerat monitionem. Mathematicos, si non parati sint codicibus erroris proprii sub oculis episcoporum incendio concrematis catholicae religionis cultui fidem tradere numquam ad errorem praeteritum redituri, non solum urbe Roma, sed etiam omnibus civitatibus pelli decernimus. Qui si hoc non fecerint et contra clementiae nostrae salubre constitutum in civitatibus fuerint comprehensi vel secreta erroris sui et professionis insinuaverint, deportationis poenam excipiant. Christianos proximorum locorum volumus sollicitudinem gerere, ut Romanos captivos qui reversi fuerint nemo teneat, nemo iniuriis aut damnis adficiat.

Si lenones patres vel domini suis filiabus vel ancillis peccandi necessitatem imposuerint, liceat filiabus vel ancillis episcoporum implorato suffragio omni miseriarum necessitate absolvi. Decernimus, ut, quicumque catholicarum ecclesiarum, quae sub viro religiosissimo archiepiscopo huius almae urbis sunt, reverentissimum oeconomum sive de ecclesiasticis sive de propriis et ad ipsum solum pertinentibus causis vel quemcumque alterum earundem ecclesiarum clericum aliqua voluerit lite pulsare, apud memoratum beatissimum archiepiscopum causam dicat in negotiis audiendis fidem ac sinceritatem geminam praebiturum et sacerdotis et iudicis. Volentibus tamen actoribus pateat episcopale iudicium. Ac nullus, qui huiuscemodi intendit in sacrosanctas ecclesias vel praedictos clericos actionem, ad religiosissimum antistitem cognitorem ducatur invitus. Nemo vel in foro magnitudinis tuae vel in provinciali iudicio vel apud quemquam iudicem accedat ad togatorum consortium, nisi sacrosanctis catholicae religionis fuerit imbutus mysteriis. Sin autem aliquid quoquo modo vel quadam machinatione factum vel attemptatum fuerit, officium quidem sublimitatis tuae centum librarum auri iacturam pro condemnatione sustineat, idem vero, quicumque ausus fuerit contra providum nostrae serenitatis decretum officium advocationis per subreptionem adripere et prohibitum patrocinium praestiterit, advocationis officio remotus stilum proscriptionis atque perpetui exilii specialiter sustinebit: scituris etiam provinciarum rectoribus, quod is, sub cuius administratione aliquid huiu smodi fuerit attemptatum, partis bonorum dimidiae proscriptionem et poenam exilii per quinquennium sustinebit.

Si legibus prohibitae non sint speratae nuptiae et post arras sponsalicias sponsa coniugium sponsi propter religionis diversitatem recusaverit, si quidem probatum fuerit ante datas easdem arras sponsalicias hoc idem mulierem vel parentes eius cognovisse, sibi debeant imputare. Si vero horum ignari sponsalicias arras susceperint vel post arras datas talis causa paenitentiae intercesserit, isdem tantummodo redditis super alterius simpli poena liberi custodiantur. Quod simili modo etiam de sponsis super recipiendis nec ne arris praestitis custodiri censemus. Iubemus eos tantummodo ad defensorum curam peragendam ordinari, qui sacrosanctis orthodoxae religionis imbuti mysteriis hoc imprimis sub gestorum testificatione, praesente quoque religiosissimo fidei orthodoxae antistite, per depositiones cum sacramenti religione celebrandas patefecerint. Ita enim eos praecipimus ordinari, ut reverentissimorum episcoporum nec non clericorum et honoratorum ac possessorum et curialium decreto constituantur. Si praesens quidem sit, qui pecuniam numerasse vel alias res dedisse scriptus est, aliquam vero administrationem in provinciis gerat, ut difficile esse videatur denuntiationem eidem non numeratae pecuniae mittere, licentiam damus ei, qui memorata exceptione uti velit, alios iudices

adire et per eos manifestare, cui exceptionem huiusmodi obicit, factam a se super non numerata pecunia querellam esse. Quod si non sit alius administrator civilis vel militaris vel per aliquam causam difficile sit ei qui memoratam querellam opponit adire eum et ea quae dicta sunt facere, licentiam damus et per virum reverentissimum episcopum eandem suam exceptionem creditori manifestare et ita tempus statutum interrumpere. Quod etiam in exceptione non numeratae dotis locum habere receptum est.

Nemini licere volumus, sive ab ingenuis genitoribus puer parvulus procreatus sive a libertina progenie sive servili condicione maculatus expositus sit, eum puerum in suum dominium vindicare sive nomine dominii sive adscripticiae sive colonariae condicionis: sed neque his, qui eos nutriendos sustulerunt, licentiam concedi penitus (cum quadam distinctione) eos tollere: sed nullo discrimine habito ii, qui ab huiusmodi hominibus educati vel nutriti vel aucti sunt, liberi et ingenui appareant et sibi adquirant et in posteritatem suam vel extraneos heredes omnia quae habuerint, quo modo voluerint, transmittant. Haec observantibus non solum praesidibus provinciarum, sed etiam viris religiosissimis episcopis. De creationibus curatorum, qui furiosis utriusque sexus dantur, necesse nobis visum est constituere, quemadmodum eas celebrari oportet. Et si quidem pater curatorem furioso vel furiosae in ultimo elogio heredibus institutis vel exheredatis dederit (ubi et fideiussionem cessare necesse est paterno testimonio pro satisdatione sufficiente), ipse qui datus est ad curationem perveniat, ita tamen, ut in provinciis apud praesides earum, praesente eis tam viro religiosissimo locorum antistite quam tribus primatibus, actis intervenientibus, tactis sacrosanctis scripturis depromat omnia se recte cum utilitate furiosi gerere neque praetermittere, quae utilia furioso esse putaverit, neque admittere, quae non utilia esse existimaverit: et inventario cum omni subtilitate publice conscripto res suscipiat et eas secundum sui opinionem disponat sub hypotheca rerum ad eum pertinentium, ad similitudinem tutorum et adulti curatorum.

Sin autem testamentum quidem parens non confecerit, lex autem curatorem utpote adgnatum vocaverit vel eo cessante aut non idoneo forsitan existente ex iudiciali electione curatorem ei dare necesse fuerit, tunc scilicet et in provinciis apud praesidem cuiuscumque provinciae et virum religiosissimum episcopum civitatis nec non tres primates creatio procedat, ita ut, si quidem curator substantiam idoneam possidet et sufficientem ad fidem gubernationis, et sine aliqua satisdatione nominatio eius procedat. Sin autem non talis eius census inveniatur, tunc et fideiussio in quantum possibile est ab eo exploretur. Creatione omnimodo sacrosanctis scripturis propositis in omni causa celebranda, ipso autem curatore, cuiuscumque substantiae vel dignitatis est, praefatum sacramentum pro utiliter rebus gerendis praestante et inventarium publice conscribente et hypotheca rerum curatoris modis omnibus adhibenda, quatenus possint undique res furiosi utiliter gubernari. Tam dementis quam furiosi liberi cuiuscumque sexus possunt legitimas contrahere nuptias, tam dote quam ante nuptias donatione a curatore eorum praestanda: aestimatione tamen in hac quidem regia urbe excellentissimi praefecti urbis, in provinciis autem virorum clarissimorum earum praesidum vel locorum antistitum tam opinione personae quam moderatione dotis et ante nuptias donationis statuenda, praesentibus tam curatoribus dementis quam furiosi nec non his, qui ex genere eorum nobiliores sunt, ita tamen, ut nulla ex hac causa oriatur vel in hac regia urbe vel in provinciis iactura substantiae furiosi vel mente capti, sed gratis omnia procedant, ne tale hominum infortunium etiam expensarum detrimento praegravetur.

Sancimus, si quando afuerit is, qui res alienas vel creditori obnoxias detinet, et desiderat dominus rei vel creditor suam intentionem proponere et non ei licentia sit absente suo adversario qui rem detinet vel infantia vel furore laborante et neminem tutorem vel curatorem habente vel in

summa potestate constituto, licentia ei detur adire praesidem vel libellum ei porrigere et hoc in querimoniam deducere intra constituta tempora et interruptionem temporis facere. Sin autem nullo poterit modo praesidem adire, saltem ad episcopum locorum eat et suam manifestare voluntatem scriptis deproperet. De haereticis et manichaeis et samaritis. Imperator Constantinus . Privilegia, quae contemplatione religionis indulta sunt, catholicae tantum legis observatoribus prodesse oportet. Haereticos non solum his privilegiis alienos esse volumus, sed et diversis muneribus constringi et subici. Omnes vetitae legibus et divinis et imperialibus constitutionibus haereses perpetuo conquiescant et nemo ulterius conetur quae reppererit profana praecepta vel docere vel discere: ne antistites eorundem audeant fidem insinuare, quam non habent, et ministros creare, quod non sunt: ne per coniventiam iudicantium omniumque, quibus per constitutiones paternas super hoc cura mandata est, eiusmodi audacia neglegatur et crescat.

Haereticorum autem vocabulo continentur et latis adversus eos sanctionibus debent succumbere, qui vel levi argumento iudicio catholicae religionis et tramite detecti fuerint deviare. Cuncti haeretici procul dubio noverint omnia sibi loca adimenda esse, sive sub ecclesiarum nomine teneantur sive diaconica appellantur vel etiam decanica, sive in privatis domibus vel locis huiusmodi coetibus copiam praebere videantur: his aedibus vel locis privatis ecclesiae catholicae vindicandis. Ad hoc interdicatur his omnibus ad litaniam faciendam noctu vel die profanis coire conventibus: statuta videlicet condemnatione centum librarum auri contra officium sublimitatis tuae vel praesidale quinquaginta, si quid huiusmodi fieri vel in publico vel in privatis aedibus concedatur . Manichaeos seu manichaeas vel donatistas meritissima severitate persequimur. Huic itaque hominum generi nihil ex moribus, nihil ex legibus sit commune cum ceteris. Ac primum quidem volumus esse publicum crimen, quia, quod in religione divina committitur, in omnium fertur iniuriam. Quos bonorum etiam publicatione persequimur: quae tamen cedere iubemus proximis quibusque personis, ita ut ascendentium vel descendentium vel venientium ex latere cognatorum usque ad secundum gradum velut in successionibus ordo servetur.

Quibus ita demum ad capiendas facultates esse ius patimur, si non et ipsi pari conscientia polluuntur. Ipsos quoque volumus amoveri ab omni liberalitate et successione quolibet titulo veniente. Praeterea non donandi, non emendi, non vendendi, non postremo contrahendi cuiquam convicto relinquimus facultatem. In mortem quoque inquisitio tendatur. Nam si in criminibus maiestatis licet memoriam accusare defuncti, non immerito et hic debet subire iudicium. Ergo et suprema illius scriptura irrita sit, sive testamento sive codicillo sive epistula sive quolibet genere reliquerit voluntatem qui manichaeus fuisse convincitur: hoc quoque casu eadem illa circa gradus superius comprehensos condicione servata. Sed nec filios heredes existere aut adire permittimus, nisi a paterna pravitate discesserint: delicti enim veniam paenitentibus damus. In eos etiam auctoritatis aculei dirigantur, qui eos domibus suis damnanda provisione defendent. Servos insuper extra noxam esse volumus, si dominum sacrilegum evitantes ad ecclesiam catholicam servitio fideliore transierint. Ariani et macedoniani, pneumatomachi et apollinariani et novatiani sive sabbatiani, eunomiani, tetraditae sive tessarescaedecatitae, valentiniani, papianistae, montanistae seu priscillianistae vel phryges vel pepuzitae, marcianistae, borboriani, messaliani, eutychitae sive enthusiastae, donatistae, audiani, hydroparastatae, tascodrogitae, batrachitae, hermeieciani, photiniani, pauliani, marcelliani, ophitae, encratitae, apotactitae, saccophori et, qui ad imam usque scelerum nequitiam pervenerant, manichaei nusquam in Romano solo conveniendi orandique habeant facultatem.

Manichaeis etiam de civitatibus expellendis et ultimo supplicio tradendis, quoniam nihil his relinquendum loci est, in quo ipsis etiam elementis fiat iniuria, cunctisque legibus, quae contra

eos ceterosque qui nostrae fidei refragantur olim latae sunt diversisque prolatae temporibus, semper viridi observantia valituris sive de donationibus in haereticorum conventicula, quae ipsi audacter ecclesias nuncupare conantur, factis sive ex ultima voluntate rebus qualitercumque relictis sive de privatis aedificiis, in quae domino permittente vel conivente convenerint, venerandae nobis catholicae vindicandis ecclesiae sive de procuratore, qui hoc nesciente domino fecerit, decem librarum auri multam vel exilium, si sit ingenuus, subituro, metallum vero post verbera, si servilis condicionis sit. Ita ut nec in publico convenire loco nec aedificare sibi quasi ecclesias nec ad circumscriptionem legum quicquam meditari valeant, omni civili et militari, curiarum etiam et defensorum et iudicium sub viginti librarum auri interminatione prohibendi auxilio. Illis etiam in sua omnibus manentibus firmitate, quae de militia poenisque variis de diversis sunt haereticis promulgata, ut nec speciale quidem beneficium adversus leges valeat impetratum. Damnato portentuosae superstitionis auctore nestorio nota congrui nominis eius inuratur gregalibus, ne christianorum appellatione abutantur: sed quemadmodum ariani lege divae memoriae Constantini ob similitudinem impietatis porphyriani a Porphyrio nuncupantur, sic ubique participes nefariae sectae nestorii simoniani vocentur, ut, cuius scelus sunt in deserendo deo imitati, eius vocabulum iure videantur esse sortiti.

Nec vero impios libros nefandi et sacrilegi nestorii adversus venerabilem orthodoxarum sectam decretaque sanctissimi coetus antistitum ephesi habiti scriptos habere aut legere aut describere quisquam audeat: quos diligenti studio requiri ac publice comburi decernimus. Ita ut nemo in religionis disputatione aliquam supra dicti nominis faciat mentionem aut quibusdam eorum habendi concilii gratia in aedibus aut villa aut suburbano suo aut alio quolibet loco conventiculum clam aut aperte praebeat: quos omni conventus celebrandi licentia privari statuimus: scientibus universis violatorem huius legis publicatione bonorum esse coercendum. Curiales omnium civitatum, onerosis quin etiam militiae seu diversis officiis facultatum et personalium munerum obligatos suis ordinibus, cuiuscumque sectae sint, inhaerere censemus, ne videamur hominibus exsecrandis contumelioso ambitu immunitatis beneficium praestitisse, quos volumus huius constitutionis auctoritate damnari.

Quicumque in hac sacra urbe vel in Alexandrina civitate vel in omni Aegyptiaca dioecesi diversisque aliis provinciis eutychetis profanam perversitatem sequuntur et ita non credunt, ut trecenti decem et octo sancti patres tradiderunt catholicam fidem in nicaena civitate fundantes, centum quoque et quinquaginta alii venerabiles episcopi, qui in alma urbe Constantinopolitana postea convenerunt, et sicut Athanasius et Theophilus et Cyrillus sanctae recordationis episcopi Alexandrinae civitatis credebant, quos etiam Ephesina synodus (cui beatae memoriae Cyrillus praefuit, in qua nestorii error expulsus est) in universis secuta est, quos et nuper venerabilis Chalcedonensis synodus est secuta, prioribus conciliis sacerdotum ex omni prorsus parte consentiens nihilque adimens sacrosancto symbolo neque adiciens, sed eutychetis dogmata funesta condemnans: sciant se esse haereticos apollinaristas: apollinaris enim facinorosissimam sectam eutyches et dioscorus mente sacrilega sunt secuti.

Ideoque hi omnes, qui apollinaris vel eutychetis perversitatem sequuntur, illis poenis, quae divorum retro principum constitutionibus contra apollinaristas vel serenitatis nostrae postmodum sanctione contra eutychianistas vel hac ipsa augustissima lege contra eosdem decretae sunt, noverint se esse plectendos. Idcirco apollinaristae, hoc est eutychianistae (quibus etsi est in appellatione diversitas, tamen in haeresis pravitate coniunctio, et dispar quidem nomen, sed idem sacrilegium) sive in hac alma urbe diversisque provinciis sive in Alexandrina civitate sive intra Aegyptiacam dioecesim sunt neque ita credunt, ut praedicti venerabiles patres credebant, neque viro reverentissimo Alexandrinae urbis antistiti proterio fidem orthodoxam

tenenti communicant, episcopos vel presbyteros aliosque clericos creare et habere prohibemus: scientibus tam his eutychianistis vel apollinaristis, qui ausi fuerint cuiquam episcopi vel presbyteri vel clerici nomen imponere, quam his, qui passi fuerint impositum sibi nomen sacerdotale retinere, poenam exilii cum facultatum suarum amissione se subituros.

Universi praeterea apollinaristae vel eutychianistae non ecclesias non monasteria sibi construant, parasynaxes et conventicula tam diurna quam nocturna non contrahant neque ad domum neque ad possessionem cuiusquam neque ad monasterium vel quemcumque alterum locum operaturi sectae funestissimae congregentur. Quod si fecerint et hoc factum fuisse domino volente constiterit, post rem in examine iudicis adprobatum domus vel possessio, in qua convenerint, fisco sine dilatione societur, monasterium vero eius civitatis orthodoxae ecclesiae, in cuius territorio est, iubemus addici. Si vero ignorante domino, sciente vero qui pensiones domus exigit vel conductore vel procuratore vel actore praedii parasynaxes et conventicula interdicta collegerint, conductor vel procurator sive actor vel quicumque eos in domum vel in possessionem vel in monasterium receperint ac passi fuerint illicitas parasynaxes conventusque celebrari, si vilis et abiectae condicionis sunt, fustibus publice et in poenam suam et in aliorum coerceantur exemplum, si honestae vero personae sunt, decem libras auri multae nomine fisco nostro cogantur inferre.

Nullum praeterea apollinaristam vel eutychianistam ad aliquam iubemus adspirare militiam. Si qui vero in quacumque militia inventi fuerint militare, soluti cingulo honestorum hominum et palatii communione priventur nec in aliqua nec in qua nati sunt civitate vel vico aut regione versentur. Si qui vero in hac alma urbe nati sunt, tam sacratissimo comitatu quam omni per provincias metropolitana civitate pellantur. Nulli insuper eutychianistae vel apollinaristae publice vel privatim advocandi coetus et circulos contrahendi et de errore haeretico disputandi ac perversitatem facinorosi dogmatis adserendi tribuatur facultas. Nulli etiam contra venerabilem Chalcedonensem synodum liceat aliquid vel dictare vel scribere vel edere atque emittere aut aliorum scripta super eadem re proferre. Nemo huiusmodi habere libros et sacrilega scriptorum audeat monimenta servare. Quod si qui in his criminibus fuerint deprehensi, perpetua deportatione damnentur.

Eos vero qui discendi studio audierint de infausta haeresi disputantes, decem librarum auri, quae fisco nostro inferendae sunt, iubemus subire dispendium. Ultimo etiam supplicio coerceantur, qui illicita docere temptaverint. Omnes vero huiuscemodi chartae ac libri, qui funestum eutychetis, hoc est apollinaris, fuerint dogma complexi, incendio concrementur, ut facinorosae perversitatis vestigia ipsa flammis ambusta depereant. Aequum namque est, ut immanissima sacrilegia par poenae magnitudo percellat. Scientibus moderatoribus provinciarum eorumque apparitionibus, defensoribus etiam civitatum, quod, si ea, quae legis huius religiosissima sanctione custodienda decrevimus, aut neglexerint aut aliqua permiserint temeritate violari, denarum librarum auri multam fisco cogantur inferre: insuper etiam existimationis suae periculum sustinebunt. Si qui orthodoxae religionis emptione vera vel ficticia aut quocumque alio iure vel titulo praedia et possessiones resque immobiles, in quibus orthodoxae fidei ecclesiae vel oratoria constituta sunt, in haereticae sectae et contraria orthodoxae fidei sentientem quamcumque personam transferre voluerint, nullam huiusmodi vel inter vivos habitam vel secreto iudicio compositam valere volumus voluntatem, etiamsi ab orthodoxae fidei venditore vel quocumque modo alienatore commenticio sub qualibet occasione fuerit adsignata: sed irrita omnia huiusmodi documenta et tamquam penitus nec scripta esse censemus.

Haec enim praedia et possessiones, quae in haereticas personas quocumque modo translatae fuerint vel collatae, fisci nostri viribus decernimus vindicari. Sive enim apud dominos

possessoresve orthodoxos ea praedia maneant seu ad fisci nostri iura pervenerint, necesse est in his ecclesias et oratoria constituta diligentius et sollicitius instaurari. Nostrae enim serenitatis undique ad hunc exitum providentia ducit, ut omnipotentis dei templa, in quibus nostrae fidei instituta perdurant, cultu adsiduo per omnia saecula rediviva serventur. Nec enim dubitari potest, quod si in haereticos veniant possessiones, in quibus verae fidei ecclesiae vel oratoria constituta sunt et integritas colitur, omnimodo ab his deseri atque destitui, omni cultu vacare, omnibus sacris et solitis viduari mysteriis, omni splendore privari, nullis populorum conventionibus, nullis clericorum observationibus celebrari et ex hoc sine dubio easdem ecclesias perire ruere complanari. Nec enim de earum instauratione haeretici poterunt aliquando cogitare, quas penitus esse nolebant. Quae omnia resecantes ad praesentem legem pervenimus. Cognovimus multos esse orthodoxos liberos, quibus nec pater nec mater orthodoxae sunt religionis. Et ideo sancimus, non tantum in casu, ubi alter orthodoxae religionis est, sed etiam in his casibus, in quibus uterque parens alienae sectae sit, id est pater et mater, ii tantummodo liberi ad eorum successionem sive ex testamento sive ab intestato vocentur et donationes seu alias liberalitates ab his accipere possint, qui orthodoxorum venerabili nomine sunt decorati: ceteris liberis eorum, qui non dei omnipotentis amorem, sed paternam vel maternam impiam adfectionem secuti sunt, ab omni beneficio repellendis. Liberis autem orthodoxis non existentibus ad agnationem vel cognationem eorum, orthodoxas tamen, easdem res vel successiones pervenire.

Quod si nec agnatio nec cognatio recta inveniatur, tunc easdem res fisci nostri viribus vindicari. Sed ne videamur morientibus quidem genitoribus liberis providere, viventibus autem nullam inferre providentiam, quod etiam ex facto nobis cognitum est, necessitatem imponimus talibus genitoribus orthodoxos liberos secundum sui patrimonii quantitatem alere et omnia eis praestare, quae ad quotidianam vitae conversationem sufficiant: sed et dotes pro filiabus vel neptibus dare et ante nuptias donationes pro filiis vel nepotibus perscribere, in omni casu secundum vires patrimonii huiusmodi liberalitatibus aestimandis, ne propter divini amoris electionem paterna vel materna fuerint liberi provisione defraudati. Omnibus videlicet, quae nostrae constitutiones de poenis paganorum et manichaeorum et borboritarum et samaritarum et montanistarum et tascodrogorum et ophitarum ceterorumque haereticorum causa constituerunt, ex hac nostra lege confirmandis et in perpetuum valituris. Quoniam multi iudices in dirimendis litigiis nos interpellaverunt, indigentes nostro oraculo, ut eis reseretur, quid de testibus haereticis statuendum sit, utrumne accipiantur eorum testimonia an respuantur, sancimus contra orthodoxos quidem litigantes nemini haeretico vel etiam his qui iudaicam superstitionem colunt esse in testimonia communionem, sive utraque pars orthodoxa sit sive altera. Inter se autem haereticis vel iudaeis, ubi litigandum existimaverint, concedimus foedus permixtum et dignos litigatoribus etiam testes introduci, exceptis scilicet his, quos vel manichaeus furor (cuius partem et borboritas esse manifestissimum est) vel pagana superstitio detinet, samaritis nihilo minus et qui illis non absimiles sunt, id est montanistis et tascodrogis et ophitis, quibus pro reatus similitudine omnis legitimus actus interdictus est.

Sed et his quidem, id est manichaeis et borboritis et paganis nec non samaritis et montanistis et tascodrogis et ophitis, omne testimonium sicut et alias legitimas conversationes sancimus esse interdictum : aliis vero haereticis tantummodo iudicialia testimonia contra orthodoxos, secundum quod constitutum est, volumus esse inhibita. Ceterum testamentaria testimonia eorum et quae in ultimis elogiis vel in contractibus consistunt, propter utilitatem necessarii usus sine ulla distinctione permittimus, ne probationum facultas angustetur. Divinam nostram sanctionem, per quam iussimus neminem errore constrictum haereticorum hereditatem vel legatum sive fideicommissum accipere, etiam in ultimis militum voluntatibus locum habere praecipimus, sive communi iure sive militari testentur. Antistitem, qui sanctitatem baptismatis

illicita usurpatione geminaverit, sacerdotio indignum esse censemus. Eorum enim condemnamus errorem, qui apostolorum praecepta calcantes christiani nominis sacramenta sortitos alio rursus baptismate non purificant, sed incestant, lavacri nomine polluentes. Si quis rebaptizare quempiam de mysteriis catholicae sectae fuerit detectus, una cum eo qui piaculare crimen commisit (si tamen criminis per aetatem capax sit, cui persuasum sit) ultimo supplicio percellatur. Nulli haereticorum danda est licentia vel ingenuos vel servos proprios, qui orthodoxorum sunt initiati mysteriis, ad suum rursus baptisma deducendi, nec vero illos, quos emerint vel qualitercumque habuerint necdum suae superstitioni coniunctos, prohibendi catholicae sequi religionem ecclesiae. Quod qui fecerit vel, cum sit ingenuus, in se fieri passus sit vel factum non detulerit, exilio ac decem librarum auri multa damnabitur: testamenti et donationis faciendae utrique deneganda licentia. Quae omnia ita custodiri decernimus, ut nulli iudicum liceat delatum ad se crimen minori aut nulli coercitioni mandare, nisi ipse id pati velit, quod aliis dissimulando concesserit.

De apostatis. Si quis lege venerabili constitutus ex christiano iudaeus effectus sacrilegis coetibus adgregetur, cum accusatio fuerit comprobata, facultates eiusdem dominio fisci iubemus vindicari. Si quis defunctum violatae atque desertae christianae religionis accusat eumque in sacrilegia templorum vel in ritus iudaicos transisse contendit eaque gratia testari minime potuisse confirmat, intra quinquennium iuge, quod inofficiosis actionibus constitutum est, proprias exserat actiones futurique iudicii huiuscemodi sortiatur exordium. Ii, qui sanctam fidem prodiderint et sanctum baptisma haeretica superstitione profanaverint, a consortio omnium segregati sint, a testimoniis alieni, testamenti, ut ante iam sanximus, non habeant factionem, nulli in hereditate succedant, a nemine scribantur heredes. Quos etiam praecepissemus procul abici ac longius amandari, nisi poenae visum fuisset esse maioris versari inter homines et hominum carere suffragiis. Sed nec umquam in statum pristinum revertentur, non flagitium morum oblitterabitur paenitentia neque umbra aliqua exquisitae defensionis aut muniminis obducetur, quoniam quidem eos, qui fidem quam deo dicaverant polluerunt et prodentes divinum mysterium in profana migraverunt, tueri ea quae sunt commenticia et concinnata non possunt. Lapsis etenim et errantibus subvenitur, perditis vero. Hoc est sanctum baptisma profanantibus, nullo remedio paenitentiae, quae solet aliis criminibus adesse, succurritur. Apostatarum sacrilegum nomen singulorum vox continuae accusationis incesset et nullis finita temporibus huiuscemodi criminis arceatur indago. Quibus quamvis praeterita interdicta sufficiant, tamen etiam illud iteramus, ne, postquam a fide deviaverint, testandi aut donandi quippiam habeant facultatem. Sed nec venditionis specie facere legi fraudem sinantur, totumque ab intestato christianitatem sectantibus propinquis potissimum deferatur.

In tantum autem contra huiuscemodi sacrilegia perpetuari volumus actionem, ut universis ab intestato venientibus etiam post mortem peccantis absolutam vocem insimulationis congruae non negamus: nec illud patiemur obstare, si nihil in contestatione profano dicatur vivente perductum. Sed ne huius interpretatio criminis latius incerto vagetur errore, eos praesentibus insectamur oraculis, qui nomine christianitatis induti sacrificia vel fecerint vel facienda mandaverint: quorum etiam post mortem comprobata perfidia hac ratione plectenda est, ut donationibus testamentisque rescissis ii, quibus hoc defert legitima successio, huiusmodi personarum hereditate potiantur. Eum, quicumque servum seu ingenuum, invitum vel suasione plectenda, ex cultu christianae religionis in nefandam sectam ritumve traduxerit, cum dispendio fortunarum capite puniendum censemus. Eos, qui catholicarum ecclesiarum clerici vel orthodoxae fidei monachi relicto vero orthodoxae religionis cultu apollinaris vel eutychetis haeresin et dogmata abominanda sectati sunt, omnibus poenis, quae prioribus legibus adversus haereticos constitutae sunt, iubemus teneri et extra ipsum quoque romani imperii solum repelli,

sicut de manichaeis praecedentium legum statuta sanxerunt. Nemini licere signum salvatoris christi vel in silice vel in marmore aut sculpere aut pingere. Cum sit nobis cura deligens per omnia superni numinis religionem tueri, signum salvatoris christi nemini licere vel in solo vel in silice vel in marmoribus humi positis insculpere vel pingere, sed quodcumque reperitur tolli: gravissima poena multando eo, si quis contrarium statutis nostris temptaverit, specialiter imperamus.

De iudaeis et caelicolis. Quod Cornelia Salvia universitati iudaeorum, qui in Antiochensium civitate constituti sunt, legavit, peti non potest. Iudaeis et maioribus eorum et patriarchis volumus intimari, quod, si quis post hanc legem aliquem, qui eorum feralem fugerit sectam et ad dei cultum respexerit, saxis aut alio furoris genere, quod nunc fieri cognovimus, ausus fuerit attemptare, mox flammis dedendus est et cum omnibus suis participibus concremandus. In synagoga iudaicae legis velut hospitii merito inruentes iubeas emigrare: quos privatorum domus, non religionum loca habitationum merito convenit attingere. Iussio, qua sibi iudaeae legis homines blandiuntur, per quam eis curialium munerum dabatur immunitas, rescindatur. Ne quis christianam mulierem in matrimonium iudaeus accipiat neque iudaeae christianus coniugium sortiatur. Nam si quis aliquid huiusmodi admiserit, adulterii vicem commissi huius crimen obtinebit, libertate in accusandum publicis quoque vocibus relaxata. Nemo iudaeorum morem suum in coniunctionibus retinebit nec iuxta legem suam nuptias sortiatur nec in diversa sub uno tempore coniugia conveniat. Iudaei Romano communi iure viventes in his causis, quae tam ad superstitionem eorum quam ad forum et leges ac iura pertinent, adeant sollemni more iudicia omnesque Romanis legibus conferant et excipiant actiones.

Si qui vero ex his communi pactione ad similitudinem arbitrorum apud iudaeos in civili dumtaxat negotio putaverint litigandum, sortiri eorum iudicium iure publico non vetentur. Eorum etiam sententias iudices exsequantur, tamquam ex sententia cognitoris arbitri fuerint attributi. Nemo exterus religionis iudaeorum iudaeis pretia statuet, cum venalia proponentur. Iustum est enim sua cuique committere. Itaque rectores provinciarum vobis nullum discussorem aut moderatorem esse concedent. Quod si quis sumere sibi curam praeter vos proceresque vestros audeat, eum velut aliena appetentem supplicio coercere festinent. Quicumque ex iudaeis obnoxii curiae comprobantur, curiae mancipentur. Iudaeos quodam festivitatis suae sollemni aman ad poenae quondam recordationem incendere et sanctae crucis adsimulatam speciem in contemptu christianae fidei sacrilega mente exurere provinciarium rectores prohibeant, ne locis suis fidei nostrae signum immisceant, sed ritus suos citra contemptum christianae legis retineant, amissuri sine dubio permissa hactenus, nisi ab illicitis temperaverint. Caelicolarum nomen inauditum quodammodo novum crimen superstitionis vindicavit. Ii, nisi ad dei cultum venerationemque christianam conversi fuerint, his legibus , quibus praecipimus haereticos adstringi, se quoque noverint attinendos.

Aedificia autem eorum, quae nescio cuius dogmatis novi conventus habent, ecclesiis vindicentur. Certum est enim, quidquid a fide christianorum discrepat, legi christianae esse contrarium. Die sabbato ac reliquis sub tempore, quo iudaei cultus sui reverentiam servant, neminem aut facere aliquid aut ulla ex parte conveniri debere praecipimus (ita tamen, ut nec illis detur licentia eodem die christianos orthodoxos convenire, ne christiani forte ex interpellatione iudaeorum ab officialibus praefatis diebus aliquam sustineant molestiam), cum fiscalibus commodis et litigiis privatorum constat reliquos dies posse sufficere. Nullus tamquam iudaeus, cum sit innocens, obteratur nec expositum eum ad contumeliam religio qualiscumque perficiat: non passim eorum synagogae vel habitacula concrementur vel perperam sine ulla ratione laedantur, cum alioquin, etiam si sit aliquis sceleribus implicitus, idcirco tamen iudiciorum vigor iurisque publici tutela videtur in medio constituta, ne quisquam sibi ipse permittere valeat ultionem. Sed ut hoc

iudaeorum personis volumus esse provisum, ita illud quoque monendum esse censemus, ne iudaei forsitan insolescant elatique sui securitate quicquam praeceps in christianae reverentiam cultionis admittant

Si qua inter christianos et iudaeos sit contentio, non a senioribus iudaeorum, sed ab ordinariis iudicibus dirimatur. Iudaei et bonorum proscriptione et perpetuo exilio damnabuntur, si nostrae fidei hominem circumcidisse eos vel circumcidendum mandasse constiterit. Iudaeorum primates, qui in utriusque Palestinae synedriis nominantur vel in aliis provinciis degunt, periculo suo anniversarium canonem de synagogis omnibus palatinis compellentibus exigant ad eam formam, quam patriarchae quondam coronarii auri nomine postulabant: et hoc, quod de occidentalibus partibus patriarchis conferri consueverat, nostris largitionibus inferatur. Hac victura in omne aevum lege sancimus neminem iudaeum, quibus omnes administrationes et dignitates interdictae sunt, nec defensoris civitatis fungi saltem officio nec patris honorem adripere concedimus, ne adquisiti sibi officii auctoritate muniti adversus christianos et ipsos plerumque sacrae religionis antistites velut insultantes fidei nostrae iudicandi vel pronuntiandi quamlibet habeant potestatem.

Illud etiam pari consideratione rationis arguentes praecipimus, ne qua iudaica synagoga in novam fabricam surgat, fulciendi veteres permissa licentia, quae ruinam minantur. Quisquis igitur vel infulas ceperit, quaesitis dignitatibus non potiatur, vel si ad officia vetita subrepserit, his penitus repelletur, vel si synagogam extruxerit, compendio catholicae ecclesiae noverit se laborasse: et qui ad honores et dignitates inrepserit, habeatur, ut antea, condicionis extremae, etsi honorariam illicite promeruerit dignitatem: et qui synagogae fabricam coeperit non studio reparandi, cum damno auri quinquaginta librarum fraudetur ausibus suis. Cernat praeterea bona sua proscripta, mox poenae sanguinis destinandus, qui fidem alterius expugnavit perversa doctrina. Ne christianum mancipium haereticus vel paganus vel iudaeus habeat vel possideat vel circumcidat. Iudaeus servum christianum nec comparare debebit nec largitatis vel alio quocumque titulo consequatur. Quod si aliquis iudaeorum mancipium vel christianum habuerit vel sectae alterius seu nationis crediderit ex quacumque causa possidendum et id circumciderit, non solum mancipii damno multetur, verum etiam capitali sententia puniatur, ipso servo pro praemio libertate donando.

De paganis sacrificiis et templis. Placuit omnibus locis atque urbibus universis claudi protinus templa et accessu vetito omnibus licentiam delinquendi perditis abnegari. Volumus etiam cunctos sacrificiis abstinere. Quod si quis aliquid forte huiusmodi perpetraverit, gladio ultore sternatur. Facultates etiam perempti fisco decernimus vindicari et similiter puniri rectores provinciarum, si facinora vindicare neglexerint. Ne quis mortalium ita faciendi sacrificii sumat audaciam, ut inspectione iecoris extorumque praesagio vanae spem promissionis accipiat vel, quod est deterius, futura sub exsecrabili consultatione cognoscat. Acerbioris etenim imminebit supplicii cruciatus eis, qui contra vetitum praesentium vel futurarum rerum explorare temptaverint veritatem. Sicut sacrificia prohibemus, ita volumus publicorum operum ornamenta servari. Ac ne sibi aliqua auctoritate blandiantur, qui ea conantur evertere, si quod rescriptum, si qua lex forte praetenditur: abreptae huiusmodi chartae ex eorum manibus ad nostram scientiam referantur.

Ut profanos ritus iam salubri lege submovimus, ita festos conventus civium et communem omnium laetitiam non patimur submoveri. Unde absque ullo sacrificio atque ulla superstitione damnabili exhiberi populo voluptates secundum veterem consuetudinem, iniri etiam festa convivia, si quando exigunt publica vota, decernimus. Omnia loca, quae sacris error veterum deputavit, nostrae rei iubemus sociari. Quod autem ex eo iure ubicumque ad singulas quasque

personas vel praecedentium principum largitas vel nostra maiestas voluit pervenire, id in eorum patrimoniis aeterna firmitate perduret. Ea vero, quae multiplicibus constitutis ad venerabilem ecclesiam voluimus pertinere, christiana sibi merito religio vindicabit. Christianis, qui vel vere sunt vel esse dicuntur, specialiter demandamus, ut iudaeis ac paganis in quiete degentibus nihilque temptantibus turbulentum legibusque contrarium non audeant manus inferre religionis auctoritate abusi. Nam si contra securos fuerint violenti vel eorum bona diripuerint, non ea sola quae abstulerint, sed convicti in duplum quae rapuerint restituere compellantur. Rectores etiam provinciarum et officia et principales cognoscant se, si non ipsi talia vindicent, sed fieri a popularibus hoc permiserint, ut eos qui fecerint puniendos.

Nemo venerantis adorantisque animo delubra, quae olim iam clausa sunt, reseret: absit a saeculo nostro infandis exsecrandisque simulacris honorem pristinum reddi, redimiri sertis templorum impios postes, profanis aris accendi ignes, adoleri in isdem thura, victimas caedi, pateris vina libari et religionis loco existimari sacrilegium. Quisquis autem contra hanc serenitatis nostrae sanctionem et contra interdicta sacratissimarum veterum constitutionum sacrificia exercere temptaverit, apud publicum iudicem reus tanti facinoris legitime accusetur et convictus proscriptionem omnium bonorum suorum et ultimum supplicium subeat. Conscii etiam ac ministri sacrificiorum eandem poenam, quae in illum fuerit inrogata, sustineant, ut hac legis nostrae severitate perterriti metu poenae desinant sacrificia interdicta celebrare.

Quod si vir clarissimus rector provinciae post accusationem legitimam et post crimen in cognitione convictum tantum scelus dissimulaverit vindicare, quinquaginta libras auri ipse iudex, quinquaginta etiam officium eius confestim fisco nostro inferre cogatur. Nemo ea, quae saepius paganae superstitionis hominibus interdicta sunt, audeat pertemptare, sciens, quod crimen publicum committit qui haec ausus fuerit perpetrare. In tantum autem huiusmodi facinora volumus esse resecanda, ut, etiamsi in alieno praedio vel domo aliquid tale perpetretur, scientibus videlicet dominis, praedium quidem vel domus sacratissimi viribus aerarii addicetur, domini vero pro hoc solo, quod scientes consenserint sua loca talibus contaminari sceleribus, si quidem dignitate vel militia quadam decorantur, amissione militiae vel dignitatis nec non rerum suarum proscriptione plectentur, privatae vero condicionis vel plebeii constituti post cruciatus corporis operibus metallorum perpetuo deputabuntur exilio.

De his qui ad ecclesias confugiunt vel ibi exclamant. Iudaei, qui reatu aliquo vel debitis fatigati simulant se christianae legi velle coniungi, ut ad ecclesias confugientes evitare possint crimina vel pondera debitorum, arceantur nec ante suscipiantur, quam debita universa reddiderint vel fuerint innocentia demonstrata purgati. Fideli ac devota praeceptione sancimus nemini licere ad sacrosanctas ecclesias confugientes abducere: sub hac videlicet definitione, ut, si quisquam contra hanc legem venire temptaverit, sciat se ad maiestatis crimen esse retinendum. Si servus cuiusquam ecclesiam alteriave armatus nullis hoc suspicantibus inopinatus inruerit, exinde protinus abstrahatur vel certe continuo domino vel ei, unde eum tam furiosa formido proripuit, indicetur eique mox abstrahendi copia non negetur.Sed si armorum fiducia resistendi animos insania impellente conceperit, abripiendi extrahendique eum domino, quibus potest id efficere viribus, concedatur. Quod si illum etiam confici in concertatione pugnaque contigerit, nulla erit eius noxa nec conflandae criminationis relinquetur occasio, si is, qui ex statu servili in hostilis et homicidae condicionem transiliit, occisus sit. Denuntiamus vobis omnibus, ut in sacrosanctis ecclesiis et in aliis quidem venerabilibus locis, in quibus cum pace et quiete vota competit celebrari, abstineatis omni seditione. Nemo conclamationibus utatur, nemo moveat tumultum aut impetum committat vel conventicula collecta multitudine in qualibet parte civitatis vel vici vel cuiuscumque loci colligere aut celebrare conetur. Nam si quis aliquid contra leges a

quibusdam sibi existimet perpetrari, liceat ei adire iudicem et legitimum postulare praesidium. Sciant sane omnes, quod, si quis contra huius edicti normam aut agere aliquid aut seditionem movere temptaverit, ultimo supplicio subiacebit

Praesenti lege decernimus per omnia loca valitura (excepta hac urbe regia, in qua nos divinitate propitia degentes, quotiens usus exegerit, invocati singulis causis atque personis praesentanea constituta praestamus) nullos penitus cuiuscumque condicionis de sacrosanctis ecclesiis orthodoxae fidei expelli aut tradi vel protrahi confugas nec pro his venerabiles episcopos aut religiosos oeconomos exigi, quae debeantur ab eis: qui hoc moliri aut facere aut nuda saltim cogitatione atque tractatu ausi fuerint temptare, capitali et ultima supplicii animadversione plectendi sunt. Ex his ergo locis eorumque finibus, quos anteriorum le gum praescripta sanxerunt, nullos expelli aut eici aliquando patimur nec in ipsis ecclesiis reverendis ita quemquam detineri atque constringi, ut ei aliquid aut victualium rerum aut vestis negetur aut requies. Sed si quidem ipsi refugae apparent publice et se in sacris locis offerunt quaerentibus conveniendos, ipsi, servata locis reverentia, iudicum quibus subiacent sententiis moneantur, responsum daturi, quale sibi quisque perspexerit convenire. Quod si in finibus ecclesiasticis latitant, religiosus oeconomus seu defensor ecclesiae vel certe, quem his negotiis commodiorem auctoritas episcopalis elegerit, reconditam latentemque personam decenter sine ullo incommodo monitus, intra fines ecclesiae si invenitur, praesentet. Cum autem monitus fuerit in publico privatove contractu actione civili, in eius sit arbitrio sive per se seu, si magis elegerit, instructo sollemniter procuratore directo in eius iudicis, cuius pulsatur sententiis, examine respondere.

Sed si hoc facere detractat aut differt, iudiciorum legumque solitus ordo servetur. Itaque si res immobiles possidet, post edictorum sollemnia sententia iudicantis usque ad modum debiti bonorum eius sive praediorum traditio seu venditio celebretur. Quod si res mobiles habet easque extra terminos occultat ecclesiae, sententia iudicantis et exsecutoris sollicitudine perquisitae, quocumque occultantur, erutae pro aequitatis tramite modoque debiti publicis rationibus privatisque proficiant. Sane si intra fines habentur ecclesiae vel apud quemlibet ex clericis absconditae sive depositae fuisse firmantur, studio et providentia viri reverentissimi oeconomi sive defensoris ecclesiae diligentia inquisitae quolibet modo ad sacrosanctam ecclesiam pervenientes proferantur, ut pari aequitatis ordine ex isdem bonis fisco vel rei publicae sive creditoribus et quibuscumque iustis petitoribus ad modum debiti consulatur. Sicubi depositae vel commendatae dicuntur, inquirendi tantam volumus esse cautelam, ut, si sola suspicatione apud aliquem adserantur absconditae, de sua etiam conscientia satisfacere auctoritate venerabilis antistitis iubeatur. Adicientes, quod ea, quae de principalibus personis decrevimus, etiam in fideiussorum sive mandatorum seu rerum ad eos pertinentium vel familiarium et sociorum vel participum et omnino in isdem causis obnoxiorum personis praecipimus observari, scilicet si ipsos quoque secum confugae intra ecclesiarum terminos habere voluerint, ut ex eorum quoque bonis publica debita privataque solvantur et per eos rerum ubicumque depositae sunt procedat inquisitio. Et haec quidem de ingenuis liberisque personis.

Sane si servus aut colonus vel adscripticius, familiaris sive libertus et huiusmodi aliqua persona domestica vel condicioni subdita conquassatis rebus certis atque subtractis aut se ipsum furatus ad sacrosancta se contulerit loca, statim a religiosis oeconomis sive defensoribus, ubi primum hoc scire potuerint, per eos videlicet ad quos pertinent, ipsis praesentibus pro ecclesiastica disciplina et qualitate commissi aut ultione competenti aut intercessione humanissima procedente, remissione veniae et sacramenti interveniente securi ad locum statumque proprium revertantur, rebus, quas secum habuerint, reformandis. Diutius enim eos intra ecclesiam non convenit commorari, ne patronis seu dominis per ipsorum ab sentiam obsequia iusta denegentur

et ipsi per incommodum ecclesiae egentium et pauperum alantur expensis. Inter haec autem, quae sedulo ad religiosi oeconomi sive defensoris ecclesiae sollicitudinem curamque respiciunt, erit etiam illud observandum, ut singulorum intra ecclesias confugientium personas causasque incessanter conquirant, denique iudices vel eos, ad quos causae et personae pertinent, instantius instruant, ut aequitatis convenientiam diligentius exsequantur.

De his qui in ecclesiis manumittuntur. Iam dudum placuit, ut in ecclesia catholica libertatem domini suis famulis praestare possint, si sub adspectu plebis adsistentibus christianorum antistitibus id faciant, ut propter facti memoriam vice actorum interponatur qualiscumque scriptura, in qua ipsi vice testium signent. Unde a vobis quoque ipsis non immerito dandae et relinquendae sunt libertates, quo quis vestrum pacto voluerit, dummodo vestrae voluntatis evidens appareat testimonium. Qui religiosa mente in ecclesiae gremio servulis suis meritam concesserint libertatem, eandem eodem iure donasse videantur, quo civitas Romana sollemnitatibus decursis dari consuevit. Sed hoc dumtaxat his, qui sub adspectu antistitum dederint, placuit relaxari. Clericis autem amplius concedimus, ut, cum suis famulis tribuunt libertatem, non solum in conspectu ecclesiae ac religiosi populi plenum fructum libertatis concessisse dicantur, verum etiam cum postremo iudicio dederint libertates seu quibuscumque verbis dari praeceperint, ita ut ex die publicatae voluntatis sine aliquo iuris teste vel interprete competat directa libertas.

De legibus et constitutionibus principum et edictis. Inter aequitatem iusque interpositam interpretationem nobis solis et oportet et licet inspicere. Quae ex relationibus vel suggestionibus iudicantium per consultationem in commune florentissimorum sacri nostri palatii procerum auditorium introducto negotio statuimus vel quibuslibet corporibus aut legatis aut provinciae vel civitati vel curiae donavimus, nec generalia iura sint, sed leges fiant his dumtaxat negotiis atque personis, pro quibus fuerint promulgata, nec ab aliquo retractentur: notam infamiae subituro eo, qui vel astute ea interpretari voluerit vel impetrato impugnare rescripto, nec habituro fructum per subreptionem eliciti: et iudices, si dissimulaverint vel ulterius litigantem audierint vel aliquid allegandum admiserint vel sub quodam ambiguitatis colore ad nos rettulerint, triginta librarum auri condemnatione plectendi sunt. Leges ut generales ab omnibus aequabiliter in posterum observentur, quae vel missa ad venerabilem coetum oratione conduntur vel inserto edicti vocabulo nuncupantur, sive eas nobis spontaneus motus ingesserit sive precatio vel relatio vel lis mota legis occasionem postulaverit. Nam satis est edicti eas nuncupatione censeri vel per omnes populos iudicum programmate divulgari vel expressius contineri, quod principes censuerunt ea, quae in certis negotiis statuta sunt similium quoque causarum fata componere. Sed et si generalis lex vocata est vel ad omnes iussa est pertinere, vim obtineat edicti; interlocutionibus, quas in uno negotio iudicantes protulimus vel postea proferemus, non in commune praeiudicantibus, nec his, quae specialiter quibusdam concessa sunt civitatibus vel provinciis vel corporibus, ad generalitatis observantiam pertinentibus.

Digna vox maiestate regnantis legibus alligatum se principem profiteri: adeo de auctoritate iuris nostra pendet auctoritas. Et re vera maius imperio est submittere legibus principatum. Et oraculo praesentis edicti quod nobis licere non patimur indicamus. Non dubium est in legem committere eum, qui verba legis amplexus contra legis nititur voluntatem: nec poenas insertas legibus evitabit, qui se contra iuris sententiam scaeva praerogativa verborum fraudulenter excusat. Nullum enim pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente. Quod ad omnes etiam legum interpretationes tam veteres quam novellas trahi generaliter imperamus, ut legis latori, quod fieri non vult, tantum prohibuisse sufficiat, cetera quasi expressa ex legis liceat voluntate

colligere: hoc est ut ea quae lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur, licet legis lator fieri prohibuerit tantum nec specialiter dixerit inutile esse debere quod factum est. Sed et si quid fuerit subsecutum ex eo vel ob id, quod interdicente lege factum est, illud quoque cassum atque inutile esse praecipimus.

Secundum praedictam itaque regulam, quam ubique servari factum lege prohibente censuimus, certum est nec stipulationem eiusmodi tenere nec mandatum ullius esse momenti nec sacramentum admitti. Quod favore quorundam constitutum est, quibusdam casibus ad laesionem eorum nolumus inventum videri. Leges et constitutiones futuris certum est dare formam negotiis, non ad facta praeterita revocari, nisi nominatim etiam de praeterito tempore adhuc pendentibus negotiis cautum sit. Humanum esse probamus, si quid de cetero in publica vel in privata causa emerserit necessarium, quod formam generalem et antiquis legibus non insertam exposcat, id ab omnibus antea tam proceribus nostri palatii quam gloriosissimo coetu vestro, patres conscripti, tractari et, si universis tam iudicibus quam vobis placuerit, tunc allegata dictari et sic ea denuo collectis omnibus recenseri et, cum omnes consenserint, tunc demum in sacro nostri numinis consistorio recitari, ut universorum consensus nostrae serenitatis auctoritate firmetur.

Scitote igitur, patres conscripti, non aliter in posterum legem a nostra clementia promulgandam, nisi supra dicta forma fuerit observata. Bene enim cognoscimus, quod cum vestro consilio fuerit ordinatum, id ad beatitudinem nostri imperii et ad nostram gloriam redundare. Leges sacratissimae, quae constringunt omnium vitas, intellegi ab omnibus debent , ut universi praescripto earum manifestius cognito vel inhibita declinent vel permissa sectentur. Si quid vero in isdem legibus latum fortassis obscurius fuerit, oportet id imperatoria interpretatione patefieri duritiamque legum nostrae humanitati incongruam emendari. Cum de novo iure, quod inveterato usu non adhuc stabilitum est, dubitatio emergat, necessaria est tam suggestio iudicantis quam sententiae principalis auctoritas. Si imperialis maiestas causam cognitionaliter examinaverit et partibus cominus constitutis sententiam dixerit, omnes omnino iudices, qui sub nostro imperio sunt, sciant hoc esse legem non solum illi causae, pro qua producta est, sed omnibus similibus. Quid enim maius, quid sanctius imperiali est maiestate? vel quis tantae superbiae fastidio tumidus est, ut regalem sensum contemnat, cum et veteris iuris conditores constitutiones, quae ex imperiali decreto processerunt, legis vicem obtinere aperte dilucideque definiunt?

Cum igitur et hoc in veteribus legibus invenimus dubitatum, si imperialis sensus legem interpretatus est, an oporteat huiusmodi regiam interpretationem obtinere, eorum quidem vanam scrupulositatem tam risimus quam corrigendam esse censuimus. Definimus autem omnem imperatoris legum interpretationem sive in precibus sive in iudiciis sive alio quocumque modo factam ratam et indubitatam haberi. Si enim in praesenti leges condere soli imperatori concessum est, et leges interpretari solum dignum imperio esse oportet. Cur autem ex suggestionibus procerum, si dubitatio in litibus oriatur et sese non esse idoneos vel sufficientes ad decisionem litis illi existiment, ad nos decurritur et quare ambiguitates iudicum, quas ex legibus oriri evenit, aures accipiunt nostrae, si non a nobis interpretatio mera procedit? vel quis legum aenigmata solvere et omnibus aperire idoneus esse videbitur nisi is, cui soli legis latorem esse concessum est? Explosis itaque huiusmodi ridiculosis ambiguitatibus tam conditor quam interpres legum solus imperator iuste existimabitur: nihil hac lege derogante veteris iuris conditoribus, quia et eis hoc maiestas imperialis permisit.

De mandatis principum. Si quis adserat cum mandatis nostris se venisse secretis, omnes sciant nemini quicquam, nisi quod scriptis probaverit, esse credendum nec ullius dignitate terreri, sive

ille tribuni sive notarii sive comitis praeferat dignitatem, sed sacras nostras litteras esse quaerendas. De senatus consultis.Quamvis consultum senatus perpetuam per se obtineat firmitatem, tamen etiam nostris legibus idem prosequimur adicientes, ut, si quisquam speciali supplicatione eliciendum aliquod rescriptum temptaverit, ut transire ei formam liceat statutorum, tertia patrimonii parte multatus et damnatus ambitus crimine maneat infamis. De veteri iure enucleando et auctoritate iuris prudentium qui in digestis referuntur. Deo auctore nostrum gubernantes imperium, quod nobis a caelesti maiestate traditum est, et bella feliciter peragimus et pacem decoramus et statum rei publicae sustentamus: et ita nostros animos ad dei omnipotentis erigimus adiutorium, ut neque armis confidamus neque nostris militibus neque bellorum ducibus vel nostro ingenio, sed omnem spem ad solam referamus summae providentiam trinitatis: unde et mundi totius elementa processerunt et eorum dispositio in orbem terrarum producta est.

Cum itaque nihil tam studiosum in omnibus rebus invenitur quam legum auctoritas, quae et divinas et humanas res bene disponit et omnem iniquitatem expellit, repperimus autem omnem legum tramitem, qui ab urbe condita et romuleis descendit temporibus, ita esse confusum, ut in infinitum extendatur et nullius humanae naturae capacitate concludatur: primum nobis fuit studium a sacratissimis retro principibus initium sumere et eorum constitutiones emendare et viae dilucidae tradere, quatenus in unum codicem congregatae et omni supervacua similitudine et iniquissima discordia absolutae universis hominibus promptum suae sinceritatis praebeant praesidium. Hocque opere consummato et in uno volumine nostro nomine praefulgente coadunato, cum ex paucis et tenuioribus relevati ad summam et plenissimam iuris emendationem pervenire properaremus et omnem Romanam sanctionem et colligere et emendare et tot auctorum dispersa volumina uno codice indita ostendere, quod nemo alius neque sperare neque optare ausus est, res quidem nobis difficillima, immo magis impossibilis videbatur. Sed manibus ad caelum erectis et aeterno auxilio invocato eam quoque curam nostris reposuimus animis, deo freti, qui et res penitus desperatas donare et consummare suae virtutis magnitudine potest. Et ad tuae sinceritatis optimum respeximus ministerium tibique primo et hoc opus commisimus, ingenii tui documentis ex nostri codicis ordinatione acceptis, et iussimus quos probaveris tam ex facundissimis antecessoribus quam ex viris disertissimis togatis fori amplissimae sedis ad sociandum laborem eligere. His itaque collectis et in nostrum palatium introductis nobisque tuo testimonio placitis totam rem faciendam permisimus, ita tamen, ut tui vigilantissimi animi gubernatione res omnis celebretur.

Iubemus igitur vobis antiquorum prudentium, quibus auctoritatem conscribendarum interpretandarumque legum sacratissimi principes praebuerunt, libros ad ius Romanum pertinentes et legere et elimare, ut ex his omnis materia colligatur, nulla secundum quod possibile est neque similitudine neque discordia derelicta, sed ex his hoc colligi, quod unum pro omnibus sufficiat. Quia autem et alii libros ad ius pertinentes scripserunt, quorum scripturae a nullis auctoribus receptae nec usitatae sunt, neque nos eorum volumina nostram inquietare dignamur sanctionem. Cumque haec materia summa numinis liberalitate collecta fuerit, oportet eam pulcherrimo opere extruere et quasi proprium et sanctissimum templum iustitiae consecrare et in libros quinquaginta et certos titulos totum ius dirigere tam secundum nostri constitutionum codicis quam edicti perpetui imitationem, prout hoc vobis commodius esse patuerit, ut nihil extra memoratam consummationem possit esse derelictum, sed his quinquaginta libris totum ius antiquum, per millesimum et quadringentesimum paene annum confusum et a nobis purgatum, quasi quodam muro vallatum nihil extra se habeat: omnibus auctoribus iuris aequa dignitate pollentibus et nemini quadam praerogativa servanda, quia non omnes in omnia, sed certi per certa vel meliores vel deteriores inveniuntur.

Sed neque ex multitudine auctorum quod melius et aequius est iudicatote, cum possit unius forsitan et deterioris sententia et multos et maiores in aliqua parte superare. Et ideo ea, quae antea in notis aemilii papiniani ex ulpiano et paulo nec non marciano adscripta sunt, quae antea nullam vim obtinebant partim propter honorem splendidissimi papiniani, non statim respuere, sed, si quid ex his ad repletionem summi ingenii papiniani laborum vel interpretationem necessarium esse perspexeritis, et hoc ponere legis vicem obtinens non moremini: ut omnes qui relati fuerint in hunc codicem prudentissimi viri habeant auctoritatem tam, quasi et eorum studia ex principalibus constitutionibus profecta et a nostro divino fuerint ore profusa. Omnia enim merito nostra facimus, quia ex nobis omnis eis impertietur auctoritas. Nam qui non subtiliter factum emendat, laudabilior est eo qui primus invenit. Sed et hoc studiosum vobis esse volumus, ut, si quid in veteribus non bene positum libris inveniatis vel aliquod superfluum vel minus perfectum, supervacua similitudine semota et quod imperfectum est repleatis et omne opus moderatum et quam pulcherrimum ostendatis. Hoc etiam nihilo minus observando, ut, si aliquid in veteribus legibus vel constitutionibus, quas antiqui in suis libris posuerunt , non recte scriptum inveniatis, et hoc reformetis et ordini moderato tradatis: ut hoc videatur esse verum et optimum et quasi ab initio scriptum, quod a vobis electum et ibi positum fuerit, et nemo ex comparatione veteris voluminis quasi vitiosam scripturam arguere audeat. Cum enim lege antiqua, quae regia nuncupabatur, omne ius omnisque potestas populi Romani in imperatoriam translata sunt potestatem, nos vero sanctionem omnem non dividimus in alias et alias conditorum partes, sed totam nostram esse volumus, quid possit antiquitas nostris legibus abrogare? et in tantum volumus eadem omnia, cum reposita sunt, obtinere, ut si aliter fuerant apud veteres conscripta, in contrarium autem in compositione inveniantur, nullum crimen scripturae imputetur, sed nostrae electioni hoc adscribatur.

Nulla itaque in omnibus praedicti codicis membris antinomia (sic enim a vetustate graeco vocabulo nuncupatur) aliquem sibi vindicet locum, sed sit una concordia, una consequentia, adversario nemine constituto. Sed et similitudinem (secundum quod dictum est) ab huiusmodi consummatione volumus exulare: et ea, quae sacratissimis constitutionibus quas in codicem nostrum redegimus cauta sunt, iterum poni ex veteri iure non concedimus, cum divalium constitutionum sanctio sufficit ad eorum auctoritatem: nisi forte vel propter divisionem vel propter repletionem vel propter pleniorem indaginem hoc contigerit : et hoc tamen perraro, ne ex continuatione huiusmodi lapsus oriatur aliquid in tali prato spinosum. Sed et si quae leges in veteribus libris positae iam in desuetudinem abierunt, nullo modo vobis easdem ponere permittimus, cum haec tantummodo obtinere volumus, quae vel iudiciorum frequentissimus ordo exercuit vel longa consuetudo huius almae urbis comprobavit, secundum Salvii Iuliani scripturam, quae indicat debere omnes civitates consuetudinem Romae sequi, quae caput est orbis terrarum, non ipsam alias civitates. Romam autem intellegendum est non solum veterem, sed etiam regiam nostram, quae deo propitio cum melioribus condita est auguriis.

Ideoque iubemus duobus istis codicibus omnia gubernari, uno constitutionum, altero iuris enucleati et in futuro codici componendi: vel si quid aliud a nobis fuerit promulgatum institutionum vicem obtinens, ut rudis animus studiosi simplicibus enutritus facilius ad altioris prudentiae redigatur scientiam. Nostram autem consummationem, quae a vobis deo adnuente componetur, Digestorum vel Pandectarum nomen habere sancimus, nullis iuris peritis in posterum audentibus commentarios illi adplicare et verbositate sua supra dicti codicis compendium confundere: quemadmodum et in antiquioribus temporibus factum est, cum per contrarias interpretantium sententias totum ius paene conturbatum est sed sufficiat per indices tantummodo et titulorum subtilitatem quae paratitla nuncupantur quaedam admonitoria eius facere, nullo ex interpretatione eorum vitio oriundo. Ne autem per scripturam aliqua fiat in

posterum dubitatio, iubemus non per siglorum captiones et compendiosa aenigmata, quae multas per se et per suum vitium antinomias induxerunt, eiusdem codicis textum conscribi: etiam si numerus librorum significatur aut aliud quicquam: nec haec etenim per specialia sigla numerorum manifestari, sed per litterarum consequentiam explanari concedimus.

Haec omnia igitur deo placido facere tua prudentia una cum aliis facundissimis viris studeat et tam subtili quam celerrimo fini tradere, ut codex consummatus et in quinquaginta libros digestus nobis offeratur in maximam et aeternam rei memoriam deique omnipotentis providentiae argumentum nostrique imperii vestrique ministerii gloriam. Tanta circa nos divinae humanitatis est providentia, ut semper aeternis liberalitatibus nos sustentare dignetur. Post bella enim Parthica aeterna pace sopita postque Vandalicam gentem ereptam et Carthaginem, immo magis omnem Libyam Romano imperio iterum sociatam et leges antiquas iam senio praegravatas per nostram vigilantiam praebuit in novam pulchritudinem et moderatum pervenire compendium: quod nemo ante nostrum imperium umquam speravit neque humano ingenio possibile esse penitus existimavit. Erat enim mirabile Romanam sanctionem ab urbe condita usque ad nostri imperii tempora, quae paene in mille et quadringentos annos concurrunt, intestinis proeliis vacillantem hocque et in imperiales constitutiones extendentem in unam reducere consonantiam, ut nihil neque contrarium neque idem neque simile in ea inveniatur et ne geminae leges pro rebus singulis positae usquam appareant.

Namque hoc caelestis quidem providentiae peculiare fuit, humanae vero imbecillitati nullo modo possibile. Nos itaque more solito ad immortalitatis respeximus praesidium et summo numine invocato deum auctorem et totius operis praesulem fieri optavimus et omne studium Triboniano viro excelso magistro officiorum et ex quaestore sacri nostri palatii et ex consule credidimus eique omne ministerium huiuscemodi ordinationis imposuimus, ut ipse una cum aliis illustribus et prudentissimis viris nostrum desiderium adimpleret. Nostra quoque maiestas semper investigando et perscrutando ea quae ab his componebantur, quidquid dubium et incertum inveniebatur, hoc numine caelesti erecta emendabat et in competentem formam redigebat. Omnia igitur confecta sunt domino et deo nostro i Hesu Christo possibilitatem tam nobis quam nostris in hoc satellitibus praestante. Et principales quidem constitutiones duodecim libris digestas iam ante in codicem nostro nomine praefulgentem contulimus. Postea vero maximum opus adgredientes ipsa vetustatis studiosissima opera iam paene confusa et dissoluta eidem viro excelso permisimus tam colligere quam certo moderamini tradere.

Sed cum omnia percontabamur, a praefato viro excelso suggestum est duo paene milia librorum esse conscripta et plus quam tricies centena milia versuum a veteribus effusa, quae necesse esset omnia et legere et perscrutari et ex his si quid optimum fuisset eligere. Quod caelesti fulgore et summae trinitatis favore confectum est secundum nostra mandata, quae ab initio ad memoratum virum excelsum fecimus, et in quinquaginta libros omne quod utilissimum erat collectum est et omnes ambiguita tes decisae nullo seditioso relicto. Nomenque libris imposuimus Digestorum seu Pandectarum, quia omnes disputationes et decisiones in se habent legitimas et quod undique fuit collectum, hoc in sinus suos receperunt, in centum quinquaginta paene milia versuum totum opus consummantes. Et in septem partes eos digessimus, non perperam neque sine ratione, sed in numerorum naturam et artem respicientes et consentaneam eis divisionem partium conficientes.

Igitur prima quidem pars totius contextus, quae Graeco vocabulo prwta nuncupatur, in quattuor libros seposita est. Secundus autem articulus septem libros habet, qui de iudiciis appellantur. In tertia vero congregatione omnia quae de rebus nominantur contulimus, octo libris eis deputatis. Quartus autem locus, qui et totius compositionis quasi quidam invenitur umbilicus, octo libros

suscepit. In quibus omnia quae ad hypothecam pertinent oreposita sunt, ut non a pigneraticia actione in libris de rebus posita multum distarent: alio libro eodem inserto volumine, quae aedilicium edictum et redhibitoriam actionem et duplae stipulationem, quae de evictionibus proposita est, continet. Quia haec omnia titulis emptionum et venditionum consentanea sunt et praedicta actiones quasi pedisequae illarum ab initio processerunt, in vetustioris quidem edicti ordinatione in loca devia et multo distantia devagantes, per nostram autem providentiam his congregatae, cum oportuerat ea quae de eodem paene loquuntur in confinio ponere.

Alius itaque liber post duo primos nobis excogitatus est de usuris et traiecticiis pecuniis et de instrumentis et testibus et probationibus nec non praesumptionibus. Et memorati tres singulares libri iuxta compositionem de rebus positi sunt. Post hos si qua de sponsalibus vel nuptiis vel dotibus legibus dicta sunt reposuimus, tribus librorum voluminibus ea concludentes. De tutelis autem et curationibus geminos libros conscripsimus. Et memoratam ordinationem octo librorum mediam totius operis reposuimus, omnia undique tam utilissima quam pulcherrima iura continentem. Quintus autem exoritur nobis digestorum articulus, in quo de testamentis et codicillis tam privatorum quam militum omne, quidquid antiquis dictum est, inveniat quis depositum: qui de testamentis appellatur. De legatis autem et fideicommissis quinque librorum numerus adgregatus est. Cumque nihil tam peculiare fuerat, quam ut legatis quidem legis falcidiae narratio, fideicommissis autem senatus consulti trebelliani, singulis libris utrique eorum adplicatis tota pars quinta in novem libros coadunata est. Solum autem senatus consultum trebellianum ponendum esse existimavimus: captiosas etenim et ipsis veteribus odiosas pegasiani senatus consulti ambages et utriusque senatus consulti ad se tam supervacuas quam scrupulosas diversitates respuentes totum ius super his positum trebelliano senatus consulto adiudicavimus.

Sed in his nihil de caducis a nobis memoratum est, ne causa, quae in rebus non prospere gestis et tristibus temporibus Romanis increbuit calamitatibus, bello coalescens civili, nostris remaneant temporibus, quae favor caelestis et pacis vigore firmavit et super omnes gentes in bellicis victoriis posuit, ne luctuosum monumentum laeta saecula inumbrare concedatur. Sexta deinde pars digestorum exoritur, in quibus omnes bonorum possessiones positae sunt, quae ad ingenuos, quae ad libertinos respiciunt: ut et ius omne, quod de gradibus et adfinitatibus descendit, legitim aeque hereditates et omnis ab intestato successio et tertullianum et orfitianum senatus consultum, ex quibus matres et filii invicem sibi heredes existunt, in geminos libros contulimus, bonorum possessionis multitudinem in compendiosum et manifestissimum ordinem concludentes. Post haec ea, quae de operis novi nuntiationibus damnique infecti et pro aedificiis dirutis et eorum insidiis et quae de aqua pluvia arcenda veteribus auctoribus placita sunt, nec non de publicianis et donationibus tam inter vivos quam mortis causa conficiendis cauta legibus invenimus, in librum singularem deduximus. De manumissionibus autem et de liberali causa alius liber res pondit: Quemadmodum et de adquisitione tam dominii quam possessionis et titulis qui eam inducunt multae et variae lectiones uni sunt insertae volumini: Alio libro deputato his, qui iudicati vel in iure confessi sunt, et de bonorum detentionibus et venditionibus et ut ne quid in fraudem creditorum fiat. Postque haec omnia interdicta glomerata sunt: et deinceps exceptiones et de temporum prolixitatibus et de obligationibus et actionibus liber iterum singularis extenditur: ut praefata sexta pars totius digestorum voluminis octo libris definiatur. Septimus autem et novissimus articulus digestorum sex libris formatus est.

Quo de stipulationibus seu verborum obligationibus et fideiussoribus et mandatoribus , nec non novationibus et solutionibus et acceptilationibus et de praetoris stipulationibus omne quod ius invenitur gemino volumine inscriptum est, quod in libris antiquis nec numerari possibile fuit. Et

post hoc duo terribiles libri positi sunt pro delictis privatis et extraordininariis nec non publicis criminibus, qui omnem continent severitatem poenarumque atrocitatem. Quibus permixta sunt et ea quae de audacibus hominibus cauta sunt, qui se celare conantur et contumaces existunt: et de poenis, quae condemnatis infliguntur vel conceduntur, nec non de eorum substantiis. Liber autem singularis pro appellationibus nobis excogitatus est contra sententias tam civiles quam criminales causas finientes. Cetera autem omnia, quae ad municipales vel de decurionibus et muneribus vel publicis operibus vel nundinis et pollicitationibus ac diversis cognitionibus et censibus vel significatione verborum veteribus inventa sunt quaeque regulariter definita, in se recepit quinquagesimus, totius consummationis perfectus.

Quae omnia confecta sunt per virum excelsum nec non prudentissimum magistrum ex quaestore et ex consule Tribonianum, qui similiter eloquentiae et legitimae scientiae artibus decoratus et in ipsis rerum experimentis emicuit nihilque maius nec carius nostris umquam iussionibus duxit: nec non per alios viros magnificos et studiosissimos perfecta sunt, id est Constantinum virum illustrem comitem sacrarum largitionum et magistrum scrinii libellorum sacrarumque cognitionum, qui semper nobis ex bona opinione et gloria sese commendavit: nec non Theophilum virum illustrem magistrum iurisque peritum in hac splendissima civitate laudabiliter optimam legum gubernationem extendentem: et Dorotheum virum illustrem et facundissimum quaestiorum, quem in Berytiensium splendidissima civitate leges discipulis tradentem propter eius optimam opinionem et gloriam ad nos deduximus participemque huius operis fecimus: sed et Anatolium virum illustrem magistrum, qui et ipse apud Berytienses iuris interpres constitutus ad hoc opus adlectus est, vir ab antiqua stirpe legitima procedens, cum et pater eius Leontius et avus Eudoxius post patricium inclutae recordationis quaestorium et antecessorem et Leontium virum gloriosissimum praefectorium et consularem atque patricium filium eius optimam sui memoriam in legibus reliquerunt: nec non Cratinum virum illustrem et comitem sacrarum largitionum et optimum antecessorem huius almae urbis constitutum: qui omnes ad praedictum opus electi sunt una cum Stephano, Mena, Prosdocio, Eutolmio, Timotheo, Leonide, Leontio, Platone, Iacobo, Constantino, Iohanne, viris prudentissimis, qui patroni quidem sunt causarum apud maximam sedem praefecturae, quae orientalibus praetoriis praesidet, omne autem suae virtutis testimonium undique accipientes et a nobis ad tanti operis consummationem electi sunt.

Et cum omnes in unum convenerunt gubernatione Triboniani viri excelsi, ut tantum opus nobis auctoribus possint conficere, deo propitio in quinquaginta libros opus consummatum est. Tanta autem nobis antiquitati habita est reverentia, ut nomina prudentium taciturnitati tradere nullo patiamur modo: sed unusquisque eorum, qui auctor legis fuit, nostris digestis inscriptus est: hoc tantummodo a nobis effecto, ut, si quid in legibus eorum vel supervacuum vel imperfectum aut minus idoneum visum est, vel adiectionem vel deminutionem necessariam accipiat et rectissimis tradatur regulis. Et ex multis similibus vel contrariis quod rectius habere apparebat, hoc pro aliis omnibus positum est unaque omnibus auctoritate indulta, ut quidquid ibi scriptum est, hoc nostrum appareat et ex nostra voluntate compositum: nemine audente comparare ea quae antiquitas habebat his quae nostra auctoritas introduxit, quia multa et maxima sunt, quae propter utilitatem rerum transformata sunt. Adeo ut et si principalis constitutio fuerat in veteribus libris relata, neque ei pepercimus, sed et hanc corrigendam esse putavimus et in melius restaurandam. Nominibus etenim veteribus relictis, quidquid legum veritati decorum et necessarium fuerat, hoc nostris emendationibus servavimus. Et propter hanc causam et si quid inter eos dubitabatur, hoc iam in tutissimam pervenit quietem, nullo titubante relicto.

Sed cum prospeximus, quod ad portandam tantae sapientiae molem non sunt idonei homines rudes et qui in primis legum vestibulis stantes intrare ad arcana eorum properant, et aliam

mediocrem eruditionem praeparandam esse censuimus, ut sub ea colorati et quasi primitiis omnium imbuti possint ad penetralia eorum intrare et formam legum pulcherrimam non coniventibus oculis accipere. Et ideo Triboniano viro excelso, qui ad totius operis gubernationem relectus est, nec non Theophilo et Dorotheo viris illustribus et facundissimis antecessoribus accersitis mandavimus, quatenus libris, quos veteres composuerunt, qui prima legum argumenta continebant et institutiones vocabuntur, separatim collectis, quidquid ex his utile et aptissimum et undique sit elimatum et rebus, quae in praesenti aevo in usu vertuntur, consentaneum invenitur, hoc et capere studeant et quattuor libris reponere et totius eruditionis prima fundamenta atque elementa ponere, quibus iuvenes suffulti possint graviora et perfectiora legum scita sustentare.

Admonuimus autem eos, ut memores etiam nostrarum fiant constitutionum, quas pro emendatione iuris promulgavimus, et in confectione institutionum etiam eadem emendatione ponere non morentur: ut sit manifestum et quid antea vacillabat et quid postea in stabilitatem redactum est. Quod opus ab his perfectum ut nobis oblatum et relectum est, et prono suscepimus animo et nostris sensibus non indignum esse iudicavimus et praedictos libros constitutionum vicem habere iussimus: quod in oratione nostra, quam eisdem libris praeposuimus, apertius declarat. Omni igitur Romani iuris dispositione composita et in tribus voluminibus, id est Institutionum et Digestorum seu Pandectarum nec non constitutionum, perfecta et in tribus annis consummata, quae ut primum separari coepit, neque in totum decennium compleri sperabatur: omnipotenti deo et hanc operam ad hominum sustentationem piis obtulimus animis uberesque gratias maximae deitati reddidimus, quae nobis praestitit et bella feliciter agere et honesta pace perpotiri et non tantum nostro, sed etiam omni aevo tam instanti quam posteriori leges optimas ponere.

Omnibus itaque hominibus eandem sanctionem manifestam facere necessarium esse perspeximus, ut sit eis cognitum, quanta confusione et infinitate absoluti in quantam moderationem et legitimam veritatem pervenerunt: legesque in posterum habeant tam directas quam compendiosas omnibusque in promptu positas et ad possidendi libros earum facilitatem idoneas: ut non mole divitiarum expensa possint homines supervacuae legum multitudinis adipisci volumina, sed vilissima pecunia facilis eorum comparatio pateat tam ditioribus quam tenuioribus, minimo pretio magna prudentia reparanda.Si quid autem in tanta legum compositione, quae ab immenso librorum numero collecta est, simile forsitan raro inveniatur, nemo hoc vituperandum existimet, sed primum quidem imbecillitati humanae, quae naturaliter inest, hoc inscribat , quia omnium habere memoriam et penitus in nullo peccare divinitatis magis quam mortalitatis est: quod et a maioribus dictum est.

Deinde sciat, quod similitudo in quibusdam et his brevissimis adsumpta non inutilis est, et nec citra nostrum propositum hoc subsecutum: aut enim ita lex necessaria erat, ut diversis titulis propter rerum cognationem adplicari eam oporteat, aut, cum fuerat aliis diversis permixta, impossibile erat eam per partes detrahi, ne totum confundatur. Et in his partibus, in quibus perfectissimae visiones expositae veterum fuerant, quod particulatim in eas fuerat sparsum, hoc dividere ac separare penitus erat incivile, ne tam sensus quam aures legentium ex hoc perturbentur. Similique modo si quid principalibus constitutionibus cautum est, hoc in Digestorum volumine poni nullo concessimus modo, quasi constitutionum recitatione sufficiente: nisi et hoc raro ex isdem causis, quibus similitudo adsumpta est. Contrarium autem aliquid in hoc codice positum nullum sibi locum vindicabit nec invenitur, si quis subtili animo diversitatis rationes excutiet: sed est aliquid novum inventum vel occulte positum, quod dissonantiae querellam dissoluit et aliam naturam inducit discordiae fines effugientem. Sed et si quid forsitan

praetermissum est, quod in tantis milibus quasi in profundo positum latitabat, et, cum idoneum fuerat poni, obscuritate involutum necessario derelictum est: quis hoc apprehendere recto animo possit? primo quidem propter ingenii mortalis exiguitatem: deinde propter ipsius rei vitium, quod multis inutilibus permixtum nullam sui ad eruendum praebuit copiam: deinde quod multo utilius est pauca idonea effugere, quam multis inutilibus homines praegravari.

Mirabile autem aliquid ex his libris emersit, quod multitudo antiqua praesente brevitate paucior invenitur. Homines etenim, qui antea lites agebant, licet multae leges fuerant positae, tamen ex paucis lites perferebant vel propter inopiam librorum, quos comparare eis impossibile erat, vel propter ipsam inscientiam, et voluntate iudicum magis quam legitima auctoritate lites dirimebantur. In praesenti autem consummatione nostrorum digestorum e tantis leges collectae sunt voluminibus, quorum et nomina antiquiores homines non dicimus nesciebant, sed nec umquam audiebant. Quae omnia collecta sunt substantia amplissima congregata, ut egena quidem antiqua multitudo inveniatur, opulentissima autem brevitas nostra efficiatur. Antiquae autem sapientiae librorum copiam maxime Tribonianus vir excellentissimus praebuit, in quibus multi fuerant et ipsis eruditissimis hominibus incogniti, quibus omnibus perlectis, quidquid ex his pulcherrimum erat, hoc semotum in optimam nostram compositionem pervenit. Sed huius operis conditores non solum ea volumina perlegerunt, ex quibus leges positae sunt, sed etiam alia multa, quae, nihil vel utile vel novum in eis invenientes, quod exceptum nostris digestis applicarent, optimo animo respuerunt.

Sed quia divinae quidem res perfectissimae sunt, humani vero iuris condicio semper in infinitum decurrit et nihil est in ea, quod stare perpetuo possit (multas etenim formas edere natura novas deproperat), non desperamus quaedam postea emergi negotia, quae adhuc legum laqueis non sunt innodata. Si quid igitur tale contigerit, augustum imploretur remedium, quia ideo imperialem fortunam rebus humanis deus praeposuit, ut possit omnia quae noviter contingunt et emendare et componere et modis et regulis competentibus tradere. Et hoc non primum a nobis dictum est, sed ab antiqua descendit prosapia: cum et ipse Iulianus legum et edicti perpetui subtilissimus conditor in suis libris hoc rettulit, ut, si quid imperfectum inveniatur, ab imperiali sanctione hoc repleatur. Et non ipse solus, sed et divus Hadrianus in compositione edicti et senatus consulto, quod eam secutum est, hoc apertissime definivit, ut, si quid in edicto positum non inveniatur, hoc ad eius regulas eiusque coniecturas et imitationes possit nova instruere auctoritas.

Haec igitur omnia scientes, patres conscripti et omnes orbis terrarum homines, gratias quidem amplissimas agite summae divinitati, quae vestris temporibus tam saluberrimum opus servavit: quo enim antiquitas digna divino non est visa iudicio, hoc vestris temporibus indultum est. Hasce itaque leges et adorate et observate omnibus antiquioribus quiescentibus: nemoque vestrum audeat vel comparare eas prioribus vel, si quid dissonans in utroque est, requirere, quia omne quod hic positum est hoc unicum et solum observari censemus. Nec in iudicio nec in alio certamine, ubi leges necessariae sunt, ex aliis libris, nisi ab isdem institutionibus nostrisque digestis et constitutionibus a nobis compositis vel promulgatis aliquid vel recitare vel ostendere conetur, nisi temerator velit falsitatis crimini subiectus una cum iudice, qui ei audientiam accommodabit, poenis gravissimis laborare. Ne autem incognitum vobis fiat, ex quibus veterum libris haec consummatio ordinata est, iussimus et hoc in primordiis digestorum nostrorum inscribi, ut manifestissimum sit, ex quibus legis latoribus quibusque libris eorum et quot milibus hoc iustitiae Romanae templum aedificatum est. Legis latores autem vel commentatores eos elegimus, qui digni tanto opere fuerant et quos et anteriores piissimi principes admittere non sunt indignati, omnibus uno dignitatis apice impertito nec sibi quodam aliquam praerogativam

vindicante. Cum enim constitutionum vicem et has leges obtinere censuimus quasi ex nobis promulgatas, quid amplius aut minus in quibusdam esse intellegatur, cum una dignitas, una potestas omnibus est indulta?

Hoc autem quod et ab initio nobis visum est, cum hoc opus fieri deo adnuente mandabamus, tempestivum nobis videtur et in praesenti sancire, ut nemo neque eorum, qui in praesenti iuris peritiam habent, nec qui postea fuerint audeat commentarios isdem legibus adnectere: nisi tantum si velit eas in graecam vocem transformare sub eodem ordine eaque consequentia, sub qua voces Romanae positae sunt (hoc quod Graeci kata poda dicunt), et si qui forsitan per titulorum subtilitatem adnotare maluerint et ea quae paratitla nuncupantur componere. Alias autem legum interpretationes, immo magis perversiones eos iactare non concedimus, ne verbositas eorum aliquid legibus nostris adferat ex confusione dedecus. Quod et in antiquis edicti perpetui commentatoribus factum est, qui opus moderate confectum huc atque illuc in diversas sententias producentes in infinitum detraxerunt, ut paene omnem Romanam sanctionem esse confusam. Quos si passi non sumus, quemadmodum posteritatis admittatur vana discordia? si quid autem tale facere ausi fuerint, ipsi quidem falsitatis rei constituantur, volumina autem eorum omnimodo corrumpentur. Si quid vero, ut supra dictum est, ambiguum fuerit visum, hoc ad imperiale culmen per iudices referatur et ex auctoritate Augusta manifestetur, cui soli concessum est leges et condere et interpretari.

Eandem autem poenam falsitatis constituimus et adversus eos, qui in posterum leges nostras per si glorum obscuritates ausi fuerint conscribere. Omnia enim, id est et nomina prudentium et titulos et librorum numeros, per consequentias litterarum volumus, non per sigla manifestari, ita ut, qui talem librum sibi paraverit, in quo sigla posita sunt in qualemcumque locum libri vel voluminis, sciat inutilis se esse codicis dominum: neque enim licentiam aperimus ex tali codice in iudicium aliquid recitare, qui in quacumque sua parte siglorum habet malitiam. Ipse autem librarius, qui eas inscribere ausus fuerit, non solum criminali poena secundum quod dictum est plectetur, sed etiam libri aestimationem in duplum domino reddat, si et ipse dominus ignorans talem librum vel comparaverit vel confici curaverit. Quod et antea a nobis dispositum est in constitutione, quam ad legum professores dimisimus.

Leges autem nostras, quae in his codicibus, id est institutionum seu elementorum et digestorum vel pandectarum posuimus, suum obtinere robur ex tertio nostro felicissimo sancimus consulatu, praesentis duodecimae indictionis tertio kalendas ianuarias, in omne aevum valituras et una cum nostris constitutionibus pollentes et suum vigorem in iudiciis ostendentes in omnibus causis, sive quae postea emerserint sive in iudiciis adhuc pendent nec eas iudicialis vel amicalis forma compescuit. Quae enim iam vel iudiciali sententia finita sunt vel amicali pacto sopita, haec reuscitari nullo volumus modo. Bene autem properavimus in tertium nostrum consulatum et has leges edere, quia maximi dei et domini nostri ihesu christi auxilium felicissimum eum nostrae rei publicae donavit, cum in hunc et bella Parthica abolita sunt et quieti perpetuae tradita, et tertia pars mundi nobis adcrevit (post Europam enim et Asiam et tota Libya nostro imperio adiuncta est) et tanto operi legum caput impositum est, omnia caelestia dona nostro tertio consulatui indulta. Itaque omnes iudices nostri pro sua iurisdictione easdem leges suscipiant et tam in suis iudiciis quam in hac regia urbe habeant et proponant, et praecipue vir excelsus huius almae urbis praefectus. Curae autem erit tribus excelsis praefectis praetoriis tam Orientalibus quam Illyricis nec non Libycis per suas auctoritates omnibus, qui suae iurisdictioni suppositi sunt, eas manifestare.

De iuris et facti ignorantia. Quamvis, cum causam tuam ageres, ignorantia iuris propter simplicitatem armatae militiae adlegationes competentes omiseris, tamen si nondum satisfecisti,

permitto tibi, si coeperis ex sententia conveniri, defensionibus tuis uti. Cum ignorantia iuris excusari facile non possis, si maior annis hereditati matris tuae renuntiasti, sera prece subveniri tibi desiderasSi emancipata a patre intra annum bonorum possessionem petere cessasti, praetendere iuris ignorantiam nullis rationibus potes. Si post divisionem factam testamenti vitium in lucem emerserit, ex his, quae per ignorantiam confecta sunt, praeiudicium tibi non comparabitur. Ostende igitur apud correctorem virum clarissimum amicum nostrum testamentum vel fide veri deficere vel iuris ratione stare non posse, ut infirmata scriptura, quae testamenti vice prolata est, solidam successionem obtineasCum falsa demonstratione mutari substantia veritatis minime possit, respondendo id quod paternum erat ex maternis esse bonis nihil egisti. Si non transactionis causa, sed indebitam errore facti olei materiam vos archantico stipulanti dare spopondisse rector animadverterit provinciae, reddito quod debetis residui liberationem condicentes audiet. Error facti necdum negotio finito nemini nocet: nam causa decisa velamento tali non instauratur.

Cum testamentum nullo iure constiterit, ex eius, quae ab intestato successit, professione sola velut ex testamento liberos per errorem profitentis orcini vel proprii liberti, si non ipsius accessit iudicium, cum errantis voluntas nulla sit, effici non potuerint. Non idcirco minus, quod a vobis velut a liberis debitam accepisse pecuniam samus dicitur, cum nullus sit errantis consensus, movere status quaestionem prohibentur eius heredes. Cum quis ius ignorans indebitam pecuniam persolverit, cessat repetitio. Per ignorantiam enim facti tantum repetitionem indebiti soluti competere tibi notum est. Quamvis in lucro nec feminis ius ignorantibus subveniri soleat, tamen contra aetatem adhuc imperfectam locum hoc non habere retro principium statuta declarant. Constitutiones principum nec ignorare quemquam nec dissimulare permittimus. Ne passim liceat mulieribus omnes suos contractus retractare in his, quae praetermiserint vel ignoraverint, statuimus, si per ignorantiam iuris damnum aliquod circa ius vel substantiam suam patiantur, in his tantum casibus, in quibus praeteritarum legum auctoritas eis suffragatur, subveniri.

De precibus imperatori offerendis et de quibus rebus supplicare liceat vel non. Licet servilis condicio deferendae precis facile capax non sit, tamen admissi sceleris atrocitas et laudabilis fidei exemplum super vindicanda caede domini tui hortamento fuit, ut praefecto praetorio iuxta adnotationis nostrae decretum demandaremus (quem adire cura), ut auditis his, quae in libello contulisti, et reos investigare et severissimam vindictam iuxta legum censuram exigere curet. Quotiens rescripto nostro moratoria praescriptio remittitur, aditus supplicandi pandatur. Quod autem totius negotii cognitionem tollit et vires principalis negotii exhaurit, sine gravi partis alterius dispendio convelli non potest. Nec praescriptionis igitur peremptoriae relaxatio petatur. Nec damnosa fisco nec iuri contraria postulari oportet. Universa rescripta, quae in debitorum causis super praestandis dilationibus promulgantur, non aliter valeant, nisi fideiussio idonea super solutione debiti praebeatur.

Si quis adversus praefectorum praetorio sententias duxerit supplicandum victusque fuerit denuo, nullam habebit licentiam iterum super eadem causa supplicandi. Universis simul hanc observantiam remittimus, ut, a quocumque liberae condicionis constituto vel servo supplicante impetratum fuerit rescriptum, minime requiratur, per quem preces oblatae sunt. Rescripta contra ius elicita ab omnibus iudicibus praecipimus refutari, nisi forte aliquid est, quod non laedat alium et prosit petenti vel crimen supplicanti indulgeat. Instrumentorum exempla non prosit precibus adiunxisse, sed necesse sit eorum in supplicatione vim exprimi, ut responsuro principi vera precatio rem aperiat cognoscendam, solis, cum necessitas exegerit, verbis precibus inserendis, quorum de sensu inter partes ita dubitari contigerit, ut etiam merito nostrum

expectetur iudicium. Quando libellus principi datus litis contestationem facit. Dubium non est contestationem intellegi etiam, si nostrae fuerint tranquillitati preces oblatae, easque adversus heredem quoque eius in quem porrectae sunt vel ab herede eius qui meruerit exerceri. Temporales actiones, quae per oblationem precum et ad eas rescriptiones perpetuantur, definire necessarium esse duximus, ne quis putet ad alias etiam, quae certis taxantur temporibus, hoc pertinere. Sciant igitur omnes eas tantummodo per oblationes precum et ad eas rescripta perpetuari, quae a praetore constitutae annali tempore coartatae sunt.

Ut lite pendente vel post provocationem aut definitivam sententiam nulli liceat imperatori supplicare. Licet, postquam supplicasti, priusquam rescriptum impetrares, praeses provinciae vir clarissimus pronuntiaverit, cum tamen a sententia non provocaveris, rescriptum, quod postea secutum esse suggeris, ad retrahenda quae decreto terminata sunt non patrocinatur. Supplicare causa pendente non licet, nisi vel actorum vel pronuntiationis editio denegetur. Qui autem terminatam rescripto vel consultatione quaestionem exquisito suffragio refricare conabitur, in omnem litis aestimationem adversario suo protinus condemnetur: omni venia deneganda, si quis contra haec supplicare temptaverit. Qui licitam provocationem omiserit, perpetuo silere debebit nec a nobis impudens petere per supplicationem auxilium. Quod si fecerit, desiderio suo carebit et ignominiae poena notabitur

Si contra ius utilitatemve publicam vel per mendacium fuerit aliquid postulatum vel impetratum. Non idcirco minus is, cui a nostro rescripto cognitio delata est, iudicare potest, quod ex gestis quaedam in precibus omissa proponis. Praescriptione mendaciorum opposita, sive in iuris narratione mendacium reperiatur sive in facti sive in tacendi fraude, pro tenore veritatis, non deprecantis adfirmatione, datum iudicem cognoscere debere et secundum hoc de causa convenit ferre sententiam. Puniri iubemus decem librarum auri multa iudices, qui vetuerunt precum argui falsitatem. Etsi non cognitio, sed exsecutio mandatur, de veritate precum inquiri oportet, ut, si fraus intervenit, de omni negotio cognoscatur Etsi legibus consentaneum sacrum oraculum mendax precator attulerit, careat penitus impetratis et, si nimia mentientis invenitur improbitas, etiam severitati subiaceat iudicantis. Omnes cuiuscumque maioris vel minoris administrationis universae nostrae rei publicae iudices monemus, ut nullum rescriptum, nullam pragmaticam sanctionem, nullam sacram adnotationem, quae generali iuri vel utilitati publicae adversa esse videatur, in disceptatione cuiuslibet litigii patiantur proferri, sed generales sacras constitutiones modis omnibus non dubitent observandas.

De diversis rescriptis et pragmaticis sanctionibus. Si libellum de communi causa tu fraterque tuus dedistis, quamvis rescriptum ad unius personam directum sit, utrique tamen prospectum est. Falso adseveratur auctoritatem rescriptorum devoluto spatio anni obtinere firmitatem suam non oportere, cum ea, quae ad ius rescribuntur, perennia esse debent, si modo tempus, intra quod adlegari vel audiri debeat, non sit comprehensum. Sancimus, ut authentica ipsa atque originalia rescripta et nostra manu subscripta, non exempla eorum, insinuentur. Si qua beneficia personalia sine die et consule fuerint deprehensa, auctoritate careant. Sacrilegii instar est divinis super quibuscumque administrationibus vel dignitatibus promulgandis obviare beneficiis. Sacri adfatus, quoscumque nostrae mansuetudinis in quacumque parte paginarum scripserit auctoritas, non alio vultu penitus aut colore, nisi purpurea tantummodo scriptione illustrentur, scilicet ut cocti muricis et triti conchylii ardore signentur: eaque tantummodo fas sit proferri et dici rescripta in quibuscumque iudiciis, quae in chartis sive membranis subnotatio nostrae subscriptionis impresserit.

Hanc autem sacri encausti confectionem nulli sit licitum aut concessum habere aut quaerere aut a quoquam sperare: eo videlicet, qui hoc adgressus fuerit tyrannico spiritu, post proscriptionem

bonorum omnium capitali non immerito poena plectendo. Universa rescripta, sive in personam precantium sive ad quemlibet iudicem manaverint, quae vel adnotatio vel quaevis pragmatica sanctio nominetur, sub ea condicione proferri praecipimus, si preces veritate nituntur, nec aliquem fructum precator oraculi percipiat impetrati, licet in iudicio adserat veritatem, nisi quaestio fidei precum imperiali beneficio monstretur inserta. Nam et vir magnificus quaestor et viri spectabiles magistri scriniorum: qui sine praefata adiectione qualecumque divinum responsum dictaverint, et iudices, qui susceperint, reprehensionem subibunt et, qui illicite dictata scribere ausi fuerint cuiuscumque scrinii memoriales seu pragmaticarii vel adiutores primicerii, amissione cinguli ferientur. Pragmaticas praeterea sanctiones non ad singulorum preces super privatis negotiis proferri, sed si quando corpus aut schola vel officium vel curia vel civitas vel provincia vel quaedam universitas hominum ob causam publicam fuderit preces, manare decernimus, ut hic etiam veritatis quaestio reservetur.

De statuis et imaginibus. Si quis iudicum accepisse aeneas vel argenteas vel marmoreas statuas extra imperiale beneficium in administratione positus detegetur, emolumenta, quae acceperit in ea positus dignitate, quam polluit, cum extortis titulis vel praesumptis in quadruplum fisco nostro inferat simulque noverit existimatonis suae poenam se subiturum. Nec eos sane a periculo pudoris haberi volumus immunes, qui adulandi studio aut metu inconstanti ignavia transire quae sunt interdicta temptaverint. Si quando nostrae statuae vel imagines eriguntur seu diebus, ut adsolet, festis sive communibus, adsit iudex sine adorationis ambitioso fastigio, ut ornamentum diei vel loco et nostrae recordationi sui probet accessisse praesentiam. In nostrae serenitatis imaginibus ac statuis erigendis privatae collationis iniuriam propulsari praecipimus, ne quid in eo suum collator agnoscat. Et virtutum praemia tribui merentibus convenit et aliorum honores aliis damnorum occasionem fieri non oportet. Idcirco quotiens vel iudicibus nostris vel cuilibet alii statua fuerit a quocumque collegio seu officio vel in hac sacratissima civitate vel in provinciis postulata, nequaquam ex discriptione sumptus colligi patimur, sed eius, cuius ad honorem petitur, expensis propriis statuam collocari praecipimus.

De his qui ad statuas confugiunt. Qui ad statuas vel vitandi metus vel creandae invidiae causa confugerint, si certas habuerint causas, quibus confugere ad imperatoria simulacra debuerint, iure ac legibus vindicentur. Si vero probati fuerint artibus suis invidiam inimicis creare voluisse, ultrix in eos sententia proferatur. De officio praefectorum praetorio Orientis et Illyrici. Libellus praefecto praetorio datus pro contestatione haberi non potest. Formam a praefecto praetorio datam, et si generalis sit, minime legibus vel constitutionibus contrariam, si nihil postea ex auctoritate mea innovatum est, servari aequum est. Imperatores Valentinianus, Theodosius, Arcadius . Si quos iudices vel propter adversam et longinquam corporis valetudinem vel propter neglegentiam aut furtum vel simile aliquod vitium sublimitas tua inutiles esse reppererit, his ab administratione remotis et vice eorum aliis subrogatis furibusque poenis legitimis subactis ad nostrae mansuetudinis scientiam non crimina, sed vindicta referatur. De ordinario iudice semper illustris est cognitio praefecturae, licet militari viro ab eo facta fuerit iniuria. Si qui posthac velut indebitis oneribus gravati ad preces crediderint convolandum sive de navicularis rationibus sive transvectionibus, rescripta, quae de omnibus his atque huiusmodi ordinationibus emitti contigerit, ad sedem sublimitatis tuae rescribantur.

De officio praefecti praetorio Africae et de omni eiusdem dioeceseos statu. Quas gratias aut quas laudes domino deo nostro Ihesu Christo exhibere debeamus, nec mens nostra potest concipere nec lingua proferre. Multas quidem et antea a deo meruimus largitates et innumerabilia circa nos eius beneficia confitemur, pro quibus nihil dignum nos egisse cognoscimus: prae omnibus tamen hoc, quod nunc deus omnipotens per nos pro sua laude et pro

suo nomine demonstrare dignatus est, excedit omnia mirabilia opera, quae in saeculo contigerunt, ut Africa per nos tam brevi tempore reciperet libertatem, ante centum et quinque annos a vvandalis captivata, qui animarum fuerant simul hostes et corporum. Nam animas quidem diversa tormenta atque supplicia non ferentes rebaptizando ad suam perfidiam transferebant: corpora vero liberis natalibus clara iugo barbarico durissime subiugabant. Ipsas quoque dei sacrosanctas ecclesias suis perfidiis maculabant: aliquas vero ex eis stabula fecerunt. Vidimus venerabiles viros, qui abscissis radicitus linguis poenas suas mirabiliter loquebantur: alii vero post diversa tormenta per diversas dispersi provincias vitam in exilio peregerunt. Quo ergo sermone aut quibus operibus dignas deo gratias agere valeamus, quod per me, ultimum servum suum, ecclesiae suae iniurias vindicare dignatus est et tantarum provinciarum populos a iugo servitutis eripere? Quod beneficium dei antecessores nostri non meruerunt, quibus non solum Africam liberare non licuit, sed et ipsam Romam viderunt ab eisdem vvandalis captam et omnia imperialia ornamenta in Africam exinde translata. Nunc vero deus per suam misericordiam non solum Africam et omnes eius provincias nobis tradidit, sed et ipsa imperialia ornamenta, quae capta Roma fuerant ablata, nobis restituit.

Ergo post tanta beneficia, quae nobis divinitas contulit, hoc de domini dei nostri misericordia postulamus, ut provincias, quas nobis restituere dignatus est, firmas et illaesas custodiat et faciat nos eas secundum suam voluntatem ac placitum gubernare, et universa Africa sentiat omnipotentis dei misericordiam et cognoscant eius habitatores, quam a durissima captivitate et iugo barbarico liberati in quanta libertate sub felicissimo nostro imperio degere meruerunt. Hoc etiam deprecantes exoramus precibus sanctae et gloriosae semper virginis et dei genetricis mariae, ut, quidquid minus est rei publicae nostrae, per nos, ultimos servos suos, restituat in suo nomine deus et dignos nos faciat servitium eius adimplere.

Deo itaque auxiliante pro felicitate rei publicae nostrae per hanc divinam legem sancimus, ut omnis Africa, quam deus nobis praestit, per ipsius misericordiam optimum suscipiat ordinem et propriam habeat praefecturam, ut sicut Oriens atque Illyricum, ita et Africa praetoriana maxima potestate specialiter a nostra clementia decoretur. Cuius sedem iubemus esse Carthaginem et in praefatione publicarum chartarum praefecturis aliis eius nomen adiungi, quam nunc tuam excellentiam gubernare decernimus. Et ab ea auxiliante deo septem provinciae cum suis iudicibus disponantur, quarum zeugi, quae proconsularis antea vocabatur, Carthago et Byzacium ac Tripolis rectores habeant consulares: reliquae vero, id est Numidia et Mauritaniae et Sardinia, a praesidibus cum dei auxilio gubernentur. Et in officio quidem tuae magnitudinis nec non pro tempore viri magnifici praefecti Africae trecentos nonaginta sex viros per diversa scrinia et officia militare decernimus.

In officiis vero consularium ac praesidum quinquaginta homines per singula officia esse sancimus. Quae vero emolumenta sive magnificentia tua sive consulares et praesides et quid unusquisque ex officio eorum de publico consequi debet, notitia subter adnexa declarat. Optamus ergo, ut omnes iudices nostri secundum voluntatem et timorem dei et nostram electionem atque ordinationem sic suas administrationes gubernare studeant, ut nullus eorum aut cupiditati sit deditus aut violentias aliquas vel ipse inferat vel iudicibus aut officiis eorum aut quibuscumque aliis collatoribus inferre permittat. Licet enim per omnes provincias nostras deo iuvante festinemus, ut illaesos habeant collatores, maxime tamen tributariis dioeceseos Africanae consulimus, qui post tantorum temporum captivitatem meruerunt deo iuvante per nos lumen libertatis adspicere. Ergo iubemus omnes violentias et omnem avaritiam cessare et iustitiam atque veritatem circa omnes nostros tributarios reservari. Sic enim et deus placatur et ipsi possunt celerius, sicut collatores alii nostrae rei publicae, relevari atque florere.

Sportulas etiam ab officio tam viri magnifici praefecti Africani quam reliquorum iudicum sic exigi iubemus, quomodo in nostris legibus est dispositum et ab omni re publica nostra custoditur, ut nullus audeat quocumque tempore vel quocumque modo earum excedere quantitatem. Hoc etiam praesenti sanctione credimus ordinandum, ut non multa dispendia pro completione chartarum vel codicillorum vel in nostro laterculo vel in scriniis praefecti praetoriorum per Africam iudices sustinere videantur, quia, si ipsi dispendiis laesi non fuerint, nullam habeant necessitatem eiusdem nostrae Africae tributarios praegravandi. Iubemus ergo, ut iudices dioeceseos Africanae tam civiles quam militares in nostro laterculo pro codicillorum atque chartularum promotionis suae consuetudinibus nihil ultra quam sex solidos praebeant, at vero in scrinio praefectorum non ultra duodecim solidos cogantur inferre. Quem modum si quis excesserit, ipse quidem iudex triginta librarum auri dispendio subiacebit, officium vero eius non solum simile dispendium, sed et capitale periculum sustinebit. Nam si aliquis ex quacumque parte ausus fuerit iussiones nostras excedere et non festinaverit cum dei timore eas servare, non solum dignitatis aut substantiae periculum sustinebit, sed etiam ultimo supplicio subiacebit.

Et est notitia deo auxiliante: pro annonis et capitu pro tempore praefecti praetorio per totam Africam auri libras centum. Pro annonis consiliariorum auri libras viginti. Pro annonis cancellariorum auri libras septem. Item officiis eius ita: in scrinio primo hominibus decem pro annonis XVIIIIS, pro capitu XIIS, fiunt solidi CXLVIIS. Ita: numerario pro annonis VI annona solidorum V et pro capitu IIII capitus solidorum IIII, fiunt solidi XLVI. Secundo pro annonis III annona solidorum V et pro capitu II capitus solidorum IIII, fiunt solidi XXIII. Tertio pro annonis II annona solidorum V et pro capitu is capitus solidorum IIII, fiunt solidi XVI. Quarto quinto et sexto ad annonas is annona solidorum V et ad capitum I capitus solidorum IIII, fiunt solidi XXXIIIIS. Reliquis quattuor ad annonas I annona solidorum V et ad capitum S capitus solidorum IIII, fiunt solidi XXVIII. In scrinio secundo ut supra scriptum est. In scrinio tertio ut supra scriptum est. In scrinio quarto ut supra scriptum est. In scrinio primiscrinii, quod est subadiuvae, hominibus decem annonae xiiii capita xis, fiunt solidi cxvi. Ita: primiscrinio pro annonis iii annona solidorum v et pro capitu ii capitus solidorum iiii, fiunt solidi xxiii. Secundo pro annonis ii, annona solidorum ut supra scriptum est, et pro capitu is, capitus solidorum ut supra scriptum est, fiunt solidi xvi. Tertio et quarto pro annonis is, annona solidorum ut supra scriptum est, et pro capitu i, capitus solidorum ut supra scriptum est, fiunt solidi xxiii. Reliquis hominibus sex ad annonam i annona solidorum v et pro capitu i capitus solidorum iiii, fiunt solidi liiii.

In scrinio commentariensis hominibus duodecim annonae xvii capita xiiiis, fiunt solidi cxliii. Ita: primo commentariensi annonae iii annona solidorum v, pro capitu ii capitus solidorum iiii, fiunt solidi xxiii. Sequentes homines tres ad annonas ii annona solidorum v, pro capitu is capitus solidorum iiii, fiunt solidi xlviii. Reliqui homines octo ad annonam i annona solidorum v et ad capitum i capitus solidorum iiii, fiunt solidi lxxii. In scrinio ab actis hominibus decem annonae xiiii capita xii, fiunt solidi cxviii. Ita: primo annonae iii pro annona i solidi v, capita ii capitus solidorum iiii, fiunt solidi xxiii. Secundo et tertio ad annonas ii pro annona i solidi v et ad capitum is capitus solidorum iiii, fiunt solidi xxxii. Reliquis septem ad annonam i annona solidorum v et ad capitum i capitus solidorum iiii, fiunt solidi lxiii. In scrinio libellorum hominibus sex annonae viis capita vis, fiunt solidi lxiiis. Ita: primo annonae ii pro annona solidi v, pro capitu is capitus solidorum iiii, fiunt solidi xvi. Secundo annona is pro annona solidi v, pro capitu i capitus solidorum iiii, fiunt solidi xis. Reliquis hominibus quattuor ad annonas i annona solidorum v et ad capitum i capitus solidorum iiii, fiunt solidi xxxvi.

In schola exceptorum hominibus sexaginta annonae lxxiiii capita lxii solidi dcxviii. Ita: primo et secundo ad annonas iii pro annona solidi v et ad capita ii capitus solidorum iiii, fiunt solidi xlvi.

Aliis hominibus quinque ad annonas ii annona solidorum v et ad capitum i capitus solidorum iiii, fiunt solidi lxx. Reliquis hominibus decem ad annonas is annona solidorum v et ad capitum i capitus solidorum iiii, fiunt solidi cxv. Reliquis hominibus quadraginta tribus ad annonas i annona solidorum v et ad capitum i capitus solidorum iiii, fiunt solidi ccclxxxvii. In schola singulariorum hominibus quinquaginta annonae liis capita l solidi cccclxiis. Ita: primo annonae ii annona solidorum v, capitus i capitus solidorum iiii, fiunt solidi xiiii. Secundo tertio et quarto ad annonas is annona solidorum v et ad capitum i capitus solidorum iiii, fiunt solidi xxxiiiis. Reliquis hominibus quadraginta sex ad annonam i annona solidorum v et ad capitum i capitus solidorum iiii, fiunt solidi ccccxiiii. In schola mittendariorum hominibus quinquaginta annonae liis capita l solidi cccclxiis. Ita: primo annonae ii annona solidorum v, capitus i capitus solidorum iiii, fiunt solidi xiiii. Secundo tertio et quarto ad annonam is annona solidorum v et ad capitum i capitus solidorum iiii, fiunt solidi xxxiiiis. Reliquis hominibus quadraginta sex ad annonam i annona solidorum v et ad capitum i capitus solidorum iiii, fiunt solidi ccccxiiii.

In schola cursorum hominibus triginta annonae xxxiis capita xxx solidi cclxxxiis. Ita: primo annonae ii annona solidorum v, capitus i capitus solidorum iiii, fiunt solidi xiiii. Secundo et tertio et quarto ad annonam is annona solidorum v et ad capitum i capitus solidorum iiii, fiunt solidi xxxiiiis. Reliquis hominibus viginti sex ad annonam i annona solidorum v et ad capitum i capitus solidorum iiii, fiunt solidi ccxxxiiii. In schola nomenculatorum hominibus duodecim annonae xiii capita xiis solidi cxv. Ita: primo annonae ii annona solidorum v, capitus is capitus solidorum iiii, fiunt solidi xvi. Reliquis hominibus undecim ad annonam i annona solidorum v et ad capitum i capitus solidorum iiii, fiunt solidi xcviiii. In schola stratorum hominibus sex annonae vii capita vi solidi lviiii. Ita: primo annonae ii annona solidorum v, capitus i capitus solidorum iiii, fiunt solidi xiiii. Reliquis hominibus quinque ad annonas i pro annona solidos v et ad capitum i pro capitu solidos iiii, fiunt solidi xlv. In schola praeconum hominibus decem annonae xi capita xs solidi xcvii. Ita: primo annonae ii pro annona solidos v, capitus is pro capitu solidos iiii, fiunt solidi xvi. Reliquis hominibus novem ad annonam i pro annona solidos v et ad capitum i pro capitu solidos iiii, fiunt solidi lxxxi.

In schola draconariorum hominibus decem annonae xi capita xs solidi xcvii. Ita: primo annonae ii pro annona solidos v, capitus is pro capitu solidos iiii, fiunt solidi xvi. Reliquis hominibus novem ad annonam i pro annona solidos v et ad capitum i pro capitu solidos iiii, fiunt solidi lxxxi. In scrinio operum hominibus viginti annonae xxviii capita xxi solidi ccxxiiii. Ita: primo annonae iii pro annona solidi v, capita ii pro capitu solidi iiii, fiunt solidi xxiii. Reliquis hominibus tribus ad annonas ii pro annona solidi v et ad capitum i pro capitu solidi iiii, fiunt solidi xlii. Reliquis aliis hominibus sex ad annonam is pro annona solidi v et ad capitum i pro capitu solidi iiii, fiunt solidi lxviiii. Reliquis aliis hominibus decem ad annonam i pro annona solidi v et ad capitum i pro capitu solidi iiii, fiunt solidi xc. In scrinio arcae hominibus viginti annonae xxviii capita xxi solidi ccxxiiii. Ita: primo annonae iii pro annona solidi v, capita ii pro capitu solidi iiii, fiunt solidi xxiii. Reliquis hominibus tribus ad annonas ii pro annona solidi v et ad capitum i pro capitu solidi iiii, fiunt solidi xlii. Reliquis aliis hominibus sex ad annonam is pro annona solidi v et ad capitum i pro capitu solidi iiii, fiunt solidi lxviiii. Reliquis aliis hominibus decem ad annonam i pro annona solidi v et ad capitum i pro capitu solidi iiii, fiunt solidi xc.

In schola chartulariorum hominibus quinquaginta annonae lviii capita liis solidi d. Ita: primo annonae iii pro annona solidi v, capita ii pro capitu solidi iiii , fiunt solidi xxiii. Reliquis hominibus tribus ad annonas ii pro annona solidi v et ad capitum is pro capitu solidi iiii, fiunt solidi xlviii. Reliquis aliis hominibus sex ad annonam is pro annona solidi v et ad capitum i pro capitu solidi iiii, fiunt solidi lxviiii. Reliquis aliis hominibus quadraginta ad annonam i pro annona solidi v et ad

capitum i pro capitu solidi iiii, fiunt solidi ccclx. Fiunt homines cccxcvi, annonae ccccxcviii solidorum iiccccxc, capita ccccxxs solidorum mdclxxxii, fiunt solidi iiiiclxxii. Item pro annonis et capitu consularis solidi ccccxlviii. Officiorum eius solidi clx. Pro tempore medicis hominibus quinque annonae xlviiii capita xviiis solidi cccxviiii. Ita: primo pro annonis xv capitibus vi solidi ic. Secundo pro annonis x capitibus solidi lxx. Reliquis hominibus tribus ad annonas viii et ad capita iis solidi cl.

Grammaticis hominibus duobus ad annonas x et ad capita v, ad solidos lxx. Sophistis oratoribus hominibus duobus ad annonas x, ad capita v, ad solidos lxx. Haec igitur, quae pro disponendis civilibus iudicibus Africae eorumque officiis, id est tam scriniariis amplissimae eius praefecturae quam cohortalibus, per hanc divinam constitutionem statuimus, tua magnitudo cognoscens ex kalendis septembribus futurae tertiae decimae indictionis effectui mancipari observarique procuret atque edictis publicis omnibus innotescant: his scilicet, qui ordinati fuerint a tua sublimitate secundum praesentem divinam constitutionem, firmitatem sui status in perpetuo habituris. Nam deo iuvante de militaribus iudicibus et de officiis eorum et de alio nostro exercitu per aliam sanctionem statuimus. In nomine domini nostri Ihesu Christi ad omnia consilia omnesque actus semper progredimur. Per ipsum enim imperii iura suscepimus, per ipsum pacem cum persis in aeternum confirmavimus, per ipsum acerbissimos hostes et fortissimos tyrannos deiecimus, per ipsum multas difficultates superavimus, per ipsum et Africam defendere et sub nostrum imperium redigere nobis concessum est, per ipsum quoque, ut nostro moderamine recte gubernetur et firme custodiatur, confidimus.

Unde iam per eius gratiam civilium administrationum iudices et officia singulis Africanis provinciis constituimus, attribuentes, quid emolumentorum unusquisque percipere debeat. Ad eius igitur providentiam etiam nunc animum nostrum referentes et armatas militias et duces militum ordinare disponimus. Sancimus itaque, ut dux limitis Tripolitanae provinciae in Leptimagnensi civitate sedes interim habeat, dux vero Byzacenae provinciae in Capsa et Thelepte civitatibus interim sedeat, dux autem Numidiae provinciae in Constantinensi civitate sedes interim habeat, dux autem Mauritaniae provinciae in Caesariensi civitate interim sedeat. Iubemus etiam, ut in traiectu, qui est contra Hispaniam, quod septem dicitur, quantos providerit tua magnitudo, de militibus una cum tribuno suo, homine prudente et devotionem servante rei publicae nostrae per omnia, constituas, qui possit et ipsum traiectum semper servare et omnia, quaecumque in partibus Hispaniae vel Galliae seu Francorum aguntur, viro spectabili duci nuntiare, ut ipse tuae magnitudini referat. In quo traiectu etiam dromones, quantos provideris, ordinari facias.

In Sardinia autem iubemus ducem ordinari et eum iuxta montes, ubi barbaricini videntur, sedere habentem milites pro custodia locorum, quantos et ubi tua magnitudo providerit. Et omnes diligenter pro commissis suae custodiae provinciis invigilent et ab omni hostium incursione subiectos nostros tueantur illaesos et festinent, die noctuque dei invocando auxilium et diligenter laborando, usque ad illos fines provincias Africanas extendere, ubi ante invasionem Vandalorum et Maurorum res publica Romana fines habuerat et ubi custodes antiqui servabant, sicut ex clusuris et burgis ostenditur. Maxime autem civitates, quae prope clusuras et fines antea tenebantur, cum essent sub Romano imperio constitutae, auxiliante divina misericordia, cum hostes per partes expelluntur, festinantes comprehendere atque manere et in illis locis duces et milies per partes accedant, ubi antea fines et clusurae provinciarum erant, quando integrae Africanae servabantur sub Romano imperio provinciae:

Quod deo adnuente, cuius auxilio nobis restitutae sunt, speramus cito nostris provenire temporibus, et ut in securitate et pace provinciae cum antiquis finibus integrae serventur et

vigiliis ac laboribus devotissimorum militum et cura spectabilium pro tempore ducum custodiantur illaesae, quoniam ita convenit, ut semper custodes fines provinciae servent, ne detur hostibus licentia incurrendi aut devastandi loca, quae nostri subiecti possident. Quantos autem milites sive pedestres sive equites per unumquemque limitem qui debent ad custodiendas provincias et civitates, tua magnitudo, prout consideraverit, ordinet et nobis referat, ut, si perviderimus sufficientem esse ordinationem, confirmemus eam, sin autem perspexerimus et aliquid amplius fieri, ut eam augmentemus. Quid autem dux stipendiorum nomine pro se suisque hominibus et quid eius officium consequatur, hoc subdita declaratur notitia.

Sicut ergo praedictum est, interim nunc duces ac milites secundum nostram dispositionem in locis seu civitatibus quibus iussimus sedeant, donec deo auxiliante nobis ac rei publicae nostrae per labores nostros in illis locis constitui possint, in quibus uniuscuiusque provinciae antiquus limes constitutus erat, quando florente Romana re publica memoratae provinciae integrae tenebantur. Pro limitaneis vero ordinandis (quia necessarium nobis esse videtur, ut extra comitatenses milites per castra milites limitanei constituantur, qui possint et castra et civitates limitis defendere et terras colere, ut alii provinciales videntes eos per partes ad illa loca se conferant) exemplum fecimus unius numeri limitaneorum, ut secundum exemplum, quod nos misimus, per castra et loca, quae providerit tua magnitudo, eos ad similitudinem nostri exempli ordinet, sic tamen ut, si inveneris de provinciis idonea corpora, aut de illis, quos antea milites habebant, limitaneorum constituas numero in unoquoque limite, ut, si forsitan commotio aliqua fuerit, possint ipsi limitanei sine comitatensibus militibus una cum ducibus suis adiuvare loca, ubi dispositi fuerint, non longe limitem exeuntes nec ipsi limitanei nec duces eorum, ut nullum etiam dispendium a ducibus vel ducianis praedicti limitanei sustineant, nec aliquas sibi consuetudines de eorum stipendiis per fraudes ad suum lucrum convertant. Haec autem non solum in limitaneos volumus observari, sed etiam in comitatenses milites.

Et unumquemque ducem et tribunos eorundem militum iubemus, ut semper milites ad exercitationem armorum teneant et non concedant eos divagari, ut, si quando necessitas contigerit, possint inimicis resistere: et nullum audeant duces aut tribuni commeatalem de ipsis dimittere, ne, dum sibi lucrum studeant conficere, incustoditas nostras relinquant provincias. Nam si usurpaverint memorati duces vel officia eorum seu tribuni commeatalem de militibus relinquere aut aliquod lucrum de eorum emolumentis subripere, hoc non solum in quadruplum iubemus publico dependere, sed etiam dignitate eos privari. Magis enim debent duces et tribuni supra deputata sibi emolumenta secundum labores suos de nostra largitate remunerationem sperare et non de commeatis militum aut de eorum stipendiis lucrum sibi adquirere, quoniam ideo ordinati sunt milites, ut per ipsos provinciae vindicentur: praecipue cum sufficienter et ipsis ducibus et officiis eorum emolumenta praestitimus et semper providimus unumquemque secundum labores suos ad meliores gradus et maiores dignitates perducere.

Postquam vero deo placuerit et per tuam magnitudinem limes omnis in antiquum statum pervenerit et bene ordinatus fuerit, tunc, ubicumque necessitas emerserit, viri spectabiles duces invicem sibi, quando usus exegerit, auxilium praebeant, ut provinciae seu limites eorum vigiliis et laboribus deo iuvante illaesi custodiantur. Sicut autem iubemus audaces et feroces contra inimicos iudices ac milites nostros esse, sic volumus eos mites et benevolos circa collatores nostros existere et nullum damnum nullamque laesionem in eos efficere. Si autem quisquam de militibus ausus fuerit quamcumque laesionem tributariis nostris inferre, periculo viri spectabilis ducis seu tribuni et principis digna vindicta adficiatur et indemnes tributarii nostri custodiantur. Si vero pro quibusdam causis interpellatio apud nostros iudices facta fuerit, iubemus non amplius sportularum nomine, quam nostris legibus definitum est, exsecutores accipere, poenam eisdem

legibus insertam ex transgressione formidantes. Cum autem deo adiuvante Africanae nostrae provinciae per tuam magnitudinem secundum nostram dispositionem ordinatae et limites in antiquum statum reducti et omnis Africa sic detenta fuerit, sicut erat, cum ergo haec omnia deo iuvante, praesente tua magnitudine, disposita et perfecta fuerint et per labores tuos antiquos fines omnis Africa receperit, et docuerit nos de omni ordinatione totius Africanae dioeceseos, id est quanti et qui milites in quibus locis vel civitatibus constituti sunt et quanti limitanei in quibus locis vel limitibus constituti sunt, tunc iubemus tuam magnitudinem ad nostram clementiam remeare.

Interea vero si aliquas civitates seu castella per limitem constituta perviderit tua magnitudo nimiae esse magnitudinis et propter hoc non posse bene custodiri, ad talem modum eas construi disponat, ut possint per paucos bene servari. Cum autem magnitudo tua omnibus dispositis ad nos remeare iussa fuerit, tunc duces uniuscuiusque limitis, quotiens pro componendis civitatibus aut castris et pro stipendiis suis ac pro annonis aliquid opus habuerint, celerius ad virum magnificum praefectum per Africam significent, ut ipse quae necessaria fuerint festinet facere, ne aliqua protractio provinciis noceat. Ea vero, quae ipse fecerit vel quae adhuc necessarie procuranda sunt, postea et memoratus vir magnificus praefectus Africae et viri spectabiles duces et de aliis omnibus quae ibi aguntur frequenter ad nos referant, ut bene facta confirmemus et, quae opportunius debent fieri, ex nostra dispositione peragantur. Hoc etiam decernimus, ut duces, qui ordinandi sunt per Africanos limites, nihil amplius in sacratissimo palatio cuilibet personae aut dignitati vel in praetorio per Africam praefecturae vel magisteriae potestati praebeant, nisi quantum subter adnexa declarat notitia.

Nam si quis amplius, quam in subdita notitia taxatum est, usurpaverit seu acceperit, triginta libras auri multae dependat nomine, cum et periculo indignationis nostrae serenitatis subiacebit: nulla alia qualibet persona aut dignitate aut officio accipiente aliquid ab eis praeter illos, quorum nomina in subiecta notitia continentur. Ad haec iubemus, ut deo iuvante unusquisque dux seu eorum officia, secundum quod notitia subter adnexa detinet, emolumenta sua ex tributis Africanae provinciae ex kalendis septembribus instantis felicissimae tertiae decimae indictionis percipiant. Et est notitia: deo volente debent delegari ducibus et eorum officiis in Africa constitutis pro annonis et capitu per singulos annos praebendis ita: Viro clarissimo duci Tripolitanae provinciae et hominibus eius annonae cxc, singulis annonis solidi v, capita clviii, singulis capitibus solidi iiii, simul fiunt pro annonis et capitu solidi mdlxxxii. Adsessori ducis et officio eius hominibus quadraginta annonae xcvis, singulis annonis solidi v, capita xlviii, singulis capitibus solidi iiii, simul fiunt pro annonis et capitu solidi dclxxiiiis dividuntur sic:

Adsessori uno annonae viii capita iiii. Primicerio uno annonae v capita ii. Numerario uno annonae iiii capita ii. Ducenariis quattuor ad annonas iiis, fiunt annonae xiiii, et ad capitum is, fiunt capita vi. Centenariis sex ad annonas iis, fiunt annonae xv, et ad capitum i, fiunt capita vi. Biarchis octo ad annonas ii , fiunt annonae xvi, et ad capitum i, fiunt capita viii. Circitoribus novem ad annonas ii, fiunt annonae xviii, et ad capitum i, fiunt capita viiii. Semissalibus undecim ad annonam is, fiunt annonae xvis, et ad capitum i, fiunt capita xi. Item viro clarissimo duci Byzacenae provinciae et hominibus eius annonae cxc, singulis annonis solidi v, capita clviii, singulis capitibus solidi iiii, simul fiunt pro annonis et capitu solidi mdlxxxii. Adsessori ducis et officio eius hominibus quadraginta annonae xcvis, singulis annonis solidi v, capita xlviii, singulis capitibus solidi iiii, simul fiunt pro annonis et capitu solidi dclxxiiiis. Dividuntur sic: Adsessori uno annonae viii capita iiii. Primicerio uno annonae v capita ii. Numererario uno annonae iiii capita ii. Ducenariis quattuor ad annonas iiis, fiunt annonae xiiii, et ad capitum is, fiunt capita vi. Centenariis sex ad annonas iis , fiunt annonae xv, et ad capitum i, fiunt capita vi. Biarchis octo ad

annonas ii, fiunt annonae xvi, et ad capitum i, fiunt capita viii. Circitoribus novem ad annonas ii, fiunt annonae xviii, et ad capitum i, fiunt capita viiii. Semissalibus undecim ad annonam is, fiunt annonae xvis, et ad capitum i, fiunt capita xi.

Item viro clarissimo duci Numidiae provinciae et hominibus eius annonae cxc, singulis annonis solidi v, capita clviii, singulis capitibus solidi iiii, simul fiunt pro annonis et capitu solidi mdlxxxii. Adsessori ducis et officio eius hominibus quadraginta annonae xcvis, singulis annonis solidi v, capita xlviii, singulis capitibus solidi iiii, simul fiunt pro annonis et capitu solidi dclxxiiiis. Dividuntur sic: Adsessori uno annonae viii capita iiii. Primicerio uno annonae v capita ii. Numerario uno annonae iiii capita ii. Ducenariis quattuor ad annonas iiis, fiunt annonae xiiii, et ad capitum is, fiunt capita vi. Centenariis sex ad annonas iis, fiunt xv, et ad capitum i, fiunt capita vi. Biarchis octo ad annonas ii, fiunt annonae xvi, et ad capitum i, fiunt capita viii. Circitoribus novem ad annonas ii, fiunt annonae xviii, et ad capitum i, fiunt capita viiii. Semissalibus undecim ad annonas is, fiunt annonae xvis, et ad capitum i, fiunt capita xi. Item viro clarissimo duci Mauritaniae provinciae et hominibus eius annonae cxc, singulis annonis solidi v, capita clviii, singulis capitibus solidi iiii, simul fiunt pro annonis et capitu solidi mdlxxxii.

Adsessori ducis et officio eius hominibus quadraginta annonae xcvis, singulis annonis solidi v, capita xlviii, singulis capitibus solidi iiii, simul fiunt pro annonis et capitu solidi dclxxiiiis. Dividuntur sic: Adsessori uno annonae viii capita iiii. Primicerio uno annonae v capita ii. Numerario uno annonae iiii capita ii. Ducenariis quattuor ad annonas iiis, fiunt annonae xiiii, et ad capitum is, fiunt capita vi. Centenariis sex ad annonas iis, fiunt annonae xv, et ad capitum i, fiunt capita vi. Biarchis octo ad annonas ii , fiunt annonae xvi, et ad capitum i, fiunt capita viii. Circitoribus novem ad annonas ii, fiunt annonae xviii, et ad capitum i, fiunt capita viiii. Semissalibus undecim ad annonas is, fiunt annonae xvis, et ad capitum i, fiunt capita xi. Item viro clarissimo duci Sardiniae insulae et hominibus eius annonae cxc, singulis annonis solidi v, capita clviii, singulis capitibus solidi iiii, simul fiunt pro annonis et capitu solidi mdlxxxii. Adsessori ducis et officio eius hominibus quadraginta annonae xcvis, singulis annonis solidi v, capita xlviii, singulis capitibus solidi iiii, simul fiunt pro annonis et capitu solidi dclxxiiiis. Dividuntur sic:

Adsessori uno annonae viii capita iiii. Primicerio uno annonae v capita ii. Numerario uno annonae iiii capita ii. Ducenariis quattuor ad annonas iiis, fiunt annonae xiiii, et ad capitum is, fiunt capita vi. Centenariis sex ad annonas iis, fiunt annonae xv, et ad capitum i, fiunt capita vi. Biarchis octo ad annonas ii , fiunt annonae xvi, et ad capitum i, fiunt capita viii. Circitoribus novem ad annoas ii, fiunt annonae xviii, et ad capitum i, fiunt capita viiii. Semissalibus undecim ad annonas is, fiunt annonae xvis, et ad capitum i, fiunt capita xi. Item notitia consuetudinum, quas in sacro laterculo et in praetorio amplissimae praefecturae per Africam, iam in officio magistri militum pro tempore dux praebere oportet uniuscuiusque limitis sic: in sacro laterculo solidi vi: in officio magisteriae militum potestatis pro insinuandis administrationis suae divinis nostrae serenitatis adfatibus solidi xii: in officio amplissimae praefecturae per Africam pro insinuandis eiusdem chartis solidi xii. gloria itaque tua, quae per hanc pragmaticam sanctionem nostra statuit aeternitas, effectui mancipari observarique praecipiat.

De officio praefecti urbis. Studentibus nobis statum urbis et annoniarum rationem aliquando firmare in animo subiit eiusdem annonae curam non omnibus deferre potestatibus. Ac ne praefectura urbis abrogatum sibi aliquid putaret, si totum ad officium annonarium redundasset eidem praefecturae sollicitudinis ac diligentiae necessitatem mandamus, sed non ita, ut lateat officium annonariae praefecturae, sed ut ambae potestates, in quantum sibi negotii est, tueantur civilem annonam sitque societas muneris ita, ut inferior gradus meritum superioris agnoscat atque ita superior potestas se exserat, ut sciat ex ipso nomine, quid praefecto debeatur annonae.

Quod promulgatis sanctionibus tua sinceritas perscriptum esse non nescit, etiam ex praecepto nostro competenter observet nec quasdam personas de provincia existimet avocandas nisi tantummodo suos officiales et homines populares huius almae urbis seditioni obnoxios. Praefectura urbis cunctis quae intra urbem sunt antecellat potestatibus, tantum ex omnium parte delibans, quantum sine iniuria ac detrimento alieni honoris usurpet. Omnia corporatorum genera, quae in constantinopolitana civitate versantur, universos quoque cives atque populares praefecturae urbanae regi moderamine recognoscas.

Primicerius adiutorum tuae sedis officii per biennium, quod in eodem gradu ex consuetudine priscae ordinationis emeruit, curam insuper personarum usurpatione omni atque ambitione cessante suscipiat: hoc etiam adiecto, ut, si quis ex memorato ordine vel condicionis humanae fine praeventus vel alia quacumque ratione militiae gradum propriae amisisse monstrabitur, solitae ambitionis iniuria vacante locum is, qui iuxta matriculae veritatem sequitur, obtineat. De officio magistri militum. Viri illustres comites et magistri peditum et equitum in provinciales nullam penitus habeant potestatem, nec amplissima praefectura in militares viros. Apparitores statutos officii tui ad aliud iudicium trahi minime oportebit. Sciat igitur illustris magnificentia tua sub te, sive civiliter sive criminaliter appetantur, eos litigare debere. Eos, qui ultra statutos officii magisteriae per orientem potestatis militant, civilium quoque iudicum sententiis super quolibet negotio subiacere: ipsis quin etiam statutis in tributariis collationibus civilium quoque iudicum dispositionibus procul dubio parituris. Milites de locis, in quibus consistunt, ad alia loca sine speciali nostrae serenitatis auctoritate nullatenus transferri praecipimus, nec eorum expensae in locis, in quibus consistunt, minuantur. Sed si forte quaedam urguens et necessaria causa emerserit, utilitati ac securitati publicae tam amplissimam praetorianam praefecturam quam tuam sedem sine ulla procrastinatione prospicere protinus oportet et suggestiones ad nostras aures destinare, indicantes tam loca, de quibus milites transferendi sunt, quam ea, ad quae pervenire eos oportet, nominaque fortissimorum numerorum, in quibus idem milites referuntur, nec non quantitatem annonarum et ante omnia causam, ob quam idem milites transferendi sunt, ut post talem suggestionem a nostra auctoritate competentia procedant.

Cum propitia divinitate Romanum nobis sit delatum imperium, sollicita cura cauta diligentia pertractantes perspeximus oportere etiam partibus Armeniae et Ponto Polemoniaco et gentibus proprium magistrum militum per hanc legem constituere, tuamque magnitudinem, quae nobis ex ante gestis optime commendata est, idoneam ad talem fore dignitatem confidentes elegimus certasque provincias, id est Magnam Armeniam, quae interior dicebatur, et gentes (Anzetenam videlicet, Ingilenam, Asthianenam, Sophenam, Sophanenam, in qua est Martyropolis, Balabitenam) et primam et secundam Armeniam et Pontum Polemoniacum tuae curae cum suis ducibus commisimus, comite Armeniae penitus sublato, certosque subdidimus numeros, non m odo quos in praesenti novos constituimus, sed etiam de praesentalibus et orientalibus et aliis agminibus segregatos, non tamen quantitatem eorum agminum minuentes: sed quia plures eis addidimus sine rei publicae gravamine et sine augmento sumptuum, aliquantos subtraximus, ita tamen, ut et post hanc subtractionem ampliores remanserint, quam usque ad nostra felicia fuerant tempora.

De officio quaestoris. Totius minoris laterculi curam scias ad tuae sublimitatis sollicitudinem pertinere, ita ut tuo arbitratu ex scrinio memoriae totius minoris laterculi dignitates, hoc est praepositurae omnes, tribunatus et praefecturae castrorum iuxta consuetudinem priscam clementiae meae auctoritate deinceps mittantur. Omnes minoris laterculi dignitates, quae sub cura quidem ac sollicitudine viri illustris quaestoris esse antea videbantur, postea vero vel universae vel mediae ad magistrorum militum potestatem dispositionemque transierant, placuit

nunc clementiae meae vetusti temporis more renovato ad prisca deinceps iura revocare. Officia et condiciones, quae pertinent ad viros devotos in sacro scrinio memoriae militantes, nemini liceat sub quacumque occasione sine ulla divinae subscriptionis liberalitate peragere: eo, quicumque in hoc fuerit postea facinore convictus, publicatione bonorum suorum multando, officio quoque rectoris provinciae, in qua non adlegato super gerenda sollicitudine sacro rescripto aliquis ausus fuerit eandem curam sibimet usurpare, trium librarum auri dispendio feriendo.

De officio magistri officiorum. Privilegiis dudum scholae vestrae indultis integris reservatis, ad ducenam etiam et centenam et biarchiam nemo suffragio, nisi labore unusquisque perveniat, principatum vero adipiscatur matricula decurrente, ita ut ad curas agendas et cursum illi exeant, quos ordo militiae vocat et laborum. Adiutor praeterea, in quo totius scholae status et magistri securitas constituta est, idoneus probitate morum ac bonis artibus praeditus nostris per magistrum obtutibus offeratur, ut nostro ordinetur arbitrio. Nemo agentum in rebus ordinem militiae atque stipendia praevertat, etiamsi nostri numinis per obreptionem detulerit indultum: ac si quis formam istiusmodi docebitur obtulisse, in locum, ex quo indecenter emerserat, revertatur, ut is gradu ceteros antecedat, quem stipendia longiora vel labor prolixior fecerit ante ire. Scholarium nostrorum devotio, probata nostris parentibus, circa nostrae maxime serenitatis adfectionem enituit. Inde quidquid ad fovenda servandaque eorum privilegia postulatur, statim credidimus admittendum. Ideoque suggestionem tui culminis approbantes viris spectabilibus comitibus scholarum verberandi regradandive senatores ac ducenarios licentiam denegamus. Ea namque, quae tali commotione digna sunt, ad tuae sublimitatis volumus referri notitiam.

Curae perpetuae tui culminis credimus iniungendum, ut super omni limite sub tua iurisdictione constituto, quemadmodum se militum numerus habeat castrorumque ac clusurarum cura procedat, quotannis significare nobis propria suggestione procuret.Iubemus eum ad militiam devotissimorum scholarium de cetero pervenire, qui nostrum meruit iudicium, nec licere pro tempore tui culminis administrationem habenti sine huiusmodi probatoria aliquem inter eosdem viros devotos, scholares suis referre praeceptionibus: sed sciat is, qui sine sacro rescripto ad eandem pervenire militiam ausus fuerit, non solum ea se privari, verum etiam poenae viginti librarum auri subici. Illud etiam observari de cetero volumus, ut, si quis locus statutorum scholarium in quacumque schola vacaverit, ille subrogetur, quem nostra pietas per sacrum rescriptum vacantem subire locum praeceperit. Ad haec quadrimenstruos breves eorundem scholarium cura tuae sublimitatis et pro tempore viri excellentissimi magistri officiorum conscribi volumus et eos sacro scrinio laterculi praestari ibi deponendos, ut semper notitia eorundem scholarium certa sit neque publico damnum aliquod infligatur.

De officio comitis sacrarum largitionum. Palatinis haec cura debet esse praecipua, ut, periculo proprio notariis destinatis, super neglegentia iudicum, si ita res exegerit, conquerantur, ne eorum sit impunita desidia. Iudices quoque de eorum nominibus referre convenit, quos commodis propriis magis quam utilitatibus publicis studere praeviderint. Breves etiam quadrimenstruos ad officium palatinum noverint dirigendos aurumque exactum ad sacras largitiones sine ulla dilatione esse mittendum . De officio comitis rerum privatarum. Si quid negotiorum fuerit actitatum, in quibus aliquid commodi fiscalis appareat, ad officium rei privatae tua gravitas acta transmittat, ut instructione percepta, quid sibimet iuris auxilio debeatur, agnoscat. Ad palatinorum curam et rationalium officia omnium rerum nostrarum et totius perpetuarii, hoc est emphyteuticarii, iuris exactio revertatur. Si quis iudicum vir illustris vel praefectus urbi cognitionem comitivae privatarum examini debitam sibimet vindicandam censuerit vel tuitionem contra eiusdem sedis statuta praestiterit, ad quinquaginta librarum auri illationem poenae

nomine eius officium teneatur, quam decet in articulo exigi mansuetudinis nostrae aerario sociandam.

De officio comitis sacri patrimonii. De officio proconsulis et legati. Legati non solum civiles, sed etiam criminales causas audiant, ita ut, si sententiam in reos ferendam perviderint, ad proconsules eos transmittere non morentur. Officium hellesponti consularis aeternae recordationis patrem serenitatis nostrae adiit et expositis suis incommodis, quibus a vicarianis apparitoribus urguebatur, oravit sub tuae sublimitatis agere potestate. Cuius adlegationes humanae proclivius pium principem commoverunt: quod et nos obtinere censemus. De officio comitis Orientis. Titulos, qui alytarchiae et syriarchiae muneribus in prima Syria deputati sunt, per officia tam viri spectabilis comitis Orientis quam viri clarissimi rectoris provinciae flagitari praecipimus. Alytarchiae quidem ludi cura viri spectabilis comitis orientis et eius officii, syriarchiae vero sollicitudine viri clarissimi moderantis provinciam eiusque apparitionis exerceantur, nullique penitus curialium, nec si voluerint, idem munus vel honorem subeundi licentia permittatur. De officio praefecti Augustalis. Omnia tributa per Aegyptiacam dioecesin cura et providentia claritatis tuae a moderatoribus provinciarum exigi iubemus. Si qui tamen ex possessoribus sive militaribus sive non militaribus ad inferenda quae debent audaces extiterint, eos per militare etiam auxilium, si opus exegerit, ad solutionem compelli censemus

Imperatores Theodosius, Arcadius, Honorius . Praefectus Augustalis ordinariorum sub se iudicum examinandi flagitia et super his referendi, non amovendi vel puniendi habeat potestatem. De officio vicarii. In civilibus causis vicarios comitibus militum convenit anteferri, in militaribus negotiis comites vicariis anteponi, quotiensque societas in iudicando contigerit, priore loco vicarius ponderetur, comes adiunctus accedat: si quidem cum praefecturae meritum ceteris dignitatibus antestet, vicaria dignitas ipso nomine eius se trahere indicet portinem et sacrae cognitionis habeat potestatem et iudicationis nostrae soleat repraesentare reverentiam. Relationes vicariorum, si quando usus attulerit, ad nostram mansuetudinem referantur. Relationes enim iudicum libenter audimus, ne administratorum decrescere videatur auctoritas, si eorum consulta veluti profanorum preces a nostris adytis repellamus. De officio praetorum. Praetori defertur haec iurisdictio sancientibus nobis, ut liberale negotium ipse disceptator examinet. Sane interponi ab eo decreta conveniet, ut, sive in integrum restitutio deferenda est, probatis dumtaxat causis ab eodem etiam interponatur decretum, seu tutoris dandi seu ordinandi curatoris, impleatur ab eo interpositio decretorum: quippe cum apud eum quoque adipisci debeat patronorum iudicio sedula servitus libertatem. Nec sane debita filiorum votis patrum vota cessabunt, ut patente copia liberos suos exuant potestate, magis propriis obsequiis mancipatos, cum sese intellegant his obsequii plus debere, a quibus sese memine runt vinculis sacris exutos.

Tres tantummodo praetores electae opinionis in hac urbe per singulos annos iudicio senatus praecipimus ordinari, qui competentes causas et debitos actus integre disceptare atque tractare debebunt, ut hi tamen tres ex his, qui proprium larem in hac alma urbe habeant, non ex provinciis eligantur. Nec si qui forte propter aliquas causas ad hanc urbem de provinciis venerit, ad praeturae munus vocetur, sed hi tantummodo, ut dictum est, qui hic domicilium fovent, ita ut nec ipsi sumptus quosdam inferre cogantur inviti, sed habeant spontaneae liberalitatis arbitrium. De officio rectoris provinciae. Potest de falso causam cognoscens praeses provinciae incidentem proprietatis quaestionem dirimere. Praesides provinciarum oportet, si quis potentiorum extiterit insolentior et ipsi vindicare non possunt aut examinare aut pronuntiare nequeunt, de eius nomine ad nos aut certe ad praetorianae praefecturae scientiam referre : quo provideatur, qualiter publicae disciplinae et laesis tenuioribus consulatur. Iustissimos et vigilantissimos iudices publicis

adclamationibus collaudandi damus omnibus potestatem, ut honoris eis auctiores proferamus processus, et e contrario iniustos et maleficos querellarum vocibus accusandi, ut censurae nostrae vigor eos absumat. Nam si verae voces sunt nec ad libidinem per clientelas effusae, diligenter investigabimus: praefectis praetorio et comitibus, qui per provincias constituti sunt, provincialium nostrorum voces ad nostram scientiam referentibus.

In officiales praefectorum cursum publicum laniantes vel prava contra utilitatem publicam molientes vindicandi tibi dedimus potestatem, ita ut praefectos de eorum culpa facias certiores. Potioris gradus iudicibus ab inferioribus competens reverentia tribuatur. Sed ubi publica tractatur utilitas, etsi minor iudex veritatem investigaverit, nulla maiori inrogatur iniuria. Sane qui insignia dignitatis ad hoc exercet, ut indignis iniuriis existimet adficiendos eos, qui officia cum potestate moderantur, non declinabit nostrae indignationis aculeos. Civitas rhodiorum iniuriam suam non tam decenter quam sero conquesta est. Unde inviolabili observatione sancimus, ut, quoniam tempore hiemis navigatio saepe periculosa est semper incerta, in illis quinque urbibus, quae potiores esse ceteris adseruntur, vicissim hiemandum sibi iudices recognoscant. Quod si cuiquam tale existat ingenium, ut praecepta nostra contemnat, quinquaginta ab eo argenti librae, centum ab eius officio, si aliter factum fuerit, fisci viribus inferantur.

Qui ordinariam gesserit dignitatem, quidquid ex venturae delegationis titulis profligaverit, cum dispendio pudoris atque fortunae de propriis facultatibus intra provinciam positus inferre debebit. Ne quis iudicum in provincia sua praefectianum vel palatinum vel militem vel ex his etiam omnibus, qui antea in huiusmodi officiis fuerunt commorati, intercessorem (id est exsecutorem) cuiusquam litigatoris petitione in quolibet seu privato seu publico negotio putet esse tribuendum. Nam peccantem circa consulta caelestia cum suo officio non solum detrimentum famae, sed etiam patrimoniorum damna comitentur. Nullus provinciae moderator augustissimam urbem sine iussione adire audeat. Nam si quem patuerit contra decreti nostri praecepta venisse, is congrua condemnatione plectetur. Nullum palatinis tibi obsecundantibus cum provincialibus volumus esse commercium : sed iudices scire debebunt hoc sibi praecipue esse commissum, ut ipsi a provincialibus exigant et consueta deposcant, palatinum vero possessor non horreat, qui non sibi, sed iudicibus atque officiis praeceptus est imminere.

Moderatores provinciarum curam gerere iubemus, ne quid potentium procuratores perperam inliciteque committant. Omnes per provincias apparitores pro inveterata auctoritate iuxta motum iudicis nudatos verberibus, si ita res tulerit, subiacere praecipimus, ut et facilis exsecutio rerum publicarum sit et officiorum insolentia comprimatur et iudicum severitati competens reddatur auctoritas. Si quis cohortalibus adhuc obsequiis obligatus regimen provinciae vel cingulum cuiuslibet militiae dignitatisve quoquo modo meruit, contra licitum usurpatis impetratisve careat, etiamsi ultronea nostra liberalitate ius gerendae provinciae vel militiae seu dignitatis cuiuspiam sibi iactaverit fuisse delatum. Nulli iudicum, qui provincias regunt, in civitatibus, in quibus sacra palatia vel praetoria sunt, liceat relictis his privatorum sibi domus ad habitandum veluti praetoria vindicare, sed sacratissima modis omnibus inhabitare palatia seu praetoria, ut hac necessitate compellantur eorum reparationi providere. Ubi autem et palatium est et praetorium, palatium quidem habitationi praesidis, praetorium autem suscipiendis conservandisque speciebus publicis horreorum vice vel aliae necessariae rei deputetur. Quod si quis aliquando dissimulare temptaverit, protinus eum atque officium quinquaginta librarum auri multam ad reparandum sacrum quod neglexerit palatium solvere sancimus. Ut nulli patriae suae administratio sine speciali permissu principis permittatur.

De quadrimenstruis tam civilibus quam militaribus brevibus. De officio praefecti vigilum. Praefecti vigilum huius urbis nihil de capitalibus causis sua auctoritate statuere debent, sed si

quid huiusmodi evenerit, culmini tuae potestatis referre, ut de memoratis causis celsiore sententia iudicetur. De officio praefecti annonae. A 532 d. VIII id. mart. Constantinopoli post consulatum Lampadii et Orestae vv. cc. anno secundo. De officio civilium iudicum. Honorati, qui lites habere noscuntur, his horis, quibus causarum merita vel fata panduntur, residendi cum iudice non habeant facultatem. Si quis pro publicis functionibus, quae flagitantur, aliquo se defendere temptet munimine, adeat iudicem et promat, quae duxerit adserenda: quem si iudex, quod non arbitramur, minus audire maluerit, ipse quidem administrator triginta librarum auri, apparitio vero eius quinquaginta feriatur dispendio. De officio iudicum militarium. Numquam omnino in negotiis privatorum vel tuitio militaris vel exsecutio tribuatur; Praecipimus, ne quando curiales vel privatae condicionis homines ad militare exhibeantur iudicium vel contra se agentum actiones excipiant vel litigare in eo cogantur. Interminationem autem quinquaginta librarum auri adversus comitianum officium proponi decernimus, si quid contra haec aliquando temptaverit.

Nemo de his, qui in virorum spectabilium ducum officiis militaverint, scholae agentum in rebus quacumque subreptione post completam militiam societur, ne agendi vices viri clarissimi principis accipiat facultatem. Si quis autem adversus haec nostrae perennitatis decreta venire conetur, militia spoliatus proscriptionis poena pro parte bonorum tertia constringatur. Duces limitum et praecipue, quibus gentes quae maxime cavendae sunt appropinquant, in ipsis limitibus commorari et milites ad proprium redigere numerum imminentibus magisteriis potestatibus diuturnisque eorum exercitationibus inhaerere praecipimus. Castrorum quin etiam refectionis clusuriarumque curam habeant. Quibus cum principe castrorumque praepositis pro laborum vicissitudine limitaneorum militum duodecimam annonarum partem, distribuendam videlicet inter eos magisteriae potestatis arbitrio, deputamus. Ne comitibus rei militaris vel tribunis lavacra praestentur. Omnem inquietudinem a curiis et civitatibus praecipimus prohiberi nec ulla privata ab his succendi balnea ad tribunorum vel ducum aliorumve militarium comitum usus nec adaerationem aliquam pro hac causa profligari. Illustribus enim tantum viris comitibus ac magistris militum (si tamen id voluerint) hoc ministerium indulgemus: dupli poena violatoribus huius sanctionis imminente.

De officio diversorum iudicum. Nemo iudex officialem ad eam domum, in qua mater familias agit, cum aliquo praecepto existimet esse mittendum, ut eandem in publicum protrahat, cum certum sit debita eius, quae intra domum considerato sexu semet contineat, domus eius vel cuiuscumque rei habita distractione, publicis necessitatibus posse servari. Quod si quis in publicum matrem familias posthac crediderit protrahendam, inter maximos reos citra ullam indulgentiam capitali poena plectetur. Singuli quique iudices sciant celsioribus viris et his, quorum nonnumquam iudicio provehuntur, honorificentiam esse debitam praestandam, nec in subscriptionibus suis fratres audeant nominare, apparitione multanda, cuius haec cura est. Sciant principes et cornicularii et primates officiorum, iudices etiam, ternas libras auri a suis facultatibus eruendas, si honoratis viris, quibus etiam consistorium nostrum ingrediendi facultas praebetur, secretarii iudicum non patuerit ingressus aut reverentia non fuerit in salutatione delata aut sedendi cum iudice societas denegata.

Ut omnes tam civiles quam militares iudices post administrationem depositam per quinquaginta dies in civitatibus vel certis locis permaneant. Nemo ex viris clarissimis praesidibus provinciarum vel consularibus aut correctoribus neve qui administrationis maioris infulas meruerint, id est viri spectabiles proconsules vel praefectus Augustalis aut comes Orientis aut cuiuslibet tractus vicarius aut quicumque dux vel comes cuiuslibet limitis vel divinarum comes domorum, postquam sibi successum fuerit, audeat excedere de locis, quae rexisse noscitur, antequam quinquaginta dierum constitutus numerus finiatur.

Sed per id tempus praesides quidem et consulares nec non correctores in metropoli, spectabiles vero iudices tam civiles quam militares in civitatibus administratae dioeceseos illustrioribus publice, nec domi vel intra sancrosanctos terminos vel regiones aut potentes domos latitantes, sed in celeberrimis locis ante omnium quos nuper gubernaverant ora versentur, ut pateat omnibus facultas libera super furtis aut criminibus querimoniam commovendi, ita ut ab omni defensus iniuria provisione post eum administrantis ac periculo officii nec minus curialium et defensoris civitatis, iuratoriae tantum cautioni commissus, postquam fuerit in querimoniam devocatus, pulsare volentibus (ut dictum est) pro legum ratione respondeat:

Nec ullam ante praefinitum tempus de provincia discedendi excusationem ei tribuat vel divina revocatoria vel codicilli alterius administrationis oblati vel praeceptum amplissimae tuae sedis, ut alterius provinciae moderatoris vices obtineat, aut praeceptum praefatae vel alterius civilis seu militaris cuiuscumque potestatis, ut quamcumque sollicitudinem publicam gerat aut exhibeatur vel deducatur, aut postremum cuiuslibet artis astutia, cuiuscumque occasionis excogitata calliditas excludatur, ut modis omnibus, quae pro universarum provinciarum salute sancimus, sortiantur effectum. Quod si quis temeritate punienda saluberrimam legem circumscribendam vel violandam crediderit, licet et maiestatis reus non immerito iudicetur, attamen quinquaginta librarum auri multam publicis calculis inferre cogetur: simili poena plectendo, qui post eum administratione suscepta minime eum curaverit honeste retinendum aut super eius fuga protinus referendum.

Administrationem autem deponere non volumus decessorem, antequam successor ad provinciae fines pervenerit, licet litteris ad eum seu programmate vel edicto ad officium et provinciales usus fuerit. Ipse autem, qui praesentem fugiens non observaverit legem, ubicumque repertus fuerit, licet in hac florentissima civitate, ad provinciam sine ullo penitus obstaculo praeceptione tui culminis, cura etiam viri clarissimi rectoris provinciae, in qua repertus fuerit, deducetur, per sex mensuum curricula ibidem moraturus, quatenus interea minime crimina possint vel furta celari. Officium etiam, quod eum (debito tamen honore servato) non prohibuerit contra legis tenorem discedere, triginta librarum auri dispendio ferietur. Quod si intra quinquaginta dierum numerum fuerit forte pulsatus et praefato elapso tempore necdum finita lis fuerit, civiliter quidem super furtorum sceleribus pulsatus dato procuratore instructo post quinquaginta dies protinus habeat licentiam discedendi: accusatione vero super criminibus facta per inscriptionum laqueos inretitus usque ad terminum causae ibidem necessario perdurabit.

Sciant autem universi iudices, apud quos vel administrationis iure vel ex praecepto amplissimae tuae sedis huiusmodi controversiae civiliter vel criminaliter ventilantur, intra viginti dierum spatium debere se praefata litigia, postquam orta fuerint, terminare. Nam si supersederint, ipsos quidem decem librarum auri condemnationem subire censemus, accusationem vero seu civilem intentionem semel in iudicium deductam praefato modo legitime terminari. De officio eius qui vicem alicuius iudicis obtinet. In causa quae spectat ad utilitatem rei publicae eum qui vice praesidis provinciae administrat potuisse cognoscere in dubium non venit. Sane si in aliquo captum est ius rei publicae, iuxta scita divorum principum defensores rei publicae (si modo adesse fiduciam negotio putant) restitutionis auxilium possunt flagitare. Suggerente magnificentia vestra docta imperialis aeternitas debere eos, qui praeceptione principali seu vestrae sedis amplissimae tueri locum rectorum provinciarum noscuntur, auctoritatem habere tutores seu curatores petentibus dare, decretum etiam interponere ad alienandas minorum similiumque eis personarum seu curalium facultates, emancipationes quoque legibus celebrare et omnia quae ad iurisdictionem rectoris provinciae pertinent actitare, praecipere dignata est

pro dispositione vestrae celsitudinis praefatas huiusmodi sollicitudines peragendi habere licentiam.

De adsessoribus et domesticis et cancellariis iudicum. Studiorum labor meretur, ut hi, qui in publicis administrationibus constitui sociari sibi consiliorum participes cupiunt, spe praemiorum atque honorificentia sua provocent eos, quorum prudentiam sibi putant esse necessariam, non metu terribili et necessitate incongrua libertati. Praesides non per adsessores, sed per se subscribant libellis. Quod si quis adsessori subscriptionem inconsultis nobis permiserit, mox adsessor qui subscripsit exilio puniatur: praesidis vero nomen ad nos referri iubemus, ut in eum severius vindicetur. Consiliarios iudicum et cancellarios et eos, qui domesticorum funguntur officio, post depositam administrationem quinquaginta dies in provincia residere praecipimus. Pro confesso autem tenebitur, qui accusatus huiusmodi personam subtraxerit: eaque in quadruplum restitui iubemus, quae desiderantur ablata, ut duplum spoliatus accipiat, duplum noster fiscus adquirat. Domesticus iudicis a publicis actibus arceatur. Quod si necessitatibus publicis sese convictus fuerit miscuisse, statim eum ad maioris potestatis examen deduci oportet, ut competens in eo vindicta promatur. Nemo in provinciis, qui semel domestici vel cancellarii ministerium gesserit, ad eandem observationem aliqua ambitione iterum remeare concedatur. Nemo de domesticis ducum vel comitum militarium, officiis eorum connumeratus, post completum sui temporis actum ad eandem rursus sollicitudinem audeat adspirare: decem auri librarum condemnatione proposita, si quis hanc violare voluerit sanctionem: eadem poena officio quoque coercendo, si per ambitionem vel avaritiam ex his aliquid temerari concesserit. Velut castrense peculium filii familias adsessores etiam post patris obitum vindicent, qui consiliis propriis administratores iuvare consueverunt, si quid licitis honestisque lucris coadunare potuerunt.

Nullus iudicum ad provinciam sibi commissam quemquam secum ducere audeat, cui domestici vel cancellarii nomen imponat, nec profectum ad se undecumque suscipiat , ne famae nota cum bonorum publicatione plectatur. Periculo enim primatum officii cancellarios, sub fide gestorum ex eodem officio electos iudicibus applicari iubemus, ita ut post depositam administrationem nec militiam deserant et provincialibus praesentiam sui exhibeant, quo volentibus sit accusandi eos facultas, si enim idonea causa exegerit, ad detegenda iudicis flagitia et quaestioni eos subdi oportet. Si post depositam administrationem iudicum praesentiam vel exhibitionem domesticorum querimonia provincialium aut curalium vel aliqua publica necessitas postulaverit, per eosdem administratores, quorum domestici fuerint, iudicio legibusque tradantur. In consiliariis observari censemus, ut in eum, qui in sua provincia ultra quattuor menses moderatoribus adsederit adversus leges antiquas et divorum retro principum scita, proscriptio bonorum et accusatio publici criminis immineat, nisi per caeleste oraculum vel amplissimae tuae sedis praeceptionem sese defendat.

Non parum adsessoribus magistratuum maiorum quam ipsis iudicibus nostrae benivolentiae liberalitas tribuenda est. Ideoque consiliarios virorum illustrium praefectorum tam praetorio quam huius inclitae urbis eminentissimorumque magistrorum militum nec non etiam viri illustris magistri officiorum, sive praedicto officio iam functi sunt seu fungentur in posterum, post depositum etiam officium ab omni indictionis onere seu civilium seu militarium iudicum prorsus immunes esse praecipimus, ut nec ab amplissima quidem sede tui culminis eis ulla molestia super suscipiendo quolibet gravamine penitus iniungatur: quinquaginta librarum auri officio tui culminis damnatione multando, si quid adversus statuta clementiae nostrae innovari concesserit . . Liceat omnibus iudicibus illustri praeditis potestate consiliarios sibi eosdem secundo ac tertio et saepius iniungere, quia qui semel recte cognitus est, ob hoc solum non debet,

quod iam probatus est, improbari. Nemo ex his, qui advocati causarum constituti sunt vel fuerint et in hac regia urbe in quocumque iudicio deputati et in aliis omnibus provinciis nostro subiectis imperio, audeat in uno eodemque tempore tam advocatione uti quam consiliarii cuiuscumque magistratus, quibus res publica gerenda committitur, curam adripere, cum sat abundeque sufficit vel per advocationem causis perfectissime patrocinari vel adsessoris officio fungi, ne, cum in utrumque festinet, neutrum bene peragat: sed sive advocatus esse maluerit, hoc cum debita sollertia implere possit , vel si adsessionem elegerit, in ea videlicet permaneat, ita tamen, ut post consiliarii sollicitudinem depositam liceat ei ad munus advocationis reverti.

Nec sit concessum cuidam duobus magistratibus adsidere et utriusque iudicii curam peragere (neque enim facile credendum est duabus etiam necessariis rebus unum sufficere: nam cum uni iudicio adfuerit, altero abstrahi necesse est sicque nulli eorum idoneum in totum inveniri), sed altera adsessione penitus semota unius magistratus esse contentum iudicio. Nec callidis machinationibus huiusmodi legem putet quis esse circumscribendam et , si non consilarii signum quod solitum est chartis imponat, sed alias quasdam litteras excogitatas adsimulaverit, existimari ei licere fungi quidem memorato officio, sub huiusmodi tamen umbra latere, cum in legem committunt hi, qui vigorem eius scrupulosis et excogitatis artibus eludere festinant. Neque sibi blandiri quemquam oportet, quod et praesentis legis aculeos possit evadere, quemadmodum et anteriores leges super hac re positas deludebat. Si quis etenim in tali commisso fuerit inventus, sciat se de matriculis advocatorum penitus esse delendum et decem librarum auri multam nostris privatis largitionibus illaturum, per virum illustrem comitem rerum privatarum exigendam, et aliam maiorem regalis culminis subiturum offensam, cum nec ipse iudex, qui hoc fieri passus est et sciens prudensque hoc commiserit, sine imperiali commitione remanebit. Eadem poena subiciendo etiam eo vel eis, qui in his causis, quarum patrocinium adepti sunt quibusque advocationem suam praestiterint, adsessionis cuiuscumque magistratus colore audeat vel audeant iudicare, ne adfectionis suae advocationis memor incorrupti iudicis non possit nomen perferre. De annonis et capitu administrantium vel adsessorum aliorumve publicas sollicitudines gerentium vel eorum, qui aliquas consecuti sunt dignitates.

Omnibus tam viris spectabilibus quam viris clarissimis iudicibus, qui per provincias sive militarem sive civilem administrationem gerunt, nec non comiti commerciorum, magistro aeris sive privatae rei, rationali per ponticam atque asianam dioecesin et adsessoribus iudicum singulorum in praebendis solaciis annonarum hic fixus ac stabilis servabitur modus, ut ea pro annonis et capitu dignitati suae debitis pretia consequantur, quae particularibus delegationibus soleant contineri. De contractibus iudicum vel eorum qui sunt circa eos et inhibendis donationibus in eos faciendis et ne administrationis tempore proprias aedes aedificent sine sanctione pragmatica. Quicumque administrationem in hac florentissima urbe gerunt, emere quidem mobiles vel immobiles res vel domus extruere non aliter possint, nisi specialem nostri numinis hoc eis permittentem divinam rescriptionem meruerint.

Donationes vero omnimodo recusent, scientes non esse validas eas in quibuscumque rebus et quacumque aestimatione, nisi post administrationem depositam vel specialiter in scriptis donator eandem donationem ratam habuerit vel tempus quinquennale praeterierit, in quo nulla querella super isdem donationibus vel ab ipso donatore vel ab successoribus eius facta sit. Provincias vero moderantibus non solum donationes, sed etiam emptiones quarumcumque mobilium vel immobilium rerum praeter eas, quae ad alimonias vel vestem pertinent, et aedificationes, licet sacri apices aliquid eorum permiserint, penitus interdicimus. Nec ratum sit, quod his donatione vel venditione datum est, licet quinquennale tempus post depositam administrationem excesserit vel consensus donatoris vel venditoris post eandem

administrationem adiectus sit. Haec autem etiam ad domesticos et consiliarios eorum trahi necessarium duximus, illud etiam adicientes, ut nec per interpositam personam aliquid eorum sine periculo possit perpetrari. Quae etiam ad praeterita negotia referri sancimus, nisi transactionibus vel iudicationibus sopita sint.

De modo multarum, quae ab iudicibus infliguntur. Multa damnum famae non inrogat. Procuratores meos, id est rationales, indicendae multae ius non habere saepe rescriptum est. Curator rei publicae, qui Graeco vocabulo logista nuncupatur, multandi ius non habet. Illustres viros praefectos praetorio usque ad quinquaginta librarum auri multas, cum peccatum gravissimum erit, sinimus pervenire. Multarum severa compendia aerario nostro protinus esse quaerenda nullus ignoret, nisi ipse iudex id, quod ad poenam admissi facinoris exculpitur, vel publicis operibus vel cursui publico vel aliis necessariis causis specialiter deputaverit. Eos, qui ordinario provincias iure moderantur, erga eorum personas, quos culpa reddit obnoxios, ultra duarum unciarum auri multam condemnare non patimur. Proconsularem vero potestatem, si multandi necessitas imminebit, senarum unciarum auri summa cohibebit: in qua forma etiam comes orientis atque praefectus augustalis erit. Ceteri vero spectabiles iudices et qui vice vestra administrationis gubernacula susceperunt, ultra tres auri uncias sibi intellegant licentiam denegandam.

Id quoque observandum a moderatore esse censemus, ut in unius correptione personae, si ad id continuatio peccati impulerit, trinae tantum in annum condemnationis sub praestituta summa severitas exseratur. Quod si quis praedictum modum excesserit, huius auctor admissi condemnato ad dupli restituionem, fisco vero nostro ad inferendam eam quantitatem, quam multae nomine inflixerit, retinebitur. Nec tamen ad huiusmodi legis moderationem pertinere se credant, qui in peculatibus aut manubiis, id est depraedationibus concussionibus furtis atque aliis flagitiis, quae coerceri severius convenit, fuerint deprehensi, scilicet ut scripta per iudices memoratos, in cuiuslibet fuerit dirigenda dispendium, sententia proferatur. Nec putent factu facile esse, ut aut praecipiti persuasione condemnet quem culpa non ingravat, aut erubescenda varietate iudicii pro arbitrio proprio immutandum esse quod lex iusserit, nisi paupertas condemnati hoc persuaserit.

Si quis de tenuioribus ac minuscularis rebus interpellandum te esse crediderit, in minoribus causis, id est usque ad quinquaginta solidorum summam, acta iudicialia conficias, scilicet ut, si quando quis vel debitum iustum vel servum, qui per fugam fuerit elapsus, vel quod ultra delegationem dederit postulaverit vel quodlibet huiusmodi, tua disceptatione restituas. Ceteras vero, quae dignae forensi magnitudine videbuntur, ordinario insinuato rectori. Defensores civitatum non ex decurionum seu cohortalium corpore, sed ex aliis idoneis personis huic officio deputentur. Utili ratione prospectum est, ut innocens et quieta rusticitas peculiaris patrocinii, id est defensoris locorum, beneficio fruatur, ut apud eum in pecuniariis causis litigandi habeat facultatem. In defensoribus universarum provinciarum erit administrationis haec forma et tempus quinquennii spatii metiendum: scilicet ut imprimis parentis vicem plebi exhibeas, descriptionibus rusticos urbanosque non patiaris adfligi, officialium insolentiae, iudicum procacitati salva reverentia pudoris occurras, ingrediendi, cum voles, ad iudicem liberam habeas facultatem, superexigendi damna vel spolia plus petentium ab his, quos liberorum loco tueri debes, excludas, nec patiaris quicquam ultra delegationem solitam ab his exigi, quos certum est nisi tali remedio non posse reparari.

Defensores nihil sibi insolenter, nihil indebitum vindicantes nominis sui tantum fungantur officio: nullas infligant multas, severiores non exerceant quaestiones, plebem vel decuriones ab omni improborum insolentia et temeritate tueantur, ut id tantum, quod esse dicuntur, esse non

desinant. Per omnes regiones, in quibus fera et periculi sui nescia latronum feruet insania, probatissimi quique et districtissimi defensores adsint disciplinae et quotidianis actibus praesint, qui non sinant crimina impunita coalescere: removeantur patrocinia, quae feruorem reis et auxilium scelerosis impertiendo maturari scelera fecerunt. Defensores civitatum oblatos sibi reos in ipso latrocinio vel congressu violentiae aut perpetrato homicidio stupro vel raptu vel adulterio deprehensos et actis publicis sibi traditos expresso crimine cum his, a quibus fuerint accusati, mox sub idonea prosecutione ad iudicium dirigant. Defensores ita praecipimus ordinari, ut sacris orthodoxae religionis imbuti mysteriis reverentissimorum episcoporum nec non clericorum et honoratorum ac possessorum et curialium decreto constituantur: de quorum ordinatione referendum est ad illustrissimam praetorianam potestatem, ut litteris eiusdem magnificae sedis eorum solidetur auctoritas.

Quod si quid a qualibet persona contra publicam disciplinam in laesionem possessorum fieri cognoverint defensores, referendi habeant potestatem ad illustres et magnificos viros praefectos praetorio et illustres viros magistros equitum et peditum, magistros etiam officiorum et comites tam sacrarum largitionum quam rerum privatarum. Iubemus cura ac sollertia defensorum minime possessores maioribus mensuris et ponderibus a susceptoribus praegravari, sed eos deprehensos ad iudicium dirigi cum ipso commissae fraudis indicio. Illud etiam fieri permittimus, ut, si provincialibus nostris contestari iniurias seu laesiones suas cupientibus actorum confectio a defensoribus denegetur, licentia eis tribuatur querellae propriae libellum conscriptum eo tenore, quo fuerat contestandum, in frequentioribus civitatum locis proponendi conveniendique scribas, tabularios et cetera officia publica commonenda, per quae libellum colligi oportebit atque invitis supra memoratis personis sub actorum confectione ingerendi, quorum quaestione fides possit inquiri: qua probata in eos, quos gestorum petitam confectionem negasse constiterit, vigor iudiciarius exseratur.

Nulli defensorum licere decernimus, si de publica sollicitudine voluerit se liberare, nisi divinos adfatus intimaverit tuae sublimitatis iudicio, triginta librarum auri poenam tam moderatoribus provinciarum quam ceteris iudicibus vel temeratoribus sacri nostri oraculi subituris, si neglecta fuerit auctoritas principalis. Iubemus eos tantummodo ad defensorum curam peragendam ordinari, qui sacrosanctis orthodoxae religionis imbuti mysteriis hoc imprimis sub gestorum testificatione , praesente quoque religiosissimo fidei orthodoxae antistite, per depositiones cum sacramenti religione celebrandas patefecerint. Ita enim eos praecipimus ordinari, ut reverentissimorum episcoporum nec non clericorum et honoratorum ac possessorum et curialium decreto constituantur. De magistratibus municipalibus . Decuriones ad magistratum vel exactionem annonarum ante tres menses vel amplius nominari debent, ut, si querimonia eorum iusta videatur, sine impedimento in absolvendi locum alius subrogetur. Magistratus conficiendorum actorum habeant potestatem. De officio iuridici Alexandriae. Iubemus apud Alexandrinae dumtaxat clarissimae civitatis iuridicum licitum et concessum esse singulis quibusque volentibus donationis conscriptae sollemniter instrumenta reserare, eisdemque robur adiciet gestorum series apud eundem virum confecta, tamquam si apud virum clarissimum moderatorem provinciae vel magistratus vel defensorem plebis habita fuisse diceretur.

23. IMPERIUM ROMANUM



Romanum imperium, quo neque ab exordio ullum fere minus neque incrementis toto orbe amplius humana potest memoria recordari, a Romulo exordium habet, qui Reae Silviae, Vestalis virginis, filius et, quantum putatus est, Martis cum Remo fratre uno partu editus est.is cum inter pastores latrocinaretur, decem et octo annos natus urbem exiguam in Palatino monte constituit XI Kal. Maias, Olympiadis sextae anno tertio, post Troiae excidium, ut qui plurimum minimumque tradunt, anno trecentesimo nonagesimo quarto. Romano Imperio exstincto, Romana Ecclesia non modo lingua Latina uti perrexit, verum etiam quodammodo custos eiusdem et fautrix fuit, sive in Theologiae ac Liturgiae, sive in institutionis et scientiae transmittendae provincia. Nostris quoque temporibus Latinae linguae et cultus cognitio perquam est necessaria ad fontes vestigandos ex quibus complures disciplinae ceteroqui hauriunt, exempli gratia Theologia, Liturgia, Patrologia et Ius Canonicum, quemadmodum Concilium Oecumenicum Vaticanum II docet (cfr Decretum de Institutione sacerdotali, Optatam totius, 13). In hac praeterea lingua, ut universalis Ecclesiae natura pateat, typica forma sunt scripti liturgici libri Romani Ritus, praestantiora Magisterii pontificii Documenta necnon sollemniora Romanorum Pontificum officialia Acta.

A Collection Of Texts In Modern Ecclesiastical Latin. Textos Em Latim Moderno Eclesiástico. 545 Pags. Prof. Dr. Darcy Carvalho. Fea-Usp. São Paulo. Brazil. Studies In Medieval And Modern Latin. Anno 2021. Coletânea De Textos Em Latim Moderno Eclesiástico.

SUMÁRIO E CONTEÚDO

SUMÁRIO: Esta coleção contém documentos pontifícios em latim eclesiástico moderno, a forma do latim atualmente utilizada pela Igreja Católica Romana em suas publicações oficiais. Uma coleção semelhante pode ser compilada para a Igreja Anglicana. O latim eclesiástico é uma língua moderna e viva. Por isso adota e desenvolve regularmente novo vocabulário, regras gramaticais flexíveis, expressões idiomáticas. Ao longo dos séculos, adotou diferentes ortografias, inclusive, a ortografia ramista ou francesa, que utiliza a letra J para indicar o i consonantal, sendo as letras v e u são sempre diferenciadas. Nosso primeiro documento exemplifica a ortografia atual do latim da Igreja. Como língua moderna completa, o latim eclesiástico também é um sistema de comunicação oral. A pronunciação latina da Igreja é bem conhecida, também é chamada de pronunciação tradicional italiana, apenas uma dentre as várias pronúncias tradicionais possíveis do latim. Desde a Idade Média, a Igreja tem uma longa história de expressar-se sobre questões sociais, políticas e internacionais importantes. Essa língua consagra também todo um corpo de diretrizes eclesiásticas, orações e liturgia católicas. Assim, a Igreja retem e continua promovendo o latim, mesmo permitindo atualmente uso mais amplo dos vernáculos. Os documentos incluídos nesta coleção abrangem vários séculos. Portanto, várias convenções de redação serão encontradas neste livro que podem não concordar com as convenções de redação atuais usadas para o latim clássico estrito. Os textos latinos são reproduzidos com a grafia de suas fontes, e sem bibliografia, notas ou comentários. O latim eclesiástico moderno não usa diacríticos, embora possam ser encontrados em textos

antigos. Muitas palavras podem ser escritas de forma ligeiramente diferente de vez em quando, dependendo de como a palavra é pronunciada. Não existe aqui a mesma ideia de grafia correta e incorreta que existe no latim clássico ou nos vernáculos modernos. Em vez disso, existe uma grafia aceitável ou inaceitável. Não nos ocuparemos do estudo dos pontos gramaticais necessários para ler ou escrever latim, que podem ser adquiridos em qualquer gramática curta do latim clássico. Esta coleção abrange apenas temas políticos e sociais e alguns textos dos doutores da Igreja. Não inclui preces, passagens da BÍblia ou frases da liturgia cristã. Os textos são apresentados em ordem cronológica aleatória. Cabe ao leitor a tarefa de encontrar, no site do Vaticano, na Documenta Catholica Omnia ou em qualquer outro lugar, uma tradução vernácula oficial dos textos transcritos. O alfabeto latino moderno é semelhante ao alfabeto inglês. O leitor pode começar a ler e trabalhar a partir de qualquer parágrafo.

CONTEÚDO.

01. Aetatis Novae Instructio Pastoralis De Communicationibus Socialibus

02. Inter Mirifica Decretum De Instrumentis Communicationis Socialis

03. Communio Et Progressio Instructio Pastoralis Ad Decretum De Instrumentis Communicationis Socialis

04. Miranda Prorsus Litterae Encyclicae De Re Cinematographica, Radiophonica Ac Televisifica

05. Gaudium Et Spes Constitutio Pastoralis De Ecclesia In Mundo Huius Temporis

O6. Gravissimum Educationis Momentum » Declaratio De Educatione Christiana

07. Paulus Episcopus Declaratio De Ecclesiae Habitudine Ad Religiones Non-Christianas Nostra Aetate »

08. Rerum Novarum De Conditione Opificum Leonis Pp Xiii Litterae Encyclicae

09. Pius Pp. Xi Epistula Encyclica Vigilanti Cura

10. Litterae Encyclicae Mater Et Magistra Summi Pontificis Ioannis Pp. Xxiii

11.Centesimus Annus

12. Litterae Encyclicae Pacem In Terris Summi Pontificis Ioannis Pp. Xxiii

13. Pius Pp. Xi Litterae Encyclicae Quadragesimo Anno De Ordine Sociali Instaurando

14. Latinarum Litterarum Pius Pp. XI Motu Proprio. De Peculiari Litterarum Latinarum Schola

15. Veterum Sapientia Ioannes PP. XXIIIi Constitutio Apostolica De Latinitatis Studio Provehendo

16. Pius Pp. Xi Litterae Apostolicae. Officiorum Omnium

17. Pius Pp. Xi Motu Proprio. Latinarum Litterarum De Peculiari Litterarum Latinarum Schola In Athenaeo Gregoriano Constituenda.

18. Ioannes Pp. Xxiii Constitutio Apostolica Veterum Sapientia De Latinitatis Studio Provehendo

19. Pius Pp. Xii Litterae Encyclicae Humani Generis

20. De Viris Illustribus Urbis Romae A Romulo Ad Augustum. Abbatis Lhomond.

21. Benedictus Pp. Xvi Litterae Apostolicae De Pontificia Academia Latinitatis Condenda. Latina Lingua

22.De Summa Trinitate Et De Fide Catholica Et Ut Nemo De Ea Publice Contendere Audeat

23. Imperium Romanum

FINIS OPERIS

A COLLECTION OF TEXTS IN MODERN ECCLESIASTICAL LATIN. COLETÂNEA DE TEXTOS EM LATIM MODERNO ECLESIÁSTICO. 545 PAGS. PROF. DR. DARCY CARVALHO. FEA-USP. SÃO PAULO. BRAZIL. STUDIES IN MEDIEVAL AND MODERN LATIN. ANNO 2021.